UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars Prima. De Ivrisdictione Et Foro Competenti. Pars Secunda. De Praeeminentiis & Praecedentiis

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1691

urn:nbn:de:hbz:466:1-74087

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 466a.

M.

II 24.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI;

D. JOANNIS BAPTISTÆ, CARDINALIS

DE LUCA,

THEATRUM VERITATIS ET JUSTITIÆ,

SIVE

DECISIVI DISCURSUS,

AD VERITATEM EDITI IN FORENSIBUS CONTROVERSIIS, CANONICIS ET CIVILIBUS, in quibus in Vrbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit.

PARS PRIMA.

DE IVRISDICTIONE ET FORO COMPETENTI.

PARS SECUNDA.

DE PRAEEMINENTIIS & PRAECEDENTIIS,

Sub quibus

De Jure Cathedratico, Metropolitico, Nobilitate, Civitate, & aliis Juribus honorificis.

Cum Indicibus Argumentorum, causarum ac rerum luculentissimis.

OPUS TAM JUDICIBUS, QUAM CAUsarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro versantibus valde necessarium.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Societatis. Anno M.DC.LXXXXI.

Cum Privilegio Sac. Caes. Majest.

INDEX
ARGUMENTORUM
IN DISCVRSIBVS
Quæ habentur in hoc Libro de Jurisdictione, & Foro competenti.

Discursus I.

Toletana Iurisdictionis.

De controversia jurisdictionis spiritualis, tàm ordinariæ, quàm delegatæ, inter Episcopum, & Prælatum inferiorem, tàm in locis exemptis, quàm nullius, & de territorio separato Et quomodo territorium separatum probari dicatur; Et de distinctione plurium specierum Prælatorum inferiorum, eorumque jurisdictionis, Ac de intelligentia privilegiorum, quæ super exemptione à locorum Ordinariis competunt Regularibus, & Religionibus, præsertim verò illis S. Joannis Hierosolymitani.

Disc. II.

Conversana jurisdictionis.

De eadem materia jurisdictionis Prælati inferioris in concursu Diœcesani, quoties præsertim ex ipsiusmet Diœcesani concessione, jurisdictio Prælati inferioris originata est.

Et de puncto, an defensio causarum pertinentium ad Prioratus, vel Commendas Hierosolymitanæ Religionis, principaliter pertineat ad ipsam, vel ad Priores & Commendatarios, ita ut gesta cum istis afficiant necnè ipsam Religionem.

Disc. III.

Vulturarien. jurisdictionis.

De eadem materia jurisdictionis prætensæ per inferiorem Prælatum privativè ad Ordinarium, & cum territorio separato in loco, in quo ipse habeat etiam jurisdictionem temporalem.

Et de territorii separati probatione per testes deponentes de immemorabili, seu territorii separatione, An & quando una vel altera species probationis dicatur sufficienter facta, necnè.

Disc. IV.

Faventina jurisdictionis.

De jurisdictione Ordinarii in Cappellanos, Clericos, colonos, ministros, & alios non professos, inservientes Ecclesiis, Prioratibus, & Commendis S. Religionis Hierosolymitanæ, tàm in concernentibus curam animarum, quàm in aliis, ad interpretationem Constitutionis 65. *Gregorii Card. de Luca de Iurisdictione & Foro compet.* XIII. Et aliqua de Conservatoribus privilegiorum ejusdem Religionis an possint habere Tribunal erectum, & in quo differant ab aliis Conservatoribus, Et an eorum personæ sint exemptæ à jurisdictione Ordinarii, cui aliàs essent subjectæ.

Disc. V.

Theatina jurisdictionis.

De omnimoda exemptione à jurisdictione Ordinarii ante Sac. Conc. Trid. canonizata per eam judicatam ad formam Constitutionis Bonifacii VIII. in *cap. cùm persona de privilegiis in 6.* Quid talis res judicata hodie operetur, Et quid in hoc per Concilium innovatum fuerit.

Disc. VI.

Macraten. seu Tolentina jurisdictionis.

De eadem materia jurisdictionis delegatæ competentis Episcopis, seu locorum Ordinariis in Ecclesiis, & locis exemptis. Et aliqua etiam de territorio separato.

Disc. VII.

Astoricen. seu nullius jurisdictionis.

De omnimoda jurisdictione quasi Episcopali cum territorio separato competente Prælato inferiori privativè ad Episcopum ex privilegio Apostolico, Et de ipsius privilegii executione, & effectuatione.

De laudo an valeat in bonis, & juribus Ecclesiarum sine beneplacito Apostolico; Et quando istud adesse dicatur præsumptum ex lapsu temporis.

Disc. VIII.

Hyspalen. jurisdictionis

De jurisdictione omnimoda quasi Episcopali competenti Prælato inferiori ex Indulto Apostolico concesso pro aliquo Statu, vel locorum Universitate, An comprehendat locum, qui de tempore Indulti destinatus erat, ut dictæ Universitati uniretur, non tamen adhuc ad actum unionis deventum erat; Et aliqua de materia aperitionis oris adversus gratiam cum decreto irritanti & clausula *sublata.*

Disc. IX.

Anglonen. Iurisdictionis.

De eadem materia territorii separati, ac jurisdictionis Prælati inferioris in locum, & populum alicujus loci; Et quid in hoc operentur dominium & jurisdictio temporalis ejusdem loci penes ipsum Prælatum inferiorem.

Disc. X.

Lunen. Sarzanen. jurisdictionis.

De eadem materia territorii separati, & omnimodæ spiritualis & quasi Episcopalis jurisdictionis Prælati inferioris, etiam in exclusionem jurisdictionis delegatæ loci Ordinario.

Disc. XI.

Aprutina jurisdictionis.

De probatione situationis loci in Diœcesi, an incumbat Episcopo agenti contra Prælatum inferiorem pro exercitio ordinariæ, vel delegatæ jurisdictionis, Et de probatione privilegii super territorio separato per testes ob illius casualem amissionem.

Disc. XII.

Beneventana jurisdictionis.

De eadem materia probationis situationis in diœcesi, vel territorii separati respectivè; Et an privilegium Apostolicum, quamvis non expressum, super territorio separato, & jurisdictione activa in clerum, & populum, sufficiat concurrente longæva observantia, tanquam ab ista ita interpretatum.

Disc. XIII.

Marsicen. jurisdictionis.

De eadem materia controversiæ jurisdictionalis inter Episcopum, & Prælatum inferiorem prætendentem jurisdictionem cum territorio separato. Et an sententia, aliaque acta gesta cum Episcopo afficiant Capitulum, seu Clerum loci controversi. Et quando dicatur esse tale Capitulum, quod ad causæ defensionem, evocandum vel admittendum esset.

Disc. XIV.

Firmana jurisdictionis.

An inferior Prælatus regularis habens omnimodam jurisdictionem quasi Episcopalem cum clero & populo intra limites ejus Monasterio, seu Abbatiæ adjacentes, tanquam in territorio separato & *Nullius*, eamdem jurisdictionem habeat in Ecclesiis unitis, seu membris & de mensa ejusdem Monasterii, sitis in alienis diœcesibus, etiam respectu clericorum eis inservientium & populorum in eisdem Sacramenta & divina recipientium.

Disc. XV.

Sancti Severini Parochialis.

De eadem materia discursus præcedentis, An scilicet Prælatus Regularis cum omnimoda jurisdictione & territorio separato in loco sui Monasterii, eamdem jurisdictionem habeat in Ecclesiis subjectis, & de mensa, in alienis diœcesibus existentibus.

Disc. XVI.

Mutinen. seu Carpen. collationis ordinum.

De collatione ordinum, seu concessione litterarum dimissorialium pro eis suscipiendis, An competat inferiori Prælato loci *Nullius*, habenti cum territorio separato plenam jurisdictionem quasi Episcopalem, vel potius Episcopo viciniori.

Disc. XVII.

Aquilana jurisdictionis.

Si ex concordia, seu aliàs Prælato inferiori competit omnimoda jurisdictio, etiam in casibus venientibus sub delegata, reservato solùm Episcopo jure visitandi Ecclesiam, Quid sub hoc jure veniat; Et an visitare possit personas eidem Ecclesiæ inservientes, eorumque causas, & titulum Beneficiorum cognoscere.

Disc. XVIII.

Marsicana jurisdictionis.

De jurisdictione loci Ordinario delegata circa clausuram Monasterii Monialium amplissimè exempti, & cum tali exemptione quod importet territorium separatum & qualitatem *Nullius*, quantum se extendat, & in quo operativa sit, Et quale aliud jus extrà clausuram in eodem Monasterio, vel ejus Ecclesia Ordinarius habeat.

Disc. XIX.

Policastren.

Exemptio concessa alicui Collegio sub proprio Prælato habente jurisdictionem privativam ad quemcumque, An suffragetur quoad clerum & populum castri, seu loci in aliena diœcesi, ad ipsum Collegium & Prælatum pertinentis. Et aliqua de jurisdictione Ordinarii in exemptos ratione turbatæ jurisdictionis.

Disc. XX.

Nazarena, seu Tranen. jurisdictionis.

Concessa per Sedem Apostolicam Episcopo in partibus infidelium, vel hæreticorum, seu aliàs impedito residere in propria diœcesi, Ecclesia intra limites alienæ diœcesis pro ejus residentia, cum jurisdictione ordinaria, & Episcopali in clericos, aliosque illius Ecclesiæ inservientes, & ministros; An hic Episcopus consideretur tanquam inferior Prælatus Ecclesiæ exemptæ in aliena diœcesi, vel potius tanquam Episcopus, & Ordinarius, tam Ecclesiæ tanquam de territorio separato, quàm personarum, in utraque jurisdictione ordinaria & delegata.

Et posito quod censeatur juxta hanc secundam partem, An in loco, in quo Ecclesia sita est, exercere possit jurisdictionem cum suis subditis, eos carcerando, sive citando per edicta in locis publicis absque licentia Diœcesani, seu Ordinarii loci, nec non licentiam concedere possit prædicandi in dicta Ecclesia independenter ab Ordinario loci.

Et an confessarii per eum approbati ad audiendas confessiones, aliaque Sacramenta ministranda in ipsa Ecclesia, administrare possint Sacramenta populo ejusdem loci, vel Diœcesis, ac absolvere à casibus reservatis per Diœcesanum.

Et an Diœcesanus, seu Ordinarius, justè petere valeat præfinitionem certi numeri clericorum, & ministrorum pro servitio talis Episcopi exteri, ejusque Ecclesiæ.

Disc. XXI.

Amalphitana jurisdictionis.

Ecclesia existens intra fines unius Diœcesis, si perpetuo

petuo alteri Cathedrali , vel Metropolitanæ uniatur , An efficiatur de hac Diœcesi cum implicita territorii separatione , ita ut in Episcopum hujus novæ Ecclesiæ , cui facta est unio , transeat omnimoda jurisdictio Episcopalis privativè ad primum , vel potiùs remaneat in priori subjectione.

Disc. XXII.

Tiraſonen. jurisdictionis.

Subditi diœcesani , An & quando recusare possint accedere ad Civitatem , vel locum residentiæ Episcopi , ita ut trahi non debeant extra proprios lares, ibique judicandi sint ab ipso Episcopo , vel Vicario specialiter deputato.

Quando dicatur una Diœcesis, vel duæ potius æquè principaliter unitæ , & de effectibus inde resultantibus, præsertim , ne illi unius ad aliam trahantur.

Sententia lata cum Capitulo & Ecclesia loci dominantis, an præjudicet reliquo clero & populo ejusdem loci , ac aliorum locorum adjacentium , ita ut faciat statum.

Disc. XXIII.

Tarentina jurisdictionis.

De eadem materia , An scilicet subditi alicujus loci , vel partis diœcesis prætendere possint trahendos non esse extra proprios lares , sed ibi tantùm per Episcopum , seu Vicarium particularem , eorum causas cognosci debere.

Disc. XXIV.

Acernen. residentiæ & Vicarii.

An Episcopus , neglecta residentia in Civitate & Ecclesia Cathedrali , illam habere possit, ac Tribunal erigere pro toto tempore in aliqua parte diœcesis ; Et quatenus id concedatur , An possit Capitulum Cathedralis prætendere , pro Civitate deputandum esse Vicarium Generalem independentem ab alio Vicario Generali assistente penes Episcopum.

Et de jurisdictione Capituli Sede vacante , cum facultate deputandi Vicarium , An illa respectu loci, vel partis diœcesis , esse possit penes Capitulum Collegiatæ, vel Clerum ejusdem loci, privativè ad Capitulum Cathedralis.

Disc. XXV.

Colonien. seu nullius exemptionis.

De exemptione ab Ordinarii jurisdictione competente alicui Monasterio Monialium , vel Ecclesiæ principali , An competat alteri Monasterio , vel Ecclesiæ subjectæ, vel dependenti ; Et quid etiam respectu curæ animarum , & administrationis Sacramentorum in illis partibus , in quibus receptum non sit Concilium Tridentinum.

Disc. XXVI.

Neapolitana juris visitandi Monasterium.

Jurisdictio delegata Ordinario loci in Monasteriis Monialium exemptis , An locum habeat quando exemptio provenit ex lege fundationis ; Et quid ubi eadem Monasteria habent alterum Delegatum Apostolicum à quo visitantur.

Disc. XXVII.

Campanien. juris visitandi.

An jurisdictio à S. C. T. & Apostolicis Constitutionibus delegata Ordinariis in Monasteriis Monialium exemptis , militet ubi obstat lex fundationis approbata per Sedem Apostolicam.

Disc. XXVIII.

Colonien. Monasterii S. Cornelii ad Indam.

An & quando Ordinarius loci jurisdictionem habeat etiam ordinariam in Monasterio Regulari , ejusque Abbate , & Religiosis , ubi agitur de illis Monasteriis, quæ cum aliis non connectunt , sed regantur de per se , & independenter , An scilicet exemptiones generales competentes Religionibus , capiant hæc Monasteria.

Disc. XXIX.

Messanen.

De jurisdictione Ordinarii loci in exemptos , præsertim in milites Hierosolymitanos ejus jurisdictionem turbantes, Et an possit eos excommunicare , seu excommunicatos declarare , eorumque Ecclesias interdicto subjicere , non obstantibus specialibus privilegiis , ne excommunicari , vel aliis censuris innodari possint.

Disc. XXX.

Vanen. visitationis.

De jurisdictione Ordinarii in Ecclesia sæculari, quamvis per Regulares & exemptos possessa & officiata , quæ propterea naturam non immutavit , neque Regularis effecta est.

Disc. XXXI.

Mediolanen. interdicti.

De jurisdictione Ordinarii in Regulares exercentes in eorum Ecclesiis functiones Pontificales , & quæ non nisi ad Episcopum , vel ab eo deputandum spectare debent , Et an possit propterea Episcopus eos punire, eorumque Ecclesiam Ecclesiastico interdicto subjicere.

Et quando Abbates , & Prælati Regulares Pontificalium usum habentes, possint in eorum Ecclesiis baldacchinum erigere , ac Pontificali more celebrare.

Disc. XXXII.

Panormitana.

De jurisdictione & potestate Diœcesani in Regulares , ut quamvis inviti munus audiendi confessiones præsertim Monialium explere debeant.

Regularium electio, eorumque distributio per Monasteria , in quibus Confessarii munus exerceri debeat , an spectet ad ipsum Diœcesanum , vel ad Superiores Regulares.

Disc. XXXIII.

Lauretana jurisdictionis.

De jurisdictione Cardinalis Protectoris Almæ Domus Lauretanæ privativè ad Episcopum , in quibus casibus locum habeat.

Et an sub nomine Cappellanorum Almæ Domui inservientium , veniant illi Sacerdotes qui sub diurna mercede ibi celebrant, vel ab ejusdem Domus ministris deputantur ad celebrandas missas pro satisfaciendis oneribus eidem incumbentibus.

Sub nomine laboratorum , famulorum & inservientium , an veniant laboratores , & operarii diurni , ac illi qui deputati sunt ad pulsandas campanas Ecclesiæ ; Et an milites Civitatis vulgò nuncupati *di militia* , ex eo quod etiam ipsam Almam Domum custodire & defendere

dicantur, veniant sub nomine familiarium.

Disc. XXXIV.

Romana jurisdictionis, seu tituli Cardinalitii.

De jurisdictione Cardinalium in Ecclesiis suorum titulorum, quid importet, & quantum se extendat, præsertim verò in illis, in quibus adsunt Regulares, An cum istis Cardinalis Titularis aliquam habeat jurisdictionem, & qualem; Et aliqua de exemptione Regularium remissivè.

Disc. XXXV.

Romana Cappellæ, seu præeminentiarum.

De jurisdictione Cardinalis Protectoris Cappellæ Sixtinæ in Ecclesia S. Mariæ Majoris quid importet in concursu jurisdictionis competentis Cardinali Archipresbytero ejusdem Ecclesiæ, Et an in functionibus, quæ in Cappella fiunt, præeminentiæ jurisdictionales pertineant ad Protectorem, vel ad Archipresbyterum.

Disc. XXXVI.

Anglonen. Competentiæ.

De jurisdictione Nuntii Apostolici in Regno Neapolitano cum Regularibus, & exemptis tanquam eorum Commissarii Generalis, An ea competat privativè ad Ordinarios locorum in illis casibus, in quibus Ordinarii, exemptione non obstante sunt Regularium, & exemptorum Judices competentes.

Disc. XXXVII.

Majoricen. Synodus.

An & quando Regulares exempti, eorumque Abbates, & Superiores teneantur accedere ad Synodum diœcesanum, & ad ejusdem Synodus observantiam, ita ut ad id per Episcopum cogi valeant.

Disc. XXXVIII.

Feretrana Cathedratici.

De jurisdictione & respectivè exemptione Capituli Lateranensis, & Ecclesiarum in solo Lateranensi existentium, & quam jurisdictionem in eis habeat loci Ordinarius, præsertim circa concernentia curam animarum.

Disc. XXXIX.

Beneventana Ecclesiæ.

De eadem materia exemptionis à jurisdictione Ordinarii Ecclesiarum harum in solo Lateranensi; Et quam jurisdictionem in eis Ordinarius habeat, dicta exemptione non obstante; Et de probatione dominii soli dictæ Ecclesiæ Lateranensis.

Disc. XL.

Frequentina juris visitandi.

De jurisdictione, & facultate Ordinarii super visitatione ac revisione computorum Hospitalis, & Montis Pietatis sub administratione laicorum, ac erectorum sub Regia protectione, præsertim ubi administratio est penès ipsam Communitatem fundatricem, An ita verificetur limitatio de fundatore vivente.

Disc. XLI.

Papien. Visitationis Hospitalis.

De facultate competente Episcopo in vim jurisdictionis sibi delegatæ per *Sac. Conc. Trid sess. 22. de reform. cap. 8. & 9.* visitandi Hospitalia aliaque pia loca exempta, & revidendi rationes, An procedat quando secùs in fundatione cautum sit, & quando dicatur ita cautum ex contractu, magis quàm ex privilegio, Et de differentia inter unum casum, & alterum, & de eod. *inf. dec. 95.*

Disc. XLII.

Tudertina.

De eadem materia jurisdictionis Episcopo, seu loci Ordinario competentis visitandi Confraternitates laicorum ac Hospitalia, aliaque pia loca, & opera per ipsos laicos administrata, cum revisione rationum, ac aliis eamdem administrationem concernentibus; Et aliqua de alienatione bonorum hujusmodi Hospitalium, Confraternitatum, & piorum locorum, an exigant solemnitates requisitas in alienationibus bonorum Ecclesiasticorum.

Disc. XLIII.

Eugubina visitationis,

De eadem materia jurisdictionis Episcopi super visitatione, & administratione Montis Pietatis administrati per laicos, in quibus possit se ingerere, & præsertim an possit plures convisitatores assumere.

Disc. XLIV.

Eugubina Legati.

De jurisdictione Episcopi circa exequutionem piorum legatorum, An spectare solùm dicatur subsidiariè, & in casu negligentiæ, vel directè, & immediatè.

Disc. XLV.

Florentina Conservatorii.

De jurisdictione, & auctoritate Episcopi, seu Ordinarii loci super Conservatoriis, Congregationibus, vel Adunantiis mulierum sæcularium infimul viventium sub propria, vel sæcularium administratione.

Disc. XLVI.

Bovien.

An Episcopus exercere possit jurisdictionem Ecclesiasticam etiam per censuras contra laicos pro exigendis vectigalibus aliisque juribus per Principem sæcularem sibi concessis.

Civitas vel Dominus temporalis, an concedere possit forensibus civilitatem, qua mediante obtineant exemptionem ab oneribus & contributionibus, quæ per Episcopum à forensibus, non autem à civibus exiguntur.

Disc. XLVII.

Cotronen. censurarum.

An, & quando Episcopus vel alter Prælatus sit Judex in causa propriæ mensæ, Et ubi agitur de bonis vel juribus Ecclesiæ, quorum fructus, & emolumenta ad ejus commodum cedant.

Et an & quando procedere possit ad censuras aliosque actus jurisdictionales contrà non subditos, vel quia non diœcesani, vel quia exempti, præsertim ex causa defensionis bonorum Ecclesiæ, adversus illa usurpantes, vel impedientes.

Disc. XLVIII.

Cusentina prætensi juris pascendi.

De eadem materia disc. præcedentis, An scilicet

cet, & quandò Episcopus, vel alter Prælatus pro defensione bonorum Ecclesiæ, quamvis extrà suum territorium, seu diœcesim existentium, procedere valeat ad censuras contrà non subditos in possessione dictorum bonorum Ecclesiam turbantes.

Disc. XLIX.

Algaren. Iurisdictionis.

An & quando à Conservatoribus privilegiorum detur appellatio ad solitos Judices appellationis, & præsertim ad Judicem appellationum Sardineæ, Et quatenus detur, An retardet, & operetur effectum suspensivum, Et an sperni possint inhibitiones.

Disc. L.

Terracinen. Iurisdictionis.

De jurisdictione Vicarii Urbis intrà districtum, etiam in causis primæ instantiæ in concursu Ordinarii loci, & de præventione inter eos.

Et quid si ipsa Ecclesia Cathedralis sit extrà districtum, intrà quem tamen sit locus diœcesis, ubi patratum est delictum, seu aliàs causa tractetur, An scilicet qualitas districtualis, & distantia, regulanda sit ab ipso loco particulari, vel potius ab ipsa Cathedrali.

Disc. LI.

Bononien. Census.

De jurisdictione Cardinalis Legati in prima instantia, quando intret, Et an etiam in casibus, ad quos ejus facultates non extenduntur, sit prorogabilis de partium consensu in præjudicium Ordinarii; Et de materia prorogationis jurisdictionis Judicis aliàs incompetentis.

Disc. LII.

Pragen.

Clericus qui proprio diœcesano destitutus est, quia nempè ejus diœcesis ab infidelibus, vel hæreticis occupata sit, transiens ad partes Catholicorum, cujus diœcesani subditus fiat, ad effectum præsertim collationis ordinum.

De pœna Episcopi conferentis ordines clerico alieno sine proprii diœcesani licentia, Et an Metropolitanus procedere possit censuras contrà Episcopum Suffraganeum.

Disc. LIII.

Viterbien. Iurisdictionis.

De cumulativa jurisdictione quam A. C. habere prætendit cum Baronibus Status Ecclesiastici, etiam in prima instantia, saltem per viam recursus vasallorum, An procedat in spiritualibus, & cum Episcopis non obstante Concilio Tridentino in *cap. Causæ omnes.*

Disc. LIV.

Barchionen. seu nullius deputationis Vicarii.

An jurisdictio Episcopalis & facultas deputandi Vicarium sede vacante de jure, & ex Sacro Concilio Tridentino competens Capitulo Cathedralis vel Collegiatæ locum habeat sede plena, sed Episcopo, seu Prælato impedito.

Disc. LV.

Neritonen. Iurisdictionis.

An Clericus in minoribus effugere valeat jurisdictionem sui Ordinarii, ex eo, quod habitum & tonsuram non deferat, neque Ecclesiæ inserviat, unde cessent requisita Sacri Conc. Tridentini; Et quid ubi expressè & formiter renunciavit clericatui, An hoc non obstante subjectus remaneat foro Ecclesiastico pro delictis, & causis ante dimissionem, Et quid pro illis post dimissionem clericatus.

Disc. LVI.

Beneventana Synodus.

De jurisdictione, seu facultate Episcopi circa Synodum, An scilicet Constitutiones Synodales facere valeat, sine consensu, vel consilio Capituli; Et quatenùs solum consilium requiratur, An capitulariter petendum sit, vel potiùs sufficiat, si à singulis, & an illud sit sequendum.

Disc. LVII.

Anglonen. remissionis causa.

De concursu seu quæstione jurisdictionali inter duos Episcopos, vel Ordinatios super cognitione ejusdem causæ, seu personæ, quæ uni subjecta sit ratione originis, vel domicilii, & alteri ratione delicti, qualis forus reputetur potentior. Et de præventione quando intret, ac sequuta dicatur, Et quid ubi concurrit mixtura plurium delinquentium diversi fori.

An personis privilegiatis competat electio fori Metropolitani in prima instantia.

Disc. LVIII.

Firmana Molendini.

Clericus, qui tanquam actor obtinuit rem contrà laicum à manibus Judicis laici, An possit coram eodem conveniri pro ejusdem rei dimissione, vel potiùs sit conveniendus coram suo Judice Ecclesiastico, & distinguuntur plures casus clerici habentis bona auctoritate Judicis laici, an coram eo conveniatur.

Disc. LIX.

Mediolanen. Fideicommissi.

An clerici & Ecclesiastici possidentes bona spectantia ad aliquod fidei commissum, seu majoratum, evocari possint ad forum sæcularem, & conveniri coram eo Judice, coram quo pendet judicium universale, super ipsius fideicommissi canonizatione, & pertinentia.

Disc. LX.

Mediolanen. bonorum.

Confraternitates, vel adunantiæ laicorum sub aliquo pio instituto, an gaudeant exemptione fori laicalis, quando, & quomodo.

Clericus, seu aliàs exemptus à foro laicali, An ad illum evocari possit tanquam actor voluntarius, & cum clausula, *quatenus putaverit sua interesse, &c.* Et quatenus evocetur, an tanquam auctor laudatus, seu necessarius defensor, aut aliàs mediatum habens interesse, declinare valeat talem forum, ut causam traheret ad suum Ecclesiasticum.

Disc. LXI.

Tranen.

An gesta per Judicem laicum contrà clericum non opponentem de clericatu, & tanquam contrà laicum, substineantur, vel potius infirmanda

sint; Et quatenus veniant infirmanda, num clericus teneatur collitiganti reficere expensas in tali judicio factas.

Executio infrà tempus ad appellandum, vel post interpositam appellationem in vim Ægidianæ contra clericum reputatum laicum non opponentem de clericatu, an remaneant valida, vel potius dicatur attentata.

Disc. LXII.

Neapolitana donationis.

Clericus infringere volens donationem factam laico, in quo foro hujusmodi judicium tractare debeat, an scilicet in Ecclesiastico, & proprio, vel in illo laici donatarii; Et successivè an intentans remedium *l. diffamari* dicatur actor, vel reus. Et aliqua de competentia fori ratione rei sitæ.

Disc. LXIII.

Albanen. seu Pedemontana bonorum.

Clericus auctor laudatus, seu defensor necessarius, an ex propria persona ratione sui mediati interesse communicet ejus exemptionem, & privilegia laico possessori immediato, tam quoad forum, quàm etiam quoad exemptionem ab Ægidiana aliosque similes effectus; Et aliqua de Ægidiana etiam inter laicos, an intret ubi unus eorum est forensis.

Disc. LXIV.

Nullius seu Aprutina.

De ritu 65. Magnæ Curiæ Vicariæ Neapolis super justificatione clericatus coram judice laico, in quibos judicibus, seu Tribunalibus locum habeat, ac attendi debeat.

Disc. LXV.

Materanen. Censurarum.

Judex laicus carcerando clericum vel Ecclesiasticum de ordine, & mandato Magistratus etiam laici superioris, asserentis ita demandare ex commissione & consensu judicis, seu superioris Eccleâastici, An dicatur violare Ecclesiasticam immunitatem, & jurisdictionem, ita ut incurrat nec nè in censuras.

Disc. LXVI.

Tarentina censurarum.

De controversia jurisdictionali in materia pascuorum, quæ sumuntur per animalia clericorum in bonis laicorum, an scilicet pro eis exigi possint fidæ aliaque onera per laicos solvi consueta, Et quatenus possint exigi, saltem ratione pascui, vel damni, An per laicos arrestari & retineri valeant animalia.

Disc. LXVII.

Maceraten. Censurarum.

De exemptione familiarium Cardinalium à foro laicali, quo jure competat; Et an & quando judex laicus contra eos procedendo incurrat censuras tanquã Ecclesiasticæ immunitatis violator.

Disc. LXVIII.

Bononien. denegatæ Iustitiæ.

Ad intelligentiam *Sac. Conc. Trident. sess. 24. de refor. cap. 20. causæ omnes*, in quibus casibus locum habeat, Et an & quando intret appellatio ex capite denegatæ justitiæ seu ob negligentiam in expeditione causæ.

Disc. LXIX.

Melevitana electionis Fori.

An in Insula Melevitana in causis merè prophanis inter illos incolas laicos audiri possit Curia Romana per viam appellationis, & recursus, vel per viam electionis fori juxtà terminos *text. in l. unic. C. quando Imperator inter pupillos &c.*

Et de materia *text. in l. diffamari, & l. si contendat*, quis scilicet dicator actor, vel reus, & quando clericus cum hoc remedio trahatur ad forum sæcularem, vel potius ipse ratione connexionis trahat totam causam ad suum forum Ecclesiasticum etiam respectu laicorum correorum.

Et an dictum privilegium *l. unicæ* concessum viduis competat virginibus, Et de ejusdem privilegii conquassatione inter æquè privilegiatos insimul contendentes.

Disc. LXX.

Albanen.

An Judex laicus Ecclesiasticã Immunitatem violare dicatur per actum recognitionis corporis delicti in domibus Cardinalium vel aliorum Ecclesiasticorum, & immunium, Et quæ domus Cardinalium à laicali jurisdictione exemptæ sint.

Disc. LXXI.

Romana seu Anconitana pecuniaria.

De foro celebrati contractus inter absentes, qualis dicatur, an ille mandantis, vel ille mandatarii, in quo mandatum acceptatur, & contractus perficitur; Et quid de fidejussore, an censeatur suo foro renunciasse.

Disc. LXXII.

Bononien. remissionis causæ.

An pupillus vel alia persona miserabilis succedens non privilegiato lite jam cœpta in prima instantia, possit in secunda instantia uti privilegio *leg. unica Cod. quando Imperator.* maximè ad effectum evocandi causam à Curia Principis, & petendi remissionem ad Ordinarium, & immediatum judicem appellationis in provincia existentem.

Disc. LXXIII.

Romana seu Iannen. Redditionis Rationum.

De foro in quo reddendæ sunt rationes, & an illæ activè vel passivè reddendæ sint in alio loco quàm illo gestæ administrationis ex privilegio *Eugenianæ* vel alio privilegio uni vel alteri competente; Et de materia *l. diffamari, & l. si contendat &c.* quando intentans hujusmodi remedia, dicatur actor vel reus.

Disc. LXXIV.

Urbevetana fideicommissi.

De connexione causarum, Et quando ad unum judicem, coram quo fideicommissum canonizatum est, remitti debeant omnes causæ concernentes bona fideicommissaria existentia penes diversos possessores.

Disc. LXXV.

Romana seu Senen. Legati.

De fori competentia ratione rei sitæ, quando intret contrà ipsius rei dominum & possessorem alibi domicilium habentem; Et aliqua de competentia fori ratione originis.

Disc.

INDEX ARGVMENTORVM.

Disc. LXXVI.

Romana unionis causarum.

An & quando sit locus unioni causarum, illas à pluribus judicibus avocando, & uni committendo.

Disc. LXXVII.

Fulginaten. seu Spoletana.

Quando causa civilis præjudicet criminali, ita ut unus judex alteri inhibeat, nè in criminali procedere valeat, donec terminetur civilis.

Disc. LXXVIII.

Romana pensionis domus.

De foro militari, an & quando intret, & quis dicatur judex militum, Et quando milites conveniri possint coram judicibus ordinariis.

Disc. LXXIX.

Romana Testamenti.

Causa civilis, quando præjudicet criminali, ut judex civilis inhibeat criminali ut alterius causæ exitum expectet; Et an & quando per testatoris inductionem ad testandum ad ejus favorem intrare dicatur delictum, & agi possit criminaliter; Et de judice criminali non habente jurisdictionem in civilibus.

Disc. LXXX.

Ianuen seu Ferrarien.

An privilegium electionis, seu variationis fori competens viduis, pupillis, aliisque miserabilibus personis *ex l. unica Cod. quando Imperator &c.* locum habeat contrà clericos, & personas Ecclesiasticas, præsertim qualificatas, puta Episcopos, vel Cardinales &c. & qualis sit Cardinalium forus competens.

Et de privilegiis concessis Civitati Ferrariæ, an derogent privilegio *dictæ legis unicæ.*

Disc. LXXXI.

Melphien. seu Venusina.

Causa civilis quando dicatur præjudicialis criminali, ita ut judex civilis inhibeat, nè in causa, procedat, civili non terminata; Et an & quando causa ineisionis arborum dici possit criminalis, ita ut talis actus sapiat delictum punibile.

Disc. LXXXII.

Romana pretii Castrorum.

An jurisdictio per Principem seu alium superiorem alicui delegata, probetur ex ejusdem delegati assertione de vivæ vocis oraculo, Et quando huic deferendum sit.

Disc. LXXXIII.

Romana concursus.

De jurisdictione Camerarii Riparum in causis mercatorum ripæ, seu negotium ripale concernentibus, quomodo & quando competat, Et an procedat ubi contentio est cum Dohanerio super gabella per tabernarium seu Hospitem debita, concurrente cum mercatoribus ripalibus creditoribus ex causa vini vel mercium, vel potius tanquam in causa fiscali cognitio spectet ad Thesaurarium; Et an fiscus qui venit ad causam alteri assistendo tanquam defensor necessarius seu aliàs habens interesse mediatum trahat causam ad forum suum.

Disc. LXXXIV.

Leodien. unionis.

An A. C. in secunda instantia jurisdictionem habeat in causis Beneficialibus, & quando istæ dicantur tales.

Disc. LXXXV.

Romana decima.

De jurisdictione Thesaurarii Generalis competente *ex Constitutione 100. Sixti V.* Dictique Thesaurarii participatione de decima omnium incamerationum, An procedat in Provinciis & Regionibus extrà Italiam, in quibus accidentaliter contingat, eumdem Thesaurarium aliquam superioritatem vel auctoritatem habere.

An eadem jurisdictio in eodem loco vel genere possit pluribus eodem tempore competere, Et quando ejus specialis concessio uni facta censeatur cumulativè ad alterum, vel privativè.

Disc. LXXXVI.

Arelaten. pensionis.

Ad materiam *text. in l. hæres absens ff. de judic.* An scilicet & quando hæres pernecessè conveniri debeat pro debitis defuncti in loco sui domicilii, vel conveniri possit in foro defuncti, vel ubi est hæreditas seu major pars bonorum.

Disc. LXXXVII.

Montis Alti, seu Maceraten. Fideicommissi.

De foro competenti, in quo hæres fideicommisso gravatus conveniri possit vel debeat ad ejus restitutionem; Et quid de legatis, & fideicommissis particularibus; Et aliqua de incompetentia Tribunalis A. C. in prima instantia extrà Curiam.

Disc. LXXXVIII.

Tusculana remissionis causa.

An condemnatus in contumaciam per Curiam Baronis, qui juxtà Constitutiones *Pii IV. & Pii V.* audiri potest, atque ad defensiones admitti, dummodò sponte se constituat in carceribus illius judicis, qui eum condemnavit, Possit se constituere in Curia Principis, & sic in carceribus Gubernatoris Urbis; Et quatenus in istis se constituat, An sit remittendus ad Curiam Baronis, qui illum condemnavit.

Disc. LXXXIX.

Romana pecuniaria.

Ad materiam textus *in l. Roma ff. admunicipalem*, quando scilicet exteri apprehensi in Curia, cujus forus aliàs esset incompetens, possint ibi conveniri.

De concordatis Galliæ de non trahendis illis Episcopis, Prælatis, aliisque Ecclesiasticis ad Curiam, quomodo intelligenda sint; Ac etiam de privilegio concesso Episcopis venientibus ad visitanda Limina, ut non possint hoc tempore conveniri & molestari, quomodò hoc pariter intelligatur.

Disc. XC.

Massanen. Pensionum seu Afflictuum.

An possidens feuda, vel dominia in diversis Principatibus, vel ditionibus, possit ratione domicilii, quod habet in Urbe, sive ob personalem ejus apprehensionem, in eadem Curia ibi conveniri, pro causis & negotiis spectatibus ad dicta diversa dominia

dominia in diversis Principatibus existentia ; Et de propositione, quod *Roma est communis patria*, quando procedat.

Disc. XCI.

Romana revisionis rationum.

An Constitutio 74. *Sixti V.* per quam disponitur causas Regularium summariè cognoscendas esse in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium negotiis præposita, procedat in causis vertentibus inter ipsam Religionem, seu Monasterium, & illum. qui aliàs Religiosus, per annullationem professionis, seu ex alio titulo effectus est sæcularis.

Disc. XCII.

Lucana Iurisdictionis.

An professores militiarum S. Jacobi de Spata, de Calatrava, de Alcantara, SS. Mauritii & Lazzari, & S. Stephani ac similium, sint veri Religiosi; Et quatenùs non, an saltem sint personæ Ecclesiasticæ exemptæ à jurisdictione & foro laicali.

Et in specie de militia S. Stephani, an in aliquo ab aliis militiis differat,

Disc. XCIII.

Volaterrana habitus.

An Episcopus jurisdictionem seu potestatem habeat prohibendi usum vestium talarium, quibus clerici uti solent, sæcularibus Doctoribus, illas gestare profitentibus tanquam togam doctoralem.

Disc. XCIV.

Neapolitana remissionis causa.

An & quando clericus conveniri possit coram Judice laico super bonis, quæ cum ipsius Judicis auctoritate obtinuit, Et quid ubi tutelam vel aliud officium ab eo suscepit, seu quod ipsa bona coram laico præventa sint; Et in specie clerici hæredis, qui obtinuit immissionem ad bona hæreditaria à Judice laico, an coram illo conveniatur pro debitis hæreditariis vel legatis.

Disc. XCV.

Papien. visitationis Hospitalis.

De eadem materia, de qua discurs. 41. An scilicet & quando intret necne Concilium Tridentinum *sess. 22. de reform. cap. 8. & 9.* super visitatione Hospitalium exemptorum, ac revisione rationum.

IN-

INDEX
CAUSARUM
Ordine alphabetico juxtà earum Diœceſes.

A

ACernen. Reſidentiæ & Vicarii diſc. 24. fol. 68.
Albanen. diſc. 70. fol. 168.
Seu Pedemontana bonorum, diſc. 63. fol 156.
Algaren. Juriſdictionis, diſc. 49. fol 127.
Amalphitana Juriſdictionis, diſcurſ. 21. fol. 59.
Anglonen. Competentiæ, diſc. 36. fol. 99.
Juriſdictionis, diſc. 9. fol. 30.
Remiſſionis cauſæ, diſc. 57, fol. 143.
Aprutina Juriſdictionis, diſc. 11. fol. 34.
Aquilana Juriſdictionis, diſc. 17. fol. 47.
Arelaten. penſionis, diſc. 86. fol. 197.
Aſtoricen. ſeu Nullius Juriſdictionis, diſc. 7. fol. 24.

B

BArchinonen, ſeu Nullius deputationis Vicarii, diſc. 54 fol. 138.
Beneventana Eccleſiæ, diſc. 39. fol. 103.
Seu Nullius Juriſdictionis, diſcurſ. 12. fol. 33.
Synodus, diſc. 56. fol. 141.
Bononien. cenſus, diſc. 51. fol. 132.
Denegatæ Juſtitiæ, diſc. 68. fol. 163.
Remiſſionis cauſæ, diſc. 72. fol. 170.
Bovinen, diſc. 46. fol. 116.

C

CAmpanien. Juris viſitandi, diſcurſ. 27. fol. 74.
Colonien. Monaſterii S. Cornelii ad Indam, diſc. 28. fol. 76.
Seu Nullius exemptionis, diſcur. 25. fol. 71.
Converſana Juriſdictionis, diſc. 2. fol. 8.
Cotronen. Cenſurarum, diſc. 47. fol. 118.
Cuſentina Juris paſcendi, diſc. 48. fol. 123.

E

EUgubina Legati, diſcurſu 44. fol. 113.
Viſitationis, diſc. 43. fol. 112.

F

FAnen. Viſitationis, diſc. 30. fol. 81.
Faventina juriſdictionis, diſ. 4. fol. 14.
Feretrana Cathedratici, diſc. 38 fol. 102.
Firmana juriſdictionis, diſc 14. fol. 42.
Molendini, diſc. 58. fol. 145.
Florentina Conſervatorii, diſc. 45. fol. 114.
Frequentina juris viſitandi, diſc. 40. fol. 104.
Fulginaten. ſeu Spoletana, diſc. 77. fol. 180.

H

HIſpalen. Juriſdictionis, diſcurſu 8. fol. 28.

I

JAnuen. ſeu Ferrarien., diſcurſu 80. fol. 184.

L

LAuretana Juriſdictionis, diſcurſu 33. fol. 87.
Leodien. Unionis, diſc. 84. fol. 192.
Lucana juriſdictionis, diſ. 92. fol. 207.
Lunen. Sarzanen. juriſdictionis, diſc. 10. fol. 33.

M

MAceraten. Cenſurarum, diſcur. 67. fol. 162.

Seu

Seu Tolentina Jurisdictionis, discurs. 6. fol. 22.
Majoricen. Synodus, disc. 37. fol. 100.
Marsicana Jurisdictionis, disc. 18. fol 49.
Marsicen. Jurisdictionis, disc. 13. fol. 40.
Massanen. pensionum seu affictuum, disc. 90. fol. 205.
Materanen. Censurarum, disc. 65. fol. 158.
Mediolanen. bonorum, disc. 60. fol. 150.
Fideicommissi, disc. 59. fol. 148.
Interdicti, disc. 31. fol. 83.
Melevitana electionis fori, disc. 69. fol. 165.
Melphien. seu Venusina, disc. 81. fol. 187.
Messanen. disc. 29. fol. 79.
Montis Alti, seu Maceraten. fideicommissi, disc. 87. fol. 198.
Mutinen. seu Carpen. collationis ordinum, disc. 16. fol. 45.

N

Nazarena seu Tranen. Jurisdictionis, disc. 20. fol. 52.
Neapolitana donationis, disc. 62. fol. 154.
Juris visitandi Monasterium, disc. 26. fol. 73.
Remissionis causæ, disc. 94. fol. 213.
Neritonen. Jurisdictionis, disc. 55. fol. 140.
Nullius seu Aprutina, disc. 64. fol. 157.

P

Panormitana, disc. 32. fol. 85.
Papien. visitationis, Hospitalis, disc. 41. fol. 106.
Eadem, disc. 95. fol. 217.
Policastren. disc. 19. fol. 51.
Pragen. disc. 52. fol. 215.

R

Romana Cappellæ, seu præeminentiarum, disc. 35. fol. 96.
Concursus, disc. 83. fol. 189.
Decimæ, disc. 85. fol. 193.
Jurisdictionis seu Tituli Cardinalitii, disc. 34. fol. 90.
Seu Senen. legati, disc. 75. fol. 177.
Seu Anconitana pecuniaria, discurs. 71. fol. 169.
Pecuniaria seu prætensæ declinationis fori, disc. 89. fol. 203.
Pensionis domus, disc. 78. fol. 181.
Pretii Castrorum, disc. 82. fol. 188.
Seu Januen. redditionis rationum, disc. 73. fol. 173.
Revisionis rationum, disc. 91. fol. 206.
Testamenti, disc. 79. fol. 182.
Unionis causarum, disc. 76. fol. 179.

S

Sancti Severini Parochialis, discursu 15. fol. 44.

T

Tarentina censurarum, discurs. 66. fol. 159.
Jurisdictionis, disc. 23. fol. 67.
Terracinen. Jurisdictionis, disc. 50. fol. 131.
Theatina Jurisdictionis, disc. 5. fol. 20.
Tirasonen. Jurisdictionis, disc. 22. fol. 62.
Toletana Jurisdictionis, disc. 1. fol. 1.
Tranen. disc. 61. fol. 152.
Tudertina, disc. 42. fol. 110.
Tusculana remissionis causæ, disc. 88. fol. 201.

V

Venusina, *Vid.* Melphien.
Viterbien. Jurisdictionis, disc. 53. fol. 136.
Volaterana habitus, disc. 93. fol. 212.
Urbevetana fideicommissi, disc. 74. fol. 176.
Vulturarien. Jurisdictionis, disc. 3. fol. 11.

IV.

DE JURISDICTIONE ET FORO COMPETENTI,

DISCVRSVS PRIMVS.

TOLETANA JURISDICTIONIS PRO MAGNO PRIORE CASTELLÆ ET LEGIONIS ORDINIS S. JOANNIS HIEROSOLYMITANI, CUM ARCHIEPISCOPO.

Casus decisus per Rotam pro Archiepiscopo.

De Controversia jurisdictionis spiritualis, tàm ordinariæ, quàm delegatæ; inter Episcopum, & Prælatum inferiorem, tàm in locis exemptis, quàm nullius, & de territorio separato. Et quomodò territorium separatum probari dicatur; Et de distinctione plurium specierum Prælatorum inferiorum, eorumque jurisdictionis, Ac de intelligentia privilegiorum, quæ super exemptione à locorum Ordinariis competunt Regularibus, & Religionibus, præsertim verò illis S. Joannis Hierosolymitani.

SVMMARIVM.

1 *Controversiæ jurisdictionales in Curia frequentes, & quomodò illæ decidendæ sint.*
2 *Facti series, seu causus controversiæ.*
3 *Totus Orbis sub Dionysio divisus est in Diœceses, & quid sit Diœcesis.*
4 *Antiquitùs non dabatur locus, qui non esset sub aliqua Diœcesi.*
5 *De introductione exemptionis Regularium, & Monasteriorum,*
6 *De privilegiis exemptivis Religionis Hierosolymitanæ.*
7 *De usu Prælatorum inferiorum, eorumque diversis speciebus, quæ distinguuntur.*
8 *Territorium Monasterij, vel Ecclesiæ exemptæ, consistit in ipsius ambitu, & jurisdictio Prælati est in personas.*
9 *De Prælatis inferioribus cum jurisdictione in Clerum, & populum, sed intrà Diœcesim Episcopi, & quid ista jurisdictio importet.*
10 *De Prælatis cum territorio separato & nullius.*
11 *Ad solum Papam pertinet territoria separare.*
12 *Territorium separatum non præsumitur, & illud probandum est, vel per privilegium, vel per immemorabilem.*
13 *De differentia inter unam, & alteram speciem probationis, & immemorabilis non suffragatur, nisi canonizata per tres conformes.*
14 *De conclusione, quod Episcopo agenti incumbat onus probandi situationem loci in sua Diœcesi.*
15 *De probatione situationis in Diœcesi.*
16 *A finibus temporalibus non infertur ad spiritualles & econtrà, & non ex eo quod locus habet territorium proprium ab aliis locis distinctum, ergò est de territorio separato.*
17 *A finibus temporalibus eorumque distinctione inferri non potest ad spirituales.*
18 *Episcopus habet intentionem fundatam in omnes Ecclesias, personas Diœcesis super lege Diœcesana, & jurisdictione spirituali.*
19 *De privilegiis Religionis Hierosolymitanæ quam speciem jurisdictionis tribuant Prioribus, & Commendatarijs.*
20 *De Jurisdictione Prælatorum inferiorum in Monasterijs, & Ecclesiis exemptis intrà Diœcesim.*
21 *De differentia inter Prioratus, & monasteria sita in ipsis Civitatibus, & de locis de ipsorum jurisdictione.*

22 *Casus, in quo etiam in populum tanquam colonos competat jurisdictio.*
23 *De probationibus territorij separati, & de improbabilitate immemorabilis.*
24 *De Jurisdictione media Prælatorum inferiorum juxtà terminos* cap. auditis de præscript.
25 *An & quandò per exercitium aliquorum actuum interrupta dicatur præscriptio Prælati inferioris.*
26 *De conclusione, ut in causa universali possessio aliquorum actuum sufficiat, quomodo procedat.*
27 *De compatibili cumulativo concursu plurium superiorum, & habentium eamdem jurisdictionem.*
28 *Declaratur conclusio de non dandis duobus capitibus in uno corpore, quomodo procedat.*
29 *An dari possint duo Episcopi in una Ecclesia.*
30 *Quomodò dicatur probata jurisdictio Prælati inferioris compatibiliter cum actibus gestis per Episcopum.*

DISCURSUS I.

1. FRequentiores, privativè ad omnia Catholici Orbis Tribunalia, sunt in Romana Curia controversiæ jurisdictionales super jurisdictione spirituali, seù Episcopali, tàm ordinaria, quàm à Sac. Concilio Tridentino, & Apostolicis Constitutionibus delegata, inter Episcopos, & Prælatos inferiores, illæque videntur hodiè, potius facti, & applicationis quàm juris, cum istius theoricæ, seù conclusiones generales videantur jam firmatæ, ac extrà controversiam, quæ tota versatur in applicatione ad casum. Unde propterea, ad instar materiæ fideicommissariæ, & similium, congruum ac oportunum videtur, plures controversias, quas disputare contingat, distinctè adnotare & recensere, quamvis sub ejusdem conclusionibus, ac juris principiis cadentes, ob diversas facti circumstantias, ex quibus, eisdem juris principiis retentis, diversimodè in uno, ac altero casu judicandum est, ideoque diversi eventus illorum casuum, qui similes, ac identifici videntur, nimiùm prosunt ad veritatem indagandam, congruamque applicationem faciendam, seù ad conciliandas tot decisiones & auctoritates, quæ primo aspectu invicem pugnantes videntur, Quamvis & idem frequenter producere soleat æquivoca, inter Modernos, præsertim Pragmaticos, & transcriptores frequentia, capiendo quid pro quo.

2. Inter hujusmodi autem controversias, gravior magisque ventilata fuit ista, inter Archiepiscopum Toletanum, & M. Priorem Castellæ, & Legionis Ordinis S. Joannis Hierosolymitani; Cum enim dictus Prioratus, ex Regiis concessionibns, vel aliis titulis ab antiquo possideret in dominio, & jurisdictione temporali Oppida de Consuegra, de Alcanzar, & alia 15 loca circitèr, ejusdemque Prioratus officiales incertum est ex quo principio, jurisdictionem quoque spiritualem seù quasi Episcopalem in eorumdem locorum clero, & populo exercere consueverint, quod in locis de temporali dominio hujus Religionis est satis frequens, ut de eadem habetur *in Conversana, & in Vulturarien. disc. prox. ac seqq.* & in aliis; Hinc proindè, ab antiquo pariter tempore, tàm super dicta jurisdictione, quàm etiam super jure decimandi, inter Archiepiscopos Toletanos prætendentes hujusmodi loca intrà suæ Diœcesis fines esse, ac M. Priores pro tempore in Consilio Regio, & coràm Apostolicis Delegatis plures in partibus exortæ fuerunt controversiæ, sopitæ, seù verius suspensæ per diversas concordias, omnes tamen personales quoad ipsos Archiepiscopos & respectivè Priores transigentes initas, per quas aliquid hinc indè datum seù remissum fuit, cum præservativis tamen protestationibus cujuscumque utriusque partis præjudicii.

Demùm verò de anno 1610. per M. Priorem ex remedio *l. diffamari* adversus Archiepiscopum jactantem visitare ac jurisdictionem ordinariam vel delegatam in hujusmodi locis exercere, introducta fuit lis in Rota coràm *Pirovano*, coràm quo sub diebus 26. *Maij* 1612 & 4. *Decembris* 1613. duæ prodierunt resolutiones Archiepiscopo favorabiles, super moderatione inhibitionis ex parte M. Prioris obtentæ, nè per illam Archiepiscopus impediretur visitare, suamque jurisdictionem saltèm delegatam exercere, ut liquet ex decisionibus desuper editis impressis post *Tamburin. de Jur. Abbat. tom. 3. decis. 67. & 68.* & quæ habentur etiam repetitæ *decis. 396. par. 1. & 493. par. 2. rec.* ultrà quamplures alias resolutiones circà ordinatoria & compilationem processus, ad rem non facientes.

Siluit deindè longo tempore causa usque ad annum circiter 1655. in quo ea ex parte Archiepiscopi reassumpta coram *Bevilaqua* subrogato sub diebus 9 *Maij* 1659. & 21. *Maij* 1660. prodierunt resolutiones eidem Archiepiscopo favorabiles, in bono jure ac negotio principali, firmantes dictorum Oppidorum & locorum situationem intrà fines Diœcesis Toletanæ, & successivè Archiepiscopi omnimodam jurisdictionem spiritualem & Episcopalem, ordinariam & delegatam indefinitè in eorumdem locorum Ecclesiis, ac personis de clero & populo, omnibusque aliis ad legem diœcesanam pertinentibus privativè ad M. Priorem, ut patet ex decisionibus desuper editis, quarum secunda hucusque est impressa post colluctationes Bondeni *decis.* 78. atque in dies & pluries imprimentur, ad quarum decisionum normam emanavit sententia, adversus quam commissa causa appellationis in eadem Rota coràm *Tata*, sub die 10. *Junij* 1661. duæ prodierunt resolutiones pariter Archiepiscopo favorabiles, una super confirmatione sententiæ, altera in possessorio super manutentione, concessaque nova audientia, in altera disputatione habita coràm *Bevilaqua* tanquàm suffecto in locum *Tatæ* infirma valetudine detenti, sub die 27. *Januarij* 1662. confirmata fuit resolutio in possessorio, reformatæ verò seù declaratæ fuerunt, tàm sententia, quàm dictæ tres decisiones in bono jure, ut scilicèt Archiepiscopi jurisdictio non violaret Saeræ Religionis privilegia registrata *in Constitutione 9. Pij IV.* ideoquè non comprehenderet ejusdem Religionis professos seù etiam capellanos, servientes, ministros, colonos, & alios quamvis de clero & populo sæculari, in quibus concurrerent tria requisita *constitutionis 67. Gregorij XIII.*, & de quibus habetur actum *in Faventina hoc eod. tit. disc. 4.* atque ad istarum resolutionum normam prodiit alia sententia.

In hoc statu ipsa Religio, ad præservanda præjudicia, sibi ejusque privilegiis ex hujus causæ malo eventu resultantia, adiit Signaturam Gratiæ, petendo se admitti ad causam ex integro, non attentis ut suprà gestis cum M. Priore, cum non ad istum, sed ad ipsam prætenderetur principaliter spectare defensio-

fensionem privilegiorum, jurium, & jurisdictionum, nedùm ipsius Religionis in universum, sed singulorum Prioratuum, Bajulivatuum, & Commendarum, & assumpta desuper disputatione, sub die 23. *Ian.* 1663. dilata fuit resolutio, undè propterea siluit causa usque ad alteram Signaturam habitam sub die 6. *Novembris* 1667. in qua resolutum fuit Religionem admittendam esse in statu & terminis, in qua reperitur causa, quæ proindè in tertia instantia commissa fuit in eadem Rota coràm *Priolo*, & in hoc statu reperitur.

In pluribus autèm congressibus pro hujusmodi causæ directione ac defensione habitis, usque ab initio de anno 1655. & in primo congressu, mea fuit sententia, periculosum videri insistere in omnimoda jurisdictione ordinaria & quasi Episcopali privativè ad Archiepiscopum, tanquam in locis *nullius* & de territorio separato, cum generalia Religionis quamvis ampla privilegia registrata *in dicta Constitutione 9. Pij IV.*, id non importent, neque haberentur hujus prioratus privilegia specialia, minusque probata vel probabilis esset immemorabilis desuper necessaria, Ideoque eram in voto, assumendam esse defensionem jurisdictionis mediæ super actibus præscriptis juxta terminos textus *in c. auditis de præscript.* Sed quia cæteris senioribus & gravioribus congregatis diversimodè visum fuit, hinc sequutum est, quod multum volentes, totum amisimus, Archiepiscopus verò obtinuit plus fortè quàm prætenderet, cum dictæ primæ decisiones editæ de annis 1612. & 1613. præse ferre viderentur, eum contentum esse jurisdictione delegata, ideoque resolutiones prædictæ quoad omnimodam ac territorium separatum, Mihi quamvis pro hac parte scribenti, justæ ac probabiles videbantur, Quamvis econversò, reflectendo etiam ad solam veritatem, non placerent quoad omnimodam & privativam M. Prioris, super actibus præscriptis juxtà terminos textus *in dict. cap. auditis*, cum in hac parte bonum jus M. Priori potius assistere videretur, Et consequenter in ultimo congressu post dictam resolutionem Signaturæ gratiæ pro directione causæ in hac tertia instantia etiam sub nomine Religionis habito, persistendo in mea sententia, cui cæteri congregati adhærebant, credebam in hac specie jurisdictionis, ac pro dictarum sententiarum reformatione solùm insistendum esse, cum longè melius esset obtinere dimidiatam victoriam, quàm subjacere omnimodæ succumbentiæ.

Quoniam verò agentes pro Don Joanne de Austria M. Priore non de facili acquiescebant, ex eo potissimùm, quod ejusdem M. Prioris consiliarii, cæterique officiales de partibus, nimium inculcarent insistendum esse super impugnanda hujusmodi locorum situatione in Diœcesi Tolatana, ex eo quod ea insimul connexa proprios haberent limites seù terminos ab aliis dictæ diœcesis Oppidis & locis distinctos, atque constituentes ut ibi dicitur, *unum terminum rotundum*, quasi unius Diœcesis constitutivum, Idcircò ad eorumdem officialium & consiliariorum informationem ac instructionem, ut vel acquiescerent, vel alia meliora submi-
nistrarent, assumpsi onus efformandi desuper discursum, assumendo hanc materiam ab alto, omnesque inferiorum Prælatorum, ac jurisdictionum species distinguendo, ut ità digno sceretur, ubi resideret difficultas.

Retenta igitur opinione, quam licèt à pluribus
3 contradictam, sequitur *Rota*, & esse magis communem & probabilem, ex *Baronij* & aliorum testimonio probat *Barbosa de potest. Episcopi par. 1. cap. 7. tit. 1.* quod scilicèt sub Pontifice *Dionisio Primo* totus Orbis terrarum sub Episcopis divisus esset in diœceses, quæ respectivè unicum cujuslibet Ecclesiæ Cathedralis Territorium constituunt, complexivum plurium Oppidorum & locorum, quorum singula, vel quoàd jurisdictionem temporalem, vel quoad jura civica, distinctos fines, distinctaque territoria habent, etiam sub diversis Principatibus & ditionibus temporalibus, quamvis contrarium, circa Episcoporum & Archiepiscoporum originem derivatam à gentilium divisionibus, impugnando Dionisii divisionem dicat *Fagnan. in c. nullus de parochis, num. 12. & seqq.* quæ tamen opinio non videtur recepta per *Rotam* & Curiam, sed potius alia ut supra; Cum in illis primitivæ Ecclesiæ temporibus adhuc introductus non esset usus exemptionum, ac Prælatorum inferiorum, Ideircò in quacumque diœcesi respectivè, nulla data discretione sæcularium 4
& regularium, vel subditorum, & exemptorum, unum erat ovile, & unus Pastor, neque aliquis aderat in Orbe locus, qui sub Episcopo & in aliqua diœcesi non esset, quamvis & in hoc *Fagnan. in d. cap. nullus num. 16.* contrarium dicat, parum tamen tutè, quia cum in illis primitivæ Ecclesiæ temporibus non haberetur usus exemptorum & Prælatorum inferiorum, non videtur quomodo aliqua loca remanere debuerint acephali, illique populi sine Episcopo, & sic oves sine pastore.

Post introductum verò Ordinem monasticum seù statum regularem cœpit Sedes Apostolica recipere sub sua, & B. Petri protectione aliqua monasteria, ea eximendo à jurisdictione & superioritate Episcoporum, ac immediatè subiiciendo ipsi Sedi, concedendo eorumdem Abbatibus vel Prælatis juris-
dictionem in ipsos Monachos & professos, dilatatam etiam ad ministros, inservenientes, & colonos, 5
dictæque concessiones in origine singulariter aliquibus monasteriis factæ, paulatim adeò crevere, quod exceptis aliquibus partibus ultra montanis, præsertim Germaniæ, hodiè sivè directè & immediatè, sivè mediatè & per communicationem privilegiorum, in universo statu regulari, eorumque omnibus monasteriis, conventibus, & domibus dicta exemptio vigeat, cum illis moderationibus, quas deindè *Sac. Conc. Trid.* & Apostolicæ Constitutiones introduxerunt, ut frequenter & sparsim habetur deductum *hoc eodem titulo*, præsertim verò circà Regularium exemptionem *in Colonien. exemptionis S. Cornelij ad Indam disc. 28. & in Romana exemptionis seù tituli Cardinalitij disc. 34.*

Inter cæteras autem Religiones, quoàd hujusmodi concessiones & privilegia, præcipuum ac fortè 6
primum locum occupat insignis Religio S. Joannis Hierosolymitani, cui Summi Pontifices plura concesserunt privilegia enunciata & confirmata per *Pium IV.* in ejus *Constitutione 9.*, illud præsertim, omnimodæ exemptionis, Prioratuum, Bajulivatuum, Hospitalium, & Commendarum, eorumque capellanorum, & servientium, ministrorum, colonorum, & aliorum quamvis sæcularium, concedendo ipsis Prioribus, Bajulivis & Commendatariis jurisdictionem activam in dictas personas, ac si essent veri Ordinarii, quod tamen deindè per *Sac. Conc. Trid. & Constitutionem 67. Gregorij XIII.* moderata fuit, juxtà ea quæ habentur *in Faventina Jurisdictionis hoc tit. disc. 4.*

Ex Indultis quoque Apostolicis, vel etiam ex consuetudine, frequentius originata ex deputationibus seu concessionibus ipsorummet Epi- 7
scopo-

scoporum, ut liquet ex *Squillacen. coram Andrea inter suas dec. 54.* aliàs *dec. 69. post Tamburin. de Jur. Abbat. tom. 3.* quæ est decisio magistralis in materia territorii separati, ac etiam ex Conversana apud *Duranum dec. 446.* de qua habetur actum hoc paritet *tit. disc. seq. & in Marsicen. disc. 13. &* in aliis, inolevit usus aliorum Prælatorum inferiorum sæcularium, vel regularium cum spirituali, & quasi Episcopali jurisdictione etiam in clerum, & populum aliquorum locorum, vel subordinatè, & sub Episcopis, in quorum diœcesibus ipsa loca sita essent, vel etiam privativè, & cum omnimoda, itaut loca prædicta omninò dismembrata, & separata censerentur à diœcesi.

Hinc proindè tres habemus hujusmodi inferiorum Prælatorum sæcularium, vel regularium species, quarum prima est frequentior, Abbatum seu Priorum, aliorumque Superiorum regularium in suis respectivè Monasteriis, conventibus, vel domibus regularibus in Civitate vel Diœcesi existentibus, cum exemptione tamen ab Episcopo, Quod etiam habetur in plerisque Prælatis seu primis dignitatibus Ecclesiarum Collegiatarum sæcularium, ut est, exempli gratia, Prior
8 S. Nicolai Barii, ac etiam sunt Archipesbyteri Ecclesiarum Patriarchalium Urbis, & similes, Et isti Prælati nullum habent territorium, nisi quantum se extendat ipsorum Monasteriorum, Conventuum, domorum, vel Ecclesiarum ambitus, in quo Monasterii, & Abbatis territorium consistere dicitur, juxta receptam doctrinam *Cardinalis in Clementina prima num. 1. de statu Monachorum, de qua Tamburin. de Jur. Abbat. tom. 1 disput. 15. quæstione 7. num. 39. Caputaquen. decis. 225. num. 3. par. 2. dec. 348. num. 35. par. 11. rec.* Undè extra dictum ambitum, istorum Prælatorum jurisdictio est in personas sibi subjectas sine territorio juxta casum, de quo infrà *in Nazarena disc. 20. in Lauretana disc. 33. in Policastren disc. 19.* & in aliis, dictaque Monasteria, vel alia loca exempta dicuntur in diœcesi, sed non de diœcesi ob exemptionem ab universali lege diœcesana.

Altera Prælatorum species est habentium jurisdictionem spiritualem etiam in clerum & populum sæcularem alicujus loci, cum aliqua impropria territorii distinctione, quantum scilicèt respectivè illius loci particulares seù temporales fines se protendant, adhuc tamen continuantes in diœcesi, itaut hujusmodi Prælatorum jurisdictio compatibilis remaneat cum Episcopo & lege diœcesana, vel per concursum cumulativum, vel cum aliquorum actuum distinctione, vel cum aliqua subordinatio ne juxta casum dicti textus *in cap. auditis de præscript.* cum ibi notatis, & quales sunt illi Decani, Archidiaconi & alii, de quibus lo-
9 quitur *Sac. Conc. Trid. Sess. 24. de reformat. cap. 20.* incipien. *Causa omnes*, & de qua Prælatorum specie agitur præsertim in adeò ventilata *Beneventana Jurisdictionis* inter Archiepiscopum & Archidiaconum ejusdem Ecclesiæ Metropolitanæ, in qua prodierunt plures decisiones coram *Zarata, Cerro*, & aliis, & quarum una est impressa *dec. 304. par. 11. recent. & dec. 79. post controversias Contrii*, & hujusmodi loca non desinunt esse in diœcesi; Atque licèt hujusmodi Prælatorum exemptio, & respectivè jurisdictio, aliàs plena & respectivè omnimoda esset, hodiè tamen *per Sac. Conc. Trid. &* Apostolicas Constitutiones, ferè ad nihilum redacta est, ob jurisdictionem locorum Ordinariis delegatam in causis matrimonialibus, & criminalibus, necnon in concernentibus curam animarum, sacramentorum administrationem, collationem Ordinum, approbationem confessariorum & concionatorum, Monasteria monialium & alia, de quibus *hoc tit. eod.* in plerisque controversiis habitis inter Episcopos & hujusmodi Prælatos, præsertim *in Theatina, in Anglonen. in Vulturarie.* & frequenter.

Tertia demùm species est illorum Prælatorum, qui in uno vel pluribus locis, aliàs, juxtà dictam antiquam divisionem in Diœcesi, & sub Episcopo existentibus, plenam, ac omnimodam habent jurisdictionem spiritualem, & quasi Episcopalem privativè ad Episcopum, mediante territorii separa- 10
tione, itaut constituere dicantur novum territorium stans de per se tanquam speciem Diœcesis ejusdem Prælati, quæ *nullius* dicitur, & isti sunt veri loci Ordinarii, atque sub Ordinariorum nomine veniunt, itaut non subiaceant illi jurisdictioni, quam ut-suprà *Sac. Conc. Trid.* & Apostolicæ Constitutiones delegarunt Episcopis seù Ordinariis locorum, quia ipsi dicuntur illi Ordinarii, de quibus Concilium & Constitutiones loquuntur, etiam quoad activam jurisdictionem in dictis casibus delegatam suprà eorum limites existentes, ut advertitur *in Avellina apud Otthob. dec. 82. & latè Fagnan. in c. accedentibus de excess. prælat. ex num. 20. cum pluribus seqq.* ubi quod habent cognitionem causarum matrimonialium ac alia per *S. C. T.* Ordinariis delegata, Et sunt illi de quibus habetur *in Mutinen. disc. 16. in Astoricen. disc. 7. & in Hyspalen. disc* 8. & in aliis hoc etiam tit. frequenter, Itaut exceptis iis, quæ sunt ordinis Episcopalis, quorum exercitium non habent, quamvis etiam habitus jurisdictionalis eis competat, in nihilò differre videantur ab Episcopis, exceptis aliquibus casibus, quos idem *Sac. Conc. Trid.* vel Apostolicæ Constitutiones delegarunt Metropolitano, seu Episcopo viciniori.

Quià verò juxtà receptissimam, ac apud Catholicos hodiè indubitatam opinionem, ad solum Papam pertinet, Diœceses & territoria spiritualia con- 11
stituere, unire, vel separare *Abb. in c. cum contingat nu. 18. de foro compet. & cæteri apud Gratian. discept. 212. num. 17. Buratt. dec. 912. num. 1. dec. 324. num. 2. par. 1. rec.* & in hujus causæ decisionibus, præsertim prima, atque ut dictum est, ex dicta generali totius Orbis divisione omnia loca censenda sunt alicujus diœcesis & sub Episcopo, Idcircò ista territorii separati qualitas non præsumitur, sed per allegantem probanda est, Atquè probatio ad duas tantùm re- 12
stringitur species, Unam scilicèt per privilegium Apostolicum clarum & expressum, vel saltem ab antiquissima pacifica observantia ita interpretatum, juxta ea quæ habentur infrà *in Beneventana Iurisdictionis disc. 12.* & alteram per immemorabilem benè probatam juxtà requisita vulgaris *glos. in cap. 1 de præscript. in 6.* ob ejusdem immemorabilis virtutem & operationem, quod ejus vigore allegari potest quicumque titulus de mundo melior, & sic etiam ipsummet privilegium Apostolicum.

Cum hac tamen differentia inter unam & alteram speciem probationis, quod ubi agitur de prima per privilegium explicitum & clarum, illius 13
exequutio seù observantia statim admittitur, Ubi verò de altera per immemorabilem, ista exigit canonizationem per tres sententias conformes, interim verò Episcopus manutenetur in quasi possessione exercendi dictam jurisdictionem delegatam, ut pluries fuisse decisum per Sacram Congregationem Concilii ac etiam per Rotam, habetur

betur in hujus causæ decisionibus, & docet praxis dictæ Sac. Congregationis in dictis *Vulturarien. & in Anglonen.* ac aliis *hoc eod. tit.*

Et quamvis Rota quandoque contrà Episcopos agentes ad visitationem, ac delegatam jurisdictionem adversus hujusmodi inferiores Prælatos, respondere consueverit de defectu probationis situationis in eorum diœcesi, in qua consistit suæ intentionis fundamentum, ut præsertim *in Aprutina seu nullius jurisdictionis 16. Martii 1624. coram Dunozetto, impress. post. Tamburin. de Jur. Abbat. tom. 3. dec. 71. n. 5.* & habetur deductum *in Aprutina*, & in *dicta Beneventana hoc eodem tit.* & super quo motivo, tam curiales pro Magno Priore scribentes, quàm fortiùs ejus consiliarii, & agentes de partibus insistebant; Nihilominùs ut advertitur in dictis *Aprutin.* & *Beneventan.* ac etiam *in Maceraten.* atque in hujus causæ decisionibus, ista difficultas considerabilis est, quando alter Episcopus est in causa, itaut incertum sit, in qua diœcesi locus esset constitutus, undè controversia non restringatur inter solos Episcopum, & Prælatum inferiorem, sed sit inter duos Episcopos de eadem activa lege diœcesana, seu delegata jurisdictione contendentes; Ubi verò alter Episcopus non est in causa, tunc fundata censenda est intentio illius, à cujus diœcesi controversus locus undique circumdatur, vel saltèm cui pro majori parte adiacet, Multò verò magis ubi controversia est diuturna, absque eo quod alter Episcopus nunquam comparuerit, ac etiam situationis vel exercitæ jurisdictionis adminicula concurrunt; Improbabile siquidem videtur, alio Episcopo non comparente, excludere adiacentem, qui agat ex hoc solo motivo, de quo solum objiciat inferior Prælatus, cui semper replicari potest, quod cum perneceſsè dare oporteat illum locum in aliqua 15 diœcesi, & sub aliquo Episcopo, idcircò quoties territorii separati coneludens probatio non accedit, ne detur locus acephalus, si prætendit eum non esse sub Episcopo agente, ostendat sub quo sit, Ideoque reflectendo etiam ad veritatem, illa resolutio, quæ capta fuit in dicta *Aprutina*, ut conficeretur planta, eatenùs subsistentabilis videtur, quatenùs juxtà præcedentem resolutionem anni 1663. interim Episcopus manuteneatur in quasi possessione exercendi jurisdictionem delegatam, & non aliàs.

His ita constitutis, aplicando ad rem dicebam, dubitandum non videri de probatione situationis hujusmodi Oppidorum, & locorum intrà fines hujus diœcesis, tum quia juxtà mappas geographicas, 16 undique vel saltem pro majori parte ab ea circumdata sunt, tum etiam quia durantibus hujusmodi controversiis, spatio plurium sæculorum, nunquam alter Episcopus comparuit, & clariùs quia ex pluribus actibus, præsertim verò ex concordiis inter Archiepiscopos, & Priores initis de annis 2228 1229 1510. & 1516. enunciantur hujus diœcesis, cujus et am situatio probatur per testes, & comprobatur per plures actus jurisdictionales ac decimationes, & alia, itaut videatur casus extrà omnem controversiam.

Nil refragante, quod hujusmodi loca insimul connexa, proprios haberent fines seu limites ab aliis dictæ diœcesis locis distinctos, undè inferebatur ad territorium separatum; Illud siquidem est æquivocum clarum sed commune, quod fomentum præbet omnibus hujusmodi controversiis, ut patet etiam ex *Vulturarien. & Anglonen.* ac pluribus similibus, de quibus *eod. tit.* quoniam hæc est distinctio finium temporalium, Vel ad effectum jurisdictionis sæcularis, Vel ad effectum pascuorum aliorumque jurium civicorum, atque ut unus populus ab altero distinguatur, Secus autem quoad territorium spirituale, quod non regulatur à singulorum locorum finibus, sed ab illis, qui ipsi Ecclesiæ Cathedrali in dicta generali divisione seu aliàs per Sedem Apostolicam attributi sunt, constituentibus unum & idem territorium, seu corpus universale complexivum plurium Oppidorum, & locorum, nulla inter ista data finium discretione, quamvis singula haberent ad dictos alios effectus, territoriorum ac finium distinctiones, in proposito nullatenus attendendos ac si non adessent, cum de facto videamus plures diœceses complecti Oppida, & loca diversarum Provinciarum seu diversorum Principatuum sæcularium, Ideoque receptissima propositio est, quod à finibus temporalibus non infertur ad spirituales, vel econtrà, ut *dec. 324. nu. 10. par. prima rec.* cum aliis in hujus causæ decisionibus, & *in Pampilonen. decimarum de Taffalla hoc eod. lib. sub tit. de præeminentiis disc. 29.* & est res, quam in dubitatè docet praxis totius Orbis.

Posita situatione, resultat de consequenti, fundatam esse Archiepiscopi intentionem super lege diœcesana & jurisdictione spirituali in omnes Ecclesias & personas, càm de clero, quàm de populo in ejus diœcesi existentes, donec per allegantem limitationem, seu exemptionem illa probetur, ut cum copiosis allegationibus, comprobatur in ejusdem decisionibus, quoniam Episcopus est pastor curâ ac jurisdictionem generalè habens superovibus depascentibus in territorio sibi cõmisso, quare onus est Prælati inferioris probare limitationẽ, qua non probata remanet fundata intentio habentis pro se regulâ generalem *Mãntic. decis. 251. n. 4.* cum aliis per *Barbos. axiom. 198.*

Privilegia verò, quantumvis ampla Religionis, in hoc fine dubio non suffragantur, ut de facto docet Catholici Orbis praxis, quoniam in omnibus 19 ferè magnis Civitatibus, seu locis qualificatis, ista Religio habet Prioratus, bajulivatus, & Commendas, & tamen Priores Bajulivi, vel Commendatarii se non ingerunt nisi cum ipsius Religiosis professis, vel cum ipsorum Prioratuum & Commendarum capellanis, inservientibus, & ministris sæcularibus habentibus requisita sæpius enunciatæ *Constitutionis 67. Gregorii XIII.* Ex jam dicta clara ratione, adaptabili etiam omnibus aliis Prælatis inferioribus Regularibus, vel sæcularibus, juxta ptimam speciem ut suprà exemplificatis quod scilicèt eorum territorium non protrahitur ultrà clausura seu ambitum ipsius Monasterii, vel Commendæ, ubi ob privilegiorum amplitudinem datur quandoque quædam impropria territorii separatio & qualitas *nullius* secundum quid, nõ obstante quod locus esset undiq; 20 circumdatus à territorio Episcopi ex firmatis *in Motis Cassinen. jurisdictionis coram Bichio dcis. 373. par. 11. rec.* ac habetur *in Lauretana disc. 33.* & in aliis *hoc eod. titulo*, Sed punctus est in reliquo territorio, in quo vivit clerus & populus sæcularis, quoniam istud non est hujusmodi Prælati habentis fines ut suprà restrictos intrà clausura, sed est Episcopi, qui proindè est legitimus pastor ovium in suo territorio existentium.

Jurisdictio autem, quæ ex dictis, vel similibus privilegiis, quamvis ampla, atque vero, plenoque jure ordinario hujusmodi inferioribus Prælatis extrà clausura, seu proprium ambitum per privilegia Apostolica competit, est in personas, ratione certæ qualitatis, ad quam jurisdictio limitata est, non autem in territorio ac

istius ratione, atque in hoc est punctus inevitabilis, per quem de plano tolluntur omnia fundamenta hujusmodi inferiorum Prælatorum ratione privilegiorum generalium, seu etiam particularium exemptivorum, quoniam aliud est exemptio alicujus loci vel aliquarum personarum ratione certæ qualitatis à jurisdictione passiva, aliud est obtinere jurisdictionem activam in territorio non suo & in clerum & populum sæcularem sibi non commissum.

In primo hujus causæ congressu, in quo ut suprà, seniores, Me tunc juniore in voto singulari remanente, concluserunt privilegia Religionis suffragari, etiam quoad hanc jurisdictionem activam in
21 territorio ac populo, se fundabant in eo, quod præmissa procederent in Prioratibus & Commendis existentibus intùs Civitates, vel alia loca alienæ jurisdictionis, secus autem respectu illorum locorum, quæ etiam quoàd populum sunt de ipsius Prioratus vel Commendæ dominio, credentes hanc esse genuinam distinctionem. Adversus quam in prædictis disputationibus deductam, scribentes in contrarium pro Archiepiscopo, ut ostenderent temporale dominium in hoc non suffragari, deducebant exemplum ipsius M. Magistri & Conventus Melevitani, qui singulariter in universa Religione *Conventus* nomen habet, quoniam licèt habeat dominium temporale totius insulæ, sitque illius populi dominus & Princeps ex concessione Regis Cacholici tanquam Regis Siciliæ, juxtà ea quæ habentur *in Melevitana electionis fori*, *hoc eodem tit. dise. 69.* Nihilominus jurisdictio spiritualis cum lege diœcesana pertinet ad Episcopum, cui clerus & populus in hoc subest, non autem M. Magistro habenti solùm jurisdictionem spiritualem in personas, ipsius scilicet Religionis professores vel ministros.

Verùm non minùs frigida erat propositio, quàm responsio, quamvis illa tunc magnum plausum habuerit, ac etiam deducta sit in prima decisione, pro meo tamen judicio potiùs negligenda, Nil enim valebat propositio, ex jam dicta ratione, quod à dominio temporali inferri non potest ad spirituale, quodque in spiritualibus jurisdictio commissa hujusmodi Prælatis, qui etiam veri Ordinarii censeantur, restricta est ad claustra, seu ambitum proprii Monasterii vel Ecclesiæ, extra quem locum dicitur in personas sine territorio, ex sola ratione certæ qualitatis; Minusque valebat responsio prorsus inadaptabilis ex facto, cum carentia jurisdictionis spiritualis in M. Magistro proveniat ex natura concessionis ac lege in ejus limine adjecta; Cum enim priusquam hæc Religio amitteret Insulam Rhodi, in hac Insula Melevitana, tanquam membro Regni Siciliæ adesset Episcopus, tanquàm pastor illius cleri & populi, concessio verò facta esset Religioni per Regem, Sede Apostolica approbante & gratissimum habente, non immutato statu quoad Episcopum & jurisdictionem spiritualem, idcircò ea praxis provenit, potiùs à qualitate facti, quàm ab interpretatione privilegiorum, quæ aliis locis normam præberet.

Considerabam etiàm, scribendo tanquàm Advocatus, istum casum dici posse ab aliis diversum, quoniam constans fama est in loco, huic Prioratui
22 per Reges concessam fuisse hanc territorii partem depopulatam ac habitatoribus desertam, paulatim tractu temporis inhabitatam ex diligentia Priorum pro tempore, & occasione culturæ ipsius territorii. Undè propterea inferebam totum istum populum dici posse colonicum Prioratus, atque ipsa loca esse tot colonias ab ipsa Religione, seu Priore constitutas, & consequenter etiàm quoad jurisdictionem spiritualem in populum suffragabantur privilegia illam tribuentia respectu colonorum, pro quibus aliàs generaliter & indefinitè competebat, cùm tunc non prodiisset moderna restrictio seu moderatio inducta *per Sac. Conc. Trid.* & *Constitutiones Pii V. & Gregorii XIII.* super cura animarum & requisitis, de quibus infrà *in Faventina disc. 4.* Verùm quicquid esset de motivi relevantia in jure, illud non suffragabatur ob cessantem assistentiam facti, in quo hujus præsuppositæ traditionis nulla dabatur justificatio.

Cessante autem fomento privilegiorum generaliũ Religionis inducentium tantùm Prælaturã juxtà primã speciem in proposito non suffragantem, Quatenus 23
pertinet ad tertiam speciem Prælaturæ in territorio separato & qualitate *nullius*, deficiebat probatio, cum nullum haberetur privilegiũ Apostolicũ speciale, Immemorabilis verò nedùm probata non esset, sed prorsus redderetur improbabilis, stante diuturna plurium sæculorum lite cum tot concordiis & actibus jurisdictionalibus ut supra, cum essentiale hujus præscriptionis requisitum consistat in eo, quod nihil unquam visum vel auditum fuerit in contrarium suprà hominum memoriam, itàut unicus actus ad eam interrumpendam sufficiat, ut plenè in hujus causæ decisionibus, & est principium absolutum.

Insistebant valdè agentes pro M. Priore in eo, quod nullum ex parte Archiepiscopi fundamentum constituendum esset in concordiis, ac actibus earum vigore gestis, stantibus amplissimis præservativis, ut esseut merè personales, nullum firmantes statum vel inducentes præjudicium, Sed istud erat leve fundamentum, quoniam concordiæ prædictæ aliique actus in proposito, non considerabantur ad tribuendum aliquod jus de novo Archiepiscopo, sed solùm ad impediendam contrariam immemorabilem præscriptionem, & successivè conservandum illud jus, quod aliàs ratione legis diœcesanæ sibi competebat; Et nihilominùs ubi etiam de his nulla penitus ratio hinc indè habenda esset, adhuc in ordine ad immemorabilem, inevitabile remanebat impedimentum resultans ab ipsa pendentia litis in Rota usque ab anno 1610. quo tempore subducto, ut omninò subducendum est, ac etiam subducto altero pupillaris ætatis testium, impossibile est habere deponentes de visu super specifica observantia quadragenaria, cum ità oporteret habere testes suprà ætatem annorum 115. Ideoque desperatum opus videbatur velle substinere hanc tertiam Prælaturæ speciem.

Quarè credebam, unicam hujus causæ defensionem, juxtà motivata ab initio, consistere in substinenda Prælatura, juxta secundam speciem, super actibus 24
præscriptis, juxtà terminos textus *in cap. auditis de præscript. & Sac. Conc. Trid. sess 24. de reformat. cap.* 20. Atque in hac parte, cum sensu etiam veritatis, credebam dictas resolutiones esse parùm probabiles cum *in dict. cap. auditis*, ad litteram disponatur, quod si inferior Prælatus probat longo tempore jurisdictionem in loco exercuisse, Episcopus autem, in cujus diœcesi idem locus situs est, probat interruptionem resultantem ab exercitio aliquorum actuum particularium, putà circà cognitionem causarũ matrimonialium, prolationem censurarũ & alia in eodè canone registrata, tunc in his pro Episcopo respondendũ est, in reliquis autem generaliter pro Prælato inferiori; Ergò stant simul, locũ esse intrà fines diœcesis,

asis, atque in eo Episcopum aliquos actus judiciales exercuisse privativè ad Prælatum inferiorem, & tamen dictis actibus exceptis, jurisdictionem universalem esse penes dictum Prælatum, cujus præscriptio interrupta non censetur per hujusmodi actus, seu exercitium.

Et quamvis in ultima decisione 27. *Januarii 1662. coram Bruilaqua*, in qua solùm formiter de hoc puncto actum est, sequendo opinionem *Hostiensis*, dicatur, actus ab Archiepiscopo exercitos im-
25 portare interruptionem præscriptionis in universum, ex regula, quod in universalibus, per aliquorum actuum exercitium acquiratur, seu conservetur possessio in universum ratione causæ universalis, ac etiam ex eo quod, sicut in uno, eodemque corpore citrà monstruositatem duo capita dari non possunt, de qua propositione frequenter actum habetur *sub tit. de præminentiis* ad materiam cathedralitatis, ita duo ejusdem loci Prælati dandi non sunt.

Nihilominùs hujusmodi fundamenta parùm tuta videbantur, quoniam circà primum causæ universalis, opinio *Hostiensis* utpotè literæ textus contraria, communiter reprobata est, nam sicut ejusdem
26 rei prohibitum est dominium, penes duos in solidum, & tamen duo domini rectè dari possunt diversis respectibus ex deductis *in Tyburtina Castrorum & in Romana seu status Ecclesiastici infeudationum sub tit de feudis disc. 61. & 62.* & alibi, ita nil prohibet, quin duo possideant idem genus jurisdictionis divisum in species, quia unus habeat in una specie, alter in altera, ut *dec. 310. num. 10. & 321. nu. 26. apud Post. de manut. & dec. 184. num. 13. par. 11. rec.* ideoque interruptio operativa est, quoad ipsos actus particulares, sive quoad universitatem illius speciei, discretivè ad alteram speciem, considerando ipsas species tanquam genera distincta respectu individuorum, ut benè *Abb. in eod. cap. auditis n. 15. & 33.* ubi etiam *Alex. de Nevo num. 17. Idem Abb. in cap. cum olim eodem titulo de præscript. num. 6. ubi Felin num. 18. & 19. & Fagnan. nu. 29.* & clarè probat idem text. *in dict. cap. auditis*, ibi, *super jam dictis articulis*; Ideòque dicta conclusio, ut in causa universali, possessio aliquorum actuum prosit ac operativa sit in universum, procedit ac recipienda est opinio *Hostiensis*, quod scilicet habens juris assisten-
27 tiam in causa universali, per aliquos actus particulares, illam in totum conservare dicatur, atque contrariam præscriptionem interrumpere, Puta quia duo eamdem jurisdictionis speciem, sive idem genus in universum in solidum habere prætendant, unum omninò privativè ad alterum, Secùs autem ubi in ipso genere universali dari potest compatibilis concursus plurium per distinctionem specierum ut suprà sive in omnibus speciebus ac universo genere, concursum cumulativum, ac per quandam speciem communionis, ita ut in singulis actibus potior sit conditio prævenientis, ut benè *Fagn. in d. c. auditis n. 13. & 14. cum seq.* atque docet quotidiana praxis Urbis in tribunalibus, Auditoris Cameræ, Gubernatoris, Vicarii, & Senatoris, ac etiam respectivè Episcoporum & Baronum intrà districtum.

Quod manifestè comprobatur in his terminis specialibus per constitutionem *Bonifacii Octavi in c. cùm persona de privil in 6.* ubi clarè supponitur locus intrà Diœcesim & absque qualitate territorii separati, in quo inferior Prælatus ordinariam spiritualem jurisdictionē habeat, & de qua constitutione habetur actum infrà *in Theatina disc. 5.* Et clarius ex eodem *Sac. Conc. Trid. sess. 24. de reformat. cap. 20.* ubi præsupponuntur Archidiaconi & Decani, aliique inferiores Prælati, Ecclesiasticam ac ordinariam jurisdictionem in universum habentes in locis intrà Diœcesim existentibus, unde propterea Diœcesano, tanquam loci Ordinario per speciem delegationis committitur cognitio plurium causarum, criminalium scilicet, matrimonialium similium, ac etiam demandatur jurisdictio circa curam animarum, & alia, dequibus suprà, Ergo compatibilis est concursus duorum Prælatorum, sive Superiorum Ecclesiasticorum in eodem loco, vel diversis respectibus, vel per cumulativam ut suprà.

Hinc ex defectu applicationis corruit dicta propositio, alioquin vera, super monstruositate duorum capitum in uno corpore, quoniam id rectè procedit, quandò duo in solidum, unus privativè ad alterum, se prætenderent illius corporis caput, 28
utpotè ejusdem Diœcesis seu territorii vel cathedralis Episcopi & sponsi, cum similibus, secùs autem ubi concursus sit compatibilis & subordinatus, quia nempe non controvertatur Episcopum esse solum caput & Superiorem in universa Diœcesi, Prælatus autem inferior prætendat se esse membrum, cui demandatæ sint aliaque operationes, in quibus ab ipso capite impediri seu prohiberi non valeat, ut docet quotidiana praxis Abbatum, & Prælatorum regularium intrà Diœcesim ac in ipsismet Civitatibus in faciem ipsorummet Episcoporum præsentium plenam ac ordinariam jurisdictionem intrà Claustra & Conventum exercentium cum Religiosis, ac etiam sæcularibus ibi viventibus, absque eo quod exindè resultare dicatur monstrum plurium capitum in eodem corpore, quia semper solus Episcopus est caput, ista verò sunt membra, quibus hæc particularis operatio demandata est, Ideòque ex eadem proportione nil prohibet, ut sicuti Abbas in Monasterio tanquam in territorio intrà ejus ambitum impropriè contradistincto à Diœcesi seu territorio universali d. jurisdictionem exercet, idem quoque fieri valeat per Prælatum inferiorem in certo loco, ita per suos fines discreto, & cum Clero & populo ibidem vivente.

Adeoque respectuum diversitas attenditur quoad dictæ monstruositatis exclusionem, quod etiam dari potest compatibilis concursus duorum Prælatorum ejusdem ordinis & præmitentiæ, quibus æquè titulus sponsi seu capitis conveniat, quod scili- 29
cet una & eadem Ecclesia Cathedralis duos eodem tempore habeat Episcopos, pro diversitate tamen Rituum, quia unus sit Episcopus Ritus Latini, alter ritus Græci, sive quod in eodem loco adsint duo Episcopi cum plena jurisdictione Episcopali juxta casum de quo *in Nazarena disc. 20.* ubi de casu Episcopi Fesulani intus Civitatem Florentiæ cum similibus.

Posito igitur dicto compatibili concursu, clarè fundata remanere videbatur hæc jurisdictio, quam discretivè ad illam Prælati tertiæ speciei cum qualitate nullius, mediam dicere solebam, dum tàm per testes quam per scripturas, ac per sententias Consilii Regii ac etiam per ipsasmet concordias, constabat de possessione & exercitio Ecclesiasticæ ordinariæ jurisdictionis in Clerum & popolum sæcularem hujusmodi locorum per quatuor ferè sæcula visi- 30

tando Ecclesias & personas,& cognoscendo omnes causarum civilium , criminalium & mixtarum species,adeò tenaciter,quod constabat de pluribus litteris requisitoriis activè,& passivè,quia sc. officiales Archiepiscopi volentes in istis locis contra alios diœcesanos & subditos jurisdictionem exercere,eorumque mandata exequi, requirebant Priorem , ejusq; Vicarium & Officiales pro imploratione brachii.Et ècontra,Archiepiscopus,ejusque Officiales, in vim litterarum requisitoriarum ipsius Prioris ejusque Officialium, executionem dederunt mandatis & expeditionibus contra dictorum locorũ subditos inreliqua diœcesi existentes super actibus Ecclesiasticam,non autem temporalem jurisdictionẽ concernentibus,& hæc videbatur magna probatio. Eoque magis de plano intrare dicebam d.compatibilem concursum , quodque per plures actus jurisdictionales ab Archiepisc. ejusque Officialibus exercitos , interruptio præscriptionis non resultaret , stante superventa jurisdictione delegata *per S. Conc. Trid.* & Apostol. Constitutiones in certis casibus ut supra,etiam in locis exemptis & sub ordinaria jurisdictione Prælatorum inferiorum, cùm d. actus ad hanc jurisdictionis speciem compatibiliter , ac citrà interruptionem rectè sint referibiles.

Disputatum etiam fuit ut supra in Signatura gratiæ de puncto , an principalis defensio hujusmodi causæ spectaret ad Priorem , vel ad ipsam Religionem , ita ut acta gesta cum Priore ipsam Religionem afficiant nec ne, sed quoniam de hoc disputatum quoque fuit in Rota *in Conversan.* de qua *dis. seq.* idcircò ad ibi deducta relatio sufficiat.

Quare concludendo in summa seu compendio istam theoricam dicebam quod, ubi constat de vero & proprio ,non autẽ secundùm quid,seu improprio,& intellectuali territorio separato cũ qualitate *nullius,* tunc Episcopus , cui tale territorium adjacet,consideratur solùm tanquam vicinior , non autem Ordinarius,sub cujus nomine , ad omnes effectus venit ipse inferior Prælatus,habens legem diœcesanam in eo territorio tanquam specie diœcesis stantis de per se;Ubi verò non constat de d. qualitate,tunc dicitur Prælatus inferior in aliena diœcesi, cujus Episcopus venit sub nomine ordinarii loci, tam quoad jurisdictionem àS.C.T.& Apostol.Constitutionibus delegatam, quam quoad alios casus Ordinario loci incumbentes, exceptis illis qui à d. inferiori Prælato legitimè præscripti sunt ; Dicta verò qualitas territorii separati non præsumitur , sed probanda est per allegantem cum duplici specie probationis ad quam id restrictum est,Primò sc per privilegium clarum,& expressum, vel saltem aptum id continere , ab observantia pacifica & longa ita interpretatum , Et secundò per immemorabilem benè probatam , quo tamen secundò casu. donec illa canonizata sit per rem judicatam, vel tres conformes , interim Episcopus manutenendus est in possessorem & jurisdictione delegata per S.C.T. inconcernentibus curam animarum , administrationem Sacramentorum , & alia ibi præscripta ; Verè ista causa mereretur pro bono publico illorum populorum accipere finem per aliquam honestam concordiam , cujus tractatu fortè assumpto defensores Archiepisc. opi curârunt causam proponi coram *Priolo*, & ista parte non infirmante sub die 11. *Januarii 1669.* prodiit resolutio pro confirmatione sententiarum ex eisdem antiquis fundamentis.

***

CONVERSANA JURISDICTIONIS PRO EPISCOPO, CUM PRIORE S. STEPHANI ORDINIS HIEROSOLYMITANI.

Casus per Rotam respectivè decisus ut infra.

De eadem materia jurisdictionis Prælati inferioris in concursu Diœcesani , quoties præsertim ex ipsiusmet Diœcesani concessione, jurisdictio Prælati inferioris originata est.

Et de puncto,an defensio causarum pertinentium ad Prioratus,vel Commendas Hierosolymitanæ Religionis,principaliter pertineat ad ipsam, vel ad Priores & Commendatarios,ita ut gesta cum istis afficiant nec ne ipsam Religionem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De stylo Rotæ,quod litteræ exequntoriales antiquæ excedentes metam decem annorum non exequuntur non cognito de justitia.*
3 *Item ubi prodierunt in contumaciam.*
4 *Sententiæ & acta cum Commendatario non citata Religione Hierosolymitana,dicuntur invalida.*
5 *Copia copiæ non facit fidem,& quando attendatur, & quid ubi est ex actis.*
6 *Quare deferendum non sit consulentibus.*
7 *Quando quis citari debeat,ita ut omissio ejus citationis vitiet acta,vel ista eum non afficiant, Et distinguitur inter habentes interesse principale vel accessorium.*
8 *De privilegio Religionis,ut ei non præjudicent gesta cum Commendatariis.*
9 *Priores & Commendatarii sunt manuales & obedientiarii.*
10 *Causæ singulorum Monasteriorum vel Conventuum aut commendarum agitantur cum eorum Prælatis.*
11 *De jure & facultate Procuratoris Generalis Religionis.*
12 *Omnes Prælati regulares sunt obedientiarii.*
13 *Episcopus dicitur interessatus in omnibus Ecclesiis suæ Diœcesis.*
14 *Posita situatione in Diœcesi, fundata est intentio Episcopi.*
15 *Concessio an probet jus concedentis,& quando.*
16 *Episcopus non potest concedere jurisdictionem, & dismembrare loca suæ Diœcesis.*
17 *Confirmatio Apostol. invalidæ concessionis, quando non suffragetur.*

DISC. II.

IN Diœcesi Conversana adest Oppidum *Putiniani*, undique à reliquo ipsiusmet Civitatis ac Diœcesis territorio circumdatum , cujus spiritualem jurisdictionem supponitur, per quemdam *Leonem* Episcopum,mediante solutione sex marcarum argenti, & 1

cen

centum michelatorum auri, concessam fuisse Abbati, & Monasterio S. Stephani Ordinis S. Benedicti, dictaque concessio supponitur per duos alios Episcopos successores ratificata, & per *Alexandrum III.* in forma communi confirmata, Episcopi verò successores, hujusmodi concessionem, utpotè invalidam parvipendendo, suam jurisdictionem Episcopalem, omniaq; alia ad legem diœcesanam pertinentia exercere curarunt; Cumque dictum Monasterium ex Apostolica concessione de anno 1314. à dicto Ordine Sancti Benedicti, transierit in Hierosolymitanum; Hinc tractu temporis, inter Priorem seu Commendatarium, & Episcopum, oriri desuper cœperunt controversiæ, ob quas de anno 1513. ad formalem litem deventum est, & commissa causa *Cæsari Lambertino Episcopo Insulano* qui auctor est tractatus *de jure patronatus*, de anno 1514. ab isto prodiit sententia, per quam, prævia juxta illius temporis stylum, facti & utriusque partis jurium prolixa narratione, pronunciatur d. jurisdictionem omnimodam, & privativam ad Episcopum spectare, & commissa per appellationem causa in Rota *Corrado Manlio*, prodiit sententia in omnibus præcedentis confirmatoria, quæ ob non interpositam appellationem transitum fecit in judicatum, Undè per *Accorambonum* subrogatum prodiit sententia executorialis, ad cujus normam expeditis literis directis Vicario Generali Monopolitano, de anno 1561. illæ plenarium effectum sortitæ sunt, quia Commendatarius liti renunciavit, atque Clerus & populus recognoverunt Episcopum in proprium Superiorem & Pastorem; Defuncto autem Episcopo prædicto, Commendatarius, ejusque Officiales, Sede vacante, denuò se dictæ jurisdictionis exercitio intruserunt, atque sub nomine Religionis tanquam inauditæ, curatum fuit committi causam appellationis seu restitutionis in integrum in eadem Rota coram *Augustino*, unde ob Episcoporum successorum negligentiam, de facto in dicto exercitio continuatum fuit & continuatur.

Cùm autem modernus Episcopus causam reassumeret, atque non obstantibus exquisitis diligentiis penès Rotæ Notarios inveniri non potuissent acta desuper enarrata, illorumque copia reperta esset in Archivio dictæ Curiæ Monopolitanæ, Idcircò istis transportatis, datoque dubio *Bourlemont* dicti *Augustini* subrogato *an constet de exequutorialibus, quæ veniant exequenda*, sub die 22. *Ianuar.* 1662. negativa prodiit resolutio, ex eo potissimũ fundamento quod eædem literæ tanquam non originales, & authenticæ, sed sumptum desumpto nullam fidem mererentur, ideoque cessante illarum substantia non intraret inspectio, an essent exequendæ, ut liquet ex decisione desuper edita impress. *post Zuff. de legitim. processf. dec.* 60.

Et quandò etiam de hoc puncto agendum esset, adhuc dictum fuit responderi non posse de executione, stante illarum antiquitate, ob stylum Rotæ non demandandi exequutioni has exequutoriales antiquas, nisi denuò cognito de illarum justitia, *Paniа decisione* 222. *num.* 4. & 735. *num.* 8. *decis.* 1. *num.* 6. *& sequen. par.* 7. *rec. Corduben. decimarum* 11 *Decembris* 1658. *Taia*, & in aliis; Potissimè verò ubi res judicata, pro cujus exequutione literæ concessæ fuerunt, prodiit, ut in præsenti, in contumaciam, & per contradictas, tunc etiam facilius ab exequutione abstinendum est, non præcedente meritorum cognitione, ut apud *Paniam dicta decisione* 735. *num.* 5. *& apud Seraph. dec.* 138. *num.* 6.

Cùmque scribentes pro Commendatario & Religione, insisterent in eo, quod hujusmodi acta, utpotè gesta cum solo Commendatario non afficerent ipsam Religionem ad causam non evocatam, ideòque remanerent invalida, cùm ad ipsam principaliter spectaret defensio, non autem ad Commendatarium nudam administrationem habentem, ideòque dictæ sententiæ exequi non possent contrà ipsam, neque in sententia nominatam juxtà decisiones *in montis regalis Iurisdictionis coram Pania* inter suas *decis.* 1233. aliàs *decis.* 17. *par.* 3. *rec. & in Toletana decimarum de Capilla* 8. *Iunii* 1657. *coram Verospio*, cum aliis de quibus infrà, Decisio desuper edita, istud etiam fundamentum in fine canonizare videtur, nihil agendo de meritis, quamvis Ego scribens pro Episcopo, atque prævidens difficultatem, ut suprà resultantem ex stylo, quandò agitur de exequutorialibus antiquis, super meritis quoque scripserim, ac principaliter super eis insteterim.

Quare tres fuerunt præsentis disputationis partes, Una super forma probanti, ac fide præstanda dictis actis ex Curiæ Metropolitanæ Archivio extractis, Altera super articulo validitatis vel invaliditatis sententiarum & actorum gestorum cum solo Commendatario, seu Baiulivo, non citata Religione; Et tertia super meritis negotii principalis.

Quatenus pertinet ad primam, resolutio de positiva improbabilitate redargui non potest; Juris enim Regula est talis, qualem Rota firmavit in causæ decisione, ut scilicet sumptum de sumpto nullam faciat fidem, etiamsi esset ex actis judicialibus, quo casu hæc Regula limitari solet, cùm limitatio procedat, quandò habentur ac inspici possunt ipsa acta originalia, ex quibus conijci valeat, an benè & fideliter extractum sit, juxta auctoritates copiosè in eadem decisione allegatas super principio verò, quod ego non impugnabam, constituendo solum fundamentum in ejus recepta limitatione, ubi scilicet accedunt adminicula, super quorum pondere, & efficacia, certa, & determinata regula dari non potest, cùm sit materia arbitraria, atque in arbitrariis difficile est redarguere judicatum de injustitia, Præsertim verò ubi non concurrit observantia, quo casu, vel adminiculis non defertur ex deductis per *Adden. ad Burate. decis.* 290. *num.* 15. vel longè majora, & urgentiora desiderantur, Proindeque ista prima quæstio, potiùs facti quàm juris esse videbatur, ut de hac propositione; an scilicet, & quando sumptum ab actis quæ non reperiantur attendatur ex adminiculis habetur *in Rota pecuniaria* 18. *Iunii* 1655. *&* 22. *Iunii.* 1657. *coram Cerro* quarum prima est impressa post *Zuffum de legitim. processf. dec.* 23. & habetur actum in eadem causa *Romana pecuniaria seu dotis de Sancta Cruce sub tit. de dote.*

Quoverò ad alteram partem prætensæ nullitatis sententiæ & actorum, ob defectum citationis ipsius Religionis prætendentis exindè audiri debere ex integro; Reflectendo etiam ad veritatem, parum probabilis visa est resolutio, quam tamen ex decisionis contextu constat formiter captam non fuisse, neque principaliter ex hoc fundamento illam prodiisse, dum potius istud motivum deducitur per verbum, *quinimò*, ad superabundantiam, dictiq; fundamenti insubsistentiam comprobavit deindè exitus formalis disputationis super hoc articulo habitæ *in Toletana jurisdictionis de qua disc. precedenti* in signaturæ gratiæ.

Cùm enim Ego, & cæteri in dicta *Toletana* prò Religione scribentes, petendo eam admitti ad causam ex integro, deduceremus eadem fundamenta

menta, & majora, quæ tunc in hac alia controversia deducta fuerunt; Et èconverso scribentes pro ArchiEpisc. aliud plus non deducerent, quàm tunc per Me in ista causa deductum fuerat, rejecta fuit
6 petitio, [*ut in d. præcedenti disc.* enunciatur], Unde propterea edocemur, quàm verum sit assumptum pro mea consuetudine sæpius declamatum, quod, satis erroneum ac pernicioſum videatur deferre auctoritatibus Consulentium, qui eorum responsa luci dederunt, eo modo quo causis inserviendo data sunt, cùm frequenter contingat, in eisdem articulis, juxtà clientum oportunitatem, per advocatos modò pro una, modò pro altera opinione scribi, Quod cessante facti mendacio, nunquam excusabili, quoties agitur de juris articulis controversis, præsertim in magnis tribunalibus, prohibitum non est, cum Advocati solùm insinuent ea quæ sunt juris, non autem judicent, neque consulant judicibus quid facere debeant.

Quatenùs igitur ad d. articulum pertinet, Resolutio pendet à puncto, an hujusmodi causarum defensio principaliter pertineat ad Commendatarium,
7 vel respectivè ad Religionem, & sic quis dicatur principaliter interessatus, & quis accessoriè seu consecutivè; Certa enim juris theorica est, ut sufficiat instituere judicium & agere cum principaliter interessato, absque necessitate evocandi eum, cujus interesse sit accessorium seu consecutivũ, cum istud operativum sit ac attendatur, ad effectũ, ut talis interessatus volens, possit & debeat admitti ad causam in statu & terminis, assistendo ei, cui tanquam principaliter interessato incumbit causæ defensio, ex ijs, quæ posito jure seu interesse secundario habentur firmata *in Tiraſ. & in Marſic. hoc eod. tit. diſc. 13. & 22.* ubi videri possunt auctoritates in ista etiam disputatione deductæ, frustrà hic repetendæ, dum hoc eodem libro habentur collectæ, Et admittitur *in d. Montis Regalis coram Penia*, ubi ratio habetur omissæ citationis Capituli Ecclesiæ Cathedralis, tanquam principaliter interessati, atque coæquale jus habentis cum Episc. in Ecclesiæ defensione, ut distinguendo explicatur *in dd. Marſic. & Tiraſ.* undè juris theorica remanere videtur extra quæstionem, quæ tota est facti. & applicationis, an sc. versemur in una, vel altera distinctionis parte.

Scribentes in ista causa pro Religione dicebant, & Egomet scribens pro eadem *in d. Tolet.* quoque dicebam, *per Conſt. 9. Pii IV. §. 68.* disponi, quod nulla res judicata præjudicet M. Magistro, & Conven-
8 tui, nisi specialiter evocati fuerint, Ac etiam quia, Priores & Commendatarii sunt nudi administratores Prioratuum & Commendarum utpotè obedientiarii & ad nutum amovibiles, *Mohed. dec. 10. ad fin.*
9 *de cauſa poſſeſ. & proprietatis dec. 87. n. 2. par. 2. rec.* & in aliis, & consequenter non ad ipsos Priores vel Commendatarios, sed ad Religionem principaliter hujusmodi causarum defensio pertineat.

Respondebam tamen, scribens in contrarium in ista causa, Prout & in altera, considerabam quod bene per scribentes pro Archiepisc. ibi diceretur dictum privileginm procedere ac recipiendum esse, quando ageretur de causa præjudiciali ipsi Religioni in universum, puta de eorundem privilegiorum interpretatione, ita ut resolutiones occasione unius controversiæ prodeuntes, facerent statum universalem, ut est casus *in Favent.* de qua *diſ. 4.* cum similibus, tunc etenim motivum haberet probabilitatem, nisi causa adeò per longum tempus discussa esset, atque effecta ita famosa, quod verisimiliter devenerit ad notitiam Oratoris, aliorumque ministrorum & agentium ipsius Religionis in Curia.

Ubi verò agitur de causa particulari unius Prioratus, vel Commendæ, ex peculiari privilegio vel consuetudine prætendentis territorium separatum ac jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum & populum, & sic jus particulare, seu privilegium, aliis Prioratibus & commendis in universum non commune, ut in præsent, *& in d. Tolet. diſ. 1. & in Vulturarien. diſ. ſeq.* Et tunc omninò verius est contrariũ, quoniam ipsa Religio deputat Priores & Commendatarios in Administratores, ac Prælatos, & legitimos defensores singulorum Prioratuum & Com- 10
mendarum, eodem modo, quo aliæ Religiones deputant Abbates, Priores, Guardianos, vel Rectores, singulorum Monasteriorum & Conventuum, idcirco sufficit cum eis tanquam legitimis defensoribus causas agitare ad notat. *per Canoniſtas in c. cum deputati de judiciis*, ubi præsertim *Abb. n. 11. Butr. eod. n. 11. Bellamer. n. 2. Barbat. n. 47.* & admittitur *in d. Tolet. decimarum de Capilla 8. Iunii. 1657. Verospio*, Atque ita docet communis praxis, quod causæ singulorum Monasteriorum agitãtur cum eorum Prælatis, vel specialibus procuratoribus absque necessi-
tate evocandi Procuratorem Generalem Religio- 11
nis, qui potest si vult comparere, & admitti ad causam, ac reputatur legitimus defensor, etiam sine mandato speciali, non autem necessarius, ut de potestate Procuratoris Generalis Religionis habetur apud *Sigiſm. de elect. dub. 104. n. 6. & 7. Coccin. deciſ. 169. n. 8. Canaler. dec. 202. n. 1. dec. 201. n. 2. par. 2. rec.*

Nil obstante d. qualitate manualitatis, quoniam omnes aliarum Religionum Abbates, & Præl. sunt magis obedientiarii, & manuales, Tum quia semper 12
ad nutum Superiorum amoveri possunt, Tum clarius quia Prælaturæ frequentius sunt annales, vel ad summum triennales, èconverso autem in hac Religione, non data optione in melius, de facto sunt perpetuæ, & ad vitam, ita ut, nulli, vel nimium rari sint casus, in quibus hæc manualitas reducatur ad praxim; Quinimò non desunt volentes, id sine causa fieri non posse ex deductis per *Molpheſ. conſ. 24.* Unde si d. alii Præl. reputantur legitimi defensores, Multo magis isti, quos notorium est esse aliis in hoc propositio diligentiores, Tum quia eorum interesse non est temporale, sed perpetuum & ad vitam, Tum etiam quia ex stabilimentis hujus Religionis, ad effectum optandi commendas meliores, seu dignitates, docere oportet de melioramentis, ac de bona & diligenti administratione commendarum possessarum, dum ex hoc, in concursu æquali plurium habentium eandem antianitatem, resultat habilitas, vel notabile meritum ad effectum præelectionis juxtà ea, quæ habentur *in Meleun. seu Venuſ. Baulinatus*, & in aliis *ſub tit de Beneficiis.*

Ad quod à simili conferre dicebam communem praxim in causis singularum Ecclesiarum diœcesis, habentium proprium, & particularem Rectorem, quoniam omnium dicitur legitimus defensor & administrator Epis. tanquam Rector universalis, qui in causis singularum dicitur habere interesse; cujus
ratione admitti potest ad causam, ac gerere omnia 1
ea, quæ interessatis de jure conceduntur, ut *apud Buratt. dec. 598. n. 6.* & tamen certum est, illum non dici defensorem necessarium omninò evocandum, quia sufficit causam agere cum proprio Rectore, tanquã legitimo defensore, & cui principaliter defensio incumbit; Et cum eadem propositione id congruit omnibus Eccl. Cathedr. vel Metropol. quoad Papam, discretivè ad singularum proprios Episc. & Prælat.

Demùm quoad tertiam, & ultimam part. concernentem merita negotii principalis, de quibus tamen

ut

ut supra decisio non agit, reflectendo etiam ad veritatem, dicebam assistere dicebam Episc. Quoniam ex
14 ipsa loci situatione, dictisq; Episcoporum concessionibus, & Apostolica confirmatione, nec non ex pluribus actibus jurisdictionalibus, ac enunciativis, indubitata videtur situatio hujus loci intra diœcesim, Qua posita resultat, fundatam esse Episcopi intentionem in jurisdictione spirituali, ac lege diœcesana, donec per Prælatum inferiorem probetur territorium separatum cum privilegio Apostol. explicito, sive cum immemorabili benè probata, & per tres conformes canonizata, quatenus d. Prælatura seu jurisdictio prætendatur omnimoda cum territorio separato; Vel cum legitima præscriptione quadragenaria, cum titulo putativo seu fama privilegii, quatenùs prætendatur jurisdictio, & Prælatura media quoad actus particulares, & compatibiliter cum Episcopo ex deductis *in Tolet. disc. præcedenti.*

Neutrum in præsenti concurrebat, cùm nullum hucusque datum esset, vel fama sit quod existat privilegium, Apostolicum hujusmodi jurisdictionis concessivum, Atque immemorabilis, nedùm probata non esset, sed omninò esset improbabilis ob acta in contrarium suprà in facti serie recensita, atque ob contrâriam publicam famam, tàm in loco, quàm in universa regione, Undè quicquid sit in ordine ad præscriptionem jurisdictionis mediæ, & subordinatæ compatibilis cum lege diœcesana juxta terminos textus *in c. auditis de præscript.* de quibus *d. disc. præced.* an scilicet illa per hujusmodi diuturnam possessionem induci potuerit, Attamen quoad omnimodam cum qualitate *nullius*, & territorii separati, casus videbatur indubitatus pro Episcopo.

Clarius verò, quia docebatur de titulo infecto, ex quo dicta possessio resultaverat, inductivo malæ fidei impeditivæ cujuscumque præscriptionis juxta receptam theor. *Innoc. in c. pervenit de decimis*, cùm constâret de hujusmodi jurisdictionis concessione, ut suprà facta pretio mediante per *Leonem* Episcopum, & per alios duos successores ratificata, nec non per *Alexandrum III.* in forma tamen communi, nil in proposito suffragante, confirmata.

Licet enim regula sit, solam concessionem non probare dominium, seu jus concedentis, attamen vera etiam est limitatio concurrentibus adminiculis à parte postea ejus observantiam denotantibus
15 *Canaler. dec.* 105. *Millin. d.* 374. *d.* 81. *n.* 2. *par.* 5. *rec.* Et habetur plenè actum *in Romana Castri Orciani subtit. de feudis disc.* 70. ubi declaratur id procedere, quoties adminicula sunt à parte postea, secùs si præcedant ex ibi deductis.

Multa verò adminicula in præsenti concurrebant, Primò scilicet illud situationis, cùm iste locus adjaceret particulari territorio ipsiusmet Civitatis, ac undique circumdatus esset à reliquo territorio Diœcesis; Secundò à geminata ratificatione duorum Episcoporum successorum, & Apost. Confirmatione; Tertiò àdictis actis repertis in Archivio Monopolitano, quæ ubi etiam dicenda non essent in tali forma probante, quod sufficerent ad concedendam executionem, de qua in præsenti disputatione agebatur, Certum tamen videbatur, inducere adminiculum, quod etiam ex hujusmodi sumptis, ac informibus juribus resultare receptissimum est, Et quartò fortissimè ex consuetudine ipsiusmet Episcopi *Leonis* faciendi hujusmodi concessiones, ut in alia *Conversana* super Oppido *Rutiliani* habetur apud *Duran. decis.* 226. & 446. & *dec.* 195. *par.* 9. *rec.*

Certum autem est, dictam Episcopi concessionil in proposito suffragari, cùm id importet formalem dismembrationem, ac alienationem, quæ per 16
Episcopum fieri non potest, Ut ultrà generalia, quæ habemus in hac materia dismembrationis apud *Otthob. dec.* 6. *& in Comen. dismembrationis coram Corrado dec.* 224. *par.* 10. *rec.* & non semel *sub tit. de Parochis.*

In his specialibus terminis jurisdictionalib. habetur *in Marsc. Iurisdictionis dec.* 24. *&* 87. *par.* 10. *& 153. par.* 11. *rec.* de qua causâ est etiam actum *hoc tit. disc.* 17. Multòmagis ubi non prætenditur simplex concessio jurisdictionis compatibilis cum lege diœcesana, & sub Episcopo, juxta eam speciem, quæ media dicenda videtur, juxta distinctionem de qua *dicto disc. præced.* sed agitur de omnimoda, cum territorio separato, & *nullius*, quod est facere sibi æqualem, nedùm Episcopis, sed etiam habentibus jura Principatus prohibitum.

Confirmatio verò Apostolica nil in proposito suffragabatur, Tum quia in forma communi continente sub se clausulam, *dummodo ea, quæ petuntur* 17
sint licita, & honestea, & jurinon contraria, Tum etiam quia obtenta fuit post obitum Episcopi, non audito Episcopo successore, ut in individuo consimilis concessionis factæ per eundem Episcopum habentis etiam consimilem confirmationem *Duran. d. dec.* 446. *num.* 7. *& dicta decis.* 195. *num.* 5. *par.* 9. *rec.*

VULTURARIEN.
JURISDICTIONIS
PRO EPISCOPO,
CUM
PRIORE BAROLI ORDINIS. HIEROSOLYMITANI.

Casus decisus per Sacram Congregationem Concilii pro Episcopo.

De [eadē] materia jurisdictionis prætensæ per inferiorem Præl. privativè ad Ordinarium, & cum territorio separato in loco, in quo ipse habeat, etiam jurisdictionem temporalem.

Et de territorii separati probatione per testes deponentes de immemorabili, seu territorii separatione, An & quando una vel altera species probationis dicatur sufficienter facta, necnè,

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Declarationes Sacr. Congregationis in causa super delegata jurisdictione Episcopi in locis exemptis.*
3 *De materia remissoriæ concedendæ, vel negandæ.*
4 *De theorica in materia territorii separati.*
5 *In probatione immemorabilis videndum est de ætate testium.*
6 *Testes puberes deponere possunt super iis, quæ viderunt ante pubertatem, & quando.*

7 *In*

7 *In probatione immemorabilis subducendum est tempus litis.*

8 *In eadem probatione constare debet, quod nil in contrarium gestum sit, & unus actus eam impedit.*

9 *Homines non præsumuntur vivere ultrà 100. annos.*

10 *Quomodo testes debeant deponere pro probanda possessione jurisdictionis.*

11 *Qui actus sunt incongrui, ut probentur per testes.*

12 *An in jurisdictione delegata detur præscriptio juxta terminos* text. in c. auditis de præscript.

13 *Decretum irritans inficit possessionem, & impedit præscriptionem vel consuetudinem.*

14 *Testes in iis, quæ juris sunt, ac consistunt in judicio intellectus, debent assignare causam.*

15 *A finibus temporalibus non infertur ad spirituales, & econtrà.*

16 *Etiam unum, & idem oppidum potest esse divisum in duas Diœceses, vel Episcopatus.*

DISC. III.

1 PRioratus Baroli Sacræ Hierosolymitanæ Religionis sub invocatione S. Sepulchri (de cujus Ecclesiæ Cappellanis, & clericis agitur in resolutione Congregationis *S. Conc. Trid.* in ea apud scribentes satis celebri *Tranen.* de qua *in Faventina disc. sequenti*, an & quando gaudeant exemptione ab Ordinario) posidet in temporalibus Terram *Aluerona* sitam intra fines Diœcesis *Vulturarien.* Cumque Prior ejusque Officiales, una cum jurisdictione temporali, spiritualem quoque, in Clerum, & populum illius loci exercere consueverint, ut ferè communis est usus illorum Prælatorum Ecclesiasticorum, qui aliquod Oppidum vel castrum in temporalibus habent, ut patet *ex Toletana, Conversana, Anglonen.* & pluribus, de quibus *hoc tit.* Atq; moderni dicti Prioratus, Vicarius, & Officiales in dicta terra commorantes, non contenti ordinaria jurisdictione, quam tolerabat Episcopus, qui contentus erat sola jurisdictione per *S. Conc. Trid.* & Apostol. Constitutiones delegata, quam ejus prædecessores exercere consueverunt, istam quoque controvertere cœpissent, prætendendo omnimodam quasi Episcopalem, tanquã in loco *nullius*, & de territorio separato; Idcirco Episcopus recursum habuit ad S. Congreg. Concilii, à qua de Anno 1651. prodiit resolutio, *potuisse ac posse Episopum, tanquam Sedis Apostolicæ delegatum*
2 *visitare Ecclesiam Parochialem, ac in Visitatione edere decreta in concernentibus curam animarum, administrationem Sacramentorum, implementum onerum missarum, eiusdemque Ecclesiæ restaurationem;* Cumque Prior vel ejus Officiales dictæ resolutioni non acquiescerent, atque obtinuissent audiri, Assumpta disputatione de Anno 1655. alia latior prodiit resolutio, *Episcopum scilicet manutenendum esse, nedum in præmissis, sed etiam in approbatione Confessariorum, benedictione Concionatorum, & aliis concernentibus jurisdictionem à Sacr. Conc. Tridentino delegatam in locis exemptis, donec ex parte Prioris doceatur de territorio separato per privilegium Apostolicum, vel per immemorabilem canonizatam per tres sententias conformes.*

Unde propterea de anno 1663. prævia dictarum resolutionum confirmatione, ac sine retardatione earum exequutionis, Priori ac Religioni illi adhærenti petentibus remissoriam ad effectum probandi immemorabilem, ac territorium separatum, illa concessa fuit, quamvis Ego scribens pro Episcopo insisterem pro denegatione, stante irrelevantia, & clara improbilitate materiæ articulatæ, cùm excepta materia spirituali (sub qua in proposito remissoriæ solæ causæ beneficiales veniunt) in prophana quæ omnes, alias etiam Ecclesiasticas, & spirituales complectitur, Curia satis facilis esse soleat, nè coangustentur probationes, præsertim verò ubi conceditur sine retardatione, cùm tunc cesset illa calumniæ suspicio, cujus ratione ad protrahendas causas in longum frequenter hujusmodi petitiones fieri solent, undè propterea sunt adeò frequentes, præsertim in Rota, hujusmodi remissoriales quæstiones, ita ut nil frequentius. 3

Factis igitur in vim dictæ remissoriæ probationibus cum magno numero testium, & assumpta super eis in eadem S. Congr. disputatione initio anni 1666. prodiit resolutio, per quam, approbando in possessorio d. resolutiones præcedentes, in petitorio causa remissa fuit ad Rotam, & in hoc statu reperitur absq; ulteriori progressu, Episc. exercente dicta delegatam jurisdictionem; Prudenter autem credo, ex parte Religionis & Prioris d. ulteriorem prosecutionem negligi, ne contingat id quod sequutum est in *Tolet. disc.* 1. ut sc. cupiendo obtinere multum, amittatur totum, atque ita exponatur aleæ, etiam jurisdictio ordinaria, quam Episcopus tolerat. 4

In his igitur disputationibus habitis in Sac. Congregatione, cum nulla caderet controversia super istius loci situatione intrà diœcesis fines, à quibus undiq; circumdatus est, absque eo quod alter Episcopus esset in causa, vel situatio in alia diœcesi prætenderetur, Deducebam scribens pro Episcopo eandem theoricam à Rota & Curia receptam, de qua in d. *Tolet. disc.* 1. Quod sc. stante universali totius Orbis divisione sub Dyonisio facta in Diœceses, itaut nullus adesset locus, qui in aliqua Diœcesi, & sub Episcopo non esset, idcircò territorium separatum *nullius* non præsumitur, sed per allegantem probandũ est Restricta probatione ad duas tantùm species, unam scilicet per privilegium Apostolicum expressum, alterum per immemorabilem benè probatam cum requisitis *glos. in c.* 1. *de præscript. in* 6. Cumque nullùm exhiberetur privilegium particulare, atque privilegia generalia Religionis registrata *in Constitutione* 9. *Pii IV.* absque dubio ad hunc effectum non suffragentur, cùm percutiant solam exemptionem à jurisdictione passiva ipsorum Prioratuum, & Commendarum intrà solos ambitus, ac etiam personarum habentium qualitates, & requisita, de quibus *in Favent. disc. sequenti*, ut habetur *disc.* 1. idcircò tota inspectio erat super probatione immemorabilis.

Circà quam, cum sensu etiam veritatis, dicebam eam deficere, undè meritò, ut dictum est, negligitur causæ prosecutio in Rota, quoniam testes desuper inducti eorum ætatem non explicabant, ut omninò necessarium est ad effectum inspiciendi, an concludant præcipuum dictæ probationis requisitum, in eo consistens, quod concludant de visu super pacifica observantia annorum 40. antè motam litem, & post completam pubertatem, ita ut ad minus esse debeant annorum 54. completorum præambula hora motæ litis; Et ideò, quamvis aliqui deponerẽt ab an. 40. alii verò ab an. circiter 50. etiamsi nullum tempus ratione litis subducendum esset, ac spectato solo tempore examinis, dictum requisitum non concludebant, cum in d. tempore includere potuerint illud ætatis pupillaris, de quo testes puberes effecti post infantiam, & quandoque etiam antea, juxta ingeniorum qualitatem in materiis indifferen- 5

6 ferentibus cadentibus sub sensu corporis, non autem sub judicio intellectus, deponere possunt quoties lex certam ætatem non præfinivit. *Covarr. in reg. poss. par 2. §. 3. num. 8.* & cæteri apud *Farin. de testibus q. 58. num. 53. cum seqq. decis. 75. num. 9. par. 10. recent.*

Clarius verò, ac extrà controversiam, quoniam indubitata & quotidiana conclusio est, ut subdu-
7 cendum sit tempus motæ litis, computandum à dicto anno 1652. in quo prodiit dicta resolutio Sac. Congregationis, unde cùm testes examinati essent de anno *1665.* ad minus debebant esse annorum 67. completorum; Omnisque difficultas penitùs cessabat ex defectu alterius substantialis, ac omninò necessarii requisiti, quod scilicet nihil unquã gestũ, dictum, vel auditum fuerit in contrarium, ita ut u-
8 nicus actus contrarius ad hujusmodi probationem impediendam sufficiat, quinimò etiam solus rumor, ut generaliter *Otthob. dec. 159. num. 6. Greg. & add. dec. 56. num. 20. par. 7. rec.* ubi quod sufficit constare de actibus contrariis à 100. annis citrà, & in his terminis specialibus *in Marsicen. Iurisdictionis coram Bichio & Corrado decis. 24. 87. & 303. par. 10. & 153. par. 11.* ac habetur in decisionibus editis *in Toletana* de qua suprà *disc. 1.*

Et tamen per scripturas ex parte Episcopi docebatur, ab anno 1617. (non excluso tempore anteriori), eum exercuisse delegatam jurisdictionem circà Ordinum collationes, concursus ad Parochialem, approbationes Confessariorum, & similia, unde propterea immemorabilis, nedum per testes jam inductos, ut suprà improbata remanebat, sed etiam ita reddebatur improbabilis per quoscunque alios testes denuò inducendos, cum subducto dicto tempore, à quo constabat de cõtraria possessione, ad hoc ut testes deponere possent etiã de quadragenaria pacifica, deberent esse ad minus annorum 105. & ultrà, quæ ætas non præsumitur stante legali præsumptione, quod homines non præsumantur vivere ultrà 100. annos, ideoque ex isto capite satis frequenter solet remissoria de-
9 negari, ut patet ex multis Rotæ decisionibus, quas in copioso numero in hac materia habemus.

Item quamvis testes nimium affectatè deponerent de exercitio plurium actuum concernentium etiam jurisdictionem delegatam, nihilominus
10 non concludebant negativam quoad Episcopum, ita ut privativè quo ad eum, dictæ jurisdictionis exercitium sequutum esset, cum ipsius Episcopi scientia & patientia, quæ in incorporalibus stat loco possessionis, unde vel dicti actus clandestini & intrusivi dicendi erant, vel quod in illis tantum actibus, compatibiliter cum Episcopi jurisdictione in reliquis, inducta esset præscriptio juxta terminos textus *in cap. auditis de præscript.* de quibus plenius & ex professo *in dicta Toletana disc. 1.* in qua in ordine ad dictam præscriptionem actuum particularium, rectè dici posse considerabam concurrere Episcopi scientiam & patientiam deductam ex tot concordiis & sententiis, ac etiam ex reciprocis litteris requisitorialibus, quorum nihil in præsenti
11 concurrebat, Potissimè, quia, circa dictam præsertim jurisdictionem delegatam, plerique sunt actus conficiendi per scripturam, ideoque incongruè probandi per testes, ut sunt, visitationes, collationes ordinum, seu concessiones litterarum dimissorialium pro eis suscipiendis, executiones dispensationum matrimonialium, aliarumque litterarum Apostolicarum super provisionibus beneficiorum, ac super alienationibus bonorum Ecclesiæ, & super monitorialibus pro revelatione, cum similibus, quæ locorum Ordinariis dirigi solent, ac etiam sunt concursus ad Parochiales.

Et ulterius, admissa præscriptione actuum particularium juxta dictos terminos *cap. auditis*, in jurisdictione ordinaria, ut in *dicta Toletana* habetur, Considerabam eos non intrare in ordine ad jurisdictionem delegatam *à Sac. Conc. Trid.* quoniam 12
cùm in Bulla *Pii IV.* ejusdem Concilii confirmatoria, pro ut & in aliis Apostolicis confirmationibus eamdem delegatam jurisdictionem concernentibus, contineatur decretum irritans, quod inficit quamcunque contrariam possessionem, exinde resultat, infectam esse quamcunque præscriptionem vel consuetudinem, quinimò eam impedirine oriatur, ut occasione præsertim concursus adhiben- 13
di vel non adhibendi in Parochialibus seu Vicariis habetur frequenter *sub tit. de Paroch.* ubi de pluribꝰ decisionibus, præsertim *in Alerien. Vicaria 26. Iunii 1654. coram Bichio*; Et generaliter quod decretũ irritans nedum impediat seu tollat præscriptionem, sed se opponat ejus initio & nativitati, cæteris allegatis benè *in Casenaten. seu Sarsenaten. laudemiorum 19. Iunii 1656. Albergato decis. 35. post colluctationes Bondeni & in eadem decis. 400. par. 9. rec.*

Conabantur etiam testes prædicti probare separationem territorii hujus loci, dicendo illud esse omninò separatum, Sed pariter eorum dictum nil concludebat, Tum quia hoc non dicitur consistere in sensu corporis, sed in judicio intellectus, & in iis, quæ juris sunt, circa quæ testes, quamvis non interrogati assignare debent concludentem 14
scientiæ causam seu rationem, aliàs nihil probant, *Mantic. decis. 199. num. 5. Coccin. dec. 295. num. 5. Greg. dec. 17. num. 2. Buratt. dec. 538. numer. 16.* & passim, & quam nullam dicti testes reddebant; Tùm etiam quia iidem testes ex eorum dicto convincebantur de inepta & insufficienti causa, resultante ab eorum erronea credulitate, cùm restringerent separationem territorii hujus Oppidi à reliqua diœcesi Vulturarien. ad eam causam, quod istius 15
loci territorium undique haberet terminos lapideos habentes insculptam Crucem Sac. Religionis, causa cognita, & cum judiciali etiam auctoritate antiquo tempore appositos, diligenterque custoditos, & renovatos, quod tamen continet æquivocum in hac materia nimis frequens, cum ista confinium seu terminorum distinctio juxta insinuata in *dicta Toletana disc. 1.* percutiat dominium ac jurisdictionem temporalem, nec non jus pascendi, & colendi, aliaque jura civica, oppidanis, vel incolis competentia, atque ut unus populus ab altero distinguatur, quod congruit cuicumque exiguo castro seu loco, ex iis, quæ ad materiam juris pascendi vel solutionis fidæ habentur frequenter deducta *sub tit. de servitutibus*, ac etiam sub altero *de Regalibus ad materiam gabellarum & vectigalium*, sed hoc nil commune habet cum terminis jurisdictionis spiritualis & diœcesanæ, quoniam diœcesis dicitur unicum territorium ipsius Ecclesiæ Cathedralis, tanquam corpus universale complexivum, tàm Civitatis, in qua ipsa Ecclesia Cathedralis sita est, quàm etiam quamplurium Oppidorum, Castrorum, & locorum, quorum singula in temporalibus discreta habent dominia, discretosque territoriorum fines, seu limites; Quinimò frequenter una diœcesis est complexiva Oppidorum & locorũ sub

omninò diversis provinciis & Principatibus vel dictionibus temporalibus existentiũ, quoniã nil cõmune habent fines spirituales cum temporalibus, vel e contra, ideoque ab unis ad alios arguere non licet, atque hoc æquivocum est frequentissima causa hujusmodi controversiarum & usurpationum.

Imò frequens in praxi habemus, quod unum & idem Oppidum, quod in temporalibus unum constituit territorium, unumque gubernium ac unam Communitatem, in spiritualibus est divisum, quia pro parte pertinet ad unam diœcesim & pro parte ad alteram, ut præsertim habetur de Oppido *Montis Corvini*, de quo *in Acernen. hoc eod. tit. disc. 24.* quoniam licèt unicum habeat Baronem seu Dominum temporalem, unamque constituat Universitatem cum unico territorio, nihilominus, partim est sub diœcesi *Salernitana*, & partim sub *Acernen.* quod etiam habetur de Oppido *Leonissæ*, quod partim est diœcesis *Reatinæ*, & partim *Spoletanæ*, cum pluribus similibus.

FAVENTINA JURISDICTIONIS PRO EPISCOPO.

CVM

SAC. RELIGIONE HIEROSOLIMYTANA EJUSQUE COMMENDATARIO.

Casus decisus per Sac. Congregationem Concilii pro Episcopo.

De jurisdictione Ordinarii in Cappellanos, Clericos, Colonos, Ministros, & alios non professos, inservientes Ecclesiis, Prioratibus, & Commendis S. Religionis Hierosolymitanæ, tàm in concernentibus curam animarum, quàm in aliis, ad interpretationem constitutionis 67. *Gregorii XIII.* Et aliqua de Conservatoribus privilegiorum ejusdem Religionis an possint habere Tribunal erectum, & in quo differant ab aliis Conservatoribus, Et an eorum personæ sint exemptæ à jurisdictione Ordinarii, cui aliàs essent subjectæ.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*

2 *De dubiis disputatis in S. Congreg. eorumque resolutione.*

3 *De modificationibus seu declarationibus cum quibus intelligitur jurisdictio Ordinarii cum exemptis in concernentibus curam animarum & administrationem Sacramentorum.*

4 *An dicta jurisdictio censeatur cumulativè cum Superioribus Regularibus exemptorum, & quomodo intelligenda sit dicta cumulativa.*

5 *An dicta jurisdictio intelligatur solùm in actu visitationis, vel etiam extrà.*

6 *Quanam veniant sub dicta jurisdictione ita ut concernant curam animarum, an concernentia vitam & mores Curati.*

7 *De tribus requisitis constitutionis* Gregor. XIII. *ad hoc ut non professi servientes Religioni gaudeant exemptione à jurisdictione Ordinarii, & quando hæc adesse dicantur.*

8 *An Coloni viventes in domibus colonicis prædiorum ipsius Religionis dicantur vivere intra domus & septa & sub obedientia.*

9 *Quando dicatur residere intra domos & septa, & expendunntur contrariantes auctoritates Antonini & Monetæ.*

10 *Quidubi in Commenda non adest ipse Commendatarius sed Conservator vel alter substitutus, an dicatur vivi sub obedientia.*

11 *Enumerantur plures species obedientiæ, & quando ad effectum exemptionis dicatur propriè vivi sub obedientia.*

12 *De ordinibus personarum ex quibus constituta est Religio Hierosolimytana.*

13 *Conservator privilegiorum, an quoad eius personam, bona, & causas sit exemptus ab Ordinario suo.*

14 *An Conservatores habere possint tribunal erectum, & quem Notarium adhibere debeant.*

15 *Vicarii seu Cappellani seculares exercentes curam vel ministrantes Sacramenta in Ecclesiis Religionis Hierosolimytanæ, an teneantur accedere adlectiones vel Congregationes casuum conscientiæ ab Episcopo demandatas.*

DISC. IV.

IN Civitate Faventina S. Religio Hierosolymitana possidet Commendam, cujus Ecclesiæ sub invocatione S. Mariæ Magdalenæ, annexa est cura animarum exerceri solita per unum clericum sæcularem, *Cappellanum* nuncupatum, per Commedatarium nominandum, & ab Episcopo approbandũ, ad ejusdem Commendatarii nutum amovibilem; Cùm autem *Cardinalis Rossettus* dictæ Ecclesiæ Episcopus ab initio sui Præsulatus, satis laudabiliter introduxerit, ut in una die cujuslibet hebdomadæ haberetur lectio Theologiæ moralis seu casuum conscientiæ, ad quam omnes Cappellani hujusmodi, & cæteri confessarii, ac etiam alii qui ad idem munus seu ad ordines, vel beneficia assequenda habilitari vellent, accedere tenerentur, cum hac differentia, quod Cappellani & Confessarii actualem Sacramentorum administrationem habentes, ad id obligati essent sub pœna, in cæteris verò, loco pœnæ subrogata esset exclusio ab admissione ad Ordines, beneficia, vel ad facultatem exercendi Sacramentum pœnitentiæ, exemptis tamen ab hoc onere illis qui Parochias in titulum prævio concursu ad formam S. Concilii Tridentini possiderent, Atque inter istos Cappellanos, & Confessarios ad dictam lectionem accedentes, fuit ille istius Commendæ cum pacifica observantia annorum 20. & ultrà. 1

Renuente autem moderno Cappellano hujusmodi onus subire, ejusque prætensionem confovente Commendatario, id excitavit inter Episcopum, & Commendatarium prædictum, ipsamque Religionem assistentem, plures controversias introductas in Sacra Congregatione Concilii, in qua Me consulente, neglecto dicto puncto, qui fuit origo, & causa controversiarum, super obligatione

tione scilicet Cappellani, accendendi ad dictam lectionem, cùm de illo ut infrà timerem, ex parte Episcopi quinque proposita fuerunt dubia.

Primò *An Vicarius seu Cappellanus prædictus habitans in domo ejusdem Parochiæ, tam in iis quæ concernunt curam animarum, & Sacramentorum administrationem, quàm in quocunque delicto subjaceret jurisdictioni Ordinarii ex decreto S. Concilii Tridentini sess. 24. de reformat. cap. 11. & ex constitutione 67. Gregorii XIII.*

Secundò *An ministri, servientes, adscripti, Procuratores, ac familiares, qui habitant in Civitate extrà domum Commendæ, subjacerent jurisdictioni Ordinarii, tàm in causis civilibus, quàm in criminalibus, & mixtis vigore ejusdem Constitutionis.*

Tertiò, *An coloni, & alii habitantes in domibus ruralibus ipsius Commendæ, delinquendo possent ab Ordinario puniri vigore Sacri Concilii, & dictæ Constitutionis Gregorianæ.*

Quartò, *An Conservator, qui sit presbyter secularis diœcesanus habitans in domo propria, in causis propriis, tàm civilibus, quàm criminalibus seu mixtis subjaceat quoque Ordinario.*

Et quintò, *An idem Conservator valeat tribunal erigere, & assumere ministros, ut puta Promotorem Fiscalem, Notarium, & alios Officiales, sive potius uti debeat Officialibus Curiæ Episcopalis ex S. Concilio Tridentino sess. 14. de reform. cap. 5. & Constitutione 9. Gregor. XV.*

Et proposita causa sub die 17. *Decembris* 1667. Ad primum Congregatio censuit, *Curatum prædictum subesse Ordinario quoad curam animarum, & Sacramentorum administrationem, ac etiam circa ea quæ Curatus committeret, unde scandalum oriri, & causari populo possit, & hoc tàm in visitatione quàm extra, eumdemque Cappellanum non habere tertium requisitum, nempe quod vivat sub obedientia, ideoque, etiam in aliis causis indifferentibus subesse Ordinario.*

Ad secundum simpliciter *affirmativè.*

Ad tertium pariter responsum *subesse Ordinario in his quæ ad forum Ecclesiasticum spectant.*

Ad quartum *simpliciter affirmativè.*

Et ad quintum *quoad Tribunal negativè, quo verò ad notarium posse ad sui libitum assumere.*

In dicta igitur disputatione, distinguendo singula dubia; Quatenùs pertinet ad primum, Scribentes in magno numero pro Religione, non negabant subjectionem dicti Vicarii seu Cappellani in concernentibus curam animarum & administrationem Sacramentorum, cùm desuper nimis clarè disponatur tàm per S. C. T. quàm per constitutio-
3 nes *Pii V. & Gregorii XIII.* Sed insistebant super modificationibus seu declarationibus, Primò scilicet, quod id intelligatur taxativè circa præmissa, non autem in aliis causis, Secundò quod intelligatur in actu visitationis duntaxat, non extrà, juxta declarationes Sacræ Congregationis relatas apud *Novar. in summa Bullar. tit. de exemptione privilegiatorum in 4. dubio & Cespedes de exemptione regular. cap. 22. dub. 321.* Tertiò quod Ordinarius exprimere teneatur, quod visitationem faciat tanquam delegatus, ne aliàs confundatur actus cum jurisdictione ordinaria, ut *per Barbos. in collectan. ad Concil. sess. 24. de reformat. cap. 11. sub numer. 8. Fagnan. in cap. cùm dilectus num. 43. de religiosis domib.* & alibi, & habetur per Rotam *in Toletana Jurisdictionis 27. Ianuarii 1662. Bevilaqua*; Et quartò quod hæc Jurisdictio delegata censeatur cumulativè, non autem privativè ad superiores ipsius Reli-
4 gionis, ut disponit eadem Constitutio *Pii V.* §. 7. *Barbos. sess. 25. de regular. cap. 11. n. 25. Pasqualig. ad Franch. de potestate Episcopi in Regulares quæst. 3. num. 117. Cespedes de exempt. dicto cap. 16. dub. 243. num. 1.* ubi allegat *Vamesium concil. 475. Fagnan. in capit. 4. de offic. ordinar. numer. 31. & 37. cum seqq. Penia decis. 260. juxtà Venetam alias 336. juxta Lugdunen.*

Scribens autem solus pro Episcopo, etiam cum sensu veritatis, quatenus pertinet ad illam modificationem, ut exprimi deberet jurisdictio delegata, dabam manus, cùm id parum vel nihil referret; Quo verò ad alteram super jurisdictione cumulativa dicebam, quòd aut loquimur de visitatione propriarum Ecclesiarum competente quodam jure ordinario *ex Constitutione Pii IV.* Prælatis hujus Religionis, & dabam etiam manus, quod istud jus non esset sublatum, quamvis in eisdem Ecclesiis exerceretur cura animarum, & ministrarentur Sacramenta, cùm non implicet, ejusdem Ecclesiæ, vel etiam personarum inibi servientium, duos dari visitatores diversis respectibus, ut docet praxis generalis in omnibus Ecclesiis & personis Regularium, quibus annexa sit cura, quoniam Ordinarius visitat quoad concernentia eamdem curam, & Sacramenta, sed non per hoc prohibetur Superior Regularis visitare quoad cultum, & alia, etiam ipsam curam & administrationem concernentia, in ordine tamen ad ipsos ministrantes, ut infrà.

Circa verò concernentia ipsam curam & administrationem dicebam, quod aut dicta cumulativa prætendebatur per concursum alternativum, ita ut unus præveniendo alterum impediret, & tunc omninò vana remanebat prætensio, nulli penitus innixa fundamento, tùm quia clarus sensus *Bullæ Pii V.* circa præservationem jurium alias Religioni competentium, percutit dictum casum compatibilis & simultanei concursus ut suprà; tum etiam ob vivam & convincentem rationem, ob quam ut satis frequenter habetur *hoc tit.* Ordinario datur jurisdictio in exemptos quoad curam animarum & administrationem Sacramentorum, quod scilicet principaliter spectantur personæ populi, & Cleri sæcularis, cum quibus eadem cura exercetur, cùm sint oves commissæ Episcopo seu Ordinario, ad quem tanquam primum Pastorem pertinere debet inspicere, an inferiores & subordinati pastores suis ovibus benè divina pabula ministrent, & sic principaliter in ratione passiva, personarum scilicet Episcopo commissarum, cui Sacramenta ministrantur, unde propterea Superior Regularis in hoc se ingerere non potest privativè ad Episcopum, istum præveniendo, quoniam esset cognoscere de non suis.

Si verò intelligerent de cumulativa compatibili, & simultanea, quod scilicet Superior Regularis visitare & corrigere velit illum suum subditum, qui malè se gerat in exercendo curam, ac in Sacramentis administrandis, ita ut iste ita malè se gerens duplici punitori subjaceat, & tunc dabam manus, cùm id Episcopi nil interest, quinimò potius expediat, ut malè se gerens duplici Superiori, & correctioni subjaceat potissimè; quia Superior Regularis magis frequenter, & quotidiè id inspicere potest, quod Episcopo practicare non conceditur præsertim extra locum continuæ residentiæ.

Restrictiva verò ad solum actum visitationis, pariter absque fundamento remanebat, unde me-

ritò rejecta fuit, atque reſcriptum, tam in viſitatione, quàm extrà, Tùm quia Concilium & Conſtitutiones Apoſtolicæ in verbis indefinitè hujuſmodi juriſdictionem tribuunt, Tùm etiam ob evidentem rationem nimis clari abſurdi aliàs reſultantis, quoniam cum viſitatio fieri non ſoleat niſi ſemel in anno, & quandoque rarius, idcircò prorſus abſonum eſſet dicere, quod Epiſcopus videns Sacramenta malè adminiſtrari, & curam malè exerceri, providere non poſſet, ſed id pati cogeretur uſquequo veniret tempus viſitationis, Undè propterea dicta reſtrictio juxta ſenſum allegatorum in contrarium, practicabilis ſolum videtur juxtà communem uſum, quoad viſitationem ipſius Eccleſiæ materialis, non autem circà alia præmiſſa.

Sub nomine autem concernentium curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum, dicebam, Et S. Congregatio rationabiliter admiſit, venire, non ſolùm illos actus, qui præcisè, ac immediatè id percutiant, ſed etiam alios, qui in idem mediatè influerent, circà vitam ſcilicet & mores ejuſdem Curati, & quæ ſcandalum populo præbere poſſent, dum iſta quoque ipſam curam concernere dicuntur, ne qui ſibi commiſſas oves corrigere debet, eaſque ad meliorem frugem redigere, ita ſcandalum, vel peccandi occaſionem præbeat; Si enim Epiſcopus viſitare poteſt ea quæ à dicta adminiſtratione dependent, ſeu in eam influunt, quomodò ſcilicet teneantur veſtimenta, & vaſa ſacra, ſive quomodo ipſa Sacramenta materialiter cuſtodiantur, cum ſimilibus juxtà *deciſ. 167. Seraphini* cum aliis *per Barboſ. de Epiſcopo alleg. 74. num. 20. & ad Concil. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 11. num. 15.* Multò magis ea, quæ concernunt vitam & mores, utpote magis proximè in id influentia; Si enim Curatus concubinam teneret, vel cum ſcortis publicè converſaretur, aut in tripudiis interveniret, ſed publicè & ſcandalosè luderet, tabernas frequentaret, ſeu armatus, aut parum decenter veſtitus, ſive de tempore bacchanali perſonatus incederet, nemo dicet id non præjudicare exercitio curæ animarum, & adminiſtrationi Sacramentorum ratione ſcandali exinde reſultantis. 6

Atque ſi per Sac. Congregationem pluries, præſertim verò *in una Fundana 23. Junii 1663.* deciſum fuit, ſubcollectores Apoſtolicos, alioſq; exemptos, poſſe ab Epiſcopo corrigi quoad concernentia cultum divinum, ac indecentiam ſervitii Eccleſiæ, quia nempe celebrantes, vel in divinis inſervientes non deferant veſtes, & collarem decentem, ſive quod ſcandalosè tabacum ſumant in Eccleſia, cum ſimilibus, fortiùs circa ea, quæ ut dictum eſt, magis proximè ad dictam curam influunt, atque ſuper hoc nulla per Sac. Congregationem habita fuit dubitatio.

Major igitur, ac tota difficultas fuit circa alias cauſas indifferentes, atque à cura, & adminiſtratione Sacramentorum independentes, ſuper concurſu ſcilicet trium requiſitorum, de quibus *in Concilio Tridentino, & in dicta Conſtitut. 67. Gregorii XIII.* Non dubitatur enim, dato illorum concurſu, de exemptione, ne dum quoad curatum, ſed etiam quoad omnes alios inſervientes, Econverſò autem dicto concurſu ceſſante, certa remanet Ordinarii juriſdictio, non obſtante quocunque Religionis privilegio, juxta litteralem diſpoſitionem præſertim dictæ Conſtitutionis *Gregorii XIII.* unde propterea tota quæſtio eſt facti, & applicationis.

De primo requiſito addictionis ſervitio Religionis non dubitabatur, aliqua verò controverſia erat circa ſecundum, an ſcilicet dictus Vicarius reſideret intra domum, & ſepta Religionis, ſtante quod domus annexa quidem erat domui principali Commendæ, & Eccleſiæ, ſed habebat januam particularem, ita ut eſſet domus diſtincta, ut inſiſtebat Epiſcopus; Verùm Ego contrariũ ſentiebam, ut liberè eidem Epiſcopo inſinuavi, idemque fuit ſenſus Sac. Congregationis circa hujus requiſiti interventum, quoniam pro exercitio curæ, de neceſſitate, vel ſaltem de congruentia, Curatus habere debet domum liberam, ut de nocte, quandò ipſius Commendæ januæ ſunt clauſæ, libertatem habeat ſubveniendi periclitantium neceſſitatibus; De reliquo enim, cùm domus eſſet fixa & propè Eccleſiam, & Commendam, cum ejus communicatione, certum videbatur illam dici partem, ſeu membrum ejuſdem Commendæ, & de ejus ſeptis, eique conveniebant rationes, ob quas inferius habetur, in colonis, & aliis quãvis habitantibus in domibus de dominio Commendæ, iſtud ſecundum requiſitum non concurrere. 7

Deficiebat verò tertium requiſitum vivendi ſub obedientia Commendatarii, dum iſte in loco non reſidebat, ſed vel in Conventu Melevitano, vel in patria ſatis remotæ regionis moram trahebat, unde propterea non aderat Superior, ſub cujus obedientia & oculis iſte per ſervitium effectus ſubditus viveret, & ſic ceſſabat ratio, cui, tàm Conciliaris diſpoſitio, quàm dicta Gregoriana Conſtitutio innituntur, ſuper copulativo concurſu trium requiſitorum in non profeſſis, & de qua ratione habetur infrà occaſione colonorum viventium in domibus colonicis prædiorum ipſius Commendæ, unde propterea ex defectu iſtius requiſiti, juſtè reſponſum fuit pro ſubjectione Curati, ſeu Cappellani ad formam dictæ Gregorianæ, etiam in cauſis indifferentibus.

Super ſecundo dubio, miniſtrorum habitantium ſparſim per Civitates, & loca in privatis domibus more reliqui populi, ac extra ſepta, & domum Commendæ nulla fuit habita difficultas, quoniam, etiam ſcribentes pro Religione dabant manus, Ideoque major diſputatio fuit ſuper tertio, colonorum, & aliorum inſervientium, qui vivebant in domibus fixis colonicis ipſiuſmet Comendæ in ejus prædiis exiſtentibus, unde propterea acriter inſiſtebatur, ita verificari ſecundum requiſitum, cùm de interventu primi non dubitaretur, Verùm inanis remanebat diſputatio, cum admiſſo etiam ſecundo requiſito, adhuc non intraret exemptio ex defectu tertii, eodem modo quo ſupra pro non exemptione Vicarii, ſeu Cappellani dictum eſt, atque id ſufficiebat ad effectum præſentis diſputationis. 8

Ubi autem eſſemus in caſu, quod Commendatarius reſideret in Commenda, ita ut adeſſet ſuperior, ſub cujus obedientia ſubditi viverent, Adhuc tamen dicebam, etiam cum ſenſu veritatis (qualis per Sac. Congregationem canonizata fuit) quod omninò deficeret dictum ſecundum requiſitum reſidentiæ intrà domos, & ſepta, cùm id verè intelligendum veniat de illa conviventia, quæ juxtà proprium, vel ſimilitudinarium morem clauſtralem, fiat inſimul, & collegiativè cum ſuperiore, & ſub ejus oculis in uno loco. 9

Quod probari dicebam ex verbis *Concilii, & Gregorianæ*, & clarius ex ratione, ac etiam ex Doctorum auctoritate; In verbis ſiquidem, quoniam illa verba *reſidere intrà domos, & ſepta*, inſimul ponderata, non poterant habere alium ſenſum, neque

que modo aliquo referibilia erant ad vitam privatam, & singularem more aliorum de populo sæculari in singulis domibus ad solam habitationem privatam destinatis, quarum respectu omninò incongruum erat illud verbum, *residere*, ac etiam alterum *intrà*, quod propriè denotat quamdam intrinsicitatem, idest clausuram, & restrictivam, cum aliàs in quibuscumque domibus vivatur intrà, non autem extrà, & super tecta, unde fuisset fatua loquutio, addito etiam illo verbo *septa* per copulam unito cum verbo *domus*, ita ut omnibus insimul ponderatis, sensus litteralis videretur clarus.

Clarius verò attenta ratione, ob quam, tam à *Concilio*, quam per *dictam Gregorianam*, in sæcularibus non professis dicta tria requisita copulativè desiderata sunt, ad effectum exemptionis ab Ordinariorum jurisdictione, quod scilicet quando hujusmodi servientes, famuli & ministri Regularium vivunt intrà domos, & septa ipsarum Commendarum, seu Monasteriorum, sub obedientia superioris Regularis, & insimul cum ipsis Regularibus, ita vivere dicuntur quodammodo more claustrali, & religioso, eodem modo, quo vivunt ipsimet Religiosi professi, licentiam non habentes ad libitum malè, & scandalosè vivendi, quamvis velint, dum more Monasteriorum de sero clauduntur januæ, & non conceditur in horis incongruis ingressus, vel egressus, neque introductio mulierum, vel alia minus licita conversatio, cum similibus ob præsentiam, & oculos superioris.

Ideoque secundum & tertium requisitum dicuntur insimul connexa, atque unum est alterius consequutivum, quæ ratio adaptari non potest colonis, vel aliis viventibus more reliqui populi sæcularis in privatis domibus, cum licentia, & libertate vivendi pro libito, quamvis tales domus essent de dominio Commendæ, vel Monasterii, quoniam esse de dominio utilitario, non facit, ut illa dicatur domus, & septum ipsius Commendæ & Monasterii, nam aliàs cum hujusmodi Prioratus & Commendæ quamplures domus sub eorum dominio habere soleant sparsas per Civitatem & territorium, ut præsertim videmus de Prioratibus *Urbis*, *Capuæ*, *Messanæ*, & similibus, ita dari posset casus, quod latius pateret jurisdictio hujusmodi Priorum, vel Commendatariorum, ipsique majores haberent subditos quàm Episcopi, vel Magistratus sæculares, quoniam singulis habitatoribus in domibus, & prædiis de dominio, & pertinentiis Prioratus distribui possent varia munia, ad effectum verificandi primum requisitum servitii Religionis, uni scilicet (e.g.) Advocati, alteri Procuratoris, alteri sollicitatoris, alteri exactoris, alteri ratiocinatoris, alteri inservientis Ecclesiæ, cum similibus, quo nil absurdius, ideoque revera ista prætensio nullam subsistentiam habere videbatur.

Et ne desuper deficeret auctoritas, in his specialibus terminis, ut secundū & tertium requisitum intelligantur modo præmisso, & quatenùs vivatur intrà septa, id est intrà clausuram, in qua vivat Superior, deducebam in specie auctoritatem *Marii Antonini lib. 1. var. cap. 18. num. 4.* cum quo pertransit etiam *modernus Passerinus de statu hominum quæst. 189. sub num. 492.* Ac etiam adducebam declarationem *Sac. Congregationis* in una *Tranen.* relatam *per Leoninem in thesauro fori Eccles. par. 2. cap. 18. num. 106. & per Monetan. de Conservator. cap. 6. nu. 52.* occasione Ecclesiæ sepulchri Baroli, quod scilicet illi clerici & presbyteri præfatæ Ecclesiæ hujus Religionis inservientes, nisi vivant intrà ipsius Prioratus, seu Commendæ septa, subjaceant loci Ordinario, Allegando etiam praxim in facto proprio, dum essem Vicarius Capitularis & Generalis Venusinus, cum presbyteris & clericis, ad instar conspicuæ Collegiatæ, inservientibus in celebri Ecclesia sanctissimæ Trinitatis illius Bajulivatus, Ac etiam deducendo praxim multorum clericorum & presbyterorum inservientium in Ecclesia S. Joannis ad mare Prioratus Neapolis, quoniam nisi vivatur intra illa septa, nihil refert, quod concurrat primum requisitum servitii Ecclesiæ, vel etiam alterum habitationis in domibus sparsis per Civitatem, quamvis de dominio ipsius Prioratus.

Ponderando etiam proëmium dictæ Gregorianæ constitutionis, ubi dicitur in specie, quod *Vicarii, Cappellani, ministri, inservientes, coloni, procuratores & familiares, freti privilegiis Religionis, delictorum impunitatem sibi promittunt*, unde propterea Pontifex profitetur illam facere Constitutionem, *ut religiosius vivere debeant, non autem laxioris vitæ occasionem sibi arripiant*; Igitur pernecessè Constitutio præfata intelligenda est modo præmisso & non aliàs.

In contrarium adducebatur specialis auctoritas *Monetæ in tract. de Conservator. dicto cap. 6.* ubi in specie confutando *Antoninum* loco suprà allegato, dicit sufficere quod vivatur in domibus Commendarum & Prioratuum; Verùm ista auctoritas omninò spernenda videbatur, quoniam cum casus dedisset, ut *Antoninus*, tanquam Vicarius Generalis *Papien.* ad aliquos actus processisset contra ipsummet *Monetam*, qui tanquam Conservator privilegiorum plura sibi assumebat, fimbrias dilatando, ut liquet ex dicta *Antonini resolutione* super hoc edita, Idcircò ipse, tanquam pars interessata, & ad propriam defensionem, tanquam per speciem apologiæ illa scribere curavit, unde propterea nulla fide dignus est, potissimè dum nullum deducit solidum fundamentum vel rationem convincentem; Atque occasione respondendi addebam etiam auctoritatem moderni collectoris *Nicolii in ejus floscul.* verbo *Hierosolymitani num. 6.* ubi agendo de ista *Gregoriana constitutione* dicit, quod clerici & ministri servientes huic Religioni puniuntur ab Episcopo, dummodo non vivant intrà claustra, & sic sentiit de modo vivendi collegialiter seu claustraliter, Quamvis liberè insinuarem, prorsus incongruum & indecorum videri, ut adeò supremus Magistratus (dum hæc disputabantur) ex 20. & ultrà Cardinalibus constitutus, ac deputatus ad interpretandum Concilium Tridentinum, ejus judicium regulare deberet ex auctoritate hujusmodi collectorum, hoc enim Ego nunquam sufferre potui.

Dicebatur etiam in contrarium, dictum claustralem vivendi modum, practicabilem non esse in ista Religione, quæ nullum habet Conventum nisi Melevitanum, qui solus venit sub nomine Conventus, Sed erat nimis leve fundamentum, quoniam non dicebatur, quod vivi deberet in formali Conventu, sed quod adinstar vitæ Conventualis, viveretur in eadem domo insimul cum superiore Regulari & sub ejus oculis, eodem modo quo in Urbe satis frequens praxis docet famulorum aliorumque inservientium sæcularium, qui cum Regularibus vivunt in domibus, quas æstivo tempore ob insalubritatem aëris Monasteriorum ipsi Regulares inhabitant ad formam Hospitii, quoniam

non sunt Monasteria, neque Conventus cum formali clausura, seu claustris, sed benè in eis vivitur adinstar; Atque ita id practicari potest etiam in colonis, in quibus scribentes pro Religione inculcabant aliàs privilegium nunquam esse practicabile, quoniam in plerisque partibus, ut præsertim videmus in Apulia, etiam coloni & laboratores, qui de die sparsim laborant per agros, de nocte ac diebus festivis in una domo congregantur, ibique insimul convivunt sub uno Rectore, seu Superiore.

Satis etiam insistebatur in eo, quod licèt Commendatarius esset absens, aderat tamen Conservator, qui non gerebat nudas partes Conservatoris, sed etiam illas Judicis & superioris, tanquam Vicarius ab ipso Commendatario deputatus, unde propterea inferebatur adesse superiorem, sub cujus obedientia & correctione viverent cappellanus, clerici, coloni, & alii servientes, atque hoc motivum aliquam faciebat impressionem apud nonnullos; Revera tamen nullius ponderis erat, cùm tunc solùm fuisset considerabile, quando ille Vicarius, seu Locum tenens, quem Commendatarius loco sui absentis deputasset, viveret intrà ipsa septa insimul cum clericis, colonis, & inservientib us, eodem modo, quo, absente Abbate, vivitur in Monasterio vel Hospitio sub obedientia Prioris vel alterius Præsidentis, ut etiam in hac Religione practicatur in Prioratibus & Bajulivatibus, quorum possessores ut plurimum resident in Conventu Melevitano apud M. Magistrum, quia deputant unum militem justitiæ, vel cappellanum conventualem in Vicarium seu locum tenentem, qui concurrentibus aliis requisitis, dicitur superior, sub cujus obedientia vivunt, tam professi, quàm non professi inservientes, Non autem ubi talis Vicarius vivit propriæ domi more privatorum, habens solùm jurisdictionem seu facultatem cogn oscendi causas.

Ad elucidandum verò tertium requisitum vivendi sub obedientia, & quid illud significet seu importet, Dicebã plures dari obedientiæ species, collectas *in Theatro vitæ humanæ* sub verbo *obedientia*; Una enim est illa stricta & præcisa, quam sub voto ac sub præcepto profitentur superiori veri Religiosi professi, quæ exigit plura requisita ibidem collecta, nempè ut sit *foris, cæca, stabilis, prompta, humilis, & perseverans*, & de ista *Gregoriana constitutio* non loquitur, cùm contradistinguat Religiosos professos sub hac obedientia, in quibus ad exemptionem tria requisita non desiderantur, necessaria solùm in non professis.

Altera est obedientia remota, ac merè voluntaria, & accidentalis seu causativa, à qua licitum est quandocumque recedere, ut elt obedientia annexa famulatui, sub qua vivunt omnes, qui alieno servitio & stipendio ad annos, menses vel dies se addicunt, quia pro tempore quo durat famulatus, seu locatio suarum operarum, vivere dicuntur sub obedientia Domini, vel conductoris, circa ministerium, ad quod Conducti sunt, sed de ista sine dubio *dicta Constitutio* intelligere non potest, cùm requiratur alterum requisitum residendi intra domos & septa, ac etiam in ordine ad primum servitii seu locationis operarum, non omne servitium sufficit, sed debet esse juxta eam qualitatem, de qua in proposito fori, vel exemptionis ratione famulatus & servitii habetur in *Lauretana hoc eodem tit. disc. 33.*

Tertia species obedientiæ est illa, quæ participat de utraque supra exemplificata, quia nempe non sit præcisa sub voto & præcepto perpetuo, ut est prima, minusque remota & impropria, ut est secunda, sed circumscripta perpetuitate ac obligatione irretractabili, accedat magis primæ quàm secundæ, qualis est illa quam promitunt & servant oblatæ Monasterii Turris speculorum earum Præsidentissæ ex deductis per *Navarr. consil. 82. de Regular. juxtà unam impressionem, aliàs cons. 7. de statu Monachorum lib. 3. juxtà alteram, Cyriac. contr. 504.* ac habetur actum præsertim *in Romana* inter Astios & Mareriosſub tit. *de dote* & alibi, Eademque obedientia verificatur in plerisque militiis, seu ordinibus militaribus Ecclesiasticis, præsertim in illo sancti Stephani, ex iis quæ plenè habentur *in Lucana jurisdictionis hoc eodem titulo disc. 60.* cum similibus.

Et in individuo hujus Religionis, ultrà tres ordines professorum, ex quibus illa constituta est, nempe militum justitiæ, cappellanorum conventualium, & Fratrum de obedientia, qui vulgò *servientes* nuncupantur, subdistincti inservientes armorum, & servientes Ecclesiarum, qui *cappellani obedientiæ*, ad differentiam conventualium nuncupantur, & de quibus Ordinibus habetur *in Fulginaten. coram Verospto decis. 15. par. 11. recent. repetita post Dian. par. 10. & par. 11.* ac habetur actum *in Perusina hæreditatis sub titulo de testamentis*, Adsunt etiam plures personæ, quæ non sunt Religiosæ & professæ, & tamen jure professorum ac ad eorum instar vivunt sub obedientia, ut sunt milites devotionis aliàs *de obedientia magistrali* nuncupati, nec non, *oblati, donati*, & similes.

Adinstar verò hujus tertiæ speciei mixtæ, & per quamdam assimilationem, sub obedientia vivere dicuntur illi sæculares, qui, Prioratuum, & Commendarum servitio addicti, more Religiosorum perpetuò vitam ducunt collegialiter, & adinstar claustri intra ipsarum Commendarum vel Prioratuum septa, sub Superiore eos ante oculos continuò habente, ita ut privati sint ea vivendi licentia, quam habet reliquus clerus & populus sæcularis vivens in propriis domibus, ex rationibus ut suprà ponderatis, & hic est casus præcisus.

Aliud enim est teneri alicui Superiori obedire, Aliud verò est formaliter vivere, ac vitam ducere sub obedientia Superioris, Prima enim species verificatur in omnibus de clero & populo sæculari, qui Episcopo vel Domino temporali, eorumque respectivè Officialibus ac Magistratibus tenentur obedire, sed non inde dici potest quod vivant sub formali obedientia, Ut habemus practicum exemplum contradistinctionis illorum scholarium, qui vivunt intùs Collegium, vel Seminarium, ab illis, qui viventes extrà in privatis domibus, ad ejusdem Collegii vel Seminarii scholas accedunt, Omnes enim pariformiter obedire tenentur ac de facto obediunt ludi magistro, seu studiorum Præfecto, vel Rectori, verùm non omnes sub formali ejus obedientia vivere dicuntur, sed solùm qui in eodem Collegio vel Seminario continuam vitam sub ejus oculis ducunt; Idemque practicum exemplum frequentissimum est in Urbe, aliisque magnis Civitatibus, quoad presbyteros & clericos addictos servitio alicujus Ecclesiæ, ut præsertim in Urbe sunt Ecclesiæ naturales, Theutonicorum, Hispanorum, Gallorum & similes, Alii enim sunt qui missas & divina ibi celebrantes, habitant in propriis domibus, Alii verò qui idem munus pariformiter agentes, collegialiter & more quodam claustrali vivunt intrà

intrà ejusdem Ecclesiæ domos & septa adjacentia, Omnes enim æqualiter obedire tenentur ac obediunt ipsarum Ecclesiarum Præfectis & Superioribus, non tamen omnes vivunt sub formali obedientia eorumdem Superiorum, sed solum illi de secunda specie, cum similibus, quoniam hæc, theoricè, & practicè videtur veritas incontrovertibilis.

Quo verò ad quartum quæsitum Conservatoris Privilegiorum qui esset Diœcesanus, seu aliàs, circumscripta dicta qualitate, Episcopi subditus, An
13 per hujusmodi muneris assumptionem efficeretur exemptus, Pariter cum sensu veritatis, quam etiam ut supra canonizavit S. Congregatio, Dicebam prorsus vanam esse hanc prætensionem, præter quam circa ea quæ concernerent ipsam conservatoriam, seu exercitium delegatæ jurisdictionis Apostolicæ, Adinstar quotidianæ & frequentissimæ praxis, quam habemus in Judicibus synodalibus aliisque in Ecclesiastica dignitate constitutis, quibus per Sedem Apostolicam per litteras in forma Brevis delegari solent in partibus causæ appellationum ad eandem Sedem interpositarum à sententiis vel aliis actis Ordinariorum, quoniam circa ea quæ concernunt hujusmodi delegatæ jurisdictionis exercitium, dicuntur Ministri Apostolici, ipsi solum deleganti subditi, Absonum enim esset, ut qui potestatem habet præcipiendi & inhibendi Ordinario, vel ejus Officiali tanquam Judici à quo, debeat circa ea quæ dictam causam concernunt, eidem Ordinario vel Officiali subjacere, In reliquis verò eorum causis privatis remanent subditi sicut cæteri de clero & populo, quorum jure censentur; Deducendo etiam regulam generalem, quod exemptio tanquam limitatio in dubio non præsumitur, sed per allegantem est probanda, unde cum regula generalis assistat Episcopo, vel Ordinario in omnes Clericos suæ diœcesis, ex deductis *in Toletana jurisd. disc.* 1. & aliis hoc titulo frequenter, nulla verò Apostolica Constitutio vel alia determinatio desuper habeatur quoad istos conservatores, idcircò remanebat dicta regula generalis illæsa.

Demùm quoad quintum & ultimum quæsitum,
14 an hujusmodi Conservatores habere possent Tribunal erectum cum formali deputatione Notarii, Fiscalis, Cursorum, aliorumque inservientium, plana erat negativa, ob expressam & litteralem decisionem *Sacr. Conc. Trid. sess. 14. de reform. cap. 5.* ibi *Non liceat Conservatoribus ullum habere Tribunal erectum*, ac admittunt omnes, etiam ipsemet *Moneta*, qui ex superius insinuata ratione propriam causam defendendo, illum tractatum de *Conservatoribus* componere studuit, Ex ea clara ratione, quod juxtà expressam dispositionem *text. in cap. 1. & final. de offic. deleg. in 6.* sola potestas Conservatoris versatur circa extrajudicialia, & ut compescat volentes opprimere privilegiatos eorumque privilegia violare, & sic ad impediendam injuriam & violentiam manifestam ex congestis *per Barbos. de Episc. alleg. 106. num. 16. & 18. Rota decis. 184. num. 23. par. 11. recent.* Unde difficultas solum fuit quoad Notarium, etiam isto casu perneccsse assumendum, an scilicet teneretur assumere illum fori Episcopalis, vel posset pro libito assumere quemcumque sibi benè visum, Et Episcopus credebat responderi debere pro necessitate assumendi illum fori Episcopalis ob quasdam declarationes S. Congregationis relatas per *Gavant in manuali Episcoporum verbo Conservatores num. 17. 19. & 23.*

Diversa tamen erat mea sententia, unde propterea resolutio fuit juxtà votum, quoniam cum ut plurimum munus Conservatoris versetur in defendendis privilegiis Religiosorum adversus Officiales fori Episcopalis, durum videtur, ut ad id peragendum uti teneatur opera Notarii ejusdem fori, ideoque dictæ resolutiones continere videbantur forsan decisiones casuum singularium, ob illorum particulares circumstantias; Et quamvis Ego scribens in causa curarem adhibere distinctionem, quod aut agendum esset de controversiis cum ipso Ordinario ejusque Officialibus, & benè procederet dicta libertas assumendi quemcunque Notarium ob dictam satis convincentem rationem, Aut de aliis indifferentibus in quibus forus Ordinarii nullum haberet interesse, & tunc saltem de ratione congruentiæ assumi deberet Notarius fori Episcopalis tanquam persona generaliter probata ad tractandas causas Ecclesiasticas & spirituales, Nihilominus ista ratio non videbatur debere inducere præcisam obligationem, Potissimè quia Conservatoris interest habere generaliter unicum Notarium sibi cognitum, benevolum, & confidentem pro omnibus occurrentiis, etiam illis cum ipso Ordinario ejusque foro & Officialibus, cum quibus frequentius hoc munus conservatoriæ exerceri solet, unde ista ratio præponderare videbatur alteri jam dictæ congruentiæ.

Ultrà prædicta dubia in S. Congregatione disputata, Ad ejusdem Episcopi petitionem, etiam pro veritate scripsi super puncto superius insinuato, qui omnes alios prædictos excitavit, eorumque disputationis occasio fuit, circa facultatem scilicet cogendi hujus Comendæ cappellanum ad interve- 15
niendum dictæ lectioni casuum conscientiæ; Circa quem punctum, quamvis adesset individualis declaratio S. Congregationis de anno 1598. relata per *Barbos. in collectan. ad idem Concil. sess. 27. de Regular. cap. 12. ut hujusmodi Cappellani curam animarum exercentes in Ecclesiis Commendarum S. Religionis Hierosolymitanæ cogi possint per Ordinarium ad interveniendum in Congregationibus casuum conscientiæ*; Nihilominus habebam difficultatem contra Episcopum, undè propterea consului quod ab hujus puncti disputatione abstineret, Non quidem ex motivo vociferato per Ministros Religionis, quod scilicet dicta declaratio loqueretur de Congregationibus, ideoque extendenda non esset ad lectiones, ob notabilem differentiam inter unum casum & alterum, quod scilicet in Congregationibus omnes intervenientes æqualiter discurrunt tanquam magistri, in lectionibus autem unus facit figuram Magistri, cæteri verò auditores, illam discipulorum, Quoniam dicebam dictam declarationem attendendam non esse tanquam legem vel statutum exorbitans in solo rigore verborum cum prohibita extensione de casu ad casum, cum quibus terminis procedebant scribentes pro Religione in quibusdam eorum responsis, sed eam principaliter attendendam esse in ratione, ob quam prodiit, ut scilicet quoad concernentia curam animarum & administrationem Sacramentorum non detur exemptio, nullaque differentia sit inter Parochos Ecclesiarum sæcularium, ac istos Ecclesiarum Regularium & exemptarum, unde quando Episcopus oportunum credidit omnes Parochos, vel curam exercentes, ac Sacramenta ministrantes huic studio seu exercitio incumbere debere, nulla ratio subest, ob quam hujusmodi Vicarii seu Cappellani reliquorum jure censeri non debeant, cùm differentia inter congregationem, & lectionem videa-

tur merè verbalis, quia finis seu effectus est idem.

Difficultas verò residebat in eo, quod ab hujusmodi lectione exempti erant Parochi, qui licet pro libito frequentius accederent, ac benè & laudabiliter agerent, nihilominus mulctæ seu coactioni non subjacebant, ideoque cum iste Vicarius representaret hujus Ecclesiæ Parochum, non decebat ab aliis esse diversus ac inferioris conditionis, quod redundare videbatur in injuriam & præjudicium Religionis, ejusque privilegiorum, quæ ita in odium retorquerentur.

Ponderabam aliquam rationem differentiæ inter Parochos, & hujusmodi Vicarios seu Cappellanos manuales, quoniam primi provisi in titulum in concursu ad formam præscriptam à Sacr. Conc. Trid. videntur ita quodammodo Doctorati seu declarati magistri in ministerio, quod dici non potest de simpliciter approbatis, pro idoneis in examine, juxtà eam simplicis approbationis speciem, quæ fit de omnibus Sacerdotibus ad confessiones audiendas admittendis; Verum non videbatur solida ratio præponderans dictæ contrariæ rationi super violatione privilegiorum, vel super quadam injuria Religionis, faciendo Rectorem suæ parochiæ inferiorem Rectoribus aliarum, quia licet regulariter parochiæ in titulum conferri soleant cum dicta forma, attamen plures dantur casus, in quibus, etiam sine illa, cum sola Ordinarii approbatione prævio examine conferantur, ut sunt provisiones Vicariarum etiam perpetuarum, & in titulum, quæ fiunt in parochiis alicui dignitati vel collegio annexis, & frequenter deductis in sua materia sub titulo de *Parochis*, vel sunt illæ provisiones Apostolicæ, quæ fiunt juxtà Constitutionem *Pii V.* ob non servatam in tempore vel malè servatam dictam formam concursus à Concilio, vel eadem Constitutione Pii præscriptam, vel illæ de jure patronatus laicorum; Unde propterea habebam non levem difficultatem, ob quam consului, quod hujus puncti disputatio non assumeretur.

THEATINA JURISDICTIONIS *PRO* ARCHIEPISCOPO *CUM* MONASTERIO S. MARIÆ DE ARABONA UNITO COLLEGIO S. BONAVENTURÆ URBIS.

Casus disputatus coram A. C. fortè concordatus.

De omnimoda exemptione à jurisdictione Ordinarii ante Sac. Conc. Trid. canonizata per rem judicatam ad formam Constitutionis Bonifacii VIII. in *cap. cum persona de privilegiis in 6.* Quid talis res judicata hodiè operetur, Et quid in hoc per Concilium innovatum fuerit.

SUMMARIUM.

1. *Facti series.*
2. *De veritate & operatione rei judicatæ.*
3. *Quale Tribunal adeundum sit pro hujusmodi controversiis jurisdictionalibus de facili terminandis.*
4. *An privilegia generalia Religionis in hac materia suffragentur.*
5. *De Constitutione Bonifacii Octavi in* cap. cum personæ.
6. *De ejus moderatione per Sac. Conc. Trid.*
7. *Etiam in locis nullius dicta moderatio procedere deberet.*
8. *Observantiæ satis deferendum.*

DISC. V.

1 MOnasterium S. Mariæ de Arabona, quod aliàs Ordinis Cistercienſis, per *Sixtum V.* suppresso Abbatiæ titulo, unitum fuit Collegio S. Bonaventuræ per ipsum erecto in Conventu SS. Apostolorum Urbis, possidet in utili dominio, & jurisdictione temporali aliqua Castra intra limites Diœcesis Theatinæ, in quibus jurisdictionem etiam spiritualem ab antiquo exercere consuevit, cum omnimoda exemptione à jurisdictione Ordinarii; Cumque *Bonifacius VIII.* in ejus Constitutione registrata *in cap. cum persona de privilegiis in sexto*, ad dirimendas hujusmodi quæstiones super jurisdictione, ac respectivè exemptione, quæ tunc erant nimium frequentes, ac scandala pariebant, certam formam præscripsisset, idcircò cum hujus Theatinæ Ecclesiæ Episcopus esset absens à residentia, utpotè ejusdem *Bonifacii* adhuc viventis Confessarius, Abbas dicti Monasterii obtinuit deputari judices, in quibus de anno 1302. prodiit sententia in judicatum transacta, per quam declaratur, dictum Monasterium cum omnibus ejus castris, locis, & Ecclesiis in eisdem castris existentibus, esse omninò & totaliter exemptum à jurisdictione ordinaria Episcopi, dictaque res judicata effectum sortita est usque ad publicationem *Sacr. Conc. Trid.* sequutam de anno 1564. Ex quo tempore, de anno scilicet suquenti, Episcopus in vim delegationis ab eodem Concilio factæ locorum Ordinariis, etiam in locis exemptis, super concernentibus curam animarum, administrationem Sacramentorum, visitationem, & alia, dictam delegatam jurisdictionem exercere cœpit, visitando, aliaque gerendo eam concernentia, atque ita semper continuatum fuit usque ad annum 1664. in quo volente moderno Archiepiscopo facere idem, quod prædecessores fecerunt, Vicarius per Cardinalem dicti Collegii Protectorem in dictis Castris deputatus, se opposuit, impugnando etiam dictam delegatam jurisdictionem, tanquam in locis *nullius*, cum territorio separato, atque ut dictam oppositionem cohonestaret, & Episcopum visitare volentem impediret, obtinuit A C. monitorium super observantia dictæ sententiæ ac manutentione in quasi possessione dictæ omnimodæ jurisdictionis, cum inhibitione in forma; Cumque ex parte Archiepiscopi (forsan minùs cautè) derelicta via Sac. Congregationis Concilii prompta & facili, aditus fuisset idem A C. pro dicti monitorii & inhibitionis moderatione, ad formam Conc. Trid. & Constitutionum Apostolicarum, se opponente dicto Cardinali Protectore, multæ fuerunt habitæ dispositiones absque effectu, quoniam dum Archiepiscopus, qui ad visitandum accesserat, spreto dicto monitorio, etiam violenter (ut suæ existimationi ita consulere videre-

videretur, ad visitationem alioſq; actus procedere voluiſſet, oppoſitum in primis fuit de attentatis impedientibus attentantem audiri, eis prius non purgatis, unde propterea hæc purgatio fuit cauſa, quod vel Archiepiſcopus deſtitit ab ulteriori proſecutione, vel ſe concordavit.

In his igitur diſputationibus, non dubitabatur de hujuſmodi locorum ſituatione intrà fines diœceſis, cum eadem ſententia id præſupponeret, atque ex circumdatione undique, aliiſque circumſtantiis eſſet incontrovertibile, Solumque pro dictæ prætenſionis fomento duo deducebantur ex parte Collegii fundamenta; Unum deductum ex privilegiis Ciſtercienſium Religioni per plures Pontifices conceſſis, præſertim per *Innoc. VIII.* ſuper omnimoda & plena exemptione ſuorum Monaſteriorum, ac bonorum, colonorum, vaſallorum, & Servientium, conſtituendo ipſos Abbates veros ordinarios; Et alterũ ex dicta ſententia ad formam dictæ Conſtitutionis *Bonifacii* per delegatos lata de anno 1302. in judicatum tranſacta, & effectum ſortita, Docendo etiam de exercitio omnimodæ juriſdictionis privativè ad Epiſcopum, cum pluribus actibus, percu-
2 tientibus tamen tempus ante dictam Concilii Tridentini publicationem, Unde propterea ſcribentes pro dicto Collegio longas retexabant allegationes ſuper virtute ac operatione rei judicatæ, quod ſcilicet firmet ſtatum, faciat ens de non ente, ac de albo nigrum, omnemque perimat contrariam actionem, vel exceptionem, donec per extraordinarium reſtitutionis in integrum remedium de medio tollatur, juxtà receptas quotidianas propoſitiones, quas etiam, adinſtar rei judicatæ, cui æquipollet, frequentes in foro habemus circà virtutes & operationes tranſactionis,

Scribens pro Archiepiſcopo, cum ſenſu etiam veritatis, prorsùs improbabilem eſſe dicebam hujuſmodi prætenſionem, quæ de plano ſublata fuiſſet in dicta Sac. Congregatione Concilii, quæ adiri debebat, effugiendo hujuſmodi diſputationes
3 coram judicibus ordinariis, unde propterea ab iſta cauſa edoctus, ita practicandum conſului in *Faventina*, de qua *diſc. præcedenti*; Cum enim ex parte illius Commendatarii & Religionis obtentũ eſſet conſimile monitorium pro obſervantia privilegiorum, atque occaſione petendi moderationem, curaretur ex parte Religionis aſſumi litem formalem cum tela judicaria & conſuetis dilationibus, quæ in his materiis totalis victoriæ effectum importare ſolent, aſſumpta fuit dicta alia via, cum eo felici & brevi eventu, qui ibi habetur.

Examinando ſiquidem dicta fundamenta, Sine dubio non ſubſiſtebat primum privilegiorum
4 Ciſtercenſium, quoniam quidquid ſit, an hujuſmodi privilegia conceſſa ipſi Religioni, ejuſque Abbatibus & Prælatis in univerſum, retineantur per Monaſteria ab eadem Religione diſmembrata, Atque ſuppreſſo Abbatiæ titulo, hujuſmodi Collegiis, vel aliis Eccleſiis unita, in quo etiam probabilior videtur negativa, ut de eiſdem privilegii, occaſione conſimilis Monaſterii uniti Collegio Romano habetur *in Maceraten. diſc. ſeq.*

Ubi etiam affirmativa admitteretur, adhuc juxtà ea, quæ de ſimilibus, immò amplioribus privilegiis S. Religionis Hieroſolymitanæ habentur ſuprà *in Toletana diſc. 1.* ea ſuffragantur quoad ipſos Religioſos, eorumque Eccleſias, ac etiam ſervientes, & miniſtros habentes requiſita, de quibus *in dicta Faventina*, & ſic quoad exemptionem paſſivam, non autem quoad juriſdictionem activam in clerum & populum ſæcularem cum lege Diœceſana & territorio ſeparato, quod ex deductis in eadem *Toletana* & in aliis, non inducitur niſi per expreſſum privilegium Apoſtolicum, vel per immemorabilem, cujus vigore idem privilegium allegari poteſt, ideoque iſte punctus videbatur planus.

Quoverò ad alterum fundamentum, ut ſuprà deductum ex dicta re judicata, duæ cadebant diſputationes, Una ordinis ſuper ejus validitate, an ſcilicet illa eſſet lata ſervatis ſervandis, ac præſertim citato & audito Epiſcopo, ſeu ejus Promore Fiſcali, quod per cauſæ patronum ex hac parte negabatur; Et alteram in meritis negotii principalis, ſuper operatione ſcilicet & relevantia dictæ ſententiæ, ubi etiam validè ac ſervatis ſervandis lata eſſet; Quicquid autem eſſet de prima inſpectione conſiſtente potiùs in facto, ſuper quo nullæ ſolent eſſe partes Advocatorum Romanæ Curiæ.

Quatenus pertinet ad alteram, Dicebam ſcribens pro Archieptſcopo, quod cum illis temporibus controverſus eſſet hic punctus, qui neque hodie eſt planus, an juriſdictio ſpiritualis in aliena 5
diœceſi eſſet præſcriptibilis necne, ad materiam text. *in cap. auditis, & cap. cùm olim de præſcript.* ex iis, quæ in eadem *Toletana* deſuper deducta habentur, unde propterea frequentia reſultabant ſcandala & incovenientia; Idcircò *Bonifacius Octavus*, ut his conſuleret, dictam edidit Conſtitutionem, ut inferioribus Prælatis plenam juriſdictionem & exemptionem reſpectivè probantibus, eamque per ſententiam, juxta formam ibi præſcriptam canonizari obtinentibus, Epiſcopi acquieſcerent; Et econverſò eadem acquieſcentia reſultaret in talibus Prælatis vel aliis, juriſdictionem, ac reſpectivè exemptionem prætendentibus, ſed non benè juſtificantibus.

Quia verò ſpatio annorum circiter 250. à dicta Conſtitutione ad Concilium Tridentinum, experientia docuit quod in hujuſmodi locis ſub inferiorum Prælatorum juriſdictione exiſtentibus, plu- 6
res irrepſerant abuſus, circa curam animarum, adminiſtrationem Sacramentorum, cognitionem cauſarum matrimonialum, & criminalium, collationes Ordinum, & alia ſub juriſdictione delegata in locis exemptis hodie venientia, Idcircò Sacrum Concilium ut his conſuleret, præſupponendo plenam & omnimodam juriſdictionem ordinariam, ac exemptionem privativè ad Epiſcopos ſeu locorum Ordinarios, in præmiſſis juriſdictionem ab Apoſtolica Sede delegatam eis conceſſit; Unde propterea dicebam, benè ſimul ſtare, quod de tempore dictæ ſententiæ, hujus Monaſterii Prælatus, plenam & univerſalem haberet exemptionem, ac juriſdictionem reſpectivè, & tamen quod ſtante ſituatione monaſterii & locorum in hac diœceſi, ita ut non concurreret vera & propria ſeparatio territorii, dicta ſuperveniens Conciliaris diſpoſitio hujuſmodi facultatem tribuerit.

Nemini enim datur id quod habet, neque res mea poteſt denuò effici mea juxta vulgata axiomata, unde propterea fatuitas S. C. T. fuiſſet, concedere Epiſcopis ſeu Ordinariis hanc juriſdictionem jure delegato, ac nomine Sedis Apoſtolicæ exercendam, ſi eam jure proprio & ordinario habuiſſent, ideoque per Concilium præſuppoſita fuit ea totalis exemptio, quæ ad limites præfatæ ſententiæ per ſcribentes in contrarium exagerabatur,

ac

ac propterea concessa fuit delegatio, Quod ex rationis identitate optimum esset extendi etiam ad loca *nullius* cum vero & proprio territorio separato, ut plurium sensus est fuisse quoque de intentione *Sac. Cone. Trid.* quamvis ex declarationibus Sac. Congregationis contrarium receptum sit, sed fortè tractu temporis ob eamdem prædictam inconvenientium & scandalorum rationem ab hac opinione recedendum erit, vel demandanda hujusmodi Prælatorum suppressio cum restitutione antiquis Diœcesibus seu vicinioribus, ut esse sensum plurium zelantium Cardinalium dictæ Congregationis Concilii agnovi occasione disputandi punctum, de quo infrà *in Mutinen. seu nullius Carpen. collationis ordinum disc. 16.*

Et quatenùs pertinet ad præsentem causam præmissa clarè comprobari dicebam à subsequuta ob-
8 servantia, quæ in omnibus materiis est optima interpres, ac interpretationum Regina, quoniam abstinentibus Episcopis à tempore dictæ editæ Constitutionis usque ad illud publicationis Concilii Tridentini à visitatione, ac exercitio aliorum actuum jurisdictionalium in hujusmodi locis, illicò post dictam publicationem, de anno scilicet immediatè sequenti, visitare, dictamque delegatam jurisdictionem exercere cœperunt, atque ita spatio unius sæculi continuatum fuerat, unde propterea prorsus improbabilis videbatur hæc dicti Collegii seu ejus Protectoris prætensio, quoniam dicta res judicata, ac status antiquus per eam firmatus, est rectè compatibilis cum lege Conciliari postmodum superventa, dictumque statum ita immutante; & istam credebam esse veritatem.

MACERATEN.

SEU TOLENTINA JURISDICTIONIS

PRO

COLLEGIO ROMANO SOCIETATIS JESU

CUM EPISCOPO.

Casus decisus per Sac. Congregationem Concilii pro Episcopo.

De eadem materia jurisdictionis delegatæ competentis Episcopis, seu locorum Ordinariis in Ecclesiis, & locis exemptis. Et aliqua etiam de territorio separato.

SUMMARIUM.

1. *Facti series.*
2. *Resolutio Sac. Congregationis.*
3. *Multitudo Advocatorum, vel motivorum, eorumque diversitas præjudicare solet causis.*
4. *Referuntur diversa motiva causæ.*
5. *An ex parte Episcopi agentis probari debeat situatio in diœcesi.*
6. *Privilegia concessa Religioni ejusque Monasteriis non competunt Monasterio ab ipsa Religione dismembrato.*
7. *De distinctione privilegii realis, vel personalis.*
8. *Quid operentur in hac materia privilegia exemptiva religionum, vel Ecclesiarum.*
9. *Principes sæculares nullam habent potestatem circà territorium, & fines spirituales, sed id pertinet ad solum Papam.*
10. *Principum privilegia deservire possunt tanquam lex fundationis, accedente assensu Papæ, etiam in iis, quæ sunt juri contraria.*

DISC. VI.

DE anno 1075. Guarnerius Dux Spoleti fundavit Monasterium *Claravallis Flastræ* Ordinis Cistercienſis, ſitum in quodam tenimento inter Oppida *Tolentini*, & *Urbisaliæ*, tunc diœceſis Camerinenſis, ſub ea lege, quod Abbas benedictionem reciperet à Romano Pontifice, ſub cujus tuitione, ac immediata protectione eſſet, ita ut (ſunt verba documenti), *nec aliquis Epiſcopus, vel alia perſona Eccleſiaſtica, ſive ſæcularis, ullo unquam tempore ibi aliquam haberet juriſdictionem, vel prætenſionem*; Atque de anno 1150. *Eugenius III.* dictam erectionem approbando, Monaſterium juris B. Petri declaravit, & ſub ejus & Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſcepit, unde propterea ab eo tempore Abbas intrà dictum tenimentum (in quo etiam aliqua fama eſt aliàs Caſtrum inhabitatum adfuiſſe), utramque juriſdictionem ſpiritualem, & temporalem exercuit, abſque eo quod appareat, Epiſcopum Camerinenſem aliquam dediſſe moleſtiam, ſtantibus præſertim, ultrà dictum privilegium particulare, amplis privilegiis exemptivis ipſius Religionis, illo potiſſimè conceſſo per *Innocentium VIII.* per quod Abbates in eorum Monaſterils, ac annexis declarantur veri Ordinarii, cum omnimoda exemptione à quacumque Epiſcoporum juriſdictione; Cùm autem hoc Monaſterium, eadem Religione in eo continuante, conſuetum eſſet ab aliquo tempore concedi in Commendam Cardinalibus, vel Prælatis ſæcularibus, *Gregorius XIII.* de anno 1581. ſuppreſſo titulo Abbatiæ, dictiſque Religioſis ejectis, illud univit Collegio Romano Societatis Jeſu, cum omnibus ejus attinentiis, juriſdictionibus, & prærogativis, tribuendo ejuſdem Collegii Rectori plures facultates, illam præſertim exercendi omnem curam, tàm conventualem, quàm juriſdictionalem, ac etiam parochialem, per ſe, vel per alium, diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia minimè requiſitâ; Cumque paulò poſt de anno ſcilicet 1586. *Sixtus V.* diſmembrando à dicta diœceſi Camerinenſi præfatum Oppidum *Tolentini*, illud erexiſſet in Cathedralem, quam æquè principaliter univit cum alia Cathedrali *Maceraten.* Hinc proinde hujus novæ Eccleſiæ Epiſcopus cum præſuppoſito quod dictum Monaſterium ejuſque tenimentum intrà dictæ novæ diœceſis limites ſitum eſſet, prætendere cœpit exercitiū juriſdictionis delegatæ à Sac. Conc. Trid. & Apoſtolicis Conſtitutionibus in concernentibus curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum cum quibuſdam colonis, & operariis, qui cum eorum familiis in dicto tenimento vivebant, & Sacramenta in dictæ Abbatiæ Eccleſia recipiebant, Unde deſuper introducta fuit lis in Rota ab anno circiter 1580. abſque ulteriori proſecutione, utraque partium procurante aliquos actus

ctus jurisdictionales facere, ac respectivè in exemptione se confovere usque ad annum 1663. in quo modernus Episcopus, hujusmodi prætensionem formiter promovendo, adiit Sac. Congregationem Concilii, à qua de mense Junii ejusdem anni
2 prodiit consuetum rescriptum Episcopo favorabile, *illum scilicet esse manutenendum in exercitio dictæ jurisdictionis delegatæ, donec prætensum territorium separatum justificetur, vel per privilegium, vel per immemorabilem cum tribus conformibus canonizatam.*

Remansit verò dictum rescriptum sine effectu, ex eo quod Me consulente, Collegii Superiores mandarunt illos operarios, & colonos cum uxoribus, & filiis in tenimento, & extrà Abbatiæ ambitum, in forma populi viventes dimitti, retinendo solùm eos operarios, qui citrà clausuræ violationem, vel scandalum intrà ipsius Abbatiæ claustra, & ambitum vivere possent, quorum respectu privilegia exemptiva, etiam quoad hoc operantur ad ejusdem Concilii mentem ex suprà deductis *in Faventina disc. 4.* Vel quod iidem coloni & operarii, eorumque Uxores & filii accederent ad Parochiam Oppidi adjacentis ad sacramenta recipienda, ita removendo materiam, seu occasionem visitandi, aliosque hujusmodi jurisdictionis actus exercendi, atque hoc fuit bonum temperamentum, per quod cessavit controversiæ occasio.

In hac autem disputatione habita in Sacra Congregatione, magis verò in Congressibus pro causæ
3 directione habitis, cum interventu plurium Advocatorum, ac etiam ejusdem Societatis professorum aliquam juris peritiam habentium, multa promota fuerunt motiva, magnaque intercessit opinionum diversitas, quæ Episcopi victoriam faciliorem reddidit, quoniam, ut frequens experientia docet, multiplicitas, ac diversitas motivorum causis præjudicat, eo modo, quo multitudo medicorum, ac diversitas medicamentorum præjudicat infirmo, quia incongrua & levia motiva, congruis, & solidis fidem adimere solent.

Aliqui enim erant in sensu, principaliter insistendum esse in eo, quod ex parte Episcopi non
4 probaretur dicti Monasterii, ejusque tenimenti, & pertinentiarum situatio intrà limites diœcesis, ut ab Episcopo actore probandum esse tanquam intentionis fundamentum, quandoque Rota respondere consuevit, ex suprà deductis in *Toletana disc. 1.* ac etiam infrà *in Beneventana, & in Aprutina disc. 11. & 12.* & in aliis.

Alii, quod principaliter insisti deberet in privilegio *Innocentii VIII.* concesso Ordini Cistercienси, per quod Abbates, veri Ordinarii in eorum Monasteriis, & cum eorum subditis declarantur; Alii vero insistebant in privilegio Ducis Spoleti, clarè decernente, nullum Episcopum in hoc Monasterio se ingerere posse, sed eff. debere solius juris B. Petri & Sedis Apostolicæ, quasi quod ita inducta esset quædam territorii separatio, saltem impropriè, & secundum quid juxtà firmara *in Montis Cassini jurisdictionis coram Bichio dec. 373. par. 11. rec:* & de qua habetur actum infrà *in Marsicana disc. 18.*

Et alii demùm, quod solidius fundamentum consisteret in indulto *Gregorii XIII.* occasione unionis, ejusdem Collegii Rectori concesso, ut scilicet per se vel per alium, curam etiam parochialem, & sacramentalem in dicto Monasterio ejusque Abbatia exercere posset, Ordinarii loci licentiâ neque petitâ, unde propterea dicebant, ita haberi privilegium expressum, ac litterale.

Mihi pro eodem Collegio scribenti, & cui tanquam inter dictos Advocatos juniori incumbebat post causæ Patronum votum proferre, nullum ex his fundamentis placebat, unde propterea ab initio tanquam certam timui, ac prævidi dictam contrariam resolutionem, aliudque remedium pro meo judicio non subesse dicebam, nisi illud ex tunc suprà insinuatum tollendi scilicet populum, atque ita dictæ jurisdictionis materiam, seu occasionem, removere, ut docuit causæ eventus meo voto conformis.

Expendendo siquidem singula fundamenta, satis debile videatur primum non probatæ situatio- 5
nis, ex iisdem rationibus, ex quibus in tot aliis causis hoc motivum deductum, & rejectum fuit, præsertim *in dictis Toletana, & in Beneventana*, ac in aliis, Quoniam ultrà aliquas enunciativas, aliaque facti adminicula, cum hujusmodi controversia ut suprà initium haberet ab anno 590. unde intercesserat spatium annorum 73. prorsùs improbabile videbatur, quod in tam longævo intervallo, Episcopus Camerinensis, de cujus tantùm diœcesi iste locus prætendi posset, nunquam comparuisset, neque compareret, cum stante totius Orbis divisione in diœceses, quoties negatur locum esse in illa Episcopi agentis, saltem aliquis probabilis fumus dandus videtur, illum esse in alia diœcesi, ad repellendum actorem, ut dabatur, ratione præsertim majoris adjacentiæ, & vicinitatis *in Aprutina*, de qua infrà *disc. 11.* Sive ratione aliorum locorum adjacentium, quæ jam firmata sint esse *nullius*, & de territorio separato, ut dnducebatur *in d. Benev. disc. 12.* Sed nullâ ex his circumstantiis accedente, satis debilis in proposito videtur insistentia in sola regula generali, quod reo & possessori sufficit vincere per non jus actoris, ut frequens experientia consimilium causarum docuit.

Privilegium generale per *Innocentium VIII.* aliosque Pontifices concessum Religioni Cistercienси, neque relevare videbatur, quoniam illud 6
concessum fuit intuitu ipsius Religionis, ejusque meritorum, ideoque tanquam ex cessante causa non videbatur suffragari pro hoc Monasterio, quod à dicta Religione dismembratum, effectum erat membrum, seu prædium hujus Collegii, prioremque naturam immutaverat ex firmatis *in Lauretana Jurisdictionis decis. 313. par. 4. rec.*

Et quamvis unio facta esset (excepta suppressione tituli Abbatiæ), cum omnibus juribus, jurisdictionibus, & præeminentiis, nihilominus id recè intelligendum dicebam quoad jura, & privilegia particularia ipsi Monasterio competentia, & quæ realia essent, cum ipsa re ad quemcumque pnssessorem indifferenter transeuntia, secùs autem quoad personalia, qualia dicenda videntur ea quæ ipsi Religioni, ejusque professoribus concessa sunt, 7
cum hæc non transeant cum re in diversum possessorem juxtà distinctionem, de qua *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 103. latè Rota in Cesenaten. seu Sarsinaten. laudemiorum Ghislerio decis. 400. par. 9. rec. & in eadem 19. Junii 1656. Albergato impressa post colluctationes Bondeni dec. 35.* & est receptissima distinctio, in qua solùm controversia esse solet circà factum, seu applicationē, super natura scilicet, & qualitate privilegii, an esset personale, vel reale, ut patet ex allegatis.

Et nihilominùs, ubi etiam dictum privilegium intraret, neque in proposito alicujus relevantiæ erat, quoniam ex deductis occasione consimilium, & ampliorum privilegiorum Sacræ Religionis Hierosolymitanæ *in dicta Toletana discurs. 1.* hujusmodi

modi privilegia operativa sunt quoad exemptionem à jurisdictione passiva in ordine ad locum & personas, id est Monasterii ambitum, ac personas in eo viventes, non autem quoad jurisdictionem activam cum clero & populo sæculari vivente in diœcesi & territorio Episcopi, quia irrefragabilis punctus est in eo, quod istæ sunt oves in territorio Episcopi viventes: atque in eo spiritualia pascua sumentes, ideoque ad eum tanquam pastorem pertinet inspicere quomodo pascantur, & sic jurisdictio cum exercentibus curam non est ratione ipsorum exercentium, sed ratione eorum cum quibus exercetur. 8

Eademque responsione cessabat alterum fundamentum deductum ex indulto *Gregorii XIII.* super facultate exercendi curam parochialem, & sacramentalem, absque aliqua Ordinarii licentia, vel requisitione, quoniam intelligitur eodem modo, in ipso scilicet Monasterio, ejusque Ecclesia, cum personis tamen in eo viventibus, secùs autem in Clero, & populo vivente in territorio, quod in spiritualibus non est Monasterii, sed Episcopi, qui est pastor ovium in suo territorio viventium, atque in hoc, ut dictum est versatur punctus inevitabilis, per quem hujusmodi privilegia in proposito nullius remanent operationis. Quinimò ponderabam istud privilegium nimium refragari, ac destruere prætensionem territorii separati, quod est unicum fundamentum adversus hujusmodi delegatam jurisdictionem, quoniam ita *Gregorius*, qui unionem fecit, præsupposuit Monasterium sub alicujus Ordinarii territorio, ac jurisdictione situm esse, & sic alium adesse Ordinarium, quàm ipsum Collegii Rectorem, cui talis facultas concedebatur, cum aliàs fatua, & inepta fuisset loquutio, & concessio dictæ facultatis, Ordinarii loci licentiâ minimè requisitâ.

Demum quoad fundamentum deductũ ex privilegio Ducis Spoleti, illud simpliciter, & de per se consideratum, absque dubio nullius erat momenti, cum ad Principes sæculares non pertineat in his materiis spiritualibus se ingerere, quia facultas assignandi, dividendi, seu uniendi territorium spirituale pertinet ad solum Papam privativè ad quemcumque, ut plenè deducitur *in decisionibus coram Bevilaqua editis in dicta Toletana disc. 1.* & passim cum sit principium hodie absolutum. 9

Quia verò dictæ fundationi accesserat Apostolica approbatio concessa per *Eugenium III.* idcircò ponderabam, dictum privilegium Ducis fundatoris, considerandum esse tanquam legem à patrono, & fundatore in limine fundationis adjectam, de Ordinarii, seu Papæ consensu ex dicta Apostolica confirmatione resultante, unde inferri posset ad conclusionem, quam in materia juspatronatus receptam, ac frequentem habemus, quod leges in limine fundationis adjectæ per fundatorem de consensu Superioris servandæ sunt, quamvis essent juri contrariæ *ad text. in cap. nobis, & cap. præterea il secundo de Jurepatronatus*, ibique scribentes, de quibus *Barbos. alleg. 35. Buratt. & Adden. decis. 221. & 223. Roias decis. 294. numer. 20.* & sæpius in sua materia, *sub tit. de Jurepatronatus*; ac etiam infrà *in Papien. & frequentius disc. 40. & 41.* Verum & adhuc urgebat difficultas ob eamdem responsionem ut suprà datam privilegiis generalibus Cistercienſium, ac privilegio particulari *Gregorii XIII.* occasione unionis, ut scilicet id intelligatur quoad ipsum Monasterium ejusque Religiosos, & servientes, quorum respectu ita etiam providere oportuit, cum tunc non adhuc dilatatâ exemptione generali Regularium, isti generaliter subjacerent Ordinario, atque privilegia exemptiva essent particularia juxtà deducta *hoc eodem titulo, in Colonien. exemptionis S. Cornelii disc. 28.* & in aliis, unde propterea causa suas habebat difficultates, atque resolutio Sac. Congregationis, reflectendo ad veritatem, visa fuit justa & benè fundata. 10

ASTRORICEN.
SEV NVLLIVS
JURISDICTIONIS
PRO
ABBATE OPPIDIDI VILLÆ FRANCHÆ,
CUM EPISCOPO.

Casus decisus per Rotam pro Abbate.

De omnimoda jurisdictione quasi Episcopali cum territorio separato competente Prælato inferiori privativè ad Episcopum ex privilegio Apostolico, Et de ipsius privilegii executione, & effectuatione.

De laudo an valeat in bonis, & juribus Ecclesiatum sine beneplacito Apostolico; Et quando istud adesse dicatur præsumptum ex lapsu temporis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*

2 *De materia remissoria, quando detur vel denegetur.*

3 *Ad Papam pertinet territoria dividere, vel unire, ac loca* Nullius *constituere.*

4 *Dari non potest de non usu legis, vel privilegii habentis decretum irritans, & leges Pontificiæ non egent acceptatione populorum, & num. 6.*

5 *Effectuatio in parte, operatur effectuationem in toto.*

6 *Declaratur conclusio, de qua num. 4.*

7 *Quomodo sit probandus non usus legis vel privilegii.*

8 *Quando interruptiones factæ ex parte Episcopi præjudicent jurisdictioni Prælati inferioris.*

9 *Privilegium recipit interpretationem ab usu, & potest ex isto pati diminutionem, si non totalem destructionem.*

10 *Advocati Romanæ Curiæ cur dici possint nobiliores Advocatis aliorum locorum, & de ratione.*

11 *Compromissum in bonis vel juribus Ecclesiæ cadit sub extravaganti ambitiosæ, & fieri non potest sine solemnitatibus.*

12 *Cardinalis assertioni de vivæ vocis oraculo per Papam sibi tradito, an sit credendum.*

13 *Quando beneplacitum Apostolicum præsumptum non intret, licet concurrat lapsus temporis ad id sufficientis.*

14 *De Constitutione* Urbani VIII. *tollente beneplacitum*

tum præsumptum, ut non procedat ubi inter duas Ecclesias.

15 *Ad Beneplacitum præsumptum non sufficit tempus, nisi cum eo concurrat observantia vera, & pacifica.*

DISC. VII.

CLEMENS VII. de anno 1533. Oppidum *Villæ Franchæ* in diœcesi *Astoricen.* situm, ab ista dismembravit, illudque, excepta collatione ordinum, quam Episcopo reservavit, omnimodæ jurisdictioni Abbatis Ecclesiæ Collegiatæ ejusdem loci subjecit, itaut iste loci Ordinarius diceretur, Episcopo autem hanc innovationem ægreferente, supponitur Cardinalem Quinentium, ex vivæ vocis oraculo per *Paulum III.* sibi attributo, ac etiam uti arbitrum à partibus electum, una cum Marchione de Anguillar, pariter arbitro electo, Carolo V. tunc Hispaniarum Rege approbante, de anno 1538. laudum protulisse, præfati Indulti Apostolici in multis partibus, ac jurisdictionis speciebus moderatorium, præsertim circà cognitionem causarum criminalium, & matrimonialium, aliorumque graviorum, ac etiam ut Abbatis provisio, seù institutio, semper & in quocumq; vacationis casu, ad Episcopum spectare deberet.

1 Istud laudum occasionem dedit Episcopo continuandi exercitium jurisdictionis in plerisque speciebus, quamvis etiam Abbas ad formam indulti eamdem jurisdictionem quoque exercere curasset, ita tamen quod nemo pacificus possessor dici posset, donec occasione exortæ inter eos controversiæ super jure explorandi voluntatem puellarum Monasterium ingredi volentium, ut ibi professionem emitterent, introducta est lis coram nuntio Hispaniarum qui manutentionem in possessorio concessit Episcopo; Et introducta per appellationem causa in Rota *coram Cerro*, assumptaque disputatione super puncto petitorii, *An constaret de jurisdictione Abbatis privativè ad Episcopum*, sub die *19. Junij 1654.* affirmativa prodiit resolutio pro Abbate, ac expedita ad normam decisionis sententia, commissaque in gradu appellationis causa in eadem Rota *coram Celso* sub die 4 *Junii 1655.* pro dictæ sententiæ confirmatione responsum fuit, ut patet *ex dec. 200. inter impressas ejusdem Celsi*, & successivè sententiatum, Atque commissa in tertia instantia causa *coram Bevilaqua*, cum sub die 27. *Junij 1657.* ex hac parte Abbatis assumpta esset disputatio super dictarum sententiarum confirmatione, fuit ex parte Episcopi petita & concessa remissoria ad probandam articulatam pacificam immemorabilem & centenariam possessionem suæ jurisdictionis, per quam probationem pro Episcopo agentes dicebant elisa remanere dictarum decisionum fundamenta, quoniam ita probaretur Beneplacitum Apostolicum præsumptum super laudo, ut supra per Cardinalem & Marchionem emanato.

Et quamvis juxtà regulas, dicta remissoria utpotè calumniosè petita super materia improbabili
2 denegari probabilius debuisser, Nihilominùs cùm hæc sit materia merè arbitraria in qua pro concessione, vel denegatione nunquam certa & determinata regula dari potest, atque in dubio Tribunal satis proclivum sit ad concessionem, potissimè verò ubi agitur de causa gravi, & de tertia instantia, quando facilius ob irreparabile præjudicium concedi solet, idcircò concessa fuit, deventoque ad curiam post longum interstitium biennii & ultra processu remissoriali, nõ curantibus post multas intimationes agentibus Episcopi informare, sub die *14. Junii 1660. coram eodem Bevilaqua*, solo Abbate informante responsum fuit pro sententiarum confirmatione, approbando cum aliquo pinguiori calamo in decisione desuper edita fundamenta deducta in præcedentibus decisionibus *Coram Cerro & Celso*, Addita solum responsione testibus remissorialibus, utpotè non benè articulatam immemorabilem vel centenariam probantibus, dum de contrario convicti erant ex publicis scripturis, publicisque actis judicialibus probantibus in Abbate jurisdictionis exercitium, & in hoc statu remanet causa, quod sciam.

Fundamenta dictarum decisionum in eo potissimè consistunt, quod licèt Episcopus fundatam habeat intentionem in assistentia juris super omnimoda Episcopali jurisdictione in Clerum & populum suæ Diœcesis, ac omnibus locis in ea sitis, neq. dubitaretur de hujus Oppidi situatione intrà suam Diœcesim; Nihilominùs cùm ad Papam spectet Diœceses, & territoria separare, dismembrare, vel unire, atque in continenti constet de privilegio Pontificio super hujusmodi Oppidi dismembratione, transferendo universam jurisdictionem in Abbatem, dicebatur hic effectus loci Ordinarius, tanquam *Nullius* & extrà quamcunque Diœcesim, juxta auctoritates sæpius decantari solitàs super ista propositione, quæ ut dictum est *in Toletana disc. 1.* & in aliis, potest hodie præsupponi tanquam absoluta, prout scribentes pro Episcopo eam admittebant, cùm de potestate Papæ in his dubitandum non sit, undè propterea tyronum partes potiùs esse videntur, desuper allegationes, vel retexere, vel desiderare. 3

Insistebant tamen super ejusdem Indulti ineffectuatione, ac non usu, per quem illud præscriptum esset, ex recepta pariter juris propositione quod privilegia per non usum vel contrarium usum legitimè præscriptum quoque amittuntur, Ac etiam super dicto laudo, quod de vivæ vocis Pontificio Oraculo emanatum dicebatur super dicti indulti moderatione, ad cujus limites, pro Episcopo agentes dabant manus, ut Abbati in actibus reservatis Jurisdictionis exercitium permitteretur, atque in his duobus fundamentis consistebant Episcopi oppositiones.

Ad primum motivum non effectuationis, seu contrarii usus, Ego & cæteri pro Abbate scribentes, 4
duas dabamus responsiones per Rotam admissas, unam nempè quod ob decretum irritans in eodem indulto contentum dari non poterat de non usu, quodque leges vel provisiones Pontificiæ non egent subditorum acceptatione ad illarum efficaciam & operationem ut infrà, ideòque ob infectionem cujuscumque actus contrarii à dicto decreto irritante resultantem, dari non potest de non usu, vel de usu contrario illarum destructivo *Cavaler. dec. 77. & 85. Merlin. dec. 414. Burat. dec. 704.* & in aliis frequenter.

Et alteram facti, quod scilicèt de indulti effectuatione, & usu satis constabat ex tot actibus jurisdictionalibus per Abbatem exercitis, quorum aliqui juxtà naturam causæ universalis inducunt & conservant possessionem in universum ex deductis *in dicta Toletana disc. 1.* Ac etiam quia effectuatio in parte, operari dicitur effectuationem in toto 5

Cavaler. decis. 408. num. 6. & 449. nu. 7. adden. ad Gregor. decis. 557. nu. 7. Quinimò dicebamus ex
5 ipsomet secundo fundamento laudi ex parte Episcopi deducto , ad oculum probari usum ac effectuationem privilegii, dum de illius tantùm moderatione in parte laudum agit, ita ut hæc duo fundamenta essent pugnantia & contradictoria.

Prima Responsio, Mihi, quamvis more Advocati, cum aliis eam deducenti, ad veritatem tamen
6 reflectendo , non placebat, unde mirabar quod admitteretur; Verissima siquidem est jam dicta propositio, quod Pontificiæ leges & provisiones potissimè in his materiis in quibus decernit uti Pontifex, non indigent ad perfectionem & validitatem eo requisito consensus subditorum , quod in legibus Principum sæcularium de jure desideratur, quia ejus potestas est immediatè à Deo non autem à populo. *Suar. de legib. c. 16. & 17, lib. 4. Nau. conf. 1. n. 19. & seqq. de const. Rot. dec. 365. num. fin. post Cenc. de Cens. & dec. 194. num. 14 & seqq. p. 4. rec. tom. 2.* ubi declaratur, leges Papales tolli ex contrario usu eidem Papæ noto , ob ejus tolerantiam & implicitam revocationem.

Prout vera etiam, ac recepta est altera propositio per decretum irritans infici quamcumque contrariam possessionem vel consuetudinem, sed utraq; procedit in Constitutionibus seu provisionibus pro bono publico , & per viam legis in universum emanatis , quibus privatorum non usus vel contrarius usus, & sic factum positivum vel negativum præjudicare non potest , nisi talis actus esset adeò notorius , atque eidem Pontifici vel ejus successoribus notus , quod exindè ex ipsius tacito consensu legis abrogatio deduci valeat , ut *dicta decis. 194. nu. 18. & seqq. par. 4. recent. tom. 2.* Secùs autem ubi agitur de Privilegiis & Indultis particularibus per viam gratiæ alicui personæ vel Universitati concessis , quia cùm beneficia non conferantur in invitos , & quisque possit suo juri ac favori renunciare , nil prohibet, ex non usu vel contrario usu legitimè præscripto , tale Privilegium regulariter odiosum & strictè intelligendum , tanquam ex tacita renunciatione suam operationem amittere, ut ita distinguendo habetur *decis. 231. par. 5. recent. & apud Otthobon. decis. 229. num. 6.* & sæpius in aliis, quia est distinctio vera & rationabilis.

Solidiorem reputabam alteram responsionem , quia cùm non usus seù contrarius usus deduceretur tanquam præscriptio juris certi & radicati ex dicto Indulto resultantis , opus est illum probare cum requisitis præscriptionis, quorum illud magis est
7 essentiale , possessionis pacificæ non interruptæ pro toto eo tempore , quod juxta præscriptionis qualitatem de jure exigitur, cùm actus contrarii non solùm causare dicantur interruptionem temporis, sed etiam inducant malam fidem , qua concurrente hodie de Jure Canonico nunquam datur præscriptio *ad notum text in cap. fin. de præscript.*

Et licèt scribentes pro Episcopo, cum eisdem
8 fundamentis de quibus in *d. Toletana jurisdictionis, disc. 1.* dicerent de hujusmodi actibus ab Abbate gestis, habendam non esse rationem, utpote ab Episcopo semper interruptis, atque à majori numero suffocatis, Replicabam tamen hujusmodi responsionem magni momenti esse, quoties ageretur de acquirenda jurisdictione per Prælatum inferiorem ex solo jure præscriptionis, atque ex beneficio longævæ possessionis, quo casu quæcumque interruptio ex parte Episcopi probata sufficere videtur, nisi actus interruptionem importantes essent æquivoci, atque ad certam speciem jurisdictionis cum altera non interrupta compatibilem referri possent, juxta distinctionem de qua in allegata *Tolet.* ubi declaratur conclusio circà causam universalem per actus particulares conservandam , Secùs autem ubi inferior Prælatus habet pro se titulum clarum & legitimũ, qui jure præscriptionis, à non usu, vel contrario usu sublatus prætendatur, quia cum Episcopus in hac parte sit actor, allegans dictum contrarium actum præscriptivum tanquam fundamentum suæ intentionis , tenetur illum probare pacificum , & juxtà præscriptionis requisita, atque in hoc observabam evidenter per dictos scribentes æquivocari super mala conclusionum applicatione , quoniam habenti titulum clarum , nulla incumbit necessitas probandi ejus effectuationem & usum pacificum non interruptum , sed sufficit probare aliquos actus interruptivos contrariæ præscriptionis ex non usu, vel contrario usu elicitæ, ut ea impedita firmus remaneat ejus titulus.

Istam distinctionem Ego , ad veritatem etiam reflectendo , judicabam verissimam & irrefragibilem, quoties ageretur de destruendo privilegio in genere, Sed mea difficultas erat (ab alterius tamen partis defensoribus non tacta) quoties combinatis actibus jurisdictionalib per utramq; partem respectivè exercitis dari posset longissima possessio pacifica in Episc. super certa specie jurisdictionis, quam
9 inferior Prælatus nunquam exercuisset, Sicuti enim privilegium per omnimodum non usum vel illum contrarium in totum amitti potest, ita per usum limitatum diminui seu in parte , etiam tanquam ex tacita renunciatione amitti potest.

Sicuti enim habens ex legato , vel alio titulo usum fructum , si longo tempore usum tantum percipiat , ex usufructuario fit usuarius *ad text. in l. is qui usumfructum ff. quibus modis ususfr. amitt. de quo Rouit. decis. 97. num. 19. & 20.* ita habens privilegium amplum , si eo limitatè in certis casibus tantum utatur , dicitur per non usum in reliquis renunciasse, atque in ea parte privilegium vires ex non usu amittit *ad text. in l. usum aquæ Cod. de aquæ duct. lib. 11. cum concordan. per Capic. latr. consult. 12. num. 5. & sequent.* quia privilegium recipit robur ab usu , Sed non adfuit occasio hæc examinandi , Tùm quia id per alteram partem motivatum non fuit, Tùm quia , cessante oppositione, non adfuit occasio ita distinctè examinandi singulos actus , ac videndi an in speciebus gravioribus, quas Episcopus prætendebat , adesset nec ne ex parte Abbatis interruptio , cùm id totum consisteret in facto , cujus examen in Curia Romana extraneum est Advocatis , utpotè de jure tantùm respondentibus , sed incumbit causarum patronis.

Et ex qua ratione (ultrà aliam, qualitatis præeminentioris Curiæ Papæ , possunt de justitia ejus Advocati prætendere se nobiliores ac præeminentiores illis aliarum Civitatum quamvis Metropoliticarum , utpotè de mechanico magis participantibus, ac ea quæ facti sunt agentibus, dum vident & revolvunt processus , conficiunt petitiones & articulos, se ingerunt in Jordinatoriis ac alia quæ facti sunt , ac personale opus exigunt exercent, quorum nihil faciunt Advocati in Curia , cùm omnia hæc spectent ad causarum patronos, undè intrare videntur ea quæ circà nobilitatem profitentium theoricè ac mechanicè habentur insinuata *in Venusina præeminentiarum sub titulo de præeminentiis hoc eod. libro ex Tiraquel. de nobil. c. 29. & 30.*

Quo

Quoverò ad laudum, dicebamus Ego & cæteri pro hac parte scribentes ex parte Abbatis (& Rota in omnibus canonizavit responsionem) quod cum agatur de juribus Ecclesiæ non alienabilibus absque beneplacito Apostolico, aliisque requisitis per *Extravag. Ambitiosæ*, minus fieri potuit compromissum, quod tanquam sapiens speciem alienationis absque eisdem solemnitatibus geri non potest *ad not. in cap. veniens de transact. Lapus alleg. 92. num. 7. Roman. cons. 369. num. 18. Rota in Papien. manutentionis 13. Martij 1654. coram Peutingero* §. *laudum*, cum aliis in dictis decisionibus allegatis, & conferunt quæ in terminis compromissi super feudis habentur ex *Bambacario* & in aliis *in Camerinen. jurisdictionis sub tit. de feudis dis.* 49.

Adversus hanc responsionem, duo replicabantur ex parte Episcopi, Primò nempè, quod Cardinalis testabatur se ita egisse de Oraculo Papæ *Pauli III.* viva voce sibi tradito, ideòque sibi de hoc
11 attestanti deferendum erat, Et secundò, quod ex lapsu longissimi temporis intrabat beneplacitum præsumptum; Prima responsio in decisionibus rollebatur ex facto, quia Cardinalis non dicit Papam approbasse laudum sive mandasse quod ita laudaretur, sed potius ex ejus assertione constabat de contrario, cum eo emanato reservetur Papæ beneplacitum, ac ipsemet Cardinalis narret oraculum restrictum fuisse ad audiendas partium differentias, non autem ad eas decidendas, præsertim cum laico, incongruum erat committere decisionem controversiæ merè spiritualis & Ecclesiasticæ inter solos Ecclesiasticos absque laicorum mixtura, Ut enim quotidiana experientia docet, frequenter Pontifices alicui Cardinali oretenus injungunt alicujus controversiæ informationem, ad effectum ut referat vel componat, nòn autem ut decidat, & sic pro audiendo ejus voto consultivo, non autem decisivo.

Deducebam item (licèt cessante necessitate causæ in decisionibus ex prudentialibus fortè motivis omissum sit) in hujusmodi quæstione in pnris terminis juris communis, & circumscriptis
12 modernis Constitutionibus Apostolicis, hunc antiquum casum non complectentibus, in ea quæstione, an Cardinalis assertioni de Pontificio Oraculo sibi viva voce tradito credendum sit, tractata per scribentes *in cap. nobilissimus 97. distinct.* & alios de quibus *Gahr. de probat. conclus. 3. Farin. de testibus quæstion. 63. ex num. 15. Altograd. consil. 22. num. 46. & sequent. lib. 1. Rot. decis. 630. num. 2. part. 4. recent.* Ex magis communi & recepta opinione, Cardinalibus deferendum est, tribus copulativè concurrentibus, Primò nempè ut assertio fiat in loco ubi Papa residet, ita ut promptus ad eum sit accessus ejus, qui de hoc dubitans velit se certificare, Secundò ut non sit directè alteri præjudicialis, ejusque jus quæsitum tollat, Et tertiò ut contineat verisimilia, Quorum nullum in præsenti concurrere dicebam, Non primum, quia non constabat, an quando Cardinalis ita asserendo laudum dedit, esset nec ne in loco residentiæ Pontificis, Non secundùm, cùm id contineret directum præjudicium Abbatis ac hujus Ecclesiæ totiusque Oppidi, Neque tertium, cum omninò inverisimile esset, Papam voluisse Cardinali laisum adhibere socium ad decidendam causam verè Ecclesiasticam & spiritualem ut suprà, ac etiam quod probare voluerit, ut collatio primæ Dignitatis in Collegiata, fixè & perpetuò reservata Sedi Apostolicæ, dari deberet Episcopo, qui plus juris ita haberet in loco exempto vel dismembrato, quàm in eis, in quibus tanquam de Diœcesi, omnimodam, & pacificam habet jurisdictionem, quod omninò incongruum & inverisimile videbatur.

Eademque improbabilitatis ratione dicebam cessare alteram responsionem beneplaciti Apostolici præsumpti ex longissimi temporis decursu de- 13
ducti, quia hæc est simplex juris præsumptio, contraria probatione seu fortiori præsumptione elidibilis, undè cùm fictio non possit superare veritatem, atque beneplacitum verum concedi non soleat nisi ex justa & rationabili causa, & super actu à jure non improbato, Sequitur quod ubi ex ipsius actus facie constat illum esse talem, quod juxtà Datariæ & Cancellariæ Apostolicæ stylum, super eo expressum beneplacitum Papa non concessisset, minùs intrat præsumptum, non obstante cujuscunqu temporis lapsu, ut firmatur *in Cracovien. decimarum 16. Novembris 1650 coram Bichio decis. 82. part. 11. recent. & 20. Martii 1651. coram Verospio*, 125. *ead. par. 11.* altera *Cracovien. dismembrat. decimarum 3. Junii 1650. coram eodem Verospio dec. 47. eadem part. 11. Romana devolutionis domus 15. Junii 1654. coram Meltio*, & in aliis, quia est propositio recepta & satis rationabilis, Multò magis recipienda, ubi allegatur Beneplacitum Apostolicum modernum à temporibus *Pauli III.* citrà, & sic post Urbis excidium, à quo tempore habentur regestrata integra, ex quorum revolutione illud reperiri posset si adesset, maximè dum agitur de materia adeò gravi, in qua non nisi idem Papa manus apposuisset, undè non cadit illa difficultas quæ in privatis bonorum Ecclesiæ alienationibus aliisque materiis minoris momenti etiam post integritatem regestrorum cadere potest, ob beneplacita, quæ concedi solebant per Pœnitentiariam seu dicta facultate *sub Pio IV.* sublata hodie conceduntur per Congregationes Concilii, vel Episcoporum & Regularium,

Ulterius quidquid sit de puncto, an constitutio de præjudicialibus edita de Anno 1641 per *Urbanum VIII.* tollens hujusmodi beneplacita
14 præsumpta, præterquàm ex lapsu centenariæ completæ, locum habeat inter duas Ecclesias, in quo Mihi semper placuit negativa, quam tenuit Rota *in una Vicen. portionum prima Junii 1643. coram Dunozetto inter suas decis. 713. in fin. Romana cens. 13. Junii 1663. Priolo Mediolanen. parochialis 10. Novemb. 1664. Albergato* & in aliis, ita ut hodie sit receptum, Posito etiam quod dicta constitutione non intrante, procedendum esset cum solis terminis juris communis, quibus attentis solus tricennalis lapsus sufficit. Adhuc tamen in præsenti non cadebat præsumptio, cùm ad ejus effectum, copulativè cum tempore requiratur observantia vera, pacifica, & per actus univocos, non autem æquivocos toto d. tempore continuata, nè detur multiplicatio præsumptionum, ut 15
est concors scribentium traditio per Rotam passim receptam ut apud *Otthob. dec. 220* & in allis frequenter, ita ut videatur hodie propositio indubitata & præsupponenda, Quæ observantia cùm hujusmodi qualitatib. in præsenti non justificabatur ob actus jurisdictionales per Abbatem exercitos, Atq; in hoc fundamento tanquam magis solido & tuto Ro-

ta fixit pedes, non curando supradictarum aliarum responsionum robur examinare.

De testibus autem nuper vigore remissorialium datis, nulla fuit habita ratio, & meritò. Tùm quia eorum examen plures nullitatis defectus patiebatur, Tum etiam quia ultrà contrarietates aliasque exceptiones in dicto, convicebantur de mendacio per scripturas & acta judicialia super exercitio jurisdictionis Abbatis.

Eoque minùs ipsorum fidei deferendum erat, atque ea pro suspecta habenda, dum deponebant de visitationibus aliisque actibus jurisdictionalibus in scripturam redigi solitis, Si enim veri essent, potuisset Episcopus habens in manibus proprium Archivium, in quo libri visitationum, processus, & alia acta conservantur, id justificare per scripturas, non autem confugere ad solos testes, cum quibus hodie ob corruptos mores satis cautè procedendum est, Undè propterea, reflectendo etiam ad veritatem, justa beneque fundata mihi visa est præsens resolutio, nisi ex combinatione actuum subsistere posset difficultas superius excitata, ita ut data compatibilitate diversarum specierum jurisdictionis, aliquæ jurisdictionis species remanerent in Episcopo pacificæ & non interruptæ, quo casu stante centenaria, dictæ responsiones aliàs solidæ paterentur suas difficultates.

HYSPALEN
JURISDICTIONIS
PRO
ABBATE OPPIDI DE OLIVARES,
CUM
ARCHIEPISCOPO ET CAPITULO.

Casus discussus in signatura Sanctissimi, & pro Abbae resolutus.

De jurisdictione omnimoda quasi Episcopali competenti Prælato inferiori ex Indulto Apostolico concesso pro aliquo Statu vel locorum Universitate, An comprehendat locum, qui de tempore Indulti destinatus erat, ut dictæ Universitati uniretur, non tamen adhuc ad actum unionis deventum erat, Et aliqua de materia aperitionis oris adversus gratiam cum decreto irritanti & clausula *sublata*.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur species aperitionis oris adversus decretum irritans & clauusulam* sublata.
3 *Quando concedatur aperitio cum reductione seu remotione gratiæ.*
4 *In erectionibus Cathedralium vel Collegiatarum utpotè de sui natura præjudicialibus necessaria non est derogatio regulæ de jure tertii, & quid operetur clausula* sine præjudicio.
5 *Quale in proposito dicatur præjudicium considerabile.*
6 *Quando concedatur oris aperitio pro simplici habilitatione.*
7 *Sola cogitatio generica salvat à vitio obreptionis.*
8 *Sub privilegiis concessis Regi Hispaniarum an & quando veniant reliqua eius dominia extrà Hispaniam.*
9 *Decretum irritans & clausula* sublata *non prohibent cognosci de non comprehensione.*
10 *Signatura gratiæ non solet rescribere in iis quæ sine Principis extraordinaria potestate competunt.*
11 *De regula unionum revocatoria.*
12 *Facultas Executoris non exspirat in habentibus tractum successivum.*

DISC. VIII.

DE Anno 1623. *Urbanus VIII.* Parochialem Ecclesiam Oppidi de Olivares erexit in Collegiatam, cujus principalis Dignitas & caput, *Abbas maior* nuncupari deberet, eique prævia separatione territorior ũ à quibusdam Diœcesibus, præsertim verò ab ista Hyspalen. subjecit universum statum & Comitatum *de Olivares & Baida*, ac etiam locum nuncupatum *Sanlugar la mayor*, noviter emptum per modernum Comitem, ad cujus preces, instante Rege Catholico Philippo IV. hujusmodi Indultum concessum fuit, ita ut Abbas prædictus in hujusmodi Statu & Comitatu, tanquam verus Ordinarius omnimodam haberet quasi Episcopalem jurisdictionem, privativè ad Archiepiscopum Hyspalen. & quoscunque alios Diœcesanos, à quibus dicta dismembratio facta est.

De tempore autem, quo dictum Indultum concessum fuit, Comes prædictus tractaverat & concluserat emptionem loci prædicti *de Sanlugar*, sed ob Regium assensum expediendum, aliasque solemnitates in hujusmodi bonorum translationibus adimplendas, ad effectuationem deventum non erat, atque verè illius dominium & possessionem non habebat.

Ex hac autem circumstantia, Archiepiscopus & Capitulum, acquiescentes donec dictus Comes apud Regem in summa gratia, & auctoritate fuit, Eo defuncto prætendere cœperunt indultum prædictum non suffragari quoad hunc locum, utpotè tunc dicto Statui non unitum, neque adhuc acquisitum, Sed quia obstabant, clausula *sublata, & decretum irritans* in eodem Indulto contenta, clauendia os Judici & parti, idcircò adita fuit Signatura Sanctissimi pro aperitione oris ac reductione gratiæ, petitionem fundantes in duplici fundmento, Primò nempè in gravi præjudicio ex dicta gratia resultante Ecclesiæ Hyspalen. ob dismembrationem hujusmodi locorum, præsertim supradicti *De Sanlugar.* ex ejus situatione, aliisque circumstantiis valdè considerabilis; Et secundò ex defectu intentionis Papæ seu obreptionis gratiæ, dum præsuppositum fuit locum prædictum spectare ad Statum & Comitatum de Olivares, quod de tempore concessæ gratiæ in facto non subsistebat, quia non nisi ad plures menses subsequentes, Comes hujusmodi loci Dominium, cumulando vulgares auctoritates super gratiæ nullitate ex causa subreptionis vel obreptionis, seu ejusdem reductione con cedenda ob alterius grave præjudicium.

Et his addebant quoque motivum regulæ revocatoriæ *Innocentii X.* ex eo intrantis, quod cum ad Comitis successoris instantiam de Anno 1653. obtenta esset à Nuntio Apostolico sententia super executione & observantia litterarum Apostolicarum

rum desuper expeditarum, exindè resultabat, gratiam Pontificis prædecessoris, utpotè effectum non sortitam, sub regula prædicta cadere.

Pro Abbate & Comite scribens, etiam cum sensu veritatis, dicebam injustam esse petitionem idcòque rejiciendam commissionem, *nihil* rescribendo, prout de facto proposita causa sequutum fuit; Distinguendo siquidem speciem aperitionis oris (ad quam scribentes, moderata petitione contenta in commissione alternativè se restringebant, saltem alteram faciliorem petendo,)

Ad duplicem effectum hujusmodi apèritio peti, & respectivè concedi solet, Primò nempè cum reductione gratiæ ita ut ejus substantia, & jus gratiato quæsitum tollatur, vel minuatur; Secundò verò, ut firma remanente gratia, ejusque substantia non alterata, petens admittatur solùm ad opponendum de ejus nullitate resultante ex subreptione, vel defectu intentionis, ita ut sit simplex habilitatio judicis & partis, ad opponendum, & respectivè judicandum id, quod adversus gratiæ validitatem vel operationem de jure fieri posset, nisi *decret. irritans* & clausula *sublata* obstarent.

Ad primum effectum id concedi non solet nisi ex magna causa, & accedente exorbitanti læsione, quam gratia tertio 3
inferat *Gratian discept. 959. in princ. Rot. decis. 461. num. 6. & seqq par. 1 rec. dec. 297. & 485. par. 4. to. 2. utrobique in princ. in Roma. seu Amerin. aperitionis oris 27. Iunii 1635. coram Coco. dec. 358. par. 11. rec.* præsertim ubi gratia est jã executioni demandata ut in specie *d. dec. 485. n. 5. p. 4. to. 2.*

Ad hunc autem effectum, non omne præjudicium in genere attenditur, quoniam gratiæ, supernovis erectionibus semper, & de sui natura sunt præjudiciales, cùm practicari non possint sine dismembratione, quæ de necessitate importat præjudicium illius Ecclesiæ, à qua illa fiat, undè propterea receptum habemus, quod licet ex regula *de jure tertii quæsito non tollen* gratiæ tertio præjudiciales, ejusque 4
jus tollentes non substineantur, nisi cum speciali derogatione regulæ prædictæ, hoc tamen cessat in hujusmodi novarum erectionum gratiis, utpotè de sui natura, & pernecessè præjudicialibus, Adeò ut, etiam si in ipsismet gratiis expresse adjiciatur clausula *sine alterius præjudicio*, adhuc intelligitur de alio forsan particulari verisimiliter Papæ ignoto, non autem de isto generali de natura gratiæ resultante, quia clausula prædicta intelligitur in aliis præterquam in expressis, ut de utraque propositione *Seraphin. dec. 1445. num. 5. & 6. Burat. & Adden. dec. 193. & 576. decis. 24. par. 5. recent. & decis. 11. num. 25 par. 6 cum aliis plenè cumulatis per Adden. ad dec. 2. n. 286. & seq par. 3. rec.*

Et sic de illo gravi præjudicio verisimiliter per Papam 5
incogitato, & quod sibi notum eum retraxisset à gratiæ concessione, quia nempè per hujusmodi dismembrationem prior Ecclesia nimis depauperata remaneret, ita ut ejus Dignitas vilesceret; Si enim solum præjudicium generale sufficeret, prædicti inconvenientis non productivum, resultaret exindè ligatam esse potestatem Papæ faciendi novas erectiones Cathedralium, & successivè revocari debuissent tot erectiones præsertim erectio, quæ continetur *in extravaganti Salvator*, dum ex una Diœcesi Tolosana quinque Episcopatus erecti sunt, quod utique magnam ejus dismembrationem importavit, prout *Paulus IV.* ex sola Diœcesi *Meclinien.* undecim alios Episcopatus erexit, cum similibus de quibus *in Burgen. erectionis Cathedralis hoc eod. libro sub tit. de præeminentiis disc. 6.* Undè cum absque dubio magnæ Diœcesi, & ditissimæ Ecclesiæ Hyspalen. hujusmodi dismembratio non adeò grave præjudicium inferret, dùm nil ferè de ejus priori dignitate & decore minuerat, idcircò incongrua erat hujusmodi gratiæ petitio.

Ad alterum verò effectum simplicis aperitionis oris pro sola judicis, & partis habilitatione ut suprà, Signatura gustare solet de meritis, an scilicet objecta nullitas ex capite 6
subreptionis vel defectus intentionis, habeat neene aliquod probabile fundmentum, in cujus casu concedi solet, secùs è contra, Atque ad hunc effectum Papa in hoc Tribunali adhibet duodecim Prælatos peritos, de quorum voto consultivo, quando sibi placet ferendo, rescribere solet, cum adversus gratias, præsertim exequutas non debeat Princeps litibus calumniosis, & injustis aditum aperire, *ut per Marchesan. de commiss. aperitionis oris par. 2. §. 1. num. 65. fol. 417. & in d. decis 485. par. 4. rec. tom. 2. & 358. par. 11.*

Nullum vero dicebam adesse probabile fundamentum, ex quo hujusmodi gratia de jure impugari posset, Illud siquidem minus veræ narrativæ super aequisitione Oppidi *Sanlugar*, ejusque unionis & pertinentiæ ad Statum, & Comitatum de Olivares, nimis leve videbatur (quale ut suprà per Signaturam reputatum fuit) quia licet de tempore gratiæ ob adhuc non completas solemnitates in hujusmodi feudorum, seu bonorum jurisdictionalium alienatione servandas, Comes legaliter dominium dicti loci nactus non esset, nihilominùs quoad conventionem partium; jam illum acquisierat, dùm perfectus etat contractus emptionis, & sic verificabatur gratiæ præsuppositum, quod hujusmodi locus nuper per Comitem esset quæsitus; Rigorosa verò intelligentia, quod hæc acquisitio adhuc perfecta & legi- 7
tima dici non posset, nullatenùs obstabat, Tùm quia ad effectum substinendi gratiam sufficit ejus narrativam verificari de facto, ex deductis per *Adden. ad Buratt. decis. 778.* & est frequens beneficialitarum propositio, de qua pluries in sua materia *sub tit de benef.* Tùm etiam quia ejus falsitas debet esse talis, quod verisimiliter Papam à gratia tetraxisset, ita ut intentionis defectus probabiliter adesse dicatur, cùm aliàs pro gratia substinenda, generica, seu verisimilis cogitatio sufficiat *Buratt. decis. 853. n. 6 dec. 118. n. 17. post Vivian. de jurepatr.* cum aliis *in Valentina Parochialis 28. junii 1647. coram Cerro 107. par. 10. rec.* & est propositio in beneficialibus frequens,

Ad effectum enim ut locus dicatur unitus, & de pertinentiis alicujus Status, Provinciæ, vel respectivè prædii, attenditur voluntas seu destinatio ipsius acquirentis, qui est utriusque Dominus ad *tex. in l. si, cui ades ff. de leg. 3.* cum concordan. de quibus *Galeot. contr. 22. lib. 1. Rot. in Bononien. liquidationis pretii 4. julii 1664. coram Emerix* de qua causa habetur *in Bonon. legati pro Zambecearia sub tit. de legatis, & in Romana prælationis pro confraternitate SS. Trinitatis sub tit. de servit. ad mat. retract.* Undè propterea habemus, quod concurrente verisimili intentione, sub nomine Regis Hyspaniarum, contineantur eriam in privilegiis, Regnum Neapolis, & alia dominia extrà Hyspaniam, ut habe- 8
tur apud *Mantic. dec 39.* licèt hoc suas habeat difficultates, ex iis quæ habentur *in Barchion. Canonic. coram Verospio dec. 316. par. 9 rec. & in ead coram Roias inter suas dec. 279. 281. & 286.* & de quo *in Pampil. decim. de Taffalla hoc lib. sub tit. de præeminentiis dis.* 29. Quam tamen inspectionem in præsenti assumere, & examinare opus non fuit, licet pro altera parte scribentes super hujusmodi materiis, animum divagarentur; Tunc enim dicebam de hoc puncto inspiciendum esse, quandò indultum loqueretur de Comite de Olivares ejusque Statu, an sc. sub ejus nomine veniret istud Oppidum de tempore gratiæ adhuc saltem validè & perfectè non acquisitum, neque incorporatum, quo etiam casu, adhuc incongruam dicebam petitionem aperitionis oris, cum esset articulus comprehensionis, de quo Judex sine hac habilitatione cognoscere non prohibetur.

Siquidem *decretum irritans*, & clausula *sublata* claudunt, 9
ac ligant cuicumque Judici os & manus in iis quæ gratiam tollunt vel minuunt, non autem super iis quæ prætenduntur non comprehensa, quia impugnare non dicitur, qui non comprehensionem allegat *dec. 266 in fin. par. 7. recent.*

Et ex qua ratione Ego & cæteri pro hac parte scribentes respondebamus ad objecta quæ fuso calamo, cùm inani forsan labore, deducebantur super pertinentia decimarum in hujusmodi locis dismembratis, quasi quod Papa de eis expresè non disponente, remanerent in priori eorum statu; In hoc e- 10
nim dicebam, quod actores uterentur jure suo coram judicibus competentibus, absque necessitate exspectandi rescriptum Signaturæ gratiæ, quæ rescribere non solet in iis, quæ sine gratia exerceri possunt per petentem de justitia, in quibus rescribendi stylus est, quod *utatur jure suo.*

Ad objectum demum regulæ revocatoriæ, fa- 11
cilis erat responsio, eam sc. procedere in gratiis, quæ de tempore emanantis regulæ effectum sortitæ, nõ essent, & ad quam regulam evitandam sufficit effectuatio in parte *Buratt. dec. 870. n. 4. Gregor. & Adden. dec. 557. dec. 209. par. 6. recen.* & in aliis in sua materia *sub tit. de benef.* in proposito regulæ revocatoriæ unionum. Undè cùm in facto doceretur de gratiæ effectuatione usque ab eius initio cum successiva observantia per an. 30. & ultrà, prorsus vana remanebat objectio malè deducta ex sententia executoriali obtenta à Nuntio de an. 1653. cùm illa nõ percuteret novam executionem, sed successivam & continuativam pro repellendis, judiciali auctoritate, illis molestiis, quæ adversus gratiam jam de facto 12
priùs exequutam inferebantur, Undè licèt facultas executoris expiret per an. seu facta semel exequutione ipsius jurisdictio cesset, Receptum tamen habemus eam durare in concernentibus observantiã

exequutionis jam factæ, & sic exequutionem continuativam, ne illa semel facta, impedito ejus effectu, inanis remaneret ex deductis *decis. 21. & 265. par. 7. recent.* ubi de materia.

ANGLONEN. JURISDICTIONIS PRO EPISCOPO, CUM ABBATE SEU COMMENDATARIO MONASTERII S. ELIÆ DE CARBONE.

Casus decisus per Sac. Congregationem Concilii pro Episcopo.

De eadem materia territorii separati, ac jurisdictionis Prælati inferioris in locum, & populum alicujus loci; Et quid in hoc operentur dominium & jurisdictio temporalis ejusdem loci penes ipsum Prælatum inferiorem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De jurisdict. laicali, quam habent in Regno Neapolitano aliqui Prælati Ecclesiastici, quid importet.*
3 *Decisio Sac. Congregationis.*
4 *De probatione situationis loci in Diœcesi.*
5 *De probatione territorii separati.*
6 *De restrictione ad titulum exhibitum tanquam meliorem.*
7 *De actibus possessoriis Episcopi exclusivis immemorabilis prætensæ à Prælato inferiori.*
8 *Quid in hac materia operetur possessio jurisdictionis temporalis in loco, examinatur.*

DISC. IX.

1 INtra limites Diœcesis Anglonen. extat Oppidum nuncupatum *De Carbone*, ibique Monasterium sub invocatione S. Eliæ Ordinis S. Basilii, cujus Abbas, ex antiquis Regum concessionibus, est ejusdem Oppidi utilis dominus, cum jurisdictione laicali in causis civilibus, & forsan mixtis, non autem criminalibus, quarum jurisdictio per Regem alicui sæculari in feudum concedi solet. ut ferè universalis est consuetudo in eo Regno quoad oppida & loca, quæ per Ecclesias possidentur, ut sunt Ecclesiæ Consan. Policastren. Tricaricen. pluresque aliæ, & de quo jurisdictionis concursu, seu competentia inter Prælatum Ecclesiasticum, & Feudatarium sæcularem plura præsertim habentur apud *Rovitum super pragmaticis in pragm. 1. de jurisdictione invicem non turban.* ubi regristantur aliqua Decreta super natura causarum, quando dicantur criminales, civiles, vel mixtæ respectivè.

2

Occasione autem istius dominii, & jurisdictionis, juxta satis frequentem & penè universalem omnium hujusmodi Prælatorum hanc jurisdictionem temporalem in loco habentium, nec non ratione privilegiorum à Sede Apostolica huic Monasterio concessorum super ejus exemptione ab Ordinarii jurisdictione, cœpit etiam d. Abbas exercere spiritualem, & quasi Episcopalem omnimodam privativè ad Episcopum, qui fortè ante publicationem *S. Concil. Trid.* nullatenùs in hoc loco se ingerebat, Post dictam verò publicationem exercere cœpit jurisdictionem ab eodem S. Conc. Ordinariis locorū delegatam in locis exemptis in casibus ibi expressis, satis autem dictum exercitium interruptum fuit, vel ex Episcoporum pro tempore negligentia, vel probabilius ex motivo reverentiæ habitæ aliquibus pro tempore ejusdem Monasterii Commendatariis; Cumque ad istam Ecclesiam Anglonen. promotus fuisset Franciscus Antonius de Luca Archidiaconus Melphicten. Iste, ut suo muneri satisfaceret, curavit suam Ecclesiam de dicta jurisdictione penè in desuetudinem abita reintegrare, unde propterea habito recursu ad S. Congreg. Concilii.

Assumpta desuper disputatione, cum ex parte dicti Abbatis, seu Commendatarii prætenderetur omnimoda jurisdictio quasi Episcopalis cum territorio separato & qualitate *nullius*, potissimum constituebatur fundamentum in privilegiis Apostolicis hujus Monasterii amplam exemptionem continentibus, registratis in quodam liberculo impresso, qui occasione consimilis controversiæ compositus fuit per eruditissimum ac magnum linguæ latinæ professorem Paulum Æmilium SS. Archiepiscopum prius Cusentinum, deindè Urbinaten. qui idem Monasterium ex resignatione forsan insignis Cardinalis Sanctorii patrui, *Sanctæ Severinæ*, nuncupati, obtinebat, Et ulterius scribentes pro dicto Commendatario, magnam vim constituerent in dominio & jurisdictione temporali ejusdem loci, quasi quod ex dispositione ejusdem *S. Conc. Trid. Sess. 25. de regular. cap. 11.* ob istam circumstantiam cesset dicta delegata jurisdictio aliàs locorum Ordinariis in locis & personis exemptis attributa, & constituat istos Prælatos ita qualificatos in aliquo statu diverso, eodem modo, quo diversificat illos, qui essent capita Religionum in locis suæ Residentiæ.

His non obstantibus, cum justitiæ fundamento, post binam disputationem de anno 1660. prodiit consuetum rescriptum, quod scilicet dum nullum exhibebatur privilegium Apostolicum concessivum territorii separati, *Episcopus manutenendus esset in quasi possessione exercendi jurisdictionem à S. Concil. Trid. & Apostolic Constitutionibus delegatam in locis exemptis, donec per privilegium vel per immemorabilem per tres conformes, canonizatam doceretur de territorio separato*, in cujus rescripti executionem Episcopus visitavit, dictamque jurisdictionem pluries exercuit, donec præfuit dictæ Ecclesiæ, à qua deinde ad Nazarenam translatus fuit.

3

Tres igitur fuerunt hujus disputationis puncti, Primò super situatione hujus loci intrà Diœcesim, cùm hæc sit fundamentum intentionis Episcopi agentis contrà inferiorem Prælatum pro dictæ jurisdictionis exercitio, Secundò super prætenso territorio separato, Et tertiò quid in proposito operaretur dominium temporale loci controversi.

Primus videbatur planus, Tùm ex situatione loci undiq. circumdati ab hac Diœcesi, absque eo quod alter Episcopus esset, seu aliàs fuisset in causa. Tum etiam quia in eisdem privilegiis exemptivis in supradicto liberculo impressis, Monasterium enunciatur situm in hac Diœcesi, undè propterea versabamur

4

mur in claris ob ipsius partis confessionem resultantem ab eorumdem privilegiorum exhibitione & usu, & clarius ob plures actus jurisdictionales, de quibus infrà, ex iis, quæ circà situationis probationem habentur firmata in decisionibus editis in *Toletana Jurisdictionis 9. Maij 1659. & 21. Maij 1660. coram Bevilaqua*, dequibus supra *disc.* 1. & quarum decisionum prima de tempore hujus disputationis jam prodierat, atque hic punctus, utpotè planus, modicam habuit disputationem.

Quoverò ad alterum, dicebam idem, quod in tot consimilibus disputationibus ut suprà & infrà
5 dicere consuevi, ex deductis præsertim *in dicta Toletana disc.* 1. quæ pro omnibus tanquam magistra deservit, Hujusmodi scilicèt punctum hodie non esse amplius juris sed facti, super probatione scilicet territorii separati facienda per duas tantum species, Unam scilcet privilegii Apostolici expressi, alteram immemorabilis benè justificatæ, quorum neutrum accedebat, Quinimo ex facti circumstantiis, excludi videbatur probationis potentia, unde de stricto jure denegari etiam debuisset remissoria, ex quadam superabundanti æquitate concessa, adhuc tamen non executa, quoniam ad effectum privilegii, utpotè probandi per authenticum documentum, illa non suffragabatur, ac etiam ejus exclusiva probatio resultare videbatur ab exhibitione dictorum aliorum privilegiorum in præfato liberculo registratorum, simplicem exemptionem ipsius Monasterii regularis ac personarum in eo viventium, importantium, cum narrativa, quod locus esset diœcesis Anglonen.

Licèt enim exhibitio esset extrajudicialis, juxtà eam formam, cum qua in his Sacris Congregationibus proceditur, itaut non adesset ea formalis pro-
6 ductio, exqua resultet restrictio ad illum titulum tanquam meliorem juxtà *theor. Innoc. in cap. pervenit de decimis, de qua in Januen. Abbatia dec. 29 par. 7 rec. & 294. par.* 6. ac habetur hanc materiam distinguendo & explicando, late deductum in *Sabinen. exemptionis sub tit. de Regalibus ad materiam gabellarum discur.* 47. Nihilominus satis urgens adminiculum dictæ negativæ resultare dicebam, quoniam cum præfatus Sanctorius, ob acrem litem cum Episcopo tunc actam, curavisset cum nimia diligentia, omnia privilegia habere, dictumque liberculum tanquam speciem manifesti componere; omninò probabile est quod aliud melius privilegium non adesset, verisimiliter impressum, neglectis aliis utpote præjudicialibus potiùs, quàm favorabilibus, ob dictam enunciativam, quod Monasterium esset hujus diœcesis.

Immemorabilis quoque omninò improbabilis erat ex facti circumstantiis contrariis illam exclu-
7 dentibus, cum ex parte Episcopi exhiberentur litteræ Cardinalis Alexandrini nepotis *Pii V.* tunc regnantis de anno 1569. & sic de tempore proximo publicationi Concilii, directæ Metropolitano, ut assisteret Episcopo in hujus loci visitatione, ac exercitio delegatæ jurisdictionis.

Ac etiam sub eodem *Pio V.* cum tunc Commendatarius, Episcopo visitare volente resistentiam de facto & armata manu fecisset, constabat de hoc inquisitum & carceratum fuisse, ac sive ex condemnatione, sive ex compositione solvisse pœnam scut. 300 auri, ut justificabatur ex publico documento extracto ab actis.

Doctum item fuit de annis 1588. & 1606 coram eodem Episcopo, habitos fuisse concursus ad formam ejusdem Concilii Tridentini super provisione illius Parochialis, *Archipresbyteratus* nuncupatæ, ac etiam de pluribus collationibus ordinum seu concessionibus dimissorialium pro illis suscipiendis diversis temporibus, & prout Episcoporum zelus & diligentia exegit, Unde propterea excluſa remanebat immemorabilis, cujus præcipuum ac essentiale requisitum est, ut nihil intrà hominum memoriam, & à 100. annis citrà gestum, dictum, vel auditum sit, *ut in eadem Toletana dis.* 1.

Demùm quoad tertium punctum inspecta littera *S. Concilii dicta Sess. 25. de Regularibus cap.* 11. ea difficultatem facere videbatur, cùm post jurisdictionem Ordinariis delegatam, etiam in Monasteriis exemptis Regularium in concernentibus curam animarum & administrationem Sacramento-
8 rum, excipiantur loca, in quibus resident Generales seu capita Religionum, ac etiam generaliter omnia ea, in quibus cum Parochianis utraq; jurisdictio temporalis & spiritualis habeatur; Quia verò observantia docet contrarium, quoniam in tot consimilibus controversiis, de quibus suprà & infrà *hoc tit.* præsertim in *dicta Toletana, in Vulturarien. in Conversana, in Aprutina, in Firmana*, & similibus, ista circumstantia temporalis jurisdictionis concurrebat, & tamen semper neglecta fuit, atque in nulla consideratione habita.

Quinimò etiam in illis locis, in quibus cumulabatur utraque circumstantia, quod scilicet adesset jurisdictio temporalis, illaque non penès simplicem Prælatum inferiorem, sed penès Generalem, seu caput Religionis, adhuc istæ circumstantiæ solæ & de per se in nulla consideratione habeii consueverunt, sed opus fuit formiter justificare territorium separatum, ut patet ex adeò ventilata *S. Angeli Lombardorum coram Pirouano, & Panzirolo*, cujus causæ plures decisiones habentur impressæ inter recen. præsertim *decis.* 197. *par.* 8. *& dec.* 80. *par.* 9. *rec.* ubi de loco sub regimine & jurisdictione Generalis Congregationis Montis Virginis, ac etiam *ex Avellina jurisdict. coram Otthob. inter suas dec* 82. *& in Montis Virginis seu nullius jurisd.* 12. *Junii* 1656. *& 8. Junii* 1657. *coram Dunoz. inter suas dec.* 988. *&* 1001. in quibus omnibus pariter agitur cum eodem Generali dictæ Congregationis, Atque in celebri *Squillacen. coram Martin. Andr. inter suas dec.* 54. *aliàs dec.* 59. *post Tamburin. de Jur. Abbat. tom.* 3. Concurrebat etiam dictum requisitum jurisdictionis temporalis, quale etiam in tot decisionibus *Theatin. & Aprutin*, quæ habentur impresse *inter recent*, ac apud *Tamburin. ubi suprà*, & tamen nunquam ista circumstantia considerata fuit.

Quarè dicebam, unum de duobus, stante dicta nimis generali & inconcussa contraria observantia, admittendum esse, vel scilicet dictam Conciliarem dispositionem moderatam esse per decretum *Pii V.* sub die 4. *Decembris* 1570. registratum apud *Fagnan. in cap. nullus de Parochis num.* 43 non obstantibus motivatis in contrarium per *eundem Fagnan. n.* 44. *& seqq.* cùm revera ea procedant, ubi ex aliis probationibus constat de omnimoda jurisdictione quasi Episcopali cum territorio separato & qualitate nullius, ut ipsemet agnoscit *num.* 47. *& seq.* qua probatione data juxtà duas species de quibus suprà, nil referre videtur dicta circumstantia temporalis jurisdictionis, sine quà etiam idem procederet, juxtà casum, de quo in *Astoricen. & in Hyspalen. disc.* 7. *&* 8. & in aliis ut suprà, Unde propterea considerabam istam circumstantiam solùm considerabilem esse, tanquam adminiculum dictæ probationis, ac ad illam reddendam faciliorem,

Vel

Vel quod dictum decretum Conciliare verificabile forsan esset in illis locis, in quibus per inferiores Prælatos utraque jurisdictio possideatur plena, & omnimoda, quia nempè etiam in temporalibus illa in omnibus causis independenter, tanquàm in libero allodio habeatur, juxta casum, de quo plenè agit *Spada cons.4. & 5.lib.1.* & habetur actum *in Lucana jurisdictionis seù Imperii sub tit.de feudis disc.60.*cum tunc juxtà unam opinionem, ille locus in totum Ecclesiasticus factus videatur ex deductis *in d.Lucana*: Undè propterea non congruit huic temporali jurisdictioni, quæ ex Regiis concessionibus in feudum & tanquam species baroniæ habetur solum in causis civilibus, vel ad summum mixtis, ad quos limites ita Concilium jurisdictionem quoque spiritualem restrinxisse videtur, delegando Ordinariis cognitionem graviorum causatum criminalium & matrimonialium, ac aliorum de quibus in eodem Concilio, Eodem modo quo Rex eamdem cognitionem graviorum causarum criminalium, concedere noluit, sed sibi reservavit, eam pro se retinendo, seu alicui sæculari, de quo magis confidat, concedendo in feudum ut suprà; Incongruum enim videtur, ut ex fundamento hujus ita diminutæ seù restrictæ jurisdictionis temporalis, inferri debeat ad plenam & omnimodam jurisdictionem spiritualem, & quasi Episcopalem, cum ità major esset effectus, quam causa, undè propterea istud motivum in nulla penitus consideratione habitum fuit.

LVNEN. SARZANEN.

JURISDICTIONIS

PRO

EPISCOPO

CUM

ABBATE SEU COMMENDATARIO MONASTERII DE AULLA.

Casus decisus per Sac.Congregationem Episcoporum, & Regularium pro Episcopo.

De eadem materia territorii separati, & omnimodæ spiritualis & quasi Episcopalis jurisdictionis Prælati inferioris, etiam in exclusionem jurisdictionis delegatæ loci Ordinario.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Dari potest territorium separatum secundum quid etiam in loco undique circumdato à diœcesi.*
3 *Decisio Sacræ Congregationis.*
4 *Copia quando probet.*
5 *De cessatione privilegiorum ob immutationem status.*
6 *De causa, ob quam Regularibus concessa sunt privilegia exemptiva.*
7 *Causæ Regularium quomodò & à quibus cognosci debeant.*
8 *Quando privilegium exemptivum dicatur importare territorium separatum.*
9 *Quomodo istud territorium separatum fictum seu improprium in locis sitis intrà diœcesim intelligatur, & quid operetur.*

DISCURSUS X.

MOnasterium, Sancti Caprasii Ordinis S.Benedicti situm in Oppido *de Aulla*, annexam habens ejusdem loci curam animarum, in vim cujusdam privilegii exemptivi *Honorii Secundi*, de anno 1126 sibi concessi, ab antiquo controversias habuit cum Episcopo, ad cujus favorem plures prodierunt Apostolicæ determinationes *Lucii*, *Alexandri*, & *Innocentii tertii* respectivè Cum autem post plurium sæculorum decursum, Monasterium prædictum, utpotè à regulari observantia declinatum suppressum esset, *Leo Decimus* de anno 1517. illud sæcularizando, & tanquam Ecclesiam sæcularem concessit in jurepatronatus *Marchioni Malaspinæ* dicti Oppidi Domino temporali, cum facultate præsentandi clericum sæcularem loci Ordinario, qui in eisdem litteris enunciatur hic Episcopus *Lunen.Sarzanen.* dictamque concessionem de anno 1554. innovavit *Julius Tertius* Adamo Centurioni ejusdem loci Domino, eo addito, ut præsentatio Rectoris fieri posset, vel coram Ordinario, vel etiam coram Vicario Generali Januen. sivè coram uno ex Canonicis Cathedralis ejusdem Civitatis Januen. cui facultas instituendi præsentatum competeret; Cumque vacante dicta Ecclesia de anno 1662. modernus Marchio Centurionus, cum consueta enunciativa quod eadem Ecclesia seù Monasterium esset hujus diœcesis, coram uno ex Canonicis dictæ Cathedralis Januen, cum subsequuta institutione, præsentasset Aloysium de eadem familia Centuriona, qui deputavit in Vicarium seù V. Abbatem quemdam ejusdem loci Sacerdotem, ab Episcopo obtinentem approbationem, & licentiam exercendi curam animarum, & administrandi Sacramenta.

Idem Vicarius, patrono, ac proviso, consentientibus, & confoventibus, de facto denegare cœpit obedientiam & subjectionem Episcopo, atque exercere jurisdictionem spiritualem, & quasi Episcopalem cum clero & populo, tanquam in loco *Nullius*, & de territorio separato, fundando hanc prætensionem in dicto privilegio *Honorii Secundi*, ex cujus verborum amplitudine prætendebat resultare dictam qualitatem *Nullius*, & territorii separati, non obstante circumdatione undique à diœcesi, ex eo quod non implicaret, locum esse undique circumdatum, & tamen dici *Nullius* per quamdam impropriam & intellectualem separationem secundum quid, juxta firmata *in Montis Cassinen. Jurisdictionis coram Bichio dec. 373. par.11. rec.* quæ decisio hanc prætensionem excitavit; Sed introducta causa in Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium per appellationem ex parte ejusdem V. Abbatis interpositam à censuris contrà eum per Episcopum illatis, prodiit resolutio *de Mense Julij 1667.* Episcopo favorabilis in possessorio super ejus manutentiones in quasi possessione exercendi omnimodam Episcopalem, tam ordinariam, quàm delegatam jurisdictionem, remissa ad Rotam causa in petitorio, super prætenso territorio separato vel exemptione respectivè, dictaque resolutio eodem anno confirmata fuit

in nova disputatione, ad quam dictus appellans, atque ipsemet Abbas ei adhærens admitti obtinuerunt, Eaque Mihi pro Episcopo scribenti, reflectendo etiam ad solam veritatem, justa & probabilis visa est, cùm hujusmodi prætensio omni prorsùs fundamento destituta esset, nedùm in possessorio, quod erat indubitatum, sed etiam in petitorio.

Tres autem in his disputationibus fuerunt inspectiones, Una super veritate & forma probanti dicti privilegii; Altera super ejus duratione, vel respectivè expiratione, sivè per dictas contrarias Pontificias determinationes, sivè etiam ob dicti Monasterii sæcularizationem; Et tertia, positis veritate, & duratione, quid in proposito revelaret privilegium prædictum.

Quoad primam, cum non adduceretur originale, sed quoddam sumptum, quæstio erat magis facti quam juris; Regula enim est, ut sumptis seu copiis quamvis antiquis fides præstanda non sit, Re-
4 cepta verò est limitatio, quoties cum antiquitate concurrant etiam adminicula ex deductis *per Burat. & Adden. dec. 243. dec. 187 par. 5 rec.* cum aliis de quibus suprà *in Conversana disc. 2.* Undè propterea punctus reducebatur ad adminicula, illud præsertim observantiæ, super qua hinc indè, satis super facto certabatur, undè, quælibet partium supponebat pro conclusione id quod erat in quæstione; Verùm super hoc Ego scribens pro Episcopo parum immorabar, tum quia ipsæmet contrariæ determinationes Apostolicæ *Lucii, Alexandri, & Innocentii Tertii*, quæ ex parte nostra deducebantur, veritatem hujus indulti de facto comprobabant, Tùm etiam quia inanis videbatur hæc inspectio, dum posita etiam existentia, vel locus erat expirationi, vel subsistere videbatur irrelevantia, ut infrà.

Quoverò ad secundam, neglecta pariter inspectione, facti potiùs, quàm juris circà dictas sententias Pontificias, dum quæstio erat super forma probanti, ac etiam super earum interpretatione ac effectuatione, Solidum videbatur fundamentum
5 expirationis resultans à sæcularizatione, & sic ab immutatione status tanquam à cessante causa concessionis privilegii, ut in terminis cessantis privilegii, exemptivi alicujus Ecclesiæ vel Monasterii ob sui status immutationem cæteris allegatis habetur *in Lauretana dec. 313. & 455 par. 4 rec.*

Hujusmodi enim privilegia, per Sedem Apostolicam concedi consueverunt Monachis, aliisque Regularibus, vel ob Religionis merita erga ipsam Sedem, vel ex eo rationabili motivo, ut Religiosi
6 in claustris à sæcularibus curis, & negotiis omninò abstracti vivere debentes non cogantur ita in foro Ordinariorum, more reliqui cleri & populi sæcularis pro eorum causis versari; & fortius ne eorum errores sivè controversiæ inter ipsos, cum processibus & actibus judicialibus in foro pandantur cum populi scandalo, Undè propterea receptum habemus, quod Regularium causæ, non in forma contentiosa, & per juris apices, sed sola facti veritate & summariè cognosci debent, *juxtà allega-*
7 *tionem Lap 73. ubi add. Rota in Posnanien. Abbatiæ prima Julii 1647. coram Celso inter suas dec. 25. n. 9.* & habetur *in Romana revisionis rationum hoc tit. disc. 91.* ac pluries in sua materia *sub tit. de Regularibus*, ubi etiam ex eadem ratione, quod eorum causæ deducendæ non sunt ad forum contentiosum & in Tribunalibus ordinariis, sed cognosci debent intrà ipsum ordinem, ejusque Superiores Regulares, extra quos non admittuntur nisi, vel Cardinal. Protector, vel S. Congrega. Regularium negotiis præposita, juxtà declarationes Congregationis deputatæ per *Innocent. X.* de Anno 1650. registratas *apud Fagnan. in c. de Priore, de appellationib.* ubi plenè de hac materia; Et de qua Regularium exemptione plenè, doctè, ac eruditè habetur in disceptatione Cardinalis de Albicis edita in *Romana jurisdictionis seu tituli Cardinalitii* de qua infrà hoc eod. titul. *disc. 34.* ac impressa in calce præsentis tituli, Undè cùm omnes dictæ rationes cessassent ob omnimodam dicti Monasterii suppressionem, remotis ipsis Regularibus de facto, ejusque sæcularizationem cum provisione Apostolica de directo contraria; quod scilicet Rectoris præsentatio fieri deberet coram Ordinario, à quo esset instituendus, utique dictum privilegium, quamvis aliàs verum, & & subsistens in statu Regulari, omninò evanuerat, Potissimè quia in sæcularizatione, nulla continebatur clausula præservativa, minùsque suberant personæ in statu regulari continuantes, cum quibus tale privilegium esset verificabile, ut est in casu, de quo *Cesaraugustana Cathedralitatis sub tit. de præeminentiis hoc eod. lib. disc. 3. cum sequentibus.*

Hinc proindè, inanis labor videbatur assumere tertiam inspectionem super dicti privilegii relevantia; Verùm ubi præmissis omnibus cessantibus, dictum privilegium verum ac durabile supponendum veniret, perindè ac si Monasterium cum actuali conventu Religiosorum in ejus antiquo & consuero statu regulari continuaret, Adhùc tamen in proposito, & ad effectum de quo agebatur nihil relevabat; licet enim aliquam verborum 8
amplitudinem contineret, ut scilicet nullus Episcopus in eo jurisdictionem aliquam habeat, atque liberum sit ipsius Monasterii Monachis & Clericis à quocunque Episcopo sibi placito ordines suscipere, necnon chrisma, oleum sanctum & altarium consecrationes obtinere, ex quibus utpotè Ordinem Episcopalem concernentibus excludi videtur quæcumque Episcopi Diœcesani jurisdictio, proindèque induci territorium separatum, & qualitas *Nullius*, saltem impropriè & secundum quid, non obstante loci situatione in Diœcesi, à qua undiquè circumdatus esset, ex firmatis *in dicta Montis Cassinen. Jurisdictionis coram Bicho dec. 373. part. 11. recent.* cum ibi allegatis, & ex qua totum desumebant scribentes in contrarium.

Nihilominùs ex deductis *in Toletana disc. 1.* & in aliis frequenter, planus ac inevitabilis punctus, per quem tolluntur hujusmodi æquivoca, istis usurpationibus & controversis fomentum tribuentia, consistit in eo quod, admissa etiam ista impropria, & intellectuali separatione territorii, ea 9
procedit quantum ipsius empti & privilegiati Monasterii seu loci territorium se extendit, quod restringitur intrà claustra & ambitum ipsius Monasterii materialis juxtà traditionem *Cardinalis in Clementina prima n. 1. de statu Monachorum*, de qua *Tamburin. de Jur. Abbat. tom. 1. disput. 15. quæst. 7. num. 39. Caputaquen. dec. 225. part. 2. dec. 248. n. 35. part. 11. rec.* Et sic quoad personas intrà ipsum ambitum viventes, Non indè tamen inferri potest ad concessionem territorii, in quo vivit Clerus & populus sæcularis cum activa jurisdictione in istum, acquirendo qualitatem Pastoris cum ovibus in suo territorio depascentibus, & in qua circumstantia totus est hujusmodi controversiarum punctus, cujus ratione hæc privilegia exemptiva ipsorum

rum Monasteriorum vel Ecclesiarum, quantumvis ampla & prægnantia, in proposito nullius remanent operationis, quia punctus non est in exemptione passiva, sed jurisdictione activa in territorio non suo, & in populum non suum.

Cumque, quandò *Sac. Conc. Trid.* in concernentibus curam animarum & administrationem Sacramentorum, ac aliis concedit locorum Ordinariis jurisdictionem delegatam in locis exemptis, loquatur, ac exprimat *etiamsi sint Nullius*, atque ex deductis *in dicta Toletana*, & in aliis, receptum sit, hujusmodi delegationem non adaptari locis verè territorium separatum habentibus, Idcircò pernecesse dicendum est, intelligere voluisse de hujusmodi *Nullius* impropriè quæ dantur fictè, ac intellectualiter, non obstante situatione in diœcesi, cùm aliàs dicta verba fatua essent, nullamque haberent operationem, & istam credebam esse veritatem.

APRVTINA JVRISDICTIONIS PRO EPISCOPO CUM ABBATE MONASTERII CORROPOLIS.

Causa pendet in Rota cum resolutionibus, ut infrà.

De probatione situationis loci in Diœcesi, an incumbat Episcopo agenti contrà Prælatum inferiorem pro exercitio ordinariæ vel delegatæ jurisdictionis. Et de probatione privilegii super territorio seseparato per testes ob illius casualem amissionem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Planæ defertur circà situationem loci.*
3 *Situatio loci in Diœcesi probanda est pò. Episcopum actorem.*
4 *Contrarium verius cum declaratione, quando id procedat.*
5 *Illæ probationes quæ de per se non sufficiunt, attenduntur tanquam adminicula circà situationem.*
6 *An probetur privilegium amissum per testes, & quomodò isti deponere debeant.*
7 *Quomodo debeant deponere testes ad concludendam quadragenariam de visu in immemorabili.*

DISC. XI.

VSque ab anno 1585. & antea introducta fuit lis in Rota coràm *Bubalo* super spirituali & quasi Episcopali jurisdictione prætensa per Abbatem loci *Corropolis* Ordinis Cœlestinorum, *& sub die prima Aprilis ejusdem anni* prodiit decisio decernens Episcopo manutentionem in exercitio jurisdictionis delegatæ; Reassumpta verò causa de anno 1662. coram *Bevilaqua* subrogato *sub die 6. Martij* idem resolutum fuit circa jus visitandi, ex eo fundamento, quod cum constaret de hujus loci situatione intrà limites diœcesis, fundata remanet Episcopi intentio super spirituali jurisdictione, in qua ex sola juris assistentia conceditur manutentio, juxtà firmata in pluribus præcedentibus decisionibus coram eodem in causa *Toletana*, de qua supra *disc. 1.* mandando in reliquis videri de bono jure; Super quo assumpta disputatione *sub die 22. Martii 1666.* dictum fuit, quod fieret planta partibus auditis, atque in hoc statu causa reperitur, Dictaque resolutio forsàn processit ex consimili praxi servata in adeò agitata causa *S. Angeli Lombardorum coràm Pirovano, & Peutingerio*, in qua confecta fuit planta, cui in resolutionibus satis delatum fuit pro territorio separato ad favorem Monasterii S Guglielmi Congregationis Montis Virginis, ejusque Generalis ibi residentis, ut patet ex decisionibus desuper editis, quarum aliquæ habentur impressæ *decis. 197. par. 8. recent. & decis. 80 par 9.*

In hac igitur ultima disputatione in bono jure, in qua solùm scribebam pro Episcopo, scribentes pro dicto Prælato inferiori prætendente quasi Episcopalem jurisdictionem in isto loco cum territorio separato, & cum qualitate *Nullius*, duo deducebant fundamenta, Unum non probatæ situationis in diœcesi, quam probandam esse per Episcopum actorem tanquam suæ intentionis fundamentum, quoties Prælatus inferior reperitur in quasi possessione exercendi jurisdictionem spiritualem, aliàs dictum fuit *in alia Aprutina, seu nullius jurisdictionis 11. Martij 1624. coram Dunozetto seniore impress. post Tamburin. de jur. Abbat. tom 3. dec. 71. & inter suas decis. 309. n. 7. & seqq.* potissimè quia in facto docebatur, locum controversum magis adjacere diœcesibus, *Asculan. & Ripan.* in quibus etiam confinabat, itaut non concurreret circumdatio undiq;

Et secundò, quod adesset privilegium Apostolicum super territorio separato; quod asserebant amissum fuisse cum aliis scripturis, ac Sacra Supellectili, in excidio, seu devastatione data per milites occasione cujusdam belli, cujus casus accidentalis. in genere dabantur probationes sufficientes, Deducedo etiam aliquas probationes factas de dicto anno 1585. vel etiam antea super immemorabili per testes examinatos coram Episcopo Reatino fortè in vim remissorialium Rotæ.

His non obstantibus, reflectendo etiam ad solam veritatem, resolutio non placuit, quoniamut advertitur *in dicta Toletana disc. 1.* (quæ omnium consimilium controversiarum videtur hodiè norma & magistra) stante communi, & per Rotam, ac Sac. Congregationem Concilii recepa opinione, de qua etiam *Mirficen. apud Burat. decis.* 578. & alibi frequenter, super generali divisione *Dionisij* totius Orbis in diœceses, ista qualitas *Nullius*, & extra hanc generalem divisionem non præsumitur, Tunc autem in his terminis rectè procedit in hac materia vulgaris regula textus *in l. actor de probationibus cum concord.* ut actori incumbat onus probare id quod allegat pro fundamento intentionis, cum aliàs reo & possessori sufficiat vincere per non jus, Quando alter Episcopatus esset in causa, qui in possessione reperiretur, itaut, præsuppositæ loci existentia in una vel altera diœcesi juxta dictam generalem divisionem, sola contentio esset super pertinentia inter duos Episcopos, quorum unus esset actor, alter reus; Secus autem ubi quæstio est cum inferiori habente juris resistentiam, vel contrariam

ſiam præſumptionem; Atq; talis eſt praxis Sac. Congregationis Concilii, ut patet ex tot caſibus, de quibus ſuprà & infrà, quoniam non docto incontinenti per inferiorem Prælatum de privilegio, decernitur vicino, & adiacenti Epiſcopo comparenti manutentio in exercitio delegatæ jurisdictionis, donec per allegantem territorium ſeparatum, illud probetur per privilegium, vel per immemorabilem canonizatam per tres conformes; Hæc autem praxis procedere non poſſet, ſi Epiſcopo ad eamdem Congregationem recurrenti incumberet onus, formalis, & concludentis probationis ſuper ſituatione, cũ hæc probatio, ubi præſertim non concurrit circumdatio undiq;, ſed adeſt confinatio cum aliis diœceſibus, dicatur ſatis difficilis, nimiumq; diſpendioſa, undè eſſet retrahere omnes Epiſcopos ab hujuſmodi opere aſſumendo, atq; deſtruere propoſitiones, quas in hac materia receptas habemus, Atque ita per indirectum inferiores Prælati hanc juriſdictionem ſibi aſſumentes, obtinerent victoriam negotii principalis; Potiſſimè quia hujuſmodi juriſdictionales controverſiæ habent ſpeciem notorii in regione, atq; abſq; dubio notiſſimæ ſunt aliis Epiſcopis adiacentibus, quorum non oppoſitio per tempus conſiderabile, clarum inducit argumentum ſituationis intrà Diœceſim illius Epiſcopi, qui comparet, & litem ſubſtinet, ut clarè ad ſenſum, ac ſæpè habetur in præcedẽtibus.

Clariùs verò in hac facti ſpecie, ob eam circumſtantiam, quod ageretur de ſatis diuturna lite, in qua Epiſcopus obtinuit ut ſuprà uſq; ab anno 1585. reſolutionem in poſſeſſorio, renovatã de anno 1662. abſque eo quod dicti alii Epiſcopi, qui dicebantur magis adiacentes unquam comparuiſſent, eorumq; prætenſionem deduxiſſent; Ac etiam quia eadem ſituatio juſtificari videbatur ex quadam Bulla *Anaſtaſii*, & ex planta quadam ſeu mappa geographica impreſſa quæ, ut ſupponebatur facta erat de univerſa Provincia per Miniſtros Regios, cum aliis adminiculis ponderatis in dicta deciſione ſuper poſſeſſorio 6. *Martij* 1662.

Quamvis n. in dicta alia *Aprutina dec.* 71. *poſt Tamburin.* & 309. *Dunozeteti ſen.* in qua etiam eadem plãta, & dicta Bulla *Anaſtaſii* deducebantur, conſideretur neutram eſſe in forma probanti, ac ſufficienti fide dignam. Nihilominus reſponſio eſſet conſiderabilis, quandò unavel altera probationis ſpecies deduceretur tanquàm unica, & pro totali juſtificatione, Secùs ubi pro adminiculis coadiuvativis præſumptionis jutis, Ut recedendo à dicta deciſione advertitur in duabus poſterioribus deciſionibus editis coram *Dunozetto* juniore in præfata alia Aprutina impreſſ. *dec.* 285. & *ſequen. par.* 8. *rec.* & *inter ſuas dec.* 426. & 457. Quibus ſtantibus dicebam nullum fundamentũ conſtituendum eſſe in dicta præcedenti deciſione jam revocata, à qua ſcribentes in contrarium totum mutuaverant, unde propterea reſolutio prædicta parùm probabilis viſa fuit, niſi fortè conſideratum eſſet, Epiſcopo patùm præjudicari, ob manutentionem ſibi conceſſam in exercito juriſdictionis.

Quo verò ad alterum fundamentum privilegii ſuper territorio ſeparato, quod ex dicto excidio, cum aliis ſcripturis, ac etiã cum ſacra ſupellectili amiſſum ſupponebatur. Illud videbatur ſatis debile, ac omnino contemptibile, cum alia non dareturprobatio, niſi illa caſus, ac peremptionis ſcripturarum in genere, quod in propoſito nullius eſt momenti; Licèt enim non negetur poſſibilitas probandi per teſtes veritatẽ ſcripturæ caſualiter amiſſæ, Nihilominusultra probationem in genere ipſius caſus, exigitur etiam, quod teſtes valdè periti, puta. Doctores, & Notarii, ſatis recte & concludenter deponant, tàmde illius tenore, quàm de ejus ſtatu & qualitate, quod ſcilicèt eſſet vera & authentica, non autem confícta, & ſuppoſita, ſeu falſificata, ſatis convincentes, ac veriſimiles ſcientiæ cauſas reddentes, ut ex *Bart.* & aliis civiliſtis *in auth. ſi quis in aliquo Cod. de edendo*, & ex Canoniſtis *in cap. cum olim il primo de privilegio* benè *apud Afflict. deciſ.* 274. & 302. quæ videntur in materia magiſtrales, *Cavaler. deciſ.* 523. *Rota in Calagurritana decimarum* 17. *Aprilis* 1654. *coram Zarata impreſſ. poſt. Zuffum de legitim. proceſſ. dec.* 15. & in aliis.

Et quandò non haberentur auctoritates, ad evidentiam id probaret ipſe naturalis diſcurſus, quoniam quilibet aliàs poſſet privilegium, vel aliud documentum à ſe confictum, ſeu falſificatum exhibere peritiſſimis Doctoribus & Notariis, ſub prætextu obtinendi ab eis conſilium in negotio principali, ita ut iſti veridicè, & ſincerè de ejus tenore benè deponere poſſent, illud deinde lacerando, vel occultando, nè convinci poſſit falſitas, vel confictio; Unde propterea, cum in hac facti ſpecie nulla daretur probatio, niſi illa caſualis amiſſionis ſcripturarum Monaſterii in genere, iſtud motivum remanebat diſputatione indignum.

Demùm nullius momenti videbantur probationes ut ſupra factæ per teſtes ante annum 1585. inductos coram Epiſcopo Reatino, Tum quia erant nulliter 7
examinati, non citato Epiſcopo, ſeu Promotore Fiſcali, ut advertitur *in dicta prima deciſione coram Bubalo*, Tum etiam quia laborabant in dicto, dum non concludebant ſuper quadragenaria de viſu, quod eſt primum, ac potiſſimum requiſitum probationis immemorabilis; Licèt enim ſimpliciter dicerent ab annis 50. & 60. citrà, attamen id non concludit, cum verificari poſſit in eo, quod heri, & nudius tertius geſtum eſt, juxtà receptam doctrinam *Bari. in l. Celſus ff. de uſu cap. Seraph deciſ.* 469. *n.* 1. *Cavaler. deciſ.* 174. & 213. *ubique n.* 1. & 2. Sublatiſq; his probationibus, impoſſibilis erat nova, cum ſubducto dicto tempore litis ab anno 1585. & anteà impoſſibile eſſet habere teſtes, qui ſubducendo etiam tempus ætatis pupillaris, concludere poſſent de viſu per tempus qadragenarium, Undè præſens cauſa mihi videbatur nimis plana pro Epiſcopo.

BENEVENTANA JURISDICTIONIS PRO ABBATE S. MODESTI CUM ARCHIEPISCOPO.

Caſus deciſus per Rotam pro Archiepiſcopo.

De eadem materia probationis ſituationis in diœceſi, vel territorii ſeparati reſpectivè; Et an privilegium Apoſtolicum, quamvis non expreſſum, ſuper territorio ſeparato, & juriſdictione activa in clerum, & populum, ſufficiat concurrente longæva obſervantia, tanquam ab iſta ita interpretatum.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *In probatione immemorabilis subducendum est tempus litis.*
3 *Instantia de jure Canonico est perpetua, & nunquam perit.*
4 *Quando etiam de jure Canonico per longissimum tempus lis dicatur habota pro derelicta, & cesset.*
5 *Episcopo agenti incumbit onus probandi situationem in diœcesi.*
6 *Depræsumptinne situtionis ob generalem divisionem* Dionisii *altero Episcopo non comparente, & num.13.*
7 *Quod confici debeat planta.*
8 *Negativa probatur ex non descriptione omnium locorum diœcesis, & num.4.*
9 *Archivium proprium non dat fidem ad proprium commodum.*
10 *Ubi duo sunt loca ejusdem nominis, actus remanent æquivoci.*
11 *De differentia inter Episcopum, & Metropolitanum, & de discretis terminis* Provinciæ *&* Diœcesis.
12 *Etiam* Provincia *sub nomine* Diœcesis *explicari solet.*
13 *De argumento situationis, de quo suprà num.6.*
14 *Declaratur conclusio, de qua num.8.*
15 *De circumdatione loci undique, seu adiacentia cum aliis locis, quandò hæc sit considerabilis.*
16 *An privilegia Apostolica exemptiva inducant territorium separatum, & jurisdictionem activam.*
17 *Quod ex observantia recipere possint hanc interpretationem.*
18 *Consideratur circumstantia notabilis ad favorem Prælati inferioris.*
19 *Privilegia quamvis non expressa, deservire possunt pro titulo putativo bonæ fidei ad præscriptionem.*
20 *Quod præscribi etiam possit territorium separatum, & non intret monstrum duorum capitum in uno corpore.*
21 *Privilegia Principum Sæcularium quomodò in proposito attendenda sint.*
22 *Illi de loco* Nullius *tenentur accedere ad Synodum Episcopi viciniores, si sibi ipsis propria Synodus non celebratur.*
23 *Confessiones Prælatorum non præjudicant Ecclesiæ maximè in iis, quæ non pendent ab ejus facto vel animo.*

DISC. XII.

1 CUM ab antiquo tempore Abbas Monasterii S. Modesti Civitatis Beneventi Congregationis Canonicorum Lateranensium, jurisdictionem spiritualem, & quasi Episcopalem in Terra *S. Georgii de Montanea Montis Fuscoli* nuncupata, de facto exerceret, etiam quoad actus cadentes sub jurisdictione delegata Ordinariis locorum per *Sac. Conc. Trid.* & Apostolicas Constitutiones, præsertim verò in ejusdem loci Ecclesia parochiali, *Abbatia*, nuncupata instituisset quemdam Lutium, à Barone, seù Domino temporali præsentatum, iste contrà proprium Superiorem capût erigendo, atque, ut dicitur, proprio auctori quæstionem refricando, obedientiam dicto Abbati denegare cœpit, ejusque jurisdictionem, & superioritatem controvertere, affectando potius subjectionem ergà Archiepiscopum, idque fuit istius controversiæ origo; Introductaque proindè causa usque ab anno 1618. coràm A.C. Abbas obtinuit mandatum de manutenendo in suæ jurisdictionis, & superioritatis possessione, & exercitio, undè per Lutium, quem etiam Archiepiscopus confovebat, appellatione interposita commissa fuit causa in Rota absque tamen ulteriori progressu usque ad annum circiter 1660. in quo denegante conversò moderno Rectore jurisdictionem, & superioritatem Archiepiscopi visitare volentis, aliosque actus jurisdictionales exercere, ex parte Archiepiscopi introducta fuit causa in Rota coràm *Bevilaqua*; Cumque utraque pars prætenderet, unam earum respectivè commisisse attentata, & manutentionem sibi deberi, idcircò agitata causa sub nomine dicti Abbatis S. Modesti, quamvis verè lis substineretur per dicti loci Rectorem, Communitatem, & Dominum temporalem, datum fuit dubium *an constaret de attentatis vicissim, & cui danda esset manutentio*. Quo bis proposito de annis 1663. & 1664. absque aliqua resolutione, demandatum fuit videri de bono jure, super quo assumpta disputatione *sub die 9. Junii 1666.* prodiit resolutio Archiepiscopo favorabilis super omnimoda jurisdictione ordinaria, & delegata, ex præsupposito situationis loci in diœcesi, à qua undique circumdatus esset, undè propterea intraret juris assistentia, donec de territorio separato docere ur, potissimè concurrentibus aliquibus enunciativis super eadem situatione, ac aliquibus actibus jurisdictionalibus.

Majus verò, ac principale fundamentum constitutum fuit in quodam actu publico renunciationis litis de anno 1660. facto per Abbatem, & Conventum dicti Monasterii Capitulariter, continente confessionem, ac agnitionem, quod Terra prædicta sita esset in diœcesi Beneventana, & sub Arciepiscopi omnimoda jurisdictione spirituali, cedendo, & renunciando cuicumque lici, quæ ipsius Monasterii nomine ageretur; Cumque dicta confessio per Congregationis Superiores revocata esset, atque in facto doceretur non subsistere præsuppositum circumdationis loci undique, cum in notabili parte adjaceret duobus aliis locis in eadem Montanea existentibus, quæ jam Rota contrà eundem Archiepiscopum declaraverat de territorio separato & nullius ad favorem Momasterii Montis Virginis, *ut in Nullius, seu Montis Virginis jurisdictionis 12. Junii 1656. & 8. Junij 1657. coram Dunozetto inter suas dec. 988 & 1001.* idcircò concessa fuit nova audientia, atque ter causa proposita, ob difficultates nulla capta resolutione, demum *sub die 26. Novembris 1668.* perstitum fuit in decisis, non tamen absque votorum discrepantia.

In his autem disputationibus, tres fuerunt inspectiones seù puncti, Unus ordinis circà attentata hinc indè, alter super probatione situationis loci in diœcesi, super quo in dictis disputationibus adversus decisionem habitis principaliter ex hac parte insistebatur, & tertius super interpretatione, ac relevantia privilegiorum dicti Monasterii, ex quibus ad hujusmodi jurisdictionem privativè ad Archiepiscopum cum territorio separato, & qualitate *Nullius* inferebatur.

Quoad primum, resolutio pendebat à puncto, an

an adhuc vigeret lis ab anno 1619. ut suprà in Rota introducta, vel potius ea deserta, attendenda esset nova ex parte Archiepiscopi introducta moderno tempore in eadem Rota; Si enim versaremur in hac secunda parte, ut Archiepiscopus prætendebat, tunc attentata adessent ex parte Abbatis, eique adhærentium; Econversò autem si, juxtà primam, duraret lis antiqua, attentata erant clara contrà Archiepiscopum.

Hic autem punctus, nedùm respiciebat ordinem, sed etiam influebat ad justitiam negotii principalis, ad effectum scilicèt ut habenda non esset ratio actuum jurisdictionalium hoc intermedio tempore per Archiepiscopum gestorum, utpotè lite pendente, ad quem effectum id proderat huic parti, cui tamen econversò nocebat ad alium effectum reddendi improbabilem immemorabilem,
2 quatenùs, non suffragantibus privilegiis, ad hanc speciem probationis recurrere oportuisset, quia cum certum sit, quod à quadragenaria de visu per testes justificanda subducendum est tempus litis, isto ac altero ætatis pupillaris subductis, impossibile esset habere testes, qui dictam quadragenariam concludere possent, ut in congressu ab initio pro causæ directione habito, de hujusmodi effectibus proficuis, & respectivè præjudicialibus discurrebam, ad effectum determinandi, an magis expediret insistere super dicta antiqua lite ejusque durationè, vel potius acquiescere prætensioni alterius partis, super ejus desertione ac expiratione, Determinatum tamen fuit juxtà primam partem.

Hinc propterea disputando dicebam, de huiusmodi antiquæ litis existentia & durationè dubitandum non esse, non obstante diuturno silentio annorum circiter 40. quoniam quicquid ingeniosè
3 in contrarium probare conetur *Covarr. inc. quamvis pactum de pactis in 6. par. 2. num. 4. de quo Rovitus super pragm. 1. de instant. caus. non restaur. num. 1* & qui aliquos habet sequaces, Attamen in Rota & Curia Romana, omninò verius ac receptum est, neglecta dispositione juris civilis super peremptione instantiæ, de qua ejusque restauratione ac aliis ad materiam facientibus cæteris allegatis *Rovit. super pragmaticis in rubr. & pragm. 1. de instantia caus. non restauran.* de jure canonico esse perpetua & nunquam perimi, non obstante quocumque temporis lapsu *ut ex Abb. & aliis in cap. venerabilis, & cap. fin. de judic. Marant. in prax. par. 5.* verbo; *Et omnia fiant durante instantia Vestr. & add. in prax. lib. 3. cap. 5. Rota decis. 326. num. fin. par. 11. rec. & passim.*

Et quamvis eadem conclusione retenta, adhuc in Rota, & Curia, ex longissimo silentio resul-
4 tare soleat effectus dictæ peremptioni æquipollens, super litis scilicet desertione, eo quod præsumatur habita pro derelicta, nihilominus in disputationibus, quæ in hac materia frequentes habentur in beneficialibus occasione regulæ de triennali, receptum est, duo requisita copulativè concurrere debere, Primò tempus longissimum ad minus 30. annorum, Et secundò malum jus ejus, qui litem prosequi tenebatur, ac tamdiu deseruit, quasi quod ita suum malum jus agnoscendo, animum deserendi declaraverit, itaut sit desertio resultans, magis à præsumpta voluntate, quàm à juris dispositione, ut cæteris allegatis habetur *apud Roias dec. 294. & dec. 255. num. 8. & seqq par 11. rec. & freq.*

Quamvis autem concurreret primum requisitum temporis, omninò tamen cessabat alterum, quod scilicet silentium proveniret ab eo, qui tenebatur litem prosequi, quoniam cum hæc pars esset appellata, utpotè obtinens manutentionem à judice primæ instantiæ, idcircò non huic sed alteri incumbebat onus prosequutionis, ideoque prorsùs imprium erat, ut hujusmodi silentium per delinquentem innocenti objiceretur, Et consequenter extraneam dicebam disputationem, quam super hoc puncto scribentes pro Archiepiscopo ab initio assumpserunt circa merita, ut ita alterum requisitum mali juris justificarent. Tum quia ut patet ex mox allegatis decisionibus, illud debet esse clarum, non autem adeò dubium & disputabile; Tum etiam quia cum dictus desertionis effectus ita resultare dicatur, non ex dispositione juris, sed ex præsumpta voluntate deserentis, quasi quod ita ejus malum jus agnoverit, requiritur ut negligentia proveniat ex parte succumbentis, cui prosequutionis onus incumbit, non autem victoris, cujus potius interest, causam appellationis ulteriorem progressum non habere; unde erat objicere in odium id quod favore obtinentis contrà appellationem de jure inductum est.

Quoverò ad alterum punctum situationis loci in diœcesi, & super quo major ac penè tota fuit disputatio, Dicebam scribens pro hac parte Prælati inferioris impugnando *dictam primam decis. anni 1666.* quod omnia ejus præsuppositа corruebant, Tam respectu circumdationis, cum in facto ex delineatione seu planta doceretur, istud Oppidum pro magna parte adiacere aliis, quæ ut suprà jam declarata fuerant de territorio separato. & sub omnimoda quasi Episcopali jurisdictione Abbatis Montis Virginis, Tum etiam quia constabat æquivocas minusque concludentes remanere alias species probationis ex enuntiativis & actibus jurisdictionalibus resultantes.

Et consequenter insistebam in conclusione, de qua *Seraph. dec. 1278. decis. 54. n. 3. & dec. 71. n. 5. post Tamburin. de Jur. Abbat. tom. 3.* ut scilicet Episcopo agenti adversùs inferiorem Prælatum possessorem 5
spiritualis jurisdictionis, incumbat onus concludenter probandi situationem loci intrà suam diœcesim, tamquam suæ intentionis fundamentum; neque alias intrat juris assistentia procedens dato hoc præsuppositо, ut etiam habetur *in Aprutina disc. præcedenti.*

Et quamvis scribentes pro Archiepiscopo insisterent potissimum in firmatis *in Marsicen. jurisdictionis coràm Buratto inter suas dec. 678.* quod scilicèt ob generalem *Dionisii* divisionem, omnia 6
loca præsumantur esse in aliqua diœcesi, proindeque alio Episcopo non comparente præsumptio assistat agenti, Respondebam tamen, quod ut patet ex eadem decisione ac aliis posterioribus editis in ea causa, de qua infrà *disc. sequenti* ista præsumptio deducitur tamquam unum ex argumentis, aliundè verò ibi situatio justificabatur, eaque videbatur indubitata, ex eo præsertim quod dabatur initium jurisdictionis per ipsum Episcopum illi Archipresbytero concessæ, Reconveniendo in hoc Rotam 7
cum resolutione capta *in dicta Aprutina, disc. præced.* dum cessante circumdatione undique, ob dubietatem quod locus, in una, vel altera diœcesi esse possit, vel in nulla, mandavit confici plantam, super hac eadem provisione insistendo.

Clarius verò, quia potius pro dictæ situationis negativa nonnulla urgebant adminicula, illud præsertim satis efficax, quod in descriptione facta de anno 1375. per Archiepiscopum *de Aquino*

de omnibus locis diœcesis, ad effectum obtinendi subsidium charitativum, reperitur solùm descriptum unum Oppidum *S. Georgii*, quod est illud *de Molaria*, indubitatè & extrà controversiam de hac
8 diœcesi, & consequenter probabatur negativa istius, quæ ita probari dicitur, *ut apud Otthob. dec. 114. n. 4. & 128. num. 18.* Et his addebam alia adminicula resultantia ab exercitio jurisdictionis dicti Abbatis, de quibus infrà in tertio puncto super interpretatione privilegiorum.

Et quoad enunciativas, tres dabam responsiones, quarum quælibet sufficiens videbatur, Primò scilicèt quod scripturæ, ex quibus illæ deducebantur non essent in forma probanti, neque eis deferendum esse, cum essent extractæ à proprio Archivio ip-
9 sius Episcopi collitigantis, *Caputaq. decis. 42. par. 1. Millin. dec. 34. nu. 1. & seqq.* & in aliis deductis *de c. 59. n. 18. & sequen. par. 11. rec.* plenè *in Senogallien. Parochialis 12. Februarii 1666. coram Bourlemont.*

Secundò quod stante duplicitate Oppidorum sub eodem vocabulo S. *Georgii* in hac regione seu contrata existentium, ita dictæ enunciativæ remanebant æquivocæ utpotè referibiles ad dictum aliud Oppidum, quod non dubitabatur esse de diœcesi,
10 Et cum quo æquivoco respondebatur etiam actibus jurisdictionalibus in dicta decisione ponderatis, Ut in individuo in simili controversia contra eumdem Archiepiscopum ob eamdem pluralitatem locorum ejusdem nuncupationis firmatur in allegatis decisionibus *Montis Virg. seu nullius* 12. *Junii 1656. & 8. Junii 1657. coram Dunozetto inter suas decis. 988. & 1001.*

Et tertiò, potissimè, quia controversia non erat cum simplici Episcopo, cujus respectu enunciativæ ad alium titulum referri non possunt, nisi ad verè diœcesanum, ad quem etiam referendi veniunt actus jurisdictionales, non constito quod
11 gesti fuerint jure delegato, tanquam à viciniori, in quibus terminis procedunt fortè omnes auctoritates & decisiones de materia agentes; Sed erat cum Archiepiscopo, qui est etiam Metropolitanus, habens nedùm diœcesim, sed etiam amplam provinciam, sub qua, generalis consuetudo est, præsertim Datariæ & Cancellariæ Apostolicæ, denominandi hujusmodi loca *Nullius* & de territorio separato, in quibus etiam Metropolitanus jure Metropolitico plures actus jurisdictionales exercere solet, magis quàm in reliquis diœcesibus Suffraganeorum, & consequenter, tam enunciativæ, quàm actus jurisdictionales cadebant sub æquivoco, utpotè ad hunc diversum titulum referibiles.

Et quamvis dicta intitulatio locorum *Nullius* fieri soleat sub nomine provinciæ, non autem diœ-
12 cesis, qui termini sunt discreti in Metropolitano utrumque territorium habente, diœcesanum scilicet & Provinciale, quorum unum est immediatum, alterum verò mediatum, nihilominùs docebatur ex hac parte, hanc provinciam quandoque sub nomine diœcesis explicari consuevisse, ut constat ex litteris Apostolicis *Joannis XIII.* registratis per *Ughellium in ejus Italia Sacra tom. 8 fol. 92.* in quibus dicitur *diœcesi* Archiepiscopi, etiam illa pars, quæ proprios habet Episcopos suffraganeos, & sic vocabulum *provinciæ* usurpatur pro illo *diœcesis.*

His tamen non obstantibus, reflectendo ad veritatem, quoàd hunc punctum situationis, satis dubitabam, quoniam stante dicto argumento generalis divisionis totius Orbis, de quo *in Toletana discurs. 1.* & in aliis frequenter *hoc eodem titulo*, non dato saltem efficaci fumo situationis in alia diœcesi, illud videtur satis concludens, potissimè stantibus dictis enunciativis ac aliis, ut suprà, quæ li- 13
cet singulariter & de per se considerata non sufficerent ad perfectam probationem, utpotè æquivoca, nihilominùs satis operativa videntur, tanquàm adminicula ad confovendam & corroborandam juris præsumptionem, ea præsertim insimùl unita ponderando.

Dicta verò contraria adminicula, rectè considerabilia esse observabam in ordine ad tertium punctum probationis territorii separati ex privilegiis Apostolicis, ita interpretatis ut infrà, Secùs autem quoàd istum situationis, quoniam licèt satis forte videretur adminiculum deductum ex non descriptione istius loci inter alia diœcesis, nihilo- 14
minùs adhuc istud erat æquivocum, dum dicta descriptio facta non erat principaliter ad determinandos fines diœcesanos quoàd universos legis diœcesanæ effectus, sed erat solùm pro exactione subsidii charitativi, à quo istius loci Rector & Clerus poterat esse exemptus, ratione privilegiorum dicti Monasterii, potissimè quia antè Concilium Tridentinum, quod etiam in locis exemptis tantam jurisdictionem Ordinariis seu Diœcesanis delegavit, effectus exemptionis videbatur idem ac ille territorii separati & *Nullius ut in Theatina disc. 5.* & consequenter meritò sub dicta descriptione non aderat.

Et quoàd cessantem circumdationem undiquè, adhuc videbatur debile fundamentum, dum adjacentia non erat cum altera diœcesi juxtà casum de quo *in dicta Aprutina*, sed erat cum duobus Opidis seu locis antiquitùs ad eamdem Benevenitanam diœcesim pertinentibus, quæ ex privilegiis 15
Apostolicis, ita saltem ab observantia interpretatis dismembrata fuerunt, ac effecta de territorio separato; Cum enim Monasterium Montis Virginis, illaque Congregatio certum initium haberent infrà nostræ salutis millesimum, hinc proinde perneccsse dare oportet eorumdem locorum præcedentem situationem in diœcesi, à qua deindè ex auctoritate Apostolica fuerint dismembrata, cum privatio supponat habitum, ac dismembratio præcedentem annexionem alteri corpori, & sic reverà aderat circumdatio undiquè, solumque hanc adjacentiam aliis duobus locis jam declaratis *Nullius* deservire posse considerabam pro uno ex adminiculis territorii separati, juxtà tertium punctum, de quo proximè infrà, dum ita constat in his partibus, non omnino novum, neque inusitatum esse, ut adsint Prælati inferiores cum omnimoda jurisdictione quasi Episcopali, & territorio separato, nihil verò influere ad excludendam antiquam situationem in diœcesi.

Quarè tota hujus Prælati defensio, pro meo judicio, restringi videbatur ad dictum tertium punctum, an scilicèt sufficienter constare diceretur de territorio separato, itaut iste Prælatus inferior omnimodam quasi Episcopalem jurisdictionem in loco haberet, privativè ad Archiepiscopum, tam quoàd ordinariam, quàm quoad delegatam; Cumque ex duabus speciebus, ad quas hæc probatio restringitur, deficeret illa immemorabilis utsupra, & quæ etiam facta vel facienda parùm prodesse solet, dum exigit canonizationem per tres conformes, quibus pendentibus, Episcopus manutenetur, ut frequenter in præcedentibus, præsertim *in Toletana*

sertim *in Toletana disc.* 1, *in Vulturarien. & Anglonen. disc.* 3. & 9. proindeque remaneret solùm altera species per privilegium Apostolicum

Difficultas arat, an ad id sufficerent & suffragarentur hujus Monasterii privilegia *Alexandri Tertii*, & alionum Pontificum, juxta illorum temporum cosuetam formulam, recipientia istud Mo- 16
nasterium *sub B. Petri & Sedis Apostolicæ protectione & immediata subjectione, cum plena, tam ipsius, ejusque personarum & bonorum exemptione à quacumq; Ordinarii jurisdictione & cum facultate ordinandi clericos, illosque instituendi & destituendi, ac etiam excommunicandi, necnon altaria & vasa sacra benedicendi & consecrandi, seu à quovis bene viso Episcopo benedictionem seu consecrationem obtinendi*, cum similibus, quæ juxtà antiquas formulas in hujusmodi monasteriorũ exemptivis privilegiis contineri solebant, & ex qua amplitudine Rota *in Montis Cassini Jurisdictionis dec.* 373. *par.* 11. *rec.* firmavit, qualitatem *Nullius* resultare.

Verùm inspecto solo tenore ac littera privilegiorum, adhuc periculosum videbatur fundamentum, quoniam *ut habetur in dicta Toletana disc.* 1. & in aliis frequnter, hujusmodi privilegia, quantumvis ampla, & inductiva illius territorii separati, de quo *dicta dec.* 373. *par.* 11. *rec.* operariva sunt in ordine ad ipsum Monasterium, seu Ecclesiam, ejusque ambitum materialem, ultra quem ejus territorium non extenditur, secùs autem quoad jurisdictionem activam in clerum & populum viventem extra Monasterium in territorio Episcopi, cum dismembratione partis diœcesis, ejusque transmutatione in diversam naturam, & in quo residet inevitabilis difficultas non obstante quacumque privilegiorum amplitudine.

Quia tamen privilegia Monasterii Montis Virginis de quibus in supra allegatis decisionibus coram Dunozetto, ferè ejusdem tenoris erant, & 17
nihilominus ex subsequuta observantia interpretationem receperunt, ut hanc activam jurisdictionem, ac separatum territoriim importarent, quod etiam dici posse videtur de magistrali *Squillacen. coram Martino Andrea dec.* 54. aliàs 59. *post Tamburin.* & de similibus, cum antiquis illis temporibus ista esset consueta privilegiorum formula, neque antiquitas istas subtilitates ac distinctiones excogitasset, à Concilio Tridentino citrà fortè exortas; Idcirco dicebam, idem in præsenti rectè dicendum esse, cum facti circumstantiæ, & adminicula nimis urgerent, etiam circà exercitium illius jurisdictionis, quæ à publicatione Concilii citrà, jure delegato in locis exemptis penes Ordinarios locorum existit, prout sunt concedere litteras dimissoriales pro susciendis ordinibus, cognoscere causas matrimoniales & criminales, indicere concursum ad effectum providendi Rectorem Ecclesiæ Parochialis, approbare Confessarios, benedicere Prædicatores, concedere monitoriales pro revelationibus habendis, cum similibus, non nisi Prælato habenti omnimodam cum territorio separato convenientibus ex collectis per *Ciarlin. controv.* 220. quia constabat omnes hos actus gestos esse ab hoc Prælato.

Et clarius ob alias circumstantias, illam præsertim, quod non agebatur de Prælato residente in 18
loco, de cujus jure dictione agitur, in quo ratione jurisdictionis temporalis, seu alias occasione exercitii curæ, dici posset exercitium jurisdictionis spiritualis, & quasi Episcopalis fuisse intrusivum, & clandestinum absque Episcopi scientia & patientia, ut sunt ferè omnes casus, de quibus suprà & infrà hoc tit. Sed agebatur de Prælato residente in ipsamet Civitate, in qua residet Archiepiscopus, in cujus faciem, publicè, & palam usque ad dictum annum 1618. dictos actus, jurisdictionem etiam delegatam concernentes exercuit, scientibus Archiepiscopis pro tempore, quos tunc, quando dignitas Episcopalis fortè majoris de facto existimationis erat, ostendebatur fuisse doctissimos & eximios Viros, qui fuerant Rotæ Auditores & respectivè Cardinales, in ipsamet Sac. Congregatione Concilii versati, in quibus ignorantia dictæ delegatæ jurisdictionis in locis exemptis non dabatur, & tamen præmissa omnia tolerarunt, negligendo etiam hujus loci visitationem.

Et in specie docebatur in facto, quod cum de anno 1600. quidam celericus seu subdiaconus hujus loci fuisset carceratus per Regiam Audientiam provincialem ob quoddam grave facinus, atque cum litteris monitorialibus Abbatis remissus fuisset eidem tanquam suo Prælato, iste eum custodiendum reposuit in carceribus ipsiusmet Curiæ Archiepiscopalis, ubi detinuit ferè per annum, deindeque ser. condemnavit cum subsequuta executione.

Atque his rectè conveniebant etiam alia adminicula superius circa punctum situationis ponderata, ob hujus loci non descriptionem inter reliqua loca diœcesis, ac etiam ob adiacentiam dictis duobus aliis locis Monasterii Montis Virginis ejusdem naturæ & qualitatis, Quibus omnibus insimul junctis, dicebam cadere eamdem interpretationem privilegiorum, quæ saltem capienda sunt tanquam titulus bonæ fidei putativus tollens juris resistentiam, ac 19
malam fidem ex ea resultantem, atque præbens locum præscriptioni etiam quadragenariæ, juætà terminos *tex in cap. auditis de præscript.* de quibus in eadem Toletana *disc.* 1. Sicuti enim præscribi possunt cumulativè aliqui actus particulares ex ibi deductis, ita nil prohibere videtur, ex eadem ratione, proportionabiliter stante dicto titulo putativo, eamdem præscriptionem cadere super hac territorii parte, ita ab uno corpore abscisâ, & in diversam naturam transmutatâ, per quam fiat corpus diversum cum diverso capite. Eodem modo, quo 20
subfeudum, quod est membrum & pars alicujus feudi, effici potest feudum in capite ex deductis *in Mantuana sub tit. de feudis disc.* 7. & alibi; Sivè Monasterium quod sit grancia & membrum alterius, efficiatur Monasterium in capite & independens, dum ita cessat inconveniens dandi duo capita in uno corpore, quia dicuntur duo corpora separata, quorum quodlibet habet suum caput discretũ.

Et quamvis inter istum & dictum alterum casum Monasterii Montis Virginis, de quo in allegatis decisionibus *coram Dunozetto*, aliqua dignosci videretur notabilis differentia, ob duplicem circumstantiam ibi concurrentem, & in præsenti cessantem, quod scilicet ille Prælatus esset caput Religionis, ac etiam haberet jurisdictionem temporalem in loco, unde propterea suffragaretur dispositio ejusdem *Sac. Conc. Trid. sess.* 25. *de regularibus cap.* 11. Nihilominus, sivè ob decretum *Pii V.* sivè quod Concilium intelligendum sit de jurisdictione temporali plena & omnimoda, non autem de illa satis restricta, quam in Regno habent hujusmodi Prælati Ecclesiastici, non videtur quod

de facto hujusmodi circumstantiæ nimium diversificent, ex iis, quæ super dicto *cap.11.* habentur superius ponderata *in Anglonen. disc.9.* undè meritò decisiones in eis non multum insistunt.

Pro adminiculo quoque considerabam privilegia *Pandulphi & Landulphi* Principum Longobardorum, in specie agentia de Ecclesia istius loci sancti
21 Georgii, cum ejus juribus concessa & confirmata dicto Abbati; Quamvis enim prima decisio anni *1666. §. penult.* istis privilegiis in specie respondendo, dicat de eis nullam habendam esse rationem, utpotè Principum sæcularium in hac materia nullam potestatem habentium, Adhuc tamen considerabam idem quod de consimilibus privilegiis habetur suprà *in Maceraten. disc.6.* quod scilicèt rectè deservire valeant, Vel tanquam lex fundationis, Vel tanquàm assensus pro ejus jure, cum approbatione Apostolica, & sic, non pro integra probatione seu competentia hujusmodi juris, sed pro adminiculo & corroboratione præmissorum, omnibus insimul ponderatis, cum regula, *ut singula quæ non prosunt &c.*

Econversò autem, ponderando actus pro Archiepiscopo urgentes, Quatenus pertinet ad enunciativas super situatione in diœcesi, parum obstare videbantur, Tum ratione æquivoci utsuprà, cum verificari possint in altero Oppido consimilis nuncupationis; Tum etiam quia vocabulum *diœcesis* usurpari potest pro illo *provinciæ* ut suprà dictum est.

Quo ad actus jurisdictionales gestos ab anno 1618. citrà, planum videbatur, de eis nullam habendam esse rationem, utpotè gestis lite pendente, aliam operationem non facientibus, nisi illam impediendi ex tunc contrariam possessionem pacificam, & cursum præscriptionis, atque reddendi difficiliorem probationem immemorabilis; Pro tempore vero antecedenti nulli dabantur actus, dum quædam visitationes factæ erant jure delegato tanquàm à viciniori, solumque difficultatem aliquam faciebat convocatio Rectoris istius loci ad Synodum, ejusque interventus, itaut quandoque Rector pro tempore deputatus fuerit unus ex Examinatoribus Synodalibus.

Verùm hic actus videbatur compatibilis cum territorio separato, & qualitate *Nullius*, quoniam ubi Prælatus inferior, quamvis cum dicta qualitate, non solet convocare, & celebrare propriam Sy-
22 nodum, tunc accedendum est ad illam Episcopi vicinioris, ut decisum per Sac. Congregationem testantur *Leo, Sayr. Tamburin. & cæteri collecti per Barbos. de Episcopo alleg.93. num. 6.* Multò magis dum hic erat nedum vicinior, sed etiam Metropolitanus, undè propterea actus remanet compatibilis.

Majorem difficultatem facere videbatur dicta confessio facta per Abbatem ejusque Conventum, & in qua prima decisio magnum constituit fundamentum; Sed neque videbatur multum considerabilis, quoniam prohibitus alienare, seu aliàs disponere, prohibetur etiam confiteri, ne quod directè
23 est prohibitum, ita indirectè sequatur, Ut omissis generalibus, de quibus infrà in his terminis specialibus habetur *dec.127. nu.9. par.9. & dec.241. num.31. par.10. rec.* Undè cum non posset dictus Abbas juribus Monasterii expressè præjudicare, dictamque jurisdictionem à se abdicare, cum esset formalis alienatio cadens sub *extravag. ambitiosæ*, etiam super hujusmodi juribus incorporalibus & jurisdictionalibus, *ut in Acernen. Vicarii coram Otthobono inter suas decis. 220. & passim*, idcircò neque confiteri potuit, quia Prælatus non potest confitendo suæ Ecclesiæ præjudicare, Atque eatenus confessio attenditur, quatenus sit verisimilis, & adminiculata, Adinstar confessionis tutoris cum similibus ex *deduct. per. Mantic. dec.39. Cavaler. decis.79 Buratt. & Adden. decis.453. Geor. & Add. decis.375.*

Ac etiam quia confessio in eo, qui non est prohibitus, attenditur, & est maxima species probationis in iis, quæ pendent ab ejus animo, sivè consistant in ejus facto proprio, secus autem in iis, quæ consistunt in jure, seu pendent à facto alieno, cum tunc confessio provenire possit ab erronea credulitate, quæ inducere non potest id quod reverà non est *l. confessionibus ff. de interrogator. action. Surd. decis. 104. num.30. Buratt. dec.335. & 483. utrobique num.5.* Et habetur pluries ad materiam fideicommissariam, quod confessio existentiæ fideicommissi, istud non inducat, si verè nonadest, cum similibus; Repropositâ autem causâ sub die *26. Novembris 1668. coram eadem Bevilaqua*, non absque vororum discrepantia perstitum fuit in decisis, atque ista causa tales habet facti circumstantias, illam præsertim tot actuum jurisdictionis etiam delegatæ in ipsamet Civitate in faciem Archiepiscopi, quod diversificat ab aliis, in quibus Episcopis magis justitiam assistere sæpius dixi, Undè dictæ resolutiones non omninò placuerunt, licèt neque de positiva improbabilitate redargui valeant.

MARSICEN. JURISDICTIONIS PRO EPISCOPO CUM CAPITULO, SEU CLERO OPPIDI SAPONARIÆ.

Casus decisus per Rotam pro Episcopo.

De eadem materia controversiæ jurisdictionalis inter Episcopum, & Prælatum inferiorem prætendentem jurisdictionem cum territorio separato. Et an sententia, aliaque acta gesta cum Episcopo afficiant Capitulum, seu Clerum loci controversi, Et quandò dicatur esse tale Capitulum, quod ad causæ defensionem, evocandum, vel admittendum esset.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Quando jura unius Ecclesiæ, ad aliam translata censeantur.*

3 *Sententiæ & acta cum uno ex defensoribus non citatis aliis principaliter interessatis non afficiunt, & corrumpunt etiam quoad citatos.*

4 *Quid concurrente aliorum certa scientia.*

5. Et

5 *Et quid ubi concurrit justitia clara, itaut si fuisset citatus, non potuisset impedire judicatum.*

6 *De justitia causæ super jurisdictione Episcopi.*

7 *Quando plures Clerici Ecclesiæ inservientes dicantur constituere Capitulum nec ne, & quando Ecclesia sit Collegiata.*

8 *Interesse secundarium non attenditur, ac sufficit causam agere cum habente] inter esse principale.*

DISCURSUS XIII.

1 ARchipresbytero Terræ *Saponariæ* de facto ibi exercente spiritualem jurisdictionem, tractuque temporis prætendente hujusmodi exercitium privativè ad Episcopum Marsicanum, Hinc usque ab anno *1572.* exorta fuit lis, sopita per sententiam Rotalem *Manzanedi* de anno *1614.* prævia decisione 26. Aprilis 1609 quæ habetur impressa *decis.248.par.2 rec.* pluribusque deinde editis decisionibus super occultatione processuum, & aliis ordinem concernentibus *coram Buratto*, inter ejus impressas: assumpta demum de anno 1621. disputatione super negotio principali, prodiit resolutio ad favorem Episcopi tantùm informantis, ut liquet *ex decis.578. ejusdem Buratti*, quæ videtur in materia magistralis, tam circa situationis præsumptionem assistentem Episcopo comparenti, absque alio oppositore, quàm circà juris assistentiam super dicta jurisdictione, privativè ad alios, in locis & personis suæ diœcesis; Reassumente autem litem moderno Archiepiscopo *coram Bichio*, dictamque *Manzanedi* sententiam, tanquam nullam & injustam impugnante, tres prodierunt eodem anno 1647. resolutiones Episcopo favorabiles *sub diebus 18. Februarii, 17. Junii, & 11. Decembris*, quarum duæ priores impressæ sunt *par.* 10. *rec. decis.24. & 87.* subsequente etiam alia resolutione coram eodem super declaratoria ob non paritionem exequutorialium in vim dictæ rei judicatæ relaxatarum, quæ decisio est pariter impressa *dec 303. eadem par.* 10. Verùm Archipresbyter his non acquiescens obtinuit committi causam restitutionis in integrum in eadem Rota *Corrado*, coram quo *die* 26 *Maij* 1651. prodiit quoque resolutio Episcopo favorabilis, reassumendo omnia merita negotii principalis in præcedentibus decisionibus firmata, ob impugnationem rei judicatæ ex capite injustitiæ, Præsertim verò reiiciendo motivum, in quo potissimùm insistebatur, super prætensa translatione antiquæ dirutæ Civitatis *Grumentinæ* ad istum locum, & successivè translatione jurium illius Ecclesiæ, Tùm ob factum non benè justificatum, Tum etiam quia, tunc in novum locum vel novam Ecclesiam transeunt jura & privilegia antiquæ, quandò Superioris ad id potestatem habentis auctoritate fit translatio, *juxta glos. in cap. privilegium de reg. jur. in sexto Innoc. cap. cum ex. injuncto sub num.2. de oper. novi nunciatione. Bald in l. Civitates §. in decurionibus num 3. ff. quod cujusque Universitatis nomine* cum aliis *per Gratian. discept. 396. num. 22. cum sequen.* ut liquet ex copiosa decisione desuper edita, quæ habetur impressa *dec.153. cap.11. rec.* Et de ista materia translationis jurium Cathedraticorum habetur *in Sipontina Cathedral. sub tit. de præeminentiis hoc eod. lib. disc.2.*

Post decennalem autem & ultrà acquiescentiam, Archipresbyter successor, curavit eamdem controversiam suscitare sub nomine Capituli Ecclesiæ matricis, seu principalis ejusdem loci *coram Verospio*, prætendendo omnia præmissa utpotè gesta cum solo Archipresbytero, qui dicebatur prima Dignitas dictæ Ecclesiæ, quam decisiones prædictæ præsertim ultima *coram Corrado* nunciant ac supponunt Collegiatam, non afficere ipsum Capitulum æquè principaliter interessatum in defensione jurium Ecclesiæ; Unde propterea inferebatur, nedum ad consequentiam, quod non afficerent ipsum Capitulum, sed etiam ad sententiarum omniumque subsequutorum nullitatem, etiam respectu Archipresbyteri citati, ratione individuitatis *ex Roman. conf.369. nu. 21. Lap. alleg. 48.* cum aliis *per Spadam conf.164. lib.2.* edito in causa *Montis Regalis jurisdictionis*, in qua habentur decisiones *apud Peniam* 1195. 1233. & 1278. *& apud Millin. dec. 345.* Deducendo etiam generaliter in proposito firmata *decis.505. in principio apud Post. de manut. & in Toletana decimarum de Capilla 8. Julii 1657. coram Verospio*, cum aliis de quibus supra *in Conversana disc.2.* Et ista occasione, scribentes pro eodem Capitulo, repetebant eadem motiva circà merita negotii principalis, jam deducta & rejecta in suprà allegatis decisionibus coram *Bichio & Corrado.*

His tamen non obstantibus, *sub die 14. Martij 1664.* prodiit resolutio Episcopo favorabilis, dictam scilicèt rem judicatam, cum omnibus subsequutis afficere etiam ipsum Capitulum, seu clerum nunc se opponentem, & resolutio confirmata fuit *30. Maij subsequentis*; Atque mihi in his ultimis disputationibus tantùm pro Episcopo scribenti reflectendo etiam ad veritatem, justæ beneque fundatæ visæ sunt dictæ resolutiones, Quoniam ubi etiam ista esset Ecclesia Collegiata, & Capitulum esset tale, itaut defensio causæ æquè principaliter id ipsum cum Prælato spectaret, Undè propterea intraret dicta conclusio, quam dicebam in puncto juris veram, Adhuc tamen cessaret applicatio ad factum, ex ejus particularibus circumstantiis, ratione scilicet scientiæ certæ & incontrovertibilis, Tum quia hujusmodi lis tamdiù substentata in Rota cum expensis ipsius Capituli, seu Cleri, & Communitatis laicorum potiùs quàm Archipresbyteri, erat valdè famosa & notoria in universa regione; Tum clarius quia ultima disputatio *coram Bichio* de anno *1649.* super declaratoria ob non paritionem *juxta dictam decisionem 303. par.10. rec.* habita etiam fuit cum isto Capitulo, seu Clero & Communitate, Unde propterea talis scientia juxta præsertim effectiva assistentia liti, æquipollere videtur citationi, ex deductis in præfatis ultimis decisionibus *coram Verospio.*

Et quamvis ista conclusio ita simpliciter sumpta, mihi videtur parum tuta, qualis reputata fuit in allegata *Montis regalis jurisdictionis*, & meritò, quoniam cum reo & possessori expediat vincere per non jus actoris, neque sibi incumbere debeat adversarium monere super validitate processus, idcircò non citatus sponte comparere non debet, neque admitti ad causam pro adversarii processu revalidando, quoniam rectè sciens & prudens, ità videns se non citatum litem irridere potest utpote certus de jure suo, & consequenter sola scientia

in proposito, quamvis certa & indubitata sufficere non videtur.

Eam tamen, posito etiam dicto jure coæquali ac interesse principali, in hac facti specie sufficere dicebam, Tum ratione acquiescentiæ positivæ &
5 paritionis dictis literis exequutorialibus; Tùm fortius ratione justitiæ claræ, qua concurrente, ad evitandos inanes litium circuitus, & quoties non constat per non citatum deduci motiva discussione ac nova disputatione digna, ex quadam non scripta laudabili æquitate, rejicitur talis nullitas, quæ aliàs de stricto jure intraret, ut fuisse practicatum etiam *in d. Montis regalis jurisd.* constat *ex ultim. decis.* 1278. *coram Penia*, Ad quod confert recepta conclusio, de qua in sua materia *sub tit. de emptione & venditione*, non curari scilicet in evictione neglectam denunciationem venditoris, quoties de justitia evictionis constat, ita ut si citatus fuisset, eam non potuisset impedire, cum similibus.

Justitia verò erat clara, quoniam ex multis non videbatur dubitari posse de situatione hujus loci intrà limites Diœcesis, qua posita fundata remanet intentio Episcopi, dùm nullum exhibebatur
6 privilegium, nec explicitum, neque implicitum, atque immemorabilis probata non erat, & de præsenti erat omninò improbabilis, ob diuturnum tempus litis, quod est subducendum, Illa verò probatio, quæ aliàs prætendebatur facta, convincenter excluditur in dictis decisionibus, quarum fundamenta compendiosè in his disputationibus reassumebantur, ut responderetur omnibus antiquis motivis per scribentes in contrarium reassumptis.

Verùm omnia hæc dicebanrur ad superabundantiam, cùm difficultas magis de plano cessaret ex cessante jam dicto præsuppositio, quod ista esset Ecclesia Collegiata, ejusque Presbyteri & Clerici oppositores constituerent Capitulum, cujus Archipresbyter esset tantum prima Dignitas, ita ut Ecclesia repræsentaretur ab universo corpore polytico, cujus Archipresbyter esset caput, reliqui verò membra, Quo casu rectè diceretur, defensionem jurium Ecclesiæ esse coæqualem, ac etiam principalem Capituli, quoniam nullibi constabat de ista qualitate Collegiativa, per privilegium Apostolicum, seu per antiquam consuetudinem benè probatam; Quinimò constabat de contrario, quoniam Episcopo consulente Sac. Congregationem Rituum super assumptione nominis ac insignium Canonicalium de facto, eadem Sac. Congregatio de anno præcedenti 1663. mandaverat utramque prohiberi, dum de legitima collegialitatis erectione, vel probatione per signa univoca non constabat.

Licet enim juxtà satis frequentem ac ferè generalem illarum partium consuetudinem, in dicta Ec-
7 clesia, tanquam unica Parochiali, & matrice totius Oppidi numerosum populum habentis, plures adessent Presbyteri & Clerici patrimoniales, ad illius servitium recepti, ac de distributionibus & emolumentis participantes, etiam ad formam Collegii seu Capituli se congregantes, Missam Conventualem, aliaque divina celebrare soliti, arcam, sindicum, & massam communem habentes, Nihilominus cessante formali erectione cum auctoritate Apostolica vel aliis probationibus, & signis univocis, ac perneccessè concludentibus qualitatem collegialem, dicuntur potiùs constituere quamdam Clericorum seu Cappellanorum Congregationum, non autem Collegium seu Capitulum formale, representativum corporis Ecclesiæ cum Rectore seu Prælato *Gonzal. ad regul. octavam glos. 19. nu. 15. Caputaquen. dec. 295. par. prima* cum aliis *in Venusina Archiepresbyteratus coram Carillo inter suas dec. 41. & 60. aliàs decis. 143. & 216. par. 7. rec.* & latius *in Matheranen. Archipresbyteratus coram Corrado decis. 147. par. 10. rec.* & habetur pluries deductum infrà *sub titul. de præeminentiis* ad hanc materiam Collegialitatis.

Quo posito resultat, defensionem Ecclesiæ principaliter spectasse ad Archipresbyterum, tanquam illius unicum Rectorem & administratorem, jus verò seu interesse dictorum Presbyterorum, ac 8
aliorum de Clero & populo, esse secundarium, & consequutivum, in proposito non attendendum, cùm illud solùm operetur, ut habentes tale interesse repelli non possint à judicio, atque possint admitti ad causam, assistendo ei, cum quo tanquà principali interessato causa agitatur, & qui solùm necessariò citandus est, ut generaliter de hac distinctione inter jus coæquale, ac æquè principale, vel accessorium & consequutivum habetur *in allegata Toletana decimarum de Capulla 8. Junii 1657. coram Verospio*, & latius ac magis ex professo in his terminis specialibus controversiæ jurisdictionalis cum Episcopo *in Tirasonen. Jurisdictionæ 3. Decembris 1663. coram. V. Comite*, de qua causa habetur infra *hoc eod. disc. 22.* & generaliter *apud Mantic. decis. 250. num. 4. decis. 87. num. 2. cum seqq. part. 9. recent.* & hoc pariter titul. pluries in proposito fori competentis, & sub altero de fideicommissis super puncto, an scilicet gesta cum hærede gravato, vel uno ex fideicommissariis aliis præjudicent; Multomagis dùm cessante dicto coæquali jure concurrebant d. aliæ circumstantiæ, ob quas, dato etiam dicto jure coæquali, adhuc hujusmodi gesta afficere deberent; Undè propterea effectus hujus malæ consultæ excitationis litis jam sopitæ fuit, quod ita ista occasione, oppositores amiserunt illam Collegialitatis prærogativam & existimationem, quam saltem de facto ex communi opinione prius obtinebant; Cùmque dictus Clerus non acquiesceret, adiit Signaturam gratiæ habitam sub die ..... 1668. pro obtinenda nova commissione sed omninò rejectus fuit.

FIRMANA JURISDICTIONIS PRO ARCHIEPISCOPO CUM COMMENDATARIO ABBATIÆ FARFEN.

Casus sopitus per concordiam.

An inferior Prælatus regularis habens omnimodam jurisdictionem quasi Episcopalem cum Clero & populo intrà limites ejus Monasterio seu Abbatiæ adjacentes, tanquam in territorio separato & *Nullius*, eandem Jurisdict. habeat in Ecclesiis seu membris & de mensa ejusdem Monasterii, sitis in alienis Diœcesibus, etiam respectu Clericorum eis inservientium & populorum

lorum in eisdem Sacramenta & divina recipientium.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *De jurisdictione Episcopi Fesulani intus Civitatem Florentiæ.*
3 *Præservativa nil tollit neque dat de novo.*
4 *De ratione ob quam Ordinarii locorum in concernentibus curam & Sacramenta habent jurisdictionem in locis & personis exemptis.*
5 *Quid importet Prælatos locorum exemptorum effici in eis veros Ordinarios.*
6 *De ratione, ob quam subsistinetur dictus casus Episcopi Fesulani.*
7 *Possunt stare simul Episcopum vel Archiepiscopum possidere Ecclesiam alteri Episcopo subjectam.*

DISC. XIV.

MOnasterium seu Abbatia *Farfen.* Ordinis S. Benedicti Congr. Cassinen. quod in ejus tenimento, circumcirca, possidet utramque jurisdictionem, spiritualem & temporalem in 24. circiter Oppidis & locis ibi existentibus, cum omnimoda quasi Episcopali ac ordinaria & delegata jurisdictione, privativè ad quemcunque Episcopum, cum territorio separato, & vera, non autem impropria qualitate *Nullius*, possidebat etiam antiquitus eandem Jurisdictionem Ecclesiasticam in aliquibus Castris adjacentibus Diœcesi Firmanæ, cui per *Gregorium XIII.* prævia dismembratione à dicta Abbatia, applicata fuerunt, firmis tamen remanentibus eorumdem Castrorum Ecclesiis in earum antiquo Statu regulari, & de ejusdem Abbatiæ pertinentiis, etiam cum cura animarum ibi exerceri solita; Cùm autem *Vrbanus VIII.* prævia sæcularizatione, Collegia Clericorum sæcularium in dictis Ecclesiis erexisset, ita tamen quod hujusmodi sæcularizatio ac erectio nullum inferret præjudicium dictæ Abbatiæ, sub cujus Jurisdictione, & superioritate continuare deberent, prout antea; Hinc proindè Cardinalis ejusdem Abbatiæ Commendatarius prætendere cœpit omnimodam spiritualem & quasi Episcopalem jurisdictionem etiam delegatam & in concernentibus curam animarum ac administrationem Sacramentorum privativè ad Archiepiscopum qui tunc erat alter Cardinalis; & benevolè compromissa hujusmodi controversia in Cardin. *Brancaccium* istius opera & dexteritate, post aliquas disputationes, ea sopita fuit per concordiam, per quam Commendat. cessit d. prætensioni circa concernentibus Clerum & populum sæcularem, ac istorum curam; Econverso autem Archiepiscopus cessit jurisdictioni, quæ sibi competere posset cum Clericis & aliis eisdem Ecclesiis inservientibus, quamvis in eis non concurrerent tria requisita *Constitut. 67. Greg. XIII.* necessaria ad exemptionem sæcularium inservientium Ecclesiis & Monasteriis exemptis, & de quibus requisitis latè ac particulariter habetur actum suprà *in Faventina disc.* 4.

In disputationibus verò habitis coram d. Cardinali Arbitro, scribentes pro Prælato inferiori, magnum fundamentum constituebant in literis Apostolicis dictæ sæcularizationis, ac erectionis respectivè, in quibus dicitur, *ut Abbas Farfen. in hujusmodi Ecclesiis facere possit universa, & singula, quæ locorum Ordinarii in propriis Ecclesiis facere possunt & debent*, undè propterea inferebant, ita verum Ordinarium declaratum esse, & consequenter concessum esse territorium separatum, non obstante situatione in Diœcesi Archiepiscopi, deducendo in hoc exemplum jurisdictionis, qua Episcopus Fesulanus 2
omnimodam, & privativè ad Archiepisc. possidet in quadam Ecclesia intus civitatem Florentiæ, etiam quoad Clerum & populum eidem Ecclesiæ annexum, de qua jurisdictione agunt *Lapus alleg. 139. ubi etiam Calderin. Abb. in cap. super eo de Parochis, num. 6. Rota dec. 207. nu. 5. par. 2. divers. & cæteri*, ac habetur actum *hoc eodem titulo in Nazarena.* ubi de casu consimili *disc. 20.*

Contrarium, etiam cum sensu veritatis, dicebam probabilius scribens pro Archiepiscopo, quoniam dictæ literæ Apostolicæ editæ super sæcularizatione hujusmodi Ecclesiarum, revera aliud non continent nisi præservativam antiquæ jurisdict. d. Prælato in- 3
feriori competentis in hujusmodi Ecclesiis tanquam Regularibus & de sui Monasterii mensa, nè scilicet immutatio status dictam jurisdictionem cessare faceret, Et sic per viam simplicis præservativæ, cujus virtus & operatio est nihil tollere, minusque aliud de novo tribuere, sed relinquere res in eo statu, in quo reperiuntur ex collectis *dec. 378. num. 8. par. 9. & 281. nu. 11. par. 10. rec.* & sæpius, cùm tunc dicatur importare aliquid de novo, quan dò præservativam faciens rectè sciat aliud jus competere *juxtà distinctionem Bar.. in l. si quis legaverit ff. de leg. 1. de qua dicta dec. 278. num. 9. par. 9.*

Et sic fingere voluit, ac si eædem Ecclesiæ continuarent in eodem antiquo statu regulari & subjectivo, Quo etiam posito, ac non obstante exemptione ratione regularitatis competente, adhuc dicebam locum esse ad favorem Archiepisc. jurisdictioni à *S. Conc. Trident.* & Apostol. Constitutionibus delegatæ in concernentibus curam animarum & Sacramentorum administrationem, ac aliis sub eadem jurisdictione venientibus, Ex ea clara & convincenti 4
ratione, de qua *in Tol. dis.* 1. & in aliis frequèter quod scili. hæc jurisdictio exerceri non dicitur per locorum Ordinarios in ipsis Ecclesiis, vel personis exemptis directè, sed causativè seu occasionaliter, ratione scilicet proprii populi in ipsis Ecclesiis exemptis, ac à personis pariter exemptis Sacramenta, aliaque divina recipientis, quoniam cùm illi de populo dicantur oves in ipsius Episcopi seu Ordinarii territorio viventes, ejusque curæ commissæ, idcircò ad ipsum tanquam Pastorem inquirere pertinet, an eisdem ovibus per inferiores Pastores, & ministros benè divina pabula ministrentur.

Neque præmissis obstare dicebam, quod in dictis literis disponeretur, Abbatem in hujusmodi Ecclesiis facere posse omnia ea, quæ locorum Ordinarii in eorum Ecclesiis facere possunt, & debent, 5
Quoniam ut advertitur *in d. Tolet. ac in Macerat.* & in aliis *hoc eod. titul.* etiam privilegia S. Religionis Hierosolymitanæ, ac Cistercienf. aliarumque Religionum idem continent quod sc. Monasteriorum, seu Commendarum Prælati, declarantur veri Ordinarii, Verum id intelligitur intrà ipsa Monasteriorum, seu Ecclesiarum ambitum, & quoad personas in eis viventes, non autem quoad territorium, in quo est punctus, & quoad populum in eodem territorio viventem, ex latius deductis in mox insinuatis causis, & alibi super hac eadem materia.

Aliàs etenim, retenta dicta prætensione Abbatis, dicebam quod unum de duobus perneceſsè dare oportebat, quorum unum cessabat in facto, & al-

terum implicabat in jure, Vel scilicet quod *Vrban. VIII.* ita destruendo quod fecerat *Gregorius XIII.* ipsa castra cùm eorum territorio & populis, formiter dismembrare voluerit ab hac Diœcesi, illaq; restituere Abbatiæ, eodem modo quo antea erant, quod in literis Apostol. nec in verbis, nec in sensu modo aliquo continebatur, Vel quod ita, in uno eodemque corpore darentur duo capita, quod de jure implicat.

6 Quoverò ad exemplum Episcopi Fesulani respondebam, quod quidquid sit de veritate assumpti, de quo *Lapus*, & cæteri quod potius ratione antiquissimæ observantiæ, ac scientiæ, & implicitæ approbationis Sedis Apostol. substineri videtur, Ibi, concurrit quædam particularis circumstantia, ut ita se ille Episcopus aliquem honorificum residentiæ locum haberet, atque Episcopali Dignitati aliquid plus tribueretur. Eodem modo, quo idem habetur in Archiepiscopo Nazareno in Ecclesia sita in insigni oppido Barolitano Diœcesis Tranen. ob residentiam quam ibi habet d. Archiepiscopus, cui ratione patriæ Domini Nostri nonnulla specialia conceduntur, de quibus *in d. Nazarena hoc eod. tit. disc.* 20. Et quamvis scribentes in contrarium replicarent, etiam hunc Abbatem habere omnimodam jurisdictionem ordinariam, & Episcopalem, ita ut habeatur tanquam Episcopus, Dicebam tamen non intrare comparationem, cùm id in dictis casibus concedatur ratione residentiæ, quæ per d. Episcopos habetur in loco, qua ratione cessante, non implicat, etiam Episcopum vel Archiepiscopum in aliena Diœcesi, possidere Ecclesias ipsi Diœcesano, in concernentibus præsertim curam animarum, & administrationem Sacramentorum, subjectas, juxta casum, de quo infrà *Amalphitana jurisdictionis disc.* 21. ubi de Archiepiscopo Salernitano possidente Ecclesias, in Diœcesibus Nucerina & Amalphitana jure, & titulo simplicis Rectoris; Omnimoda verò quam habet Abbas Farfensis est in suo territorio, quod est separatum à quacumque Diœcesi, ac *Nullius* verè & propriè, ita ut suam Diœcesim constituat.

SANCTI SEVERINI PAROCHIALIS PRO EPISCOPO, CUM COMMENDATARIO MONASTERIORUM S. MARIÆ DE RAMBONA AC SANCTORUM LAURENTII ET EUSTACHII UNITORUM.

Casus decisus per Rotam pro Commendatario.

De eadem materia discursus præcedentis, An scilicet Prælatus Regularis cum omnimoda jurisdictione & territorio separato in loco sui Monasterii, eandem jurisdictionem habeat in Ecclesiis subjectis, & de mensa, in alienis Diœcesibus existentibus.

SUMMARIUM.

3 *Facti series cum decisione casus.*
2 *De nullius improprio in loco sito in Diœcesi.*
4 *In Parochialibus exemptis non servatur concursus, & num.* 5.
4 *De ratione, ob quam Ordinarius habet jurisdictionem in Ecclesiis & personis exemptis ratione curiæ, & Sacramentorum.*
5 *De eadem conclusione, de qua num.* 2. *quæ declaratur.*
6 *Ex Indulto Ecclesiæ constitæ, seu simpliciter subjectæ assumere possunt naturam Ecclesiarum unitarum.*

DISC. XV.

Acante Ecclesia Parochiali, seu Plebania castri *Petini*, Commendatarius Monasteriorum insimul unitorum *S. Mariæ de Rambona*, & *Sanctorum Laurentii & Eustachii*, illam contulit cuidam Antonio, Episcopus verò, in cujus Diœcesi dictum castrum situm est, prævio concursu ad formam à *Sac. Conc. Trid.* præscriptam, illam contulit cuidam Boantio in concursu prælecto, undè propterea orta desuper controversia, & commissa causa in Rota coram *Bevilaqua* sub die 12. *Ianu.* 1660 prodiit resolutio favorabilis Commendatario seu proviso per eum; Et quamvis edita decisione Ego scribens pro Episcopo etiam cum sensu veritatis, insinuarem eam, prout stat nullo modo substentabilem videri, atque in nova disputationis trutina probabilius juxtà Tribunalis integritatem atq; consuetudinè sperandum esse recessum Nihilominùs idem Episcopus à litium sumptibus fortè deterritus hucusque noluit novæ disputationis experimentum assumere, adiit tamen Sacram Congregat. Conc. cum eisdem Informationibus in Rota datis. Licet verò d. Congregationis Patres concorditer in sensu diverso essent adversus decisionem prædictam; Nihilominùs dùm agebatur de causa jam in d. Tribunali ac in forma contentiosa introducta, juxta stylum, fundatum etiam *in Constitut.* 74. *Sixti V.* super earundem Congregationum erectione, noluit desuper respondere, sed remisit causam ad eandem Rotam, atque in hoc statu causa reperitur.

Resolutionis præd. fundamentum potissimum fuit Indultum Apostolicum de anno 1641. per *Vrb. VIII.* concessum Cardinali Commendatario, in quo, prævia narrativa exemptionis dictis Monasteriis concessæ per *Celestinum & Honorium III.* ac etiam litis vertentis cum hoc Episcopo Sancti Severini super Jurisdictione saltem delegata in Ecclesiis eorundem Monasteriorum actuali cura carentium, tàm in Ecclesiis prædictis, quam in aliis censum præfatis Monasteriis solventibus Ecclesiasticam jurisdictionem Commendatario pro tempore concessit, privativè ad dictum Episcopum, omnemque alium Ordinarium, qui nullo pacto in eis ingerere se possit, constituendo eumdem Commendatarium Sedis Apostolicæ delegatum.

Ex quo Indulto per decisionem infertur, ita omnes Ecclesias dictis Monasteriis censum solventes, inter quas erat ista, quamvis in alienis Diœcesibus sitas, effectas videri *Nullius*, & de territorio separato, juxtà eam impropriam speciem *Nullius*, quæ datur etiam in locis, vel Ecclesiis in alieno territorio existentibus, undique ab eo circumdatis, juxtà casum de quo *dec.* 373. *par.* 11. *rec.* de quo habetur infrà *in Marsicana disc.* 18. *ac etiam* casum de quo *in Lauretana, & in Romana Capella seu præeminentiarum* pariter infrà hoc eodem tit. *disc.* 33. & 35.

Reflectendo autem ad veritatem, Mihi videbatur, ut quoad punctum, qui controversiæ occasionem dederat, super provisione scilicet hujus Ecclesiæ Parochialis, inspecta substantia, justitia assisteret magis

magis Commendatario, quoniam cum ista Ecclesia supponeretur subjectivè unita, & membrum dictorum Monasteriorum, vel alicujus eorum, exindè resultabat non intrare concursum juxtà formam à
3 *S. Conc. Trid* præscriptam, sed provisionem faciendam esse ad nominationem Prælati seu Rectoris Ecclesiæ, cui illa est unita juxtà constitutionem *Pii V.* sub approbatione tamen tam circa idoneitatem, quam circa vitam, & mores per loci ordinarium ut *in Senogallien. Parochialis*, & in aliis in sua materia *sub tit de Parochis.*

Quoverò ad modum, ut scilicet Commendatario licitum esset, omninò independenter ab Ordinario, etiam circa dictam approbationem, ac successivam jurisdictionem, in concernentibus curam animarum & administrationem Sacramentorum, dictam Ecclesiam providere, tanquam in loco verè *Nullius*,
4 & de territorio separato, ut est sensus decisionis, omninò improbabilis, nullique fundamento innixa videbatur dicta resolutio, quoniam ut frequenter in præcedentibus habetur, punctus jurisdictionis per *Sac. Concilium Trident.* & Apostolicas Constitutiones delegatæ Episcopis seu locorum Ordinariis, non consistit in ipsis Ecclesiis materialibus, minusq; in personis earundem Ecclesiarũ servitio addictis, sed in populo sæculari vivente in territorio, & Diœcesi Episcopi, qui dicitur illarum ovium Pastor, & consequenter quantumcumque amplum sit privilegium exemptivum ipsarum Ecclesiarum, earumque personarum, etiamsi constitutivum qualitatis *Nullius*, & improprii territorii separati, ut suprà, non indè tamen inferri potest ad jurisdictionem activam in Clerum & populum viventem in alieno Territorio, atque ad istius curam, & administrationem independentem à proprio Episcopo, & successivè illa superioritas seu delegata jurisdictio, quæ locorum Ordinariis in Ecclesiis, & personis quantumvis exemptio ratione curæ, & Sacramentorum tribuitur, est causativa, & in ratione passiva ipsius populi subjecti, quasi quod non subditus, & exemptus, volens se ingerere in cura, & regimine ovium Episcopo commissarum, ita per quemdam quasi contractum, propriæ exemptioni renunciare videatur, atque se subjicere illi, cujus administrationem suscipit, Ad instar illius, qui aliàs non subditus, fit talis ratione muneris seu administrationis ab aliquo susceptæ circa concernentia ipsam curam seu administrationem, Ac aliàs, cùm frequenter casus tribuat, quod aliquod Monasterium seu alia Ecclesia major, ut in specie casus dabat in his Monasteriis, multas Ecclesias subjecta, & de mensa seu censitas haberent in pluribus Diœcesibus sparsas, esset dare maxima inconvenientia penè impracticabilia, unâ cum monstro dandi plura capita in eodem corpore, quodque propriè oves regerentur ab alienis pastoribus, & inferioribus ministris ipsi Episcopo, & principali pastori ignotis, quo nil absurdius.

5 Eatenùs autem, ut suprà, insinuabam, ut quoad substantiam provisionis Ecclesiæ, Justitia magis assisteret Commendatario, ad cujus nominationem absque concursu dicta Ecclesia providenda esset, quatenùs constaret de unione quæ supponebatur, ita ut illa dici posset membrum Monasterii, & de mensa, Secùs autem ubi esset solùm de ejus jurepatronatus, seu simpliciter censita, juxtà distinctionem, de qua in dicta *Senogallien. Parochialis sub tit. de Parochis*, ita ut hujusmodi quæstiones hodie soleant esse magis facti, & applicationis, quàm juris, super natura scilicet, & æqualitate dissubjectionis Ecclesiarum inferiorum.

Sive ad summum, dictum indultum Apostolicum in hoc remanere videbatur operativum, atque juris communis dispositionem alterare, quod scilicet, etiamsi Ecclesia esset simpliciter censita, seu aliàs subjecta, ita tamen quod non concurreret formalis unio & qualitas de mensa, adhuc cessaret forma, concursus, atque provisio facienda esset, vel per 6
ipsum Prælatum tanquam de Ecclesia regulari juxtà *decisionem Pentæ 443. & 585.* vel ad ejus nominationem juxtà *decisiones 102. par. prima & 204. par. 2. rec. cum aliis in dicta Senogallien.* cujus contrarium de jure procederet, *ut apud Otthob. decisione 179. & 223. Bonon. Parochialis 24. Aprilis 1651. Meltio, & in eadem Senogallien.* Nullatenùs verò quoad alios effectus influentes in populum, ut supra, Ideoque dicta resolutio subsistere nullo pacto potest, ut scio pluries fuisse sensum indubitatum & concordem S. Congregationis Concilii.

MUTINEN
SEU CARPEN. COLLATIONIS ORDINUM.

PRO
ARCHIPRESBYTERO CARPI,

CUM
EPISCOPO MUTINEN.

Casus resolutus per Sacram Congregationem Concilii pro Episcopo.

De collatione Ordinum seu concessione literarum dimissorialium pro eis suscipiendis, an competat inferiori Prælato loci *Nullius*, habenti cum territorio separato plenam jurisdictionem quasi Episcopalem, vel potiùs Episcopo viciniori.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversiæ super collatione Ordinum seu concessione literarum dimissorialium competente Prælatis inferioribus, & num. 3.*
2 *De Ecclesia Carpen. ut sit* Nullius *& extra omnem Diœcesim.*
3 *De eadem materia de qua num. 1.*
4 *Damnantur loca* Nullius *sub inferioribus Prælatis.*
5 *Datur temperamentum cum quo hæc materia collationis ordinum in his locis* Nullius *practicari deberet.*

DISC. XVI.

PRohibente *Sac. Concilio Tridentino sess. 23. de Reform. cap. 10.* Abbatibus aliisque inferioribus Prælatis, quamvis exemptis & *Nullius*, collationem Ordinum minorum, in cujus possessione erant, & concessionem literarum dimissorialium pro Sacris à quocumque sibi benè viso Antistite suscipiendis, totumque id Episcopis reservando; Cùm antiquitus dubium esset, an dicta Conciliaris dispositio complecteretur inferiores Prælatos cum territorio verè separato omnimodam ordinariam & quasi Episcopa- 1

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

piscopalem jurisdictionem habentes, vel potius conveniret solùm Prælatis exemptis & spiritualem jurisdictionem habentibus in locis existentibus intrà limites Diœcesis, Idcircò hujus puncti adhuc indecisi determinatione pendente, Sacri Concilii Congregatio per modum provisionis hujusmodi facultatem delegare solita fuit alicui Episcopo ex vicinioribus, Ac præsertim de Anno 1613. id sequutum fuit in hoc Archiepresbyteratu *Carpen.* dictam collationem committendo Episcopo Mutinen. Cùm autem postea, tàm per ipsam S. Congregationem, quàm per Rotam declaratum fuisset, jurisdictionem à dicto S. Concilio Episcopis in certis casibus delegatam, intelligendam esse in locis exemptis, ac sub Abbatum, aliorumque inferiorum Prælatorum jurisdictione, intrà tamen Diœcesum limites existentibus, ut verè litera Concilii disponit, non autem in locis, qui extra quamcunque Diœcesim, cum formali separatione territorii, verè sunt *Nullius*, cum tunc isti Prælati venire dicantur sub nomine Ordinarii loci, juxtà distinctionem de qua *in Toletana, in Maceraten. in Asturicen. Hyspalen.* & aliis hoc tit. frequenter, Hinc nonnulli ex hujusmodi inferioribus Prælatis territorium separatum ut suprà habentibus, curârunt ab eadem Sac. Congregatione, prædictæ provisionalis delegationis revocationem, obtinere, proindeque dictam etiam facultatem exercere, ut præsertim sequutum fuit cum Monasterio S. Stephani in Bosco habente talem jurisdictionem in locis de quibus in celebri *decis. 54. Martin. Andr.* quæ est in hac materia magistralis, atque cum Archipresbytero Altamuræ & cum aliis, acita etiam in his specialibus terminis, pro Monasterio Trinitatis Cavæ Ordinis Cassinensis talem jurisdictionem in certis locis habente, declaravit Rota *in Cauen. collationis Ordinum 26. Iunii 1654. coram Verospio post Tondut. de pension. dec. 31.* Hinc propterea Archipresbyter Carpensis ejusdem omnimodæ quasi Episcopalis jurisdictionis, cum territorio separato, certus & indubitatus possessor, & cum exercitio omnium aliorum actuum ad prædictam delegatam jurisdictionem pertinentium, ut constat ex copiosè pro eo deductis *per Ciarlin. controv. 220.* eamdem provisionem removeri petiit, ut ita ipse suam plenam jurisdictionem, etiam in hac specie posset exercere; Verùm se opponente Episcopo Mutinen assumptaque desuper formali disputatione in dicta S. Congregatione Concilii.

Scribentes pro Episcopo cum longa superflua allegationum serie, transcribendo decisiones editas *in Toletana jurisdictionis 9. Maij 1659. 21. Maij 1660. & 27. Ianuarii 1662. coram Bevilaqua* probare conabantur, id Episcopo ex delegata jurisdictione ad limites Concilii Tridentini competere; Sed verè hoc motivum extraneum erat à casu controversiæ, cum nullibi apparetet istud Oppidum intrà Diœcesis Mutinen. fines positum esse, Quinimò potiùs de contrario, ac territorii separatione constat evidenter, & in continenti ex claro Privilegio Apostolico *Calisti tertii*, continente, quod cum controversia esset inter Episcopos *Mutinen. & Reggien.* super hujus Ecclesiæ ejusque territorii situatione, Rex fundator, ad hujus controversiam dirimendam, cupiensque eam immediatè sub Sedis Apostolicæ jurisdictione per suum Prælatum regi, utrique Episcopo respectivè, quamdam dedi recompensam, atque ita de eorum consensu ex dicto Privilegio status Ecclesiæ firmatus est, ut extrà utramque Diœcesim existens, Sedi Apostolicæ immediatè subjaceret, Quod er[illegible]clarè comprobat observantia, dùm absque eo quod unquam de contrario doceretur, Dataria, & Cancellaria Apostolica huic tanquam Ordinario literas Apostol. dirigere consuevit, quod non sequitur in Prælatis inferioribus in aliena Diœcesi existentibus, quibus rescribere non soler, omnesque enunciativæ in eisdem literis Apostolicis aliisque actibus utuntur vocabulo *Nullius*; Item synodum Diœcesanam indicere solitus fuit, concursus ad Parochiales peragere, concionatores & Confessarios approbare, & monialium Monasteria regere, & visitare, aliaque omnia gerere ad omnimodam ordinariam quasi Episcopalem, etiam à Concilio delegatam jurisdictionem spectantia, ut latè enumerat *Ciarlin. dicta controv. 220.* Quibus positis, juxtà receptam distinctionem, intrabat etiam facultas concedendi literas dimissoriales pro Ordinibus suscipiendis, juxtà punctualiter firmata *in dicta Caven. Collationis Ordinum coram Verospio dec. 31. post Tondut. de pens.* ubi concordantes, ac etiam juxta ipsiusmet Sacr. Congregationis observantiam, dum consimiles suspensiones in aliis Prælatis eamdem jurisdictionem habentibus revocaverat.

His non obstantibus, S. Congr. *sub die 18. Iulii 1664.* contrarium respondit, Quamvis enim pro certo haberet, stante dicto privilegio in primæva fundatione concesso, cum subsequuta observantia, quod hujusmodi territorium esset separatum seu *Nullius*, Nihilominùs moderni Patres d. Congregationem regentes, in diversa videntur esse sententia, quam antiquiores, Opinantes hujusmodi actum collationis Ordinum, regulandum non esse eodem jure quo regulantur cæteri actus, ad delegatam jurisdictionem pertinentes, de quibus *sess. 24. de refor. c. 20.* & in plerisque aliis Concilii locis, dùm constat quod per speciale Capitulum super hoc solo actu providere voluit, interdicendo etiam illius exercitium per annum Capitulis Cathedralium Sede vacante, ad quæ non dubitatur universam Episcopalem jurisdictionem, etiam generaliter delegatam transferri, Quasi quod sit actus peculialiter Episcopali Ordini commissus, Atque istam aliqui credunt fuisse Concilii intentionem, præsertim dùm etiam in verbis, non contentum Concilium de explicandis Prælatis exemptis, addidit, etiam *Nullius*, quod verbum significare videtur hujusmodi intentionem, prævalere debentem cortici & figuræ verborum, ex quibus inspecto ejusdem Capituli contextu, literaliter liquet Concilium loqui de solis locis intra Episcoporum Diœcesim existentibus, quibus vocabulum *Nullius* per quamdam improprietatem ad significandam magnam exemptionem, etiam sine vera & reali separatione territorii quandoque tribuitur, ita ut intentio verbis prævalere debeat, Non curatâ dictâ punctuali, decisione Rotæ, utpotè emanata una tantum parte informante, in contumaciam Episcopi non curantis comparere, neq; jura suæ Ecclesiæ tueri, undè non levis suspicio collusionis seu complacentiæ habita fuit. Adeò ut etiam cum Archipresbytero Altamuræ, cujus jurisdictio, ob Regiorum ministrorum assistentiam tanquàm de Jure patron. Regis magis præservari soler, adhuc super hujusmodi specie Jurisdictionis, eadem Congr. præjudiciales dederit provisiones Episcopo Gravinen. viciniori favorabiles, ac etiam in Abbatia Nonantulana, quam pariter non dubitatur esse *Nullius*, cum territorio separato, & Jurisdictione quasi Episcopali, adhuc ista species Jurisdictionis circa Ordinum collationem ex ejusdem Congr. rescriptis, non ad Abbatem, sed ad Episcopum adjacentem pertinet.

Re-

Resolutio in stricta juris censura parum probabilis videbatur, quoniam verba Concilii hoc loco sunt nimis clara, circa restrictivam ad loca existentia intrà Episcoporum Diœceses, Undè propterea, quoties verba sunt clara, tunc intentio per argumenta, & interpretationes de facili admittenda non est *ad text. in l. ille aut ille §. cùm in verb. ff. de legat. 3.* cum concordantibus collectis per *Rot. dec. 44. n. 14. par. 11. rec.*

Quia verò diffidentia circa hujusmodi speciem habita, etiam de Capitulis Cathedralium, ac etiam dicta consideratio specialis provisionis super eadem specie factæ per Capitulum separatum, satis ostendere videntur, intentionem Concilii fuisse, hunc actum, utpotè majoris importantiæ, & Episcopali ordini propriè incumbentem, regulandum non esse eodem jure, quo reliquum genus actuum ad delegatam jurisdictionem pertinentium; Hinc proindè non improbabiliter applicari posse considerabam eam juris propositionem, quam in conventionibus, & ultimis voluntatibus receptum habemus, ut substantia voluntatis, cortici, & formalitati verborum prævalere debeat, *Mantic. de conjectur. lib. 3. tit. 3. num. 9. & de tacit. lib. 2. tit. 7 num. 1. cum seqq. Merlin. decis. 692. num. 46. Buratt. decis. 113. num. 7.* & sæpius.

Et fortius ex congruentiæ ratione quam experientia induxit, multorum inconvenientium, ex omnimoda Episcopali jurisdictione resultantium in
4 locis sub hujusmodi Abbatibus, & inferioribus Prælatis existentibus, in quibus nimium licentiosè vivi solet, atque Ecclesiastica disciplina parùm servari, Unde pro mea sententia, sancta & laudabilis res esset, ut hujusmodi jurisdictionis species in universum supprimeretur, omniaque loca ad antiquam *Dyonisii* divisionem sub Diœcesibus redigerentur; Ab initio etenim quo Rom. Curiam practicare cœpi, jam antea conscius scandalorum, & incouvenientium, quæ in hujusmodi locis *Nullius* frequenter practicantur, videns tantas ceremonias, quæ in Episcoporum creatione adhibentur, in eo scilicet, prævia diligenti informatione, eligendo, deindè examini coram ipso Papa, & Card. ac pluribus ex doctioribus Curiæ viris exponendo, Nec non prævio processu super natalibus, vita, & moribus in uno Consistorio præconizandi in altero verò proponendi, Ac demum in actu consecrationis tot rigorosa juramenta super Ecclesiæ defensione, & ovium sibi commissarum recto gubernio exigendi; Idcircò omninò incongruum censui, dictas ceremonias & diligentias adhibendas esse pro exercendo illo munere, quod admussim, & in omnibus exercent hujusmodi inferiores Prælati, in quibus nulla diligentia adhibetur, & quorum auctoritas pendet, vel ex sola sæculari potestate, vel ex aliquorum Regularium electione, ut contingit in Abbatibus Regularibus, quorum mores, & sufficientiam eligentes, vel deputantes spectare solent principaliter pro regendo ipsorum Regularium Conventu, non autem pro exercenda jurisdictione Episcopali in Clerum & populum, & sic est verè inconveniens, quo nullum majus.

Dicebam tamen post hujusmodi resolutionem a-
5 liquibus ex Eminentissimis PP. Me laudare quidem Congregationis intentionem, utpotè satis rationabilem, ac proprio genio adaptatam, sed præsentem resolutionem salvari non posse ab improbabilitate, nisi generaliter cum omnibus consimilibus inferioribus Prælatis idem practicetur; Aut enim d. ratio subsistit, aut non. & utroque casu, injustum, atque incongruum est, ut cum unis practicetur, & non cum aliis; cùm omnium eadem sit jurisdictio, & auctoritas; Ac etiam quod explicari deberet, ut id committatur alicui Epis. tanquam viciniori, eodem modo quo Constitutio [*Greg. XIV.* super materia Ecclesiasticæ immunitatis, aliæque Constitutiones Apostolicæ, idemque Concilium in aliquibus actibus committunt, & hoc nè ille Episcopus, cui tanquam viciniori provisionaliter ut suprà iste jurisdictionis actus delegatus fuit, ex illius exercitio, paulatim tractu temporis prætendere valeat loci situationem intrà Diœcesim, & successivè jure Diœcesano universam jurisdictionem delegatam.

Quinimò, cum ex dicto fundationis privilegio constet, antiquitus esse in controversia inter Episcopos *Mutinen. & Reggien.* num ista Ecclesia, cum ejus pago, & ambitu, esset intrà unius, vel alterius Diœcesis fines, Idcircò omninò congruum dicebam, ut ita in reliquis hujus Prælati jurisd. præservativa remaneret, neque antiquis Episcopi *Reggien.* Juribus injuria fieret, alternatim iste Jurisdictionis actus utrique Episcopo delegari deberet, Eo etiam adjecto temperamento practicato in Oppido *Altamuræ* & in aliis, ut scilicet Episcopus vicinior, non possit Ordines conferre, vel literas dimissoriales ad eos suscipiendos concedere hujusmodi Prælatorum subditis, nisi præviis propriis Prælati literis testimonialibus, cùm ita remaneat utrique consultum, atque pro hac declaratione consulebam redeundum esse ad Congregationem, Incertum autem est, quid sequutum sit deindè, dùm amplius agentes pro Archiepresbytero non vidi; Et sic reflectendo ad veritatem gravamen in eo consistere credebam, quod desuper generalis provisio non fieret, quia justum non est, ut unus sit filius & alter privignus, sed omnes eandem Jurisdictionem habentes pariformiter tractari convenit.

AQUILANA JURISDICTIONIS

PRO

EPISCOPO,

CUM

ABBATE SEU PRÆPOSITO S. JOANNIS IN PERSICETO.

Casus decisus per Sac. Congregationem Concilii pro Episcopo.

Si ex concordia, seu aliàs Prælato inferiori competit omnimoda jurisdictio, etiam in casibus venientibus sub delegata, reservato solùm Episcopo jure visitandi Ecclesiam, Quid sub hoc jure veniat; Et an visitare possit personas eidem Ecclesiæ inservientes, eorumque causas, & titulum Beneficiorum cognoscere.

SUM-

SVMMARIVM.

1 Facti series.
2 Concessa jurisdictione, seu præeminentia, censentur concessa omnia ea, sine quibus concessio effectum habere non potest.
3 De finibus seu effectibus, ob quos visitatio inducta est, ac ordinariis demandata.
4 Quomodò sit compatibilis jurisdictio Prælati inferioris cum illa Ordinarii Visitatoris.
5 An jurisdictio Visitatoris restricta sit ad solum tempus visitationis.

DISC. XVII.

1 EXistente in Civitate Aquilana Ecclesia S. Joannis in Perficeto, cui annexa est cura animarum, amplis privilegiis exemptivis ditata, cum jurisdictionne ejus Prælati, tam in cleri os ejusdem Ecclesiæ adscriptos, quàm in populum sæcularem in adiacenti castro, seu in aliqua parte Civitatis fortè viventem, quasi per quamdam similitudinem Episcopi *Fesulani* in Civitate Florentiæ, seu Archiepiscopi *Nazareni* in Oppido Baroli; Hinc antiquæ & frequentes, præsertim post Concilii Tridentini publicationem fuerunt controversiæ, inter Episcopum, & dictum Prælatum inferiorem super jurisdictione à dicto Conc. locorum Ordinariis etiam in locis & personis exemptis delegatâ, quæ controversiæ tandem sopitæ fuerunt per concordiam à Sede Apostolica approbatam, per quam conventum fuit, ad Episcopum jure delegato spectare debere visitationem Ecclesiæ, collationem ordinum, seu concessionem litterarum dimissorialium pro illis suscipiendis, jus indicendi concursus ad parochiales, convocationem dicti Prælati, ejusque clericorum ad synodum, una cum observantia Constitutionum synodalium, omniaque alia, quæ Episcopis, in personis & locis exemptis competunt, tam de jure antiquo, quàm novissimo; Econversò autem, ad Prælatum spectare debere, privativè ad Episcopum, cognitionem causarum civilium, criminalium, & mixtarum, omniumque aliarum ad forum Ecclesiasticum, in spiritualibus, & temporalibus pertinentium, cum personis & rebus dictæ Abbatiæ subjectis.

Cum autem tractu temporis Episcopus occasione visitandi Ecclesiam, visitare quoque vellet personas exercentes curam animarum, ac sacramenta administrantes, tam circà idoneitatem, quàm vitam & mores, ac etiam recognoscere bullas, seu titulos beneficiorum aliaque Ecclesiæ cultum & divinorum ministrationem concernentia; Prælatus verò prædictus hujusmodi visitationem de facto impedire curaverit, unde Episcopus ad censuras processit, Hinc re delata ad Sac. Congregationem Concilii, partibus auditis de anno *1667. mense Junii seu Julij*, prodiit resolutio Episcopo favorabilis; Ipsi scilicet citrà violationem concordiæ, ac ad ejus limites, competere jus visitandi, nedùm Ecclesiam, sed etiam personas, tam circa Ecclesiæ cultum, & curæ exercitium, ac sacramentorum administrationem, quàm circà vitam & mores, recognitiones beneficiorum, seu bullarum, aliaque ad mentem *Sac. Conc. Trid.* sub visitatione cadentia. Atque mihi pro Episcopo scribenti, reflecten do ad solam veritatem, probabilis, beneque fundata visa est resolutio.

Concessâ siquidem aliqua jurisdictione seu prærogativa, concessa censentur omnia ea, quæ illius finem seu effectum respiciunt, & sine quibus inanis 2
concessio remaneret *ad text. cum ibi notatis in l. 2. ff. de jurisdictione omnium Judicum cum concord. apud Merlin. dec. 610. alias 253. par. 6. rec. num. 1. & seqq.* ubi quod data præeminentia Decano vel alteri præsidendi in choro, concessa etiam censetur facultas mulctandi ac puniendi omnes in Choro existentes, & malè suas partes explentes, ac demandandi alia ejusdè Chori servitium ac rectam administrationem concernentia cum similibus, ac habetur deductum magis specieliter *in Nazarena jurisdictionis hoc tit. disc. 20.*

Visitatio autem per *Sac. Concilium Tridentinum*, repetitis vicibus, etiam in Ecclesiis & locis exemptis, locorum Ordinariis injuncta, & commissa, non percutit eam solam Ecclesiæ materialis visitationem, (quam tanquam merè ceremonialem sine 3
aliquo effectu, utinam non adeo punctualiter aliqui facerent singulis annis, pro solo fine exigendi procurationes, & munera, reliquas omnes visitatoris partes negligendo,) sed percutit finem seu effectum, ob quem illa introducta est, nedùm scilicet ut ipsa Ecclesia materialis cum altaribus, & cappellis, decenter restaurata, & ornata retineatur, sed ut ita tollantur abusus circà cultum, ac detegantur intrusi, & usurpatores beneficiorum, ac bonorum Ecclesiasticorum, necnon inspiciatur, an Sacramenta aliaque divina benè populo ministrentur, & quomodo ministrantes vivant, an scilicet populo scandalum vel ædificationem præbeant, cum similibus visitationis finem seu effectum concernentibus, ut patet *ex sess. 13 de Reformat. cap. 1. sess. 24. de Reformat. cap. 3. & capit. 10.* ac cæteris de more collectis habetur *apud Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 14. num. 2. cum sequen. & de Episcopo, alleg. 74. num. 7.* Idcircò perneceſſe dicebam, dandam esse visitationem personarum, tam circa idoneitatem, quàm circà vitam & mores, ac recognitionem bullarum seu titulolum, quorum ratione beneficia possideant, ac ordines, aliaque munia exerceant.

Ea potissimùm viva ratione concurrente, quod in eadem concordia conventa erat observantia Constitutionum synodalium, Igitur perneceſſe dicebam dandam esse Episcopo dictam facultatem, & jurisdictionem, ad effectum inspiciendi, an dictæ Constitutiones observarentur nec ne, contraventores etiam puniendo, ne aliàs lex imposita diceretur potiùs verbis quàm rebus.

Difficultas autem in eo consistere videbatur, quod per eamdem concordiam, Prælato inferiori, per regulam universalem concessa erat cognitio, privativè 4
ad Episcopum, omnium & quarumcumque causarum, etiam criminalium, aliàs sub jutisdictione delegata venientium, Ita enim dicebant scribentes pro dicto Prælato, concordiam violaram remanere, neque verificari posse dictam universalem cognitionem, si Epicopo tribueretur facultas inquirendi de vita & moribus, sivè de beneficiorum ac bonorum Ecclesiasticorum usurpatione, cum facultate contraventores puniendi.

Verum facilis erat solutio, quoniam dicta univer salis cognitio privativa, ad tollendam contradictionem, quæ alias esset manifesta, intelligenda est compatibiliter, & cum distinctione temporum, extrà scilicet visitationem, & in causis indifferentibus reliquo tempore contingentibus, in quibus Episcopus se ingerere non potest, cum ejus jurisdictio utpotè restricta

restricta ad visitationem, non se protendat nisi ad ea, quæ illam ejusque observantiam concernunt, ex collectis *per Barbos. de Episcopo dicta alleg. 74. nu. 4.*

5 Non autem ut ad dictum solum tempus ejus jurisdictio restricta sit, ut solet esse exemptorum prætensio, cum in toto reliquo tempore, rectè demandare valeat observantiam eorum, quæ in visitatione demandata sunt, ac transgressores punire, seu aliàs inquirere de concernentibus ejusdem Visitationis finem seu effectum, ne aliàs Episcopus videns abusus, cogendus esset eos tolerare usque quò tempus novæ visitationis advenerit, ut advertitur *in Faventina suprà hoc eodem tit. disc. 4.* Sed ne se ingerat in causis ordinariè seu accidentaliter occurrentibus extrà visitationem, seu ipsius visitationis decretorum observantiam, atque in hac distinctione credebam consistere veritatem.

MARSICANA JURISDICTIONIS PRO EPISCOPO CUM ABBATE CASSINENSI.

Casus pendet in Rota indecisus.

De Jurisdictione loci Ordinario delegata circà clausuram Monasterii Monialium amplissimè exempti, & cum tali exemptione quod importet territorium separatum & qualitatem *Nullius*, quantum se extendat, & in quo operativa sit, Et quale aliud jus extrà clausuram in eodem Monasterio, vel ejus Ecclesia Ordinarius habeat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*

2 *Jurisdictio delegata Ordinario loci quoad Monasteria Monialium procedit in exemptis, non autem ubi de territorio separato.*

3 *Dari potest territorium separatum impropriè etiam intrà limites alicujus diœcesis, & cum istius circumdatione undique.*

4 *Quomodo procedendum sit in decisionibus una tantùm parte informante editis.*

5 *Tenor concordiæ initæ in causa.*

6 *Aperitio oris non est concedenda sine cognitione probabilitatis justitiæ petentis.*

7 *De differentia inter Prælatos inferiores habentes territorium separatum per veritatem, & alios habentes per privilegium & fictionem.*

8 *De ratione ob quam custodia clausuræ ac administratio Monasterii Monialium committitur Ordinario loci.*

DISC. XVIII.

1 IN Oppido *Tagliacotii*, quod non dubitatur esse, in, & de hac diœcesi Marsicana, sub Episcopi omnimoda, tam ordinaria, quàm delegata jurisdictione, adest Monasterium monialium Ordinis S. Benedicti sub invocatione *Sanctorum Cosmi & Damiani*, ab antiquissimo tempore sub cura, ad-

Card. de Luca de jurisdict. & foro compet.

ministratione, & jurisdictione Abbatis Cassinensis, qui unum ejusdem Monasterii Monachum in Vicarium & administratorem deputare solet, cum amplis privilegiis Apostolicis exemptivis eidem Monasterio concessis, ut infrà; Cumque per *Sac. Conc. Trid.* & Apostolicas Constitutiones, locorum Ordinariis delegata esset jurisdictio super concernentibus clausuram, ac administrationem Monasteriorum Monialium, quamvis exemptorum, ac sub Regularium regimine & administratione viventium; Hinc proinde inter Episcopum & Abbatem exorta fuit lis commissa in Rota, ubi plures prodierunt resolutiones coram *Corduba & Robusterio*, & demum 23. *Octobris 1589. coram Comitulo*, ut patet *ex decisione 83. inter ejus impressas*, per quam Abbati concessum fuit mandatum de manutenendo quoad gubernium Monasterii & monialium, ac etiam quoad jurisdictionem in clericos inservientes Ecclesiæ ejusdem Monasterii, privativè ad Episcopum, præterquàm in illis casibus, in quibus *Sac. Conc. Trid.* jure delegato locorum Ordinariis jurisdictionem concessit, tam circà clausuram Monasteriorum Monialium, quàm alia in locis & personis exemptis in diœcesi existentibus, atque cum hac resolutione practicatum & continuatum fuit, usque ad annum circiter 1650. quando exorta fuit nova controversia occasione deputandi Confessarium earumdem Monialium, an scilicet iste per Abbatem deputatus, indigeret ad præscriptum *Constitutionis Gregorii XV.* approbatione Ordinarii, Unde assumpta desuper disputatione *coram Bichio* subrogato sub intitulatione causæ *Montis Cassini jurisdictionis*, Episcopo informare negligente, *sub die 27. Martii 1651.* prodiit resolutio favorabilis Abbati solùm informanti, cuius resolutionis fundamentum fuit, quod Concilium Tridentinum, & 2
Apostolicæ Constitutiones super Ordinariorum delegata jurisdictione procedunt in Monasteriis vel Ecclesiis simpliciter exemptis, secùs autem in habentibus territorium separatum, & qualitatem *Nullius*, ut de isto Monasterio judicatum fuit, ob nimiam amplitudinem privilegiorum Apostolicorum, denotantium omnimodam independentiam ab Ordinario loci,

Nil obstante situatione in diœcesi, ac circumdatione undique, quoniam licet id adversari videatur propriæ & naturali separationi territorii de facto, Non tamen implicat adesse territorii separa- 3
tionem impropriam, & secundum quid, eorumdem effectuum productivam, ut patet ex decisione desuper edita *impress. inter rec. decis. 373 par. 11.* quæ apud hujusmodi inferiores Prælatos vel exemptos celeberrima reddita est, multasque consimiles excitavit prætensiones, & controversias, juncta præsertim altera consimili decisione, pariter cum Episcopi negligentia, Prælato inferiori tantùm informante edita *in Caven. collationis ordinum 26. Junii 1654. coram Verospio post Tondut. de pension. decis. 31.*

Unde patet, quàm cautè procedendum sit in extendendis decisionibus super resolutionibus, quæ una tantùm parte informante, & juxtà ejus frequentius non vera præsuppositа, quæ ab altera parte convinci non possunt, procedendum sit, sicco 4
tantum scilicet stylo enunciando præsuppositа in facto partis informantis, neque ulterius nimium se extendendo circa conclusiones, cum tractu temporis, ac apud judices inferiores, præsertim de partibus, non reflectentes ad hanc circumstantiam, hujusmodi decisiones magnam impressionem

facere ſoleant, cum aliquo juſtitiæ detrimento, præter intentionem integerrimi Tribunalis, quod adeò laudabiliter non informantem abſque difficultate denuò audire ſolet, & facillime auditis ejus juribus à reſolutis recedere, & ex qua parte præſertim ſatis commendandum eſt hoc tribunal.

Edita dicta deciſione, poſt aliquod temporis intervallum de anno ſcilicet 1654. inter dictos Epiſcopum, & Abbatem deventum eſt ad concordiam, Apoſtolicæ confirmationis munimine roboratam, per quam conventum fuit, ut ad Epiſcopum, cumulativè cum Abbate, ſpectare deberent erectio baldacchini in Eccleſia, & cognitio actualis fracturæ & violationis clauſuræ tantùm; Ad eumdem verò Epiſcopum privativè ad Abbatem, ſpectare deberent, viſitatio Eccleſiæ in concernentibus curam animarum, quæ ibi exercetur cum ejuſdem Oppidi populo ſibi ſubjecto, nec non adminiſtratio ſacramenti confirmationis, & collatio ordinum, ſeu conceſſio dimiſſorialium pro illis ſuſcipiendis, ac etiam approbatio illorum clericorum, qui in eadem Eccleſia, per ipſum tamen Abbatem deputati, confeſſiones populi audirent, Reſervata etiam juriſdictione in cauſis mercedum & miſerabilium perſonarum, juxtà diſpoſita per Sac. Conc. Trid. & ad limites dictæ deciſionis Comituli; In reliquis autem omnibus, juriſdictio eſſet Abbatis privativè.

Cum autem Epiſcopus ſucceſſor, dictam concordiam utpotè Eccleſiæ læſivam & præjudicialem impugnare vellet, obſtarent autem clauſulæ in Apoſtolica confirmatione contentæ, claudentes os judici, & parti, Idcircò opus fuit adire pro conceſſione aperitionis oris Signaturam Gratiæ; per quam, prævia dicta aperitione, commiſſa fuit cauſa in Rota *coram Cerro*, ubi adhuc non diſputata, & indeciſa pendet.

Quia verò in diſputationibus, quæ in dicta Signatura haberi ſolent ſuper conceſſione vel reſpectivè denegatione hujuſmodi gratiæ aperitionis oris, deducuntur etiam omnia concernentia juſtitiam & merita negotii principalis, de quibus illud 6 Tribunal vult guſtare, Et meritò, quia hujuſmodi gratiæ concedendæ non ſunt, niſi jura volentis litem jam ſopitam ſuſcitare, aliquam habeant probabilitatem, cum aliàs Principum gratiæ concedi non debeant ad injuſtas & calumnioſas lites excitandas, ex deductis *per Gratian. diſcept. 959. in principio, Rot. deciſ. 461. num. 6. & ſequen. par. prima recent. dec. 297. & 485. par. 4. tom. 2. In Romana ſeu Amerina aperitionis oris 27. Junii 1635. coram Coccino deciſ. 358. par. 11. rec.*

Hinc proindè, occaſione hujuſmodi diſputationis in Signatura, ac etiam in congreſſibus Advocatorum pro cauſæ directione, juxtà ſatis frequentem & laudabilem Curiæ ſtylum habitis, examinata fuerunt merita hujus cauſæ ſuper viribus dictæ concordiæ, de cujus colluſione ſatis probabiliter Epiſcopus ſucceſſor ſuſpicari debuit, ob eam nimiam improbabilitatem, quod Epiſcopus adeò Urbi proximus, negligeret informare, cum ad hujuſmodi propoſitiones cauſarum una tantùm parte informante procedi non ſoleat, niſi ob magnam contumaciam, & poſt multas citationes, Et quod magis eſt, dicta reſolutione edita, negligeret obtinere novam audientiam, nunquam denegari ſolitam parti inauditæ, cum etiam illi, quæ audita eſt frequentius & penè ſemper in cauſis præſertim gravibus non denegetur.

Ponderata igitur dicta deciſione, cum ſenſu etiam veritatis, illa minùs probabilis videbatur, quoniam quidquid ſit, an privilegia Apoſtolica continerent illam intellectualem ac impropriam territorii ſeparationem, quæ ex Apoſtolica auctoritate dari poteſt, juxtà caſum Almæ Domus Lauretanæ, de quo infrà in *Laur. Juriſd. diſc. 33.* & de quo in hac facti ſpecie ſatis dubitari poſſe dicebam; Adhuc tamen illa admiſſa, non exinde inferri poteſt ad illos effectus, qui reſultant in Prælato inferiori, habente per veritatem ac de facto, ter- 7
ritorium ſeparatum, cum clero & populo, ac certis finibus à quacumque dicœceſi independentibus, & tanquam ſpeciem propriæ dicœceſis, juxtà illam ſecundam inferiorum Prælatorum ſpeciem quæ diſtincta habetur ſuprà in *Tolet. diſc. 1.* & de qua etiam ſuprà in *Aſtoric. & in Hyſpalen* & in aliis *hoc eodem tit.*

Illo enim caſu territorii ſeparati per veritatem & de facto, Prælatus inferior habet etiam clerum & populum ſubjectum, cum familia armata, omnibuſque aliis facultatibus & prærogativis Epiſcopo competentibus, ita ut in nihilo ab eo differre videatur, niſi quoad ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, ut etiam advertitur *in Mutinen. ſeu Carpen. collationis ordinum diſc. 16.* idcircò non mirum, ſi etiam ſibi committi poteſt, & congrua eſt cuſtodia clauſuræ, omniſque alia adminiſtratio, & juriſdictio in Monaſteriis Monialium.

Hoc autem omninò incongruum remanet in hujuſmodi Prælatis, qui ex quadam juriſfictione, ac impropriè, ob privilegiorum amplitudinem, quoddam intellectuale territorium ſeparatum & *Nullius*, intrà ipſius Monaſterii vel Eccleſiæ ambitum, ſine clero & populo, ac ſine vero territorio habere dicuntur, quoniam cuſtodia clauſuræ, ac recta Monialium adminiſtratio, circà deputationem confeſſariorum, aliorumque miniſtrorum in 8
ipſa clauſura converſari debentium, ſpectari debent, non ſolùm ab intrà, & materialiter, ut ſcilicet ipſi muri non corrumpantur & frangantur, ſive quod ipſæ Moniales inter ſe benè vivant, & à clauſura non exeant; Sed primariò & principaliter ſpectari debent formaliter & ab extrà, cum clero & populo ſæculari, ne ſcilicet ſæculares Monaſterium frequentent & cum Monialibus de facili converſentur, aliaque non gerantur, quæ clauſuræ, ac Monialium pudicitiæ præjudicare poſſint, eiſdem ſæcularibus prohibendo etiam ſimplicem frequentem converſationem, alioſque actus indifferentes & remotos, utpotè majorum malorum præparatorios.

His autem inconvenientibus occurri non poteſt per hujuſmodi inferiores Prælatos, nullam juriſdictionem, & ſuperioritatem habentes cum clero & populo ſæculari, à cujus jure terrendi magis pendet clauſuræ cuſtodia, & Monialium recta adminiſtratio, quàm ab ipſiſmet Monialibus, & à clauſura materiali, Atque iſta eſt viva & convincens ratio, ob quam meritò Apoſtolicæ Conſtitutiones, hujuſmodi juriſdictionem locorum Ordinariis tribuerunt, utpotè habentibus jus terrendi, & puniendi clerum & populum, cum familia armata, ſine quibus circumſtantiis aliàs, tales Prælati hoc intellectuale improprium territorium ſeparatum habentes, contemptibiles remanent, Et propterea eis competere quidem debet adminiſtratio bonorum temporalium, ac etiam nominatio capellanorum, confeſſariorum, medicorum, chirurgorum, & aliorum intra clauſuram & cum Monialibus converſari debentium, ſed ſemper ſubordinatè Ordi-

nario

nario loci, cum istius approbatione ac successiva subjectione & correctione in præmissis; Atque ista mihi videbatur veritas ob dictam rationem, non solum ab humano discursu, sed ab ipsa praxi & experientia comprobatam, & cui innititur ultima Constitutio *Alexand.7.* desuper edita.

POLICASTREN.

PRO
EPISCOPO
CUM
COLLEGIO CAPPELLANORUM CAPPELLÆ SIXTINÆ, SEU AD PRÆSEPE.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium, & implicitè decisus pro Episcopo, cum remissione causæ ad Rotam.

Exemptio concessa alicui Collegio sub proprio Prælato habente jurisdictionem privativam ad quemcumque, An suffragetur quoad clerum & populum castri seu loci in aliena diœcesi, ad ipsum Collegium & Prælatum pertinentis. Et aliqua de jurisdictione Ordinarii in exemptos ratione turbatæ jurisdictionis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones in possessorio in his materiis jurisdictionalibus important speciem totalis victoriæ.*
3 *Exemptio personarum ac etiam bonorum quid importet quoad castra jurisdictionalia cum Vasallis.*
4 *Exemptio non suffragatur pro turbata jurisdictione, ob quam sit subditus judicis alias incompetentis.*

DISC. XIX.

1 Sixtus V. per ejus Constitutionem 58. Collegio per ipsum erecto in cujus Capella præsepis in Basilica S. Mariæ Majoris, amplissimam concessit exemptionem à quorumcumque Diœcesanorum, ac Ordinariorum jurisdictione & superioritate, ita ut personæ, res, & bona quæcumque, ac etiam servientes & ministri, ejusdem cappellæ Protectori privativè subjacerent; Cumque, vel dicto Collegio vel capellæ unitum esset Monasterium *S. Joannis ad Pirum* in hac diœcesi *Policastren.* quod in utili dominio & jurisdictione temporali possidet castrum sub eadem nuncupatione, in quo, ejusque Ecclesiis, clero, & populo, Episcopus tanquam in reliquis ejus diœcesis locis, jurisdictionem spiritualem, cum omnimoda lege diœcesana exercere consuevit, Quidam verò dicti Collegii Vicarius, ad præfati Monasterii & castri, aliorumque bonorum regimen & administrationem deputatus, se intrusisset in exercitio jurisdictionis spiritualis, curando etiam per clerum & populum, subjectionem ac obedientiam denegari Episcopo, Hinc proinde Episcopus vel ejus Vicarius eum carceravit, & causam super manutentione suæ jurisdictionis ex remedio jactationum committi curavit in Rota, Undè ex parte Collegii adita fuit Sac. Congregatio Episcoporum & Regularium super ejus privilegiorum violatione, tam circà dicti Vicarii carcerationem, quàm circà jurisdictionem spiritualem, Atque post binam disputationem prodiit resolutio, per quam, demandata dicti Vicarii excarceratione, causa jurisdictionalis remissa fuit ad Rotam, quod mihi scribenti pro Episcopo, visum est importasse omnimodam victoriam, cum ex parte Collegii prætenderetur, nedum manutentio in jurisdictione, quam sibi ex dicto privilegio Apostolico competere asserebat, sed etiam quod positiva declaratio fieret super indebita carceratione, cum punitione Episcopi & ministrorum ob violata privilegia, ac etiam refectio damnorum & interesse, quorum neutrum obtinuit.

Siquidem quoad excarcerationem, illa videbatur de congruo demandanda, posita etiam Episcopi competentia, ob longam carcerationem, quæ loco sufficientis pœnæ rectè cedere debuit; Et quoad remissionem causæ ad Rotam, id in locorum Ordinariis in possessione hujusmodi exercitii existentibus, totalem victoriam importare videtur, 2 quoniam cessante privilegio Apostolico claro super territorio separato, & qualitate *Nullius*, quoties id prætenditur ex præscriptione immemorabili, ista indiget canonizatione trium conformium in petitorio, & interim Episcopus manutenetur, juxtà receptam praxim, tam Sac. Congregationis Concilii, quàm hujus Episcoporum, ac etiam Rotæ, ut in *Toletan. Vulturarien. Anglonen. Aprutin.* ac tot aliis, de quibus suprà, unde hoc possessorium de facto, & ex frequenti experimento sapere videtur victoriam totalem.

In hujusmodi autem disputationibus, ut suprà habitis in Sac. Congregatione, duo erant puncti, Unus super indebita carceratione dicti Vicarii, absque dubio exempti ab Episcopi jurisdictione, ob amplissimam exemptionem in dicta Constitutione Sixtina contentam, Et alter super activa jurisdictione spirituali in clerum, & populum dicti castri.

Super hoc secundo, quamvis scribentes pro Collegio insisterent super amplitudine dictæ exemptionis concessæ, nedum personis servientibus, & ministris ipsius Collegii, & Cappellæ, sed etiam bonis & rebus, exinde inferendo, quod cum castrum esset de rebus & bonis Collegii, seu cappellæ, cadebat etiam sub exemptione, ac respectivè sub privativa jurisdictione Cardinalis Protectoris; Nihilominus, cum sensu etiam veritatis, dicebam 3 prorsùs improbabilem videri hujusmodi prætensionem, quoniam in ordine ad exemptionem personarum, juxtà ea, quæ habentur *in dicta Toletana disc. 1. ac in Maceraten.* & aliis, intelligitur quoad illas ipsius Monasterii, seu cappellæ, ita ut sit jurisdictio in personas absque territorio, juxtà privilegium Almæ Domus Lauretanæ, de quo infrà in Lauretana *disc. 33.* ac etiam illud Ecclesiæ Nazarenæ, de quo *disc. seq.* Quoverò ad exemptionem bonorum & rerum, in qua magis insistebatur, exagerando quod aliàs privilegium non remaneret verificabile respectu istius castri, cum axiomatibus tamen & regulis generalibus, nullas deducendo auctoritates, quæ percuterēt hos terminos; Dicebam, eamdem exemptionem cum privativa jurisdictione Cardinalis Protectoris, rectè suffragari, ac operativam

tivam remanere, in casu quo prætendentes jus habere in eadem castro, ejusque bonis & pertinentiis, vellent ipsum Collegium convenire coram loci Ordinario, vel alio judice, cujus jurisdictionem in vim hujusmodi privilegii rectè declinare possent, nisi ageretur de quæstione feudali, seu de interpretatione jurisdictionis temporalis à Rege in feudum concessæ, juxtà terminos *tex. in cap. ex transmissa, & cap. seq de foro compet.* Non inde tamen inferri poterat ad concessionem jurisdictionis spiritualis, & quasi Episcopalis activæ in ejusdem castri clerum, & populum, cum ex sæpius enunciatis, istæ dicantur oves habentes in pastorem Episcopum, in cujus diœcesi & territorio vivunt, nisi per Papam, prævia separatione hujus partis territorii, in eo alter pastor deputetur.

Ita etiam docente totius Catholici Orbis observantia, quoniam, tam Basilicæ Patriarchales Urbis, quàm Sac. Religio Hierosolymitana, ac ferè omnes aliæ Religiones, & Monasteria, habent hujusmodi privilegia exemptiva, tam in personis, quàm in bonis, & rebus, & tamen quoad castra, quæ possident in dominio temporali, non exinde infertur ad hanc jurisdictionem spiritualem activam, nisi probato territorio separato per privilegium Apostolicum illud decernens, vel per immemorabilem canonizatam per tres conformes ut suprà, Vel saltem, nisi probata legitima præscriptione quoad actus particulares, juxtà terminos *text. in cap. auditis de præscript.* ut frequenter in præcedentibus præsertim *dicto disc. 1.*

Quoverò ad competentiam jurisdictionis procedendi ad carcerationem dicti Vicarii, non im-
4 pugnabam, scribens pro Episcopo, incompetentiam in genere, cum esset dupliciter exemptus, quia de corpore ejusdem Collegii, ac ejus minister; Dicebam tamen, etiam cum sensu veritatis, hujusmodi exemptione non obstante, illum potuisse licitè carcerari, utpotè effectum subditum Episcopi, & de ejus foro, ob ejus jurisdictionem rurbatam, cum non detur exemptio, sive de jure, sive ex privilegio, quæ ab hujusmodi competentia præservet *ad text. in cap. 1. de off. delegati, & cap. tam litteris de tristibus*, cum concordan. latè deductis *per Farin. quæst. 114 num. 67. cum sequen. & cons. 134. num. 4. & 5. volum. 2.* ubi de familiari cujusdam Cardinalis, Atque solùm per canonistas & Ecclesiasticos, id limitari solet ratione omnimodæ incompetentiæ, tam actu, quàm habitu, ut est illa judicis sæcularis in clericos, Et habetur infrà in alia *Anglonen.* & alibi *hoc eodem titulo.*

NAZARENA,

SEU

TRANEN. JURISDICTIONIS

PRO

ARCHIEPISCOPO NAZARENO

CUM

ARCHIEPISCOPO TRANEN.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium, & resolutus ut infrà.

Concessa per Sedem Apostolicam Episcopo in partibus infidelium, vel hæreticorum, seu aliàs impedito residere in propria diœcesi, Ecclesia intrà limites alienæ diœcesis pro ejus residentia, cum jurisdictione ordinaria, & Episcopali in clericos, aliosque illius Ecclesiæ inservientes, & ministros; An hic Episcopus consideretur tanquam inferior Prælatus Ecclesiæ exemptæ in aliena diœcesi, vel potius tanquam Episcopus, & Ordinarius, tam Ecclesiæ tanquam de territorio separato, quàm personarum, in utraque jurisdictione ordinaria & delegata.

Et posito quod censeatur juxtà hanc secundam partem, An in loco, in quo Ecclesia sita est, exercere possit jurisdictionem cum suis subditis, eos carcerando, sive citando per edicta in locis publicis absque licentia Diœcesani, seu Ordinarii loci, Nec non licentiam concedere possit prædicandi in dicta Ecclesia independenter ab Ordinario loci.

Et an confessarii per eum approbati ad audiendas confessiones, aliaque sacramenta ministranda in ipsa Ecclesia, administrare possint sacramenta populo ejusdem loci, vel diœcesis, ac absolvere à casibus reservatis per Diœcesanum.

Et an Diœcesanus, seu Ordinarius, justè petere valeat præfinitionem certi numeri clericorum, & ministrorum pro servitio talis Episcopi exteri, ejusque Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1 *De erectione Archiepiscopatus Nazareni,*
2 *& collatione dictæ Sedis in Apulia.*
De unione Ecclesiarum Montis Viridis & Cannarum.
3 *De jure nundinarum concesso eidem Ecclesiæ, & an accedentes ad dictas nundinas teneantur ad pedagia remissivè.*
4 *Hic Archiepiscopus defert crucem, & mozzettam per totum Orbem.*
5 *Recensentur capita controversiarum.*
6 *De resolutionibus super controversiis & dubiis.*
7 *Historicis quando sit deferendum.*
8 *In jure non reperitur præfinitus numerus clericorum ordinandorum, vel Ecclesiæ servitio præficiendorum.*
9 *De Ecclesiis non numeratis, & receptitiis, & an certus numerus præfiniri possit.*
10 *Arbitrium circa ordinationes clericorum discretè exercendum est, ac aliàs Sac. Congregatio solet inhibere novas ordinationes,*
11 *De Episcopo Fesulano habente Ecclesiam in Civitate Florentiæ.*
12 *De Ecclesia S. Nicolani Barii.*
13 *Per consuetudinem, vel præscriptionem acquiri potest jurisdictio in alieno territorio.*
14 *Distinguuntur plures casus, in quibus exerceatur jurisdictio in alieno territorio.*
15 *An subditus à proprio judice, & superiore citatus extrà territorium teneatur comparere, atque aliàs contumax reputari possit.*
16 *An judex laicus possit citare ejus subditum in Ecclesia, vel loco immuni.*

17 *De*

17 *De ratione ob quam citatus à proprio superiore extrà territorium comparere tenetur, & citatio eum afficit.*

18 *De casu, in quo extrà controversiam exerceri possit jurisdictio in alieno territorio.*

19 *Concessa aliqua jurisdictione, censentur concessa omnia ea sine quibus illa exerceri non potest.*

20 *Dari potest jurisdictio ordinaria, vel delegata ad universitatem causarum in personas, & sine territorio.*

21 *Dantur plura exempla talis jurisdictionis sine territorio.*

22 *Ponderantur plura inconvenientia, si jurisdictio in personas non esset exercibilis sine licentia Domini territorii.*

23 *Quomodo detur compatibilis concursus plurium superiorum, & jurisdictionem exercentium in eodem territorio.*

24 *De Parocho exercente curam in personis, vel familiis intrà fines alienæ Parochiæ.*

25 *Processiones fieri non possunt etiam per exemptos sine licentia Ordinarii, vel Parochi extra proprium ambitum.*

26 *De facultate dandi licentiam administrandi sacramenta, præsertim illud pœnitentiæ in propria Ecclesia, quomodo intelligatur.*

27 *De Episcopo Fesulano in Civitate Florentiæ.*

28 *Confessarii unius diœcesis à proprio Ordinario approbati, possunt absolvere subditos alterius diœcesis, etiam à casibus reservatis.*

29 *Quando Prælatus in sua Ecclesia possit prædicare, vel aliis prædicandi licentiam concedere sine licentia Ordinarii.*

30 *Quod Episcopo residenti in loco fixè non autem accidentaliter, debeantur præeminentiæ Episcopales etiam loci Ordinario invito.*

DISC. XX.

1 Liberatâ per Gothofredum, & confederatos Hierosolymâ, totaque Palestinâ à servitute Saracenorum, Apostolica auctoritate pro ipsis militibus, ac mercatoribus & peregrinis occidentalibus, ejusdemque locis incolis, juxtà ritum Latinum, & catholicum vivere volentibus, In Civitate & diœcesi Nazarena, erecta fuit Ecclesia Metropolitana cum Atchiepiscopo Latino, cui eadem Sedes Apostolica, vel tunc, vel successivis temporibus, ut Episcopus patriæ Domini Nostri Jesu Christi aliqua speciali, ac majori prærogativa fulgeret, concessit indultum deferendi crucem & mozzettam per universum Orbem; Cum autem, tam hæc Civitas & diœcesis Nazarena, quàm ipsamet Hierosolyma, totaque Palæstina, ita Deo ex occultis ejus judiciis, in Christianorum punitionem, & ignominiam permittente, denuò in servitutem Turcarum, & Infidelium rediisset, unde propterea dictus Archiepiscopus Latinus, magis forsan ex odio, & persequutione Prælatorum, & clericorum schismaticorum, quàm ipsorum Turcarum, à propria Sede & Ecclesia expulsus, profugus & mendicus vivere cogeretur; Hinc proinde eadem Apostolica Sedes, dicto impedimento durante, Archiepiscopo prædicto, pro ejus sede fixa concessit quamdam Ecclesiam extrà mœnia insignis Oppidi Barolitani *Tranen.* diœcesis in Apulia, sub invocatione S. Mariæ de Nazareth, cum omnimoda & plena jurisdictione Episcopali in clericos, aliosque inservientes & ministros ejusdem Ecclesiæ, in quam omnia jura dictæ Nazarenæ Ecclesiæ translata esse decrevit, assignando etiam quædam beneficia seu Ecclesias in diversis diœcesibus pro ejus substentatione; Atque successivis temporibus, de anno scilicet 1455. eidem Ecclesiæ Nazarenæ, æque principaliter, dicta Sedes univit Ecclesiam Cathedralem dirutæ Civitatis *Cannarum*, cujus territorium, nedum dicto Barolitano Oppido proximum est, verum apud eos oppidanos, fama & traditio habetur, etiam aliquam partem ejusdem Oppidi, tractu temporis dilatati, extrà fines diœcesis *Tranen.* atque intrà illos dictæ Ecclesiæ *Cannen.* sitam esse; Et de anno 1534. pariformiter illi univit Ecclesiam Cathedralem *Montis viridis*, cujus Civitas, & diœcesis distat à præfato Oppido Barolitano 40. milliarium circiter spatio.

Quia verò ex causa belli inter Reges Catholicum & Christianissimum, dicta Ecclesia S. Mariæ solo æquata fuit, neque Archiepiscopi vires concedebant reædificationem, Idcircò *Pius V.* de anno 1567. loco præfatæ Ecclesiæ, subrogavit alteram sub invocatione S. Bartholomei intrà ipsum Oppidum existentem, in quam transtulit omnia jura dictæ prioris Ecclesiæ, ita ut Archiepiscopo & Capitulo Nazareno, ipsa tanquam Ecclesia sua Archiepiscopali uti, missas & alia divina celebrare, verbum Dei prædicare, confessiones audire, cæteraque in Ecclesiis Archiepiscopalibus fieri solita, facere liceret, cum omnibus jurisdictionibus, exemptionibus, privilegiis, & gratiis competentibus dictæ priori Ecclesiæ, ita ad istam translatæ, cum facultate etiam deputandi canonicos & beneficiatos, aliosque clericos pro ejus arbitrio ad præfatæ Ecclesiæ servitium congruos & necessarios.

Prout exemplo Sedis Apostolicæ, pro dicti Archiepiscopi congrua & decenti substentatione, Reges quoque pro tempore diversas concesserunt gratias, Præsertim verò Rex *Ferdinandus primus de Aragonia*, cum plures ex adjacentibus Civitatibus & locis, devotionis gratia confluerent in die Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis ad dictam Ecclesiam, ejusque solemnitatem, concessit ibi privilegium nundinarum, cum jurisdictione & emolumentis, ad commodum ipsius Archiepiscopi, ut habetur actum *in Nazarena pedagiorum sub tit. de Regalibus ad materiam nundinarum disc.* 131. occasione disputandi, an dictus Archiepiscopus jus haberet prohibendi domino & possessori pedagii seu passus pontis Cannarum, ne tale onus exigeret à mercatoribus & aliis ad istas nundinas accedentibus. 3

Ob istam autem residentiam, & jurisdictionem, ferè continuæ, & connaturales esse consueverunt controversiæ inter istos Archiepiscopos, præsertim verò de anno 1620. cum istam Ecclesiam Nazarenam commendatam haberet Cardinalis Rivarola, dictus Archiepiscopus Tranen. prætensionem excitavit, non licere presbyteros & clericos pro libito ordinare, dictæque Ecclesiæ servitio adscribere, sed certum ac determinatum numerum præfiniendum esse, Atq; re delata ad Sac. Congregationem Episcoporum & Regularium, hæc sub *die 23. Augusti ejusdem anni*, ad normam dicti Piani indulti, id remisit arbitrio ipsius Archiepiscopi Nazareni; Deinde verò circà annum *1647.* alia excitata fuit prætensio super prohibitione

huic Archiepiſcopo deferendi extrà propriam Eccleſiam prædictam, per dictum Oppidum, & territorium, crucem, & mozzettam, & introducta
4 cauſa *in Rota coram Veroſpio ſub die 28. Junii dicti anni 1647.* ſtantibus Indultis Apoſtolicis, & antiquo uſu ea deferendi per univerſum Orbem, & in quacumque diœceſi, prodiit reſolutio Nazareno favorabilis, ut patet ex deciſione deſuper edita impreſſa *dec. 186. par. 10. rec.*

Circà verò annum 1665. dictus Archiepiſcopus *Tranen.* denuò ſuſcitavit dictam prætenſionem præfinitionis certi numeri presbyterorum & clericorum, atque ſupponitur, *Nazareno* fortè inaudito, ac indefenſo, eum obtinuiſſe à dicta Sac. Congregatione Epiſcoporum determinationem numeri quinquagennarii, abſque aliqua tamen dictæ reſolutionis decretatione vel executione, Atque ad breve tempus utraque Eccleſia vacata, Nazarena ſcilicet per obitum, & Tranen. per translationem ad Eccleſiam Tarentinam, Cum ad Nazarenam translatus fuiſſet *Franciſcus Antonius de Luca Epiſcopus Anglonen.* Modernus Archiepiſcopus *Tranen.* excitando dictam prætenſionem numeri præfixi clericorum, aliàs quoque prætenſiones in eadem Sac. Congregatione promovit, præſertim verò, ultra prædictam;
5 Secundò quod non liceret dicto Archiepiſcopo, ejuſque Vicario & officialibus affigere edicta vel cedulones in platea, aliiſque publicis locis ejuſdem Oppidi, abſque licentia ipſius Diœceſani; Tertiò quod minus liceret facere quaſdam conſuetas proceſſiones extrà propriæ Eccleſiæ ambitum per aliquas dicti Oppidi vias ſine ejus licentia; Quartò quod confeſſarii ab ipſo Nazareno deputati ad audiendas confeſſiones in ſua Eccleſia, non poſſent confeſſiones audire oppidanorum & populi dicti loci, præſertim verò circa abſolutionem à caſibus per ipſum Diœceſanum reſervatis; Quinto quod hic Archiepiſc. Nazarenus extrà propriam Eccleſiam in aliis dicti Oppidi Eccleſiis non poſſet habere genuflexorium, cum poſſet ſtrato, & pulvinaribus; Et ſexto deindè quod non poſſet facere prædicare verbum Dei in dicta Eccleſia, & concionatorem benedicere Atque de anno 1668. reſolutiones prodierunt.

Ad primum numeri præfixi clericorum, reſolutum fuit pro Nazareno, ſcilicet *non conſtare de exceſſu*, quamvis de tempore diſputationis eſſent 68. ſacerdotes & clerici.
6

Ad ſecundum circa affixionem edictorum, & cedulonum in locis publicis, dictum fuit *non licere, niſi juſtificaretur conſuetudo.*

Ad tertium circà proceſſiones, *ſervandam eſſe conſuetudinem*; Et ſuper quarto concernente confeſſiones, nulla capta fuit reſolutio, ſed reſcriptum fuit exhiberi authenticum documentum litterarum *Pii V.* cum deduceretur ſolùm illarum tenor regiſtratus *apud Ughellium in 7. tom. Italiæ Sacræ* agendo de iſta Eccleſia, cui meritò in hac parte delatum non fuit, tanquam hiſtorico moderno multa referenti, pluresque ſcripturas regiſtranti ad ſimplicem relationem ſeu exhibitionem ipſorum Epiſ-
7 coporum, vel aliarum partium; Quamvis enim habeamus in jure concluſionem ſuper fide chroniſtis & hiſtoricis præſtanda ex deductis *per Maſcard. de probat. concluſ. 287. Gratian. diſcept. 893. Rota deciſ 353. num. 23. & ſeqq. par. 5. rec. apud Celſum dec. 25. num. 2.* & in aliis *per add. ad dec. 529. par. 4. rec. tom. 3. num. 36.* Nihilominus ea intelligitur, ubi agitur de antiquis & probatis hiſtoricis, in quibus nulla affectationis, & partium ſuggeſtionis ſuſpicio urgeat, Secus autem in modernis, & ubi dicta probabilis ſuſpicio obſtet, multo magis utraque circumſtantia concurrente, ut advertitur *apud Otthob. dec. 234. num. 6. Roias deciſ. 336. num. 17. Coccin. dec. 132. numer. 4.* & in aliis, & ponderatur *in Cæſar auguſtana Cathedralitatis hoc eodem lib. ſub tit. de præeminentiis diſc. 3. & ſeq.*

Quoad quintum ſuper præeminentia habendi genuflexorium, cum ſtrato & pulvinaribus, aliasque prærogativas Epiſcopo congruas, in aliis ejuſdem Oppidi Eccleſiis ſæcularibus vel regularibus, punctus remiſſus fuit decidendus Sac. Rituum Congregationi, cujus proprium ac peculiare eſt has honorificas ſui cæremoniales controverſias tractare & decidere; Et demũ quoad alterum concionatoris, non in eadem, ſed in diverſa diſputatione, id habitum fuit pro abſoluto ad favorem Nazareni quod liceret, declarando invalidas cenſuras quas contrà concionatorem protulerat Ordinarius.

Examinando igitur ſingulas quæſtiones prædictas, Quatenus pertinet ad primam ſuper præfinito numero clericorum, reflectendo etiam ad veritatem, improbabilis mihi videbatur Diœceſani prætenſio, tam inſpecta diſpoſitione, vel ratione juris communis, quàm ſtante præfato Indulto *Pii V.* Ac etiam obſervantia, tum generali aliarum conſimilium Eccleſiarum, tum particulari iſtius loci & Eccleſiæ reſpectivè.

In jure ſiquidem, nihil expreſsè diſpoſitum habetur ſuper reſtricta Epiſcoporum, aliorumque 8
Ordinariorum facultate ordinandi, vel reſpectivè Eccleſiarum ſervitio adſcribendi certum numerum clericorum, cum ſolùm circà beneficia, vel portiones, aut participationes maſſæ, reperiatur diſtinctio inter Eccleſias numeratas & non numeratas, ea deductis *per lotter. de Beneficiis lib. 1. quæſt. 14. num. 12.* Quinimò cum in pleriſque Italiæ partibus, præſertim verò in iſtis Apuliæ, conſuetu- 9
do daret, omnes ferè Eccleſias Cathedrales, Collegiatas, vel Matrices, & Parochiales locorum, excepto numero præfinito Canonicorum & Dignitatum, eſſe non numeratas, ac receptitias quorumcumque naturalium loci, certa requiſita habentium, ex iis, quæ frequenter habentur acta *ſub tit. de Canonicis & Capitulo*, Atque in Eccleſia Cathedrali *Melphicten.* ob nimis excretum numerum presbyterorum participantium de maſſa, ab eodem Capitulo & clero initum, eſſet ſtatutum, ſuper certi numeri determinatione, in ordine tamen ad dictam participationem maſſæ, non autem ad facultatem Epiſcopi, ordinandi, & adſcribendi, juxtà diſtinctionem, quam in propoſito dabam in una *Andrien.* ut habetur deductum *dicto tit de Canonicis &c.* Adhuc re delata *ad Rotam*, hæc ſtatutum prædictum improbavit, ut patet ex plena deciſione deſuper edita *in Melphiten. ſtatuti, & cenſurarum 26. Novembris 1640. coram Ghislerio*, quamvis dicta præfinitio ibi de facto effectum ſortita ſit, forſan ob approbationem Sac. Congregationis, aut aliorum ſuperiorum poſtmodum ſuperventam, ex rationabili motivo nimium excreſcentis numeri, per quem hujuſmodi participatio ad ſatis modicum reducitur, ut Ego ponderabam *in Pheggien. conſortii* diſputata in *Rota coram Taia & Bevilaqua*, de qua pariter habetur actum *eodem titul. de Canonicis &c.*

Unde propterea reſultat, ut id, quod in dicto ſpeciali indulto *Pii V.* continetur, quod ſcilicet

Archio-

Archiepiscopi arbitrio remissum sit, ut etiam declaravit Sac. Congregatio de anno 1620. ut suprà, non sit provisio specialis, sed determinatio ejus, quod de jure inest, Quoniam cùm in jure id expressè determinatum non habeatur, omninò dicendum est, remissum esse ipsorum Episcoporum, vel aliorum Prælatorum ad quos pertinet arbitrio, pro qualitate ac necessitate seu decenti cultu Ecclesiarum, numero populi, ac locorum consuetudine regulando.

Et quamvis per scribentes in contrarium dicere-
10 tur, tale arbitrium refrænandum esse, ne contingat illud immoderatè exerceri, Unde propterea frequenter contingit, quod recurrentibus Communitatibus, vel Dominis temporalibus ad hanc Sacram Congregationem, adversus nimiam Episcoporum facilitatem in collatione primæ tonsuræ aliorumque Ordinum, eadem Sacra Congregatio inhibere solet, ne ad hujus facultatis exercitium deveniatur nisi ipsa consulta, quod Ego semper laudavi, dum in plerisque partibus, præsertim verò in Regno Neapolitano, frequentius tonsura & ordines, non suscipiuntur, ut Deo & Ecclesiis inserviatur, sed ad finem evitandi gabellas & publica onera, ac etiam forum sæcularem, ut ita major vivendi & delinquendi licentia habeatur, & sic ob illam eandem majorem vivendi licentiam, quæ in proposito se addicentium servitio Prioratuum & Commendarum Sac. Religionis Hierosolimitanæ ponderatur per *Gregorium XIII. Constit. 67.* de qua habetur particulariter actum *in Faventina hoc eod. tit. disc. 4.* Unde propterea satis commendabile, ac justum videretur, quod in omnibus diœcesibus & locis hæc præfinitio pro numero & ad proportionem populi & animarum fieret, eodem modo, quo *Gregorius XV.* fecit super moderatione abusus clericorum selvaticorum in eodem Regno introducti; Nihilominus dicebam id non percutere istum Archiepiscopum in specie, sed omnes Episcopos, & Prælatos in genere dicta facultate abutentes, & sic non minus Nazarenum, quam ipsum Tranensem, Potissimè quia, ut patet ex infrascripta comparatione numeri presbyterorum, & clericorum existentium in aliis hujus Oppidi Ecclesiis Diœcesano subjectis, abusus potius adesse videbatur ex parte ipsius recurrentis.

Concurrere quoque dicebam observantiâ generalem, quoniam cùm Episcopus *Fesulanus* ob consimile forsan impedimentum residendi in propria
11 Ecclesia, & diœcesi ob aeris insalubritatem, consimili Apostolica concessione obtinuerit, cum consimili jurisdictione, Ecclesiam in Civitate Florentiæ, in qua reputatur Ordinarius cum universa Episcopali jurisdictione, Ut de ista Ecclesia loquuntur *Abb. in cap. super eo de Parochis num. 6. Lapus alleg. 139. ibique etiam Calderin. Rota dec. 207. num. 5. par. 2. divers.* & alii, Attamen non habet hanc limitationem, quot clericos ordinare, vel dictæ Ecclesiæ adscribere debeat.

Et quamvis istud exemplum, in aliquo differre videatur à præsenti, dum dictus Episcopus aliquos habet in eadem Civitate fines, in quibus vivit etiam populus sæcularis, cum quo curam, tam Sacramentalem, quàm jurisdictionalem habet, unde propterea indiget clericis, & operariis, nedum pro Ecclesiæ cultu, suaque condecenti assistentia, verum etiam pro dictæ curæ exercitio, ac Sacramentis dicto populo ministrandis, Nihilominus eadem ratio in præsenti quoque urgere videtur, ob dictam adjunctam Ecclesiam *Cannensem*, in cujus territorio, quamvis non ex fixo domicilio, sed accidentaliter moratur notabilis populus, occasione culturæ illorum agrorum, ac etiam cultura salinarum, & in ipso sale fabricando, seu aliàs circa illum operando, & sic ratio videtur eadem.

Dabam aliud exemplum ibi proximum, & in
12 eadem provincia, unde intrabat argumentum à fortiori, Ecclesiæ scilicet Collegiatæ sancti Nicolai intra Barensem Civitatem existentis, Est enim Ecclesia Collegiata, solùm exempta ab Archiepiscopo sub Prælato inferiori qui *Prior* nuncupatur, & qui comparativè ad Episcopum vel Archiepiscopum dicitur Prælatus inferior, & tamen in ea adsunt 42. Dignitates, & Canonici, 58. Beneficiati, & 40. circiter simplices Cappellani, & Clerici, Igitur attenta debita proportione, si inferior Prælatus, in Civitate habente fortè minorem populum, ac in faciem Archiepiscopi & Ecclesiæ Metropolitanæ, in Ecclesia Collegiata habet hunc ministrorum numerum, prorsus incongruum dicebam, ut in loco fortè habente majorem populum, & in Ecclesia Metropolitica, vel ejus figuram gerente, ubi residet Archiepiscopus adeò singulariter à Sede Apostolica decoratus, ut supra, talis minor numerus præfiniendus esset;

Et fortius cùm in isto loco non resideat ipse Ordinarius Diœcesanus, neque adsit Ecclesia Cathedralis, ut in dicto alio casu Baren. Quinimò, quod magis est, ex nimia ordinandi facilitate ipsius Archiepiscopi conquærentis, casus dabat, quod in una ex duabus Ecclesiis parochialibus dicti Oppidi, quæ Collegiatæ nuncupationem ac prætensionem habet, atque matricis figuram gerit, habens Rectorem Archipresbyterum nuncupatum, adessent supra 110. Sacerdotes, & Clerici, Et in alia breviori parochia, adesset numerus quinquagenarius circiter, Imò & in quadam Ecclesia regulari Prioratus Baroli Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, cujus servitio plures Sacerdotes & Clerici sæculares adscribi solent, idem ferè adesset numerus, qualis ut supra est in altera minori parochia, ideoque magis augebatur ratio incongruentiæ.

Quoad secundum controversiæ punctum, super affixione cedulonum & edictorum in platea, aliisque locis publicis, in quo, ut supra, dictum fuit, *cessante consuetudine non licere*, Nulla suberat necessitas de hoc disputandi in puncto juris, cum certa ac notoria in facto supponeretur antiqua consuetudo, qua concurrente, Sac Congregatio jam censuit licere; Et meritò, quoniam etiam in casibus, in quibus pro certo obstet regula impediens exercere jurisdictionem in alieno territorio, Adhuc illa limitationem recipit ex coatraria legitima consuetudine seu præscriptione, per quam jurisdictio
13 in alieno territorio acquiri potest *ad text. in cap. auditis de præscriptionibus, & firmant Abb. Felin. Alex. de Nevo*, ac cæteri antiqui canonistæ, ac etiam doctus modernus canonista *Fagnanus in cap. cum olim eod. tit. de præscript.* & aliqui *in dicto cap. auditis* cum deductis supra *in Toletana disc. 1.* latè *Flamin. de Rubeis cons. 69. num. 71. & sequen. lib. 2. Rovit. pragm. prima de jurisdictione invicem non turban. num. 10.* ac cæteris allegatis supponitur per *Rotam dec. 109. num. 8. par. 11. rec.* Unde in hac materia quæstio solet esse potiùs facti quàm juris, super verificatione scilicet requisitorum, quæ ad legitimam præscriptionem inducendam desiderantur.

Verùm credebam, etiam cum sensu veritatis, quod absque dicta circumstantia consuetudinis

seu præscriptionis, propter onus exinde resultans, (quod non leve est,) illam cum suis requisitis rigorosè justificandi; quod in solo puncto juris, & facti qualitate, simpliciter, ac indefinitè pro dictæ facultatis exercitio responderi deberet.

Admittendo siquidem tanquam certam, ac incontrovertibilem dictam regulam prohibitivam exercendi jurisdictionem in alieno territorio absque licentia & consensu Ordinarii loci, Quia tamen circa ejus intelligentiam ac respectivè limitationes, ob casuum diversitatem, de facili in aliquod æquivocum incidi solet, Idcircò advertebam in proposito plures casus distinguendos esse.

14 Quorum primus est, ubi quis in alieno territorio vult exercere jurisdictionem cum subditis ipsius Domini territorii, atque privativè ad..., seu etiam cumulativè, cognoscere illas causas, quarum cognitio regulariter de jure ad ipsum loci Ordinarium seu territorii Dominum, vel Magistratum pertinet, ut est casus de quo agit *Rovit. in dicta pragn. prima de jurisdictione invicem non turbanda, ex num. 3.* ubi de Bajulo Licii prætendente exercere jurisdictionem in Marchionatu Uritano cum illis civibus & incolis, Ac etiam habetur *per Rotam dec. 129. par. 4. rec.* ubi de Domino castri *Nemi*, volente exercere jurisdictionem in ea parte lacus, quæ est de territorio castri *Cinthiani*, cum similibus, Atque circumscripta qualitate districtus præferentis jus territoriale, esset casus jurisdictionis, quam Vicarius Urbis in alienis Diœcesibus intra districtum, cumulativè cum Ordinariis, & cùm ipsismet Diœcesanis exercere prætendit, juxta casum, de quo *in Terracinen. disc. 50.* & in aliis hoc tit.; Et tunc, absque dubio major urget juris resistentia, quia non solùm adest defectus jurisdictionis ratione territorii, sed etiam ratione personarum, ac præjudicii alterius Magistratus, aliàs de jure competentis, ideoque strictius proceditur, magisque rigorosa consuetudinis vel præscriptionis probatio desideratur, De quo tamen casu in præsenti agere, illiusque, ac etiam aliorum sequentium veritatem examinare non oportuit, utpotè extra casum controversiæ, solumque illi citrà superfluitatis, vel evagationis vitium insinuabantur, ad effectum evitandi æquivoca, & ne auctoritates de uno loquentes, alteri incongruè applicarentur.

Alter casus est, ubi aliquis loci Ordinarius, seu Magistratus, habens proprium territorium, proprioſque subditos originarios vel domiciliarios, vult cum istis accidentaliter in alieno territorio morantibus, exercere propriam ac nativam jurisdictionem, quam in territorio proprio sine dubio exercere posset, An scilicet id agere valeat absque consensu & licentia Ordinarii loci seu Domini & Magistratus, quæ per requisitorias, juxtà communem praxim peti solet; Et tunc intrat distinctio, an actus jurisdictionalis importet exercitium imperii & jurisdictionis de facto, ut sunt e. g. carcerare, torquere, fustigare, suspendere, seu aliàs personam punire, vel bona exequi & subhastare, cum similibus; Vel potius importet solam verbalitatem, puta proprium subditum per nuntium aut per edictum citando & monendo, aut illius statum sibi denunciando, quod scilicet à proprio Superiore excommunicatus seu bannitus esset &c.

Primo casu, concors est omnium sententia, ut cessante legitima consuetudine vel præscriptione id fieri non possit, cùm hujusmodi actus importent in ipsomet exercitio, imperium, ac jurisdictionem, quod in alieno fieri non potest; In secundo autem controversia est inter scribentes, non in ordine ad ipsos locorum, & territorii Dominos & Ordinarios, seu Magistratus ratione turbatæ jurisdictionis, sed solum in ordine ad validitatem actorum, quoad ipsum subditum à proprio Ordinario, vel Superiore in alieno territorio citatum, An scilicet talis citatio eum afficiat, ita ut aliàs contumax reputari valeat, & consequenter ad pœnas contumaciales condemnari, aliosque actus contra eum procedi possit; Et in hoc negativam tenere videntur *Soccin. in cap. licèt de foro competenti num. 46. & Bellarmer. in cap. Romani §. contrahentes num. 6. & in cap. secundo num. 26, de form. compet.* ac cæteri deducti per infrà allegandos, ex axiomate, quod jus dicenti extrà territorium non paretur impunè. 15

Contrariam verò opinionem tenet doctus feudista *Isernia in cap. primo de controv. Investitura inter Dominum, & alium de beneficio numer. 7. & sequen.* ubi exemplificat in Rege Neapolis citante Regnicolam ejus subditum in Urbe morantem, Eamdemque tenent occasione quæstionis, an Judex laicus citare possit proprium subditum in Ecclesia vel loco exempto *Abb. in cap. inter alia num. 9. de immun. Eccles. & cæteri collecti per Alverum Valasc. consult. 81. num. 4. cum seqq. Rovit. pragm. 2. de citat. num. 12. de Marin. resol. 44. num. primo lib. primo benè Sanfelic. dec. 141. num. 1. & 2, latè Baron. de citat. quæst. 42. num. 27. cum sequen.* Apud quos distinguitur, an agatur de citatione verbali vel de reali, ut hæc secunda fieri non possit utpote importans in ipso actu formale ac actuale exercitium jurisdictionis & imperii, juxta dictam primam partem distinctionis, secùs autem de prima, quoniam jurisdictionis exercitium non consistit in illo citationis actu, quem exequitur nuntius vel cursor, sed in mandato seu commissione de citando, qui actus fit in territorio proprio, und propterea Ordinarius vel Superior loci, in quo id explicetur, conqueri non potest de demandante citari, quod suam turbet jurisdictionem; Benè tamen, saltem juxta communem receptam praxim, justam conquerendi occasionem habet de temeritate ipsius nuntii seu curioris, hujusmodi actum explicantis in ejus propria domo seu territorio, ipso irrequisito, unde de facto, ratione dictæ temeritatis, quando habetur in manibus, carcerari & puniri solet. 16

Sed quoad ipsum subditum à proprio Superiore, quamvis in alieno territorio vel loco exempto citatum, probabilius videtur, eum affici, quoniam finis citationis est scientia, seu notitia, quam ita ipse obtinet, quod scilicet Superior illum monet, quod contra eum habet inquisitionem seu processum informativum, quodque propterea comparere debeat ad se excusandum & defendendum, ac aliàs procedetur ad condemnationem, aliaque acta, Unde eo ipso quod id scit, & negligit comparere, conqueri non potest, quod non citatus neque monitus condemnetur, seu ad præjudicialia contra eum procedatur, Quod tamen plures recipit modificationes seu declarationes, de quibus agere opus non fuit, utpotè extrà casum, dum solum, citra evagationem, ista ut suprà insinuabantur, ad effectum ita clarius demonstrandi hujusmodi oppositionis incongruentiam, quoniam si, ut infrà, hic Archiepiscopus in hujusmodi Oppi- 17

do,

do, ejusque territorio, carcerare, ac in persona vel in bonis, actus jurisdictionales de facto exercere potest, multò magis facere licet id, quod est minus, ducto argumento *ab auth. multò magis Cod. de Sacros. Eccles.*

Cæterùm in hac facti specie dicebam, versari extra prædictos aliosque similes casus, & consequenter nullatenus cadere quæstiones in proposito per DD. disputatas, quoniam non versamur in Judice
18 vel Magistratu, qui habens proprium territorium, seu jurisdictionem in suis finibus limitatam, illam in alieno territorio cum propriis subditis ibi accidentaliter existentibus exercere velit, Sed de Episcopo ex Apostolicæ Sedis Auctoritate in eo loco, fixam, ac propriam residentiam habente, tanquam in loco subrogato, ac vice propriæ Cathedralis seu Diœcesis impeditæ, utpote ab infidelibus occupatæ, cum Ordinaria ac Episcopali plena jurisdictione, in clericos, aliosque ejus Ecclesiæ vel personæ servientes & ministros, morereliqui cleri & populi, sparsim in dicto Oppido ejusque territorio viventes, atque continuum domicilium habentes, Unde propterea cùm Sedes Apostolica in hujusmodi personas in alieno territorio viventes, ordinariam ac Episcopalem jurisdictionem dederit, ita implicitè ac per antecedens necessariũ, dedisse censetur facultatem exercendi dictam jurisdictionem, quamvis in territorio alieno, Ex vero &
19 recepto principio, quod concessa jurisdictione, per necessarium antecedens concessa censentur omnia ea, sine quibus illa effectum sortiri non potest *ad text. in l. 2. cum ibi notatis ff. de jurisdictione omnium Iudicum cap. suspicionis de offic. deleg. Rot. apud Merlin. decis. 610. num. primo aliàs 253. part. 6. rec. dec. 199. num. 3. par. 5. & sæpius*, & sic est jurisdictio in personas cum quodam jure territoriali improprio, pro facultate scilicet in eo jurisdictionem cum ipsis personis exercendi.

Quamvis enim plurium opinio sit, jurisdictionem ordinariam, vel delegatam ad universitatem causarum, dari non posse sine territorio, quod sit illius subjectum seu fundamentum, Nihilominus in contrariam est magis communis & vera, quod scilicet dari possit jurisdictio in personas, etiam si-
20 ne territorio, *ut ex Abb. & Felino in cap. ex causa matrimonii de offic. Ordinarii Alex. conf. 35. numer. 19. lib. 4. & in l. solet. num. 7. & 8. ff. de jurisdictione omnium Iudicum*, ac aliis collectis plenè probat *Schrader de feudis par. 10. sect. 3. quæst. 6. num. 83.* & ex eo *Gratian. discept. 918. num. 58. cum sequen.* qui exemelificant in Rectoribus Scholarium, in Conservatoribus privilegiorum, in Inquisitoribus, ac similibus habentibus jurisdictionem in personas in alieno territorio;

Atque præsertim docet praxis, Priorum, & Commendatariorum Hierosolymitanæ Religio-
21 nis, vel similium Religionum militarium, quarum professores & subditi, more reliqui cleri & populi, vivunt sparsim in Civitatibus & locis in privatis domibus, non autem collegialiter in Conventu vel Commenda, quoniam adhuc sunt sub jurisdictione Superiorum Religionis seu militiæ, cum tria requisita *Constitutionis 67. Gregorii XIII.* percutiant solùm illos de clero & populo sæculari dictæ Religioni inservientes, non autem professos, ut supra *in Faventina disc. 4.* Et tamen eos cognoscunt, carcerant, & puniunt, absque consensu, vel licentia Ordinarii loci.

Migisq; ad rem facit exemplum Protectoris Almæ Domus Lauretanæ, quoniã, excepta ipsa Alma Domo quæ cum ejus ambitu intra columnas est de territorio separato ac *Nullius*, totum reliquum territorium est Episcopi, Et tamen Protector, plenam ac ordinariam quasi Episcopalem jurisdictionem exercent, inconsulto & irrequisito Episcopo, cùm ejusdem Almæ Domus, Cappellanis, servientibus & ministris in ipsa Civitate vel territorio sparsim viventibus, ut habetur infra *in Lauretana disc. 33.* Idemque inter plura similia, docet praxis in hac eadem provincia, de Priore Collegiatæ Ecclesiæ sancti Nicolai existentis intra Civitatem Barii, in qua cum illius Ecclesiæ Canonicis, beneficiatis, clericis, & servientibus, jurisdictionem exercet, ultra supradictum celebre exemplum, ab antiquis canonistis approbatum, Episcopi Fesulani in Civitate Florentina.

Accedentibus etiam in idem, vivis ac convincentibus rationibus seu considerationibus plurium ac inconvenientium quæ aliàs resultarent. Primò quia, cùm hic Archiepiscopus non habeat domum fixam propè ejus Ecclesiam, ita ut unum & idem 22
territorium, seu eumdem ambitum constituat, sed domum conductitiam inhabitare soleat, sæpè variabilem, in territorio Diœcesani existentem, Exinde resultaret, quod neque posset Tribunal habere, cum carceribus & aliis consequutivis, minusque citationes decernere, sententias proferre, aliaque gerere, quoniam ut patet ex supra allegatis, occasione citandi in Ecclesia, dicunt communiter DD. quod actus seu exercitium jurisdictionis, consistit in decernenda citatione, non autem in ejus exequutione, unde si non posset illas exequi per edictum affigendum extra territorium suum, multò minùs posset illas decernere, quo nil absurdius, contrarium comprobante tam diuturna plurium sæculorum observantia.

Secundò quia ex pariter deductis super dicto puncto citationis in Ecclesia, nisi posset ita citare verbaliter, minùs posset citare realiter, cùm absque dubio id importet majorem actum jurisdictionalem, Unde aliàs sequeretur, quod ejus jurisdictio & majestas apud proprios subditos remanerent irridibiles, seu contemptibiles, atque delicta remanerent impunita, nam delinquentes ita possent publicè conversari, seu propriæ domi tuti manere, sub benevolentia & protectione Diœcesani seu ejus Vicarii localis, in cujus libito positum esset denegare licentiam eos carcerandi, sive quando illa petitur, dando inducias in concedendo, delinquentes certiorari; Idemque quoad excommunicatos, qui publicè conversari possent, si in platea, aliisque publicis locis, cum cedulonum affixione, ad totius populi notitiam id deduci non posset.

Tertiò quia, dante casu, quod aliquis de clero & populo ipsius Diœcesani aliàs subdito, turbaret jurisdictionem seu alias læderet majestatem ipsius Nazareni, unde propterea sine dubio de ejus foro efficeretur, seu aliàs ratione connexionis causæ cum proprio subdito sibi competeret præventio, nunquam id practicare posset.

Quartò, quod cùm illi de Capitulo ejusdem Ecclesiæ Nazarenæ, aliique clerici, ministri & servientes sparsim ut supra vivant in Oppido & territorio, non possent eis ministrari Sacramenta, minusque exerceri reliqua jura parochialia, præsertim circa subm inistrationem Sacramenti eucharistiæ pro viatico, & extremæ unctionis, & circa eorum funerationem, cùm omnia hæc geri dicerentur in

alie-

alieno territorio, & tamen perpetuò id servatum fuit.

Et quintò demum, quia cùm huic Ecclesiæ annexa etiam sit Ecclesia Cathedralis *Cannensis*, in cujus Diœcesi seu territorio ibi adjacente vivit aliquis populus, licèt adventitius occasione salinarum, & culturæ bonorum, ibi verò non adsit Ecclesia Cathedralis materialis, sed ista loco illius Cathedralis deserviat, eamque representet, utique impracticabiles essent omnes actus concernentes jus diœcesanum & parochiale, dum pernecesse oportet saltem per transitum eos exercere in hoc territorio; Et ideò cùm in his omnibus, quæ important quid magis, absque dubio, certa & inconcussa sit observantia, multò magis id dicendum est quoad dictos actus affixionis edictorum & cedulonum, quæ sunt quid minus, neque formale jurisdictionis exercitium importare dicuntur, ut suprà.

Ideoque dicebam, quod quando Sedes Apostolica huic Archiepiscopo hanc fixam constituit, cum Ecclesia, Capitulo, & clero, ita provisionaliter subrogatis, Censetur per necessarium
23 antecedens dedisse quoque jus territoriale impropriè, & compatibiliter cum loci Ordinario, absque absurdo vel inconvenienti dandi duo capita in uno corpore, sive duos ejusdem territorii Dominos in solidum, sed cum illa compatibilitate, quæ diversis respectibus dari potest in eodem prædio seu fundo materiali, quia nempe unus sit Dominus, alter verò, jure servitutis possit percipere fructus, vel pascua cum ejus animalibus, sive habere jus viæ & transitus, cum similibus, quia territoriũ est quidẽ Ordinarii *Tranen.* qui tamen pati tenetur hanc servitutem erga Nazarenum; Sive juxta illum plurium Superiorum & Prælatorum concursum, qui in eodem loco, cum respectuum diversitate consideratur suprà in *Toletana disc.* 1. Ac etiam juxta eam servitutem, quam Parochus intra ejus territorium seu fines propriæ parochiæ, pati cogitur erga alterum Parochum habentem curam per capita hominum seu per familias, ut in plerisque locis
24 praxis docet, juxta optimam doctrinam *Geminiani in cap. licèt canon. num. 6. vers. Paulus distinguit de electione in sexto*, ubi quod si quis habet parochiam per capita hominum, seu respectu certarum personarum & familiarum, tale jus parochiale non cohæret territorio, sed tamen illud est exercibile in quocumque loco illæ personæ morentur, & sic jure servitutis, quam ita reliqui Parochi in proprio territorio, propriisque finibus pati coguntur.

Circa tertium punctum facultatis faciendi processiones per dictum Oppidum; Justa, & probabilis mihi visa est resolutio, ut scilicet in hoc deferendum esset consuetudini seu observantiæ, sine
25 qua non potest quis, quamvis exemptus & privilegiatus, extra proprium ambitum, in territorio Parochi vel Diœcesani absque unius vel alterius consensu processiones facere, ex collectis *per Barbos. in summa Apostolicarum decisionum*, verbo *processio*, *collectan.* 605. & passim; Est benè verum, quod hæc observantia, quæ certa in facto præsupponebatur, magnam habet congruentiæ rationem, ob dictas alias circumstantias, Sed quando non adesset, id de jure prætendi non posset, cùm iste dicatur actus voluntarius, ac devotionis, unde dici non potest antecedens vel consequens necessarium juris Cathedratici & Episcopalis, ac sibi demandatæ jurisdictionis.

Quoad quartum punctum facultatis deputandi in ista Ecclesia Confessarios, qui omnibus ad eam accedentibus pœnitentiæ Sacramentum administrare possent, quamvis essent de clero & populo dicti Oppidi, & sic subjecti ipsi Ordinario loci, eosque absolvere etiam à casibus per ipsum Ordinarium reservatis; Non controvertebatur ex parte dicti Diœcesani, seu Ordinarii, facultas hujus Archiepiscopi approbandi ejus subditos, eisque dandi facultatem exercendi pœnitentiæ Sacramentum in propria Ecclesia; Sed procedendo cum iis, quæ habemus de Abbatibus & Prælatis inferioribus, Sæcularibus, & Regularibus exemptis in eorum Ecclesiis, Monasteriis vel domibus, dicebatur 26
id solùm fieri posse cum propriis subditis, non autem cum illis de clero & populo, quia dicuntur oves commissæ ipsi Ordinario, sine cujus licentia, quilibet inferior Prælatus, quantumvis exemptus, non potest cum eis se ingerere in concernentibus curam animarum, & administrationem Sacramentorum, ut satis frequenter *hoc eodem tit.* habetur *in Toletana*, *in Vulturarien. Faventina*, *Maceraten.* & in aliis.

Verum fallacia manifesta erat in applicatione hujusmodi propositionis, in suis casibus alioquin veræ, Procedit enim in illis Prælatis inferioribus, Regularibus, vel sæcularibus, qui juxta antiquum & nativum statum, erant etiam de clero & populo ipsius Diœcesani, ejusque subditi, deinde verò dativam seu privilegiativam exemptionem passivam tantum obtinuerunt, ex qua inferri non potest ad aliquam jurisdictionem seu jus activum in clerum & populum; Hoc autem non congruit casui præsentis controversiæ, quoniam ista Ecclesia, utpote habens jura Cathedratica seu Metropolytica ipsius Ecclesiæ Nazarenæ impeditæ, saltem intra ejus ambitum, pernecesse dicitur constituere proprium territorium omninò separatum à reliquo territorio, seu Diœcesi Tranen. juxta casum, de quo in fortioribus terminis respectu Prælati inferioris habetur *in Montis Cassinen. decis.* 373. *p.* 11. *rec.* & de quo agitur, *in Marsicana hoc eod. tit. disc.* 18. Sive juxta alterum, de quo *in Caven. collationis ordinum decis.* 31. *post Tondut. de pension.* Imò clarius seu fortius, quoniam illi sunt Prælati inferiores, quibus non congruit terminus diœcesis, & territorii, seu jurisdictionis Episcopalis propriè, & per veritatem, sed impropriè, & per fictionem vel similitudinem; In præsenti autem agitur de Episcopo, cui omnia prædicta, propriè, ac per veritatem congruunt, unde verè & propriè sumus in casu Ecclesiæ, quam Episcopus *Fesulanus* habet in Civitate Florentina, quoniam ibi reputatur tanquam Episcopus, illaque Ecclesia deservit loco Cathedralis, ut *per Abb. in cap. super eo de parochis num.* 6. *Lapum alleg.* 139. *ubi etiam Calderin. Rot. decis.* 207. *num.* 5. *par.* 2. *divers. de quibus supra.*

Et licèt pro ratione dubitandi dici posset, casum dicti Episcopi *Fesulani* esse diversum, quoniam non solùm habet sub se clerum servitio dictæ Ecclesiæ addictum, sed etiam aliquam partem populi intra certas vias, seu fines in ipsa Civitate viventis, Nihilominus hæc dubitandi ratio etiam cessat, quoniam ut supra circa hoc objectum insinuatum est, iste Archiepiscopus habet etiam populum sæcularem viventem in diœcesi, & territorio *Cannensi* ibi adjacenti, cujus respectu ista Ecclesia est Cathedralis, non per subrogationem, vel fictionem, sed per veritatem, unde propterea hic Archiepiscopus habere videtur aliquod majus jus.

Quo posito, de plano resultare dicebam (&

Sac.

Sac. Congregatio admisit) istos Confessarios liberè posse in eorum Ecclesia pœnitentiæ Sacramen-
28 tum administrare , etiam civibus & incolis ipsius Oppidi , eosque à casibus reservatis quoque absolvere, eodem modo , quo saltem de communi & recepta consuetudine id fit , ac servatur in una diœcesi quoad illos alterius diœcesis ad eum accedentes , *ut ex Navarr. Molphes. Fagundez* , & aliis habetur *apud Barbos. de Episcopo alleg. 52. numer. 15.* Eò quia Confessarii non possunt in illo actu distinguere unum populum ab altero , sive cives à forensibus ; Et quamvis quoad casus reservatos considerarentur fraudem de facili committi posse, atque eludendo reservationem factam à Diœcesano,adire istos Confessarios , ac ab eis absque impedimento absolutionem obtinere ; Nihilominus id percutit conscientiam ipsorum subditorum , de quo ipsi videant , non autem defectum potestatis ipsorum Confessariorum , quoniam in omnibus locis existentibus in confinio diœcesum , præsertim verò in Italia , & magis in ista provincia , in qua , ut advertitur *in Burgen. erectionis Cathedralis infrà sub tit. de præeminentiis disc. 6.* ferè omnes Episcopatus constituuntur, sine diœcesi , ex solis Civitatibus nimium adjacentibus , ita ut Episcopi videantur potius tot Parochi cum usu Pontificalium , & jurisdictione Episcopali , nimium de facili id practicari potest , ideoque nulla subest ratio differentiæ.

Idemque , quod dicitur de facultate approbandi Confessarios , & administrandi Sacramenta , In omnibus , ac magis de plano procedere dicebam circa facultatem concionandi ipsi Archiepiscopo
29 competentem in ipsa Ecclesia , seu aliis id agendi licentiam præbendi , cùm fieret in propria Ecclesia Cathedrali , & in proprio territorio ut suprà,extrà diœcesim & territorium dicti Archiepiscopi Tranen. Quod expresè tanquam absolutum agnovit & canonizavit eadem Sac. Congregatio , quæ proinde invalidas declaravit censuras à dicto Tranen. imprudenter de facto promulgatas contra quemdam Concionatorem Regularem , qui de mandato, & licentia hujus Archiepiscopi in hac Ecclesia in Adventu prædicaverat ; Et quidem omninò incongruum , ac irrationabile esset , quod Archiepiscopus in loco propriæ , ac fixæ residentiæ , prohibendus esset , cum proprio Capitulo , & Clero , ac in propria Ecclesia Cathedrali & Metropolytica prædicare , vel audire statutis temporibus verbum Dei, potissimè , dum adest etiam dictus populus diœcesis *Cannen.* cui ex debito , Episcopus verbum Dei prædicare tenetur , vel curare , ac efficere , ut alii prædicent , cùm ut supra non agatur de Prælato inferiori , & de Ecclesia exempta in Diœcesi , vel territorio alterius Ordinarii , in quibus terminis procedit prohibitio.

Clarum idcircò erat æquivocum scribentium pro Diœcesano , regulandi istam Ecclesiam , atque hujus Archiepiscopi potestatem, cum dictis terminis Prælatorum inferiorum in Ecclesiis subordinatis , ac simpliciter exemptis intrà Diœcesim existentibus , cùm ageretur de Ecclesia Cathedrali , cujus Prælatus est Episcopus per veritatem , habens plenam jurisdictionem Episcopalem , & potissimè illam collationis Ordinum , in qua post Concilium Tridentinum , strictius quàm in omnibus aliis materiis proceditur , ita ut etiam quoad Prælatos habentes territorium separatum cum qualitate *Nullius* , & qui veri Ordinarii dicuntur , adhuc aliqua supersit difficultas , ut habetur *in Mutinen. seu Carpen. hoc eodem tit. disc. 16.* Atque hinc advertebam , quod litteræ *Pii V.* registratæ apud *Vgellium d. 7. tom. Italiæ sacræ* , editæ occasione concessionis Ecclesiæ sancti Bartholomæi , in quibus expresè enunciatur facultas prædicandi , ac administrandi Sacramenta , illud præsertim pœnitentiæ , non continebant novam concessionem , seu privilegium , sed potius explicationem ejus , quod de jure inest.

Demùm quoad ultimum punctum genuflexorii , cum strato , & pulvinaribus , aliarumque præ- 30
eminentiarum , in reliquis hujus Oppidi Ecclesiis sæcularibus , & regularibus,Sac. Congregatio illum remisit Sac. Congregationi Rituum, cujus istæ materiæ sunt peculiares , Adhuc tamen mihi videbatur sine dubio ad favorem hujus Archiepiscopi rescribendum esse , quoniam non agitur de Episcopo extero , ibi per transitum , seu aliàs accidentaliter jure privatæ personæ commorante , sed de habente propriam sedem fixam & continuam residentiam , unde publicè incedit in habitu Episcopali; Quo posito , prorsus incongruum est , hujusmodi præeminentias illi denegandas esse , stante præsertim consuetudine , cui in ista præeminentiarum materia oninò ac principaliter defertur , Ac etiam quia, si juxtà firmata per *Rotam dicta decis. 106. par. 10. rec.* in toto isto Oppido ejusque territorio , quinimò & per universum Orbem , potest hic Archiepiscopus erigere crucem , ac deferre mozzettam , quæ sunt signa jurisdictionalia, multo magis habere debet hæc jura præeminentialia & honorifica : Accedente etiam quadam antiqua declaratione Sac. Congregationis usque ab anno 1568. per quam dicitur , ut præsente etiam Vicario Generali ipsius Archiepiscopi Tranen. locus dignior , & cum majori præeminentia debeatur huic Archiepiscopo quamvis in Ecclesia sub jurisdictione ipsius Diœcesani, unde hic punctus videbatur omninò planus; Ita etiam docente observantia , nedum individua , sed etiam generali vel simili dicti Episcopi Fesulani in Civitate Florentina , Atque dari posset etiam casus in Protectore Almæ domus Lauretanæ,quando non esset Cardinalis, sed aliquis Episcopus, seu in dicti Protectoris Vicario , qui esset Episcopus vel Prælatus.

AMALPHITANA JURISDICTIONIS

PRO

ARCHIEPISCOPO AMALPHITANO,

CUM

ARCHIEPISCOPO SALERNITANO.

Casus in possessorio decisus per Rotam pro Amalphitano.

Ecclesia existens intra fines unius Diœcesis, si perpetuo alteri Cathedrali vel Metropolitanæ uniatur , An efficiatur de hac Diœcesi cum implicita territorii separatione , ita ut in Episcopum hujus novæ Ecclesiæ , cui facta est unio , transeat omnimoda jurisdictio Episcopalis privativè

ad

ad primum, Vel potiùs remaneat in priori subjectione.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *In possessorio retinendæ non quæritur de justitia negotii principalis, & exceptiones rejiciuntur ad petitorium.*
3 *Quomodo tutè dicatur probata situatio in Diœcesi & num.* 8.
4 *In jurisdictionalibus sola juris assistentia sufficit ad manutentionem.*
5 *De exceptionibus contra testes etiam in possessorio summariissimo.*
6 *Ut acquiratur contra Ordinarium jurisdictio privativa, requiritur scientia & patientia.*
7 *Ubi possessorium pendet à petitorio, istud est terminandum.*
8 *De probatione situationis in Diœcesi.*
9 *Ecclesia unita fit prædium illius, cui facta est unio.*
10 *Quomodo id intelligatur, & ad quos effectus.*
11 *Ex præsupposito, quod alter sit Ordinarius & Diœcesanus tollitur separatio territorii, & assignatio alteri Ecclesiæ.*

DISC. XXI.

CUm Metropolytana Ecclesia Salernitana, ob illorum temporum calamitates, in aliquo depressionis statu reperiretur, *Nicolaus V.* ut ejus necessitatibus consuleret, illi perpetuò univit, suppresso Abbatiæ titulo, Monasterium *S. Mariæ de Erchia Ordinis S. Benedicti*, situm in Diœcesi Amalphitana, cujus Ecclesiæ annexa est cura animarum cujusdam populi ibi adjacentis, cum facultate illam in futurum exercendi per Vicarium seu ministrum, quod etiam fecit de quadam alia Ecclesia sita in Diœcesi Nucerina; Cumque tractu temporis Vicarius hujus secundæ Ecclesiæ prætenderet illam effectam esse de omnimoda jurisdictione & superioritate sui Archiepiscopi independenter ab Ordinario Nucerino, Ortâ controversiâ, & introductâ causâ usque ab anno 1592. coram Judice deputato, deinde verò commissa alteri de voto Rotæ *sub die* 1. *Martii* 1627. *coram Pirovano* contra *Salernitanum* resolutum fuit, ut patet ex decisione desuper edita *impress. decis.* 41. *par.* 5. *rec.* Cumque etiam Vicarius deputatus in hac altera Ecclesia, se de facto intrusisset in jurisdictione spirituali, cum dicto populo, cujus curam habebat, atque subjectionem Archiepiscopi *Amalphitani* recusaret, prætendendo omnimodam jurisdictionem spectare ad suum *Salernitanum*, de cujus dominio Ecclesia effecta erat, Introducta causa in Rota *coram Albergato*, Cùm ego scribens pro *Amalphitano*, oportunum censuerim, suspenso petitorio, insistere in solo possessorio summariissimo retinendæ, stante benè probata quasi possessione visitandi, aliaque faciendi, jurisdictionis delegatæ & ordinariæ respectivè exercitium concernentia; Idcircò dato dubio, *An & cui dandum esset mandatum de manutenendo, in hujus jurisdictionis exercitio*, sub die 29. *Maii* 1654. prodiit resolutio *Amalphitano* favorabilis, cui *Salernitanus* acquievit, dum hucusque causa ulteriorem progressum non habuit, ob dicti mandati de manutenendo executionem præservatam etiam ex rescripto Signaturæ Justitiæ, cum consueta clausula *sine præjudicio* in commissione appellationis porrecta per dictum *Salernitanum*.

Quamvis autem decisio desuper edita, innixa actibus possessoriis ex parte *Amalphitani* probatis, ac etiam assistentiæ juris resultantis ex situatione Ecclesiæ intra Diœcesim, in solo possessorio respondendo, quoad reliqua hinc inde deducta super meritis negotii principalis, pertransierit cum consueto axiomate, ut tanquam respicientia petitorium, & altioris indaginis, ad illud referenda sint, neque in hoc summariissimo possessorio admittenda, in quo non quæritur de justitia vel injustitia, sed spectatur nudum factum possessionis, ex copiosè collectis *per Post. hoc tract. de manut. obser.* 42. ubi de hujus vulgaris & quotidiani axiomatis pluribus declarationibus, Nihilominus cùm ex parte præsertim scribentium pro *Salernitano* tam in Rota quàm in Signatura deducta essent omnia, quæ in petitorio etiam prætendebantur, idcircò licuit efformare etiam judicium pro veritate super negotio principali ad favorem hujus partis 2

Distinguendo autem, juxta ordinem tunc tentum, causam in duas inspectiones, unam in possessorio, alteram verò in petitorio, ac meritis negotii principalis; Quatenus pertinet ad primam, cùm per alteram partem imprudenter producta fuisset dicta Bulla unionis, in qua enunciatur hujusmodi Ecclesiam esse sitam in Diœcesi *Amalphitana*, cum facultate *Salernitano* concessa, omnia ejus emolumenta percipiendi, aliaque Abbati & Monasterio aliàs competentia exercendi, inhibendo loci Ordinario, ne illum desuper impediret, exinde remanebat, clarè, & ex propria confessione probata situatio, cujus etiam plura alia adminicula concurrebant, illud præsertim quasi possessionis in exercitio jurisdictionis. 3

Qua situatione posita, resultat juris assistentia, quæ in jurisdictionalibus sola reputari solet sufficiens ad manutentionem ex deductis *apud Mantic. dec.* 122. *Cavaler. dec.* 193. *Burat. dec.* 340. *Piscien. Jurisdict.* 24. *Martii* 1651. *Corrado dec.* 128 *par.* 11. *rec.* cum aliis in decisione; Quod dein de latiùs in aliis similibus controversiis firmatum fuit, præsertim in aliarum magistra *Toletana* 27 *Ianuarii* 1662. *coram Bevilaqua, de qua disc.* 1. Multò magis, concurrentibus etiam probationibus actualis possessionis cum visitationibus ab an. 1572. usque ad annũ 1646. continuatis, exigendo rationes ad formã Concilii Trid. ab administratoribus aliquarũ Confraternitatũ & piorũ operum, nec non demandando Vicario exercenti curam animarum & administranti Sacramenta observantiam Constitutionum synodalium cum similibus actibus jurisdictionalibus, quibus junctis, cum assistentia resultante à situatione, casus remanebat indubitatus. 4

Econversò ex parte *Salernitani*, dabantur probationes per testes exercitii plurium actuum jurisdictionalium, tam delegatam quàm ordinariam concernentium, Et quamvis ego plures hujusmodi probationibus responsiones darem, attamen *Rota* contenta fuit unica, nullitatis examinis testium sine partis citatione, & coram Episcopo Acernen. Judice delegato, qui recusatus fuerat suspectus, Respondendo ad Regulam, quod in hoc summariissimo judicio non attendantur exceptiones contra testes, ut non procedat, quando de defectu constet incontinenti, & fortius ubi adsunt contrariæ probationes junctæ cum assistentia juris, quæ destructis probationibus hinc inde sufficiens reputari 5

tari solet, ut advertitur *in dicta Piscien. Iurisdictionis* & in aliis de quibus, in decisione.

Aliam ego dabam responsionem, quod cum ista Ecclesia prætenderetur exempta, nec non esset curata, plures actus exerceri potuerunt, vel ratione curæ, vel ratione exemptionis compatibiliter cum jurisdictione & superioritate proprii Diœcesani, sive etiam cum istius licentia, cujus possibilitas sufficit, ut non dicatur facta perfecta & concludens probatio super privativa, quod scilicet dicti actus gesti essent privativè ad Diœcesanum, super quo erat punctus, & ad quam privativam dicebam, omninò necessariam esse probationem scientiæ & patientiæ, Ut ultrà generalia, in specie super consimili controversia, & contrà eumdem *Salernitanum* dictum fuit *in dicta Nucerina coram Pirovano decis. 41. part. 5. recent.* 6

Conabantur scribentes pro altera parte, præsertim in Signatura, ad impediendum hujus judicii processum exequutivum, controvertere situationem, qua dubia existente, dicebant istud esse possessorium dependens à petitorio ac negotio principali, quo casu manutento concedi non solet, nisi isto terminatio ex deductis *per Greg. & Adden. decis. 283. fontanell decis. 516. num.* 12. multa adminicula considerando circà situationis exclusionem, præsertim quod locus non esset undique circumdatus à Diœcesi. Sed replicabam hujusmodi oppositiones fuisse forsan aliqua consideratione dignas, quando sequuta non esset dictæ unionis imprudens productio, ob quam resultabat confessio ex proprio titulo, Ac etiam ubi ageretur de manutentione petita ex sola juris assistentia 7 resultante à situatione, quæ debet esse clara & certitudinalis, nè inducetetur cumulus præsumptionum, atque fictum ex ficto, & in his terminis cum hac distinctione recipiendam dicebam conclusionem, de qua *in Aprutina coram Dunoz. seniore decis. 71. post Tamb. de jur. Abb. tom. 3. & inter suas decis.* 309. ac sæpius in præcedentibus, quod Episcopo agenti incumbat onus concludenter probandi situationem tanquàm fundamentum intentionis, quandò scilicet omni possessione destitutus, illam solum deducit ex assistentia, secùs ubi hæc fomentum habet ali ujus possessionis, quæ juxta naturam causæ universalis influit in universum, præsertim sub eodem genere, & ubi non probatur privativa possessio actuum particularium juxta deducta in eadem Tolet. *de qua suprà disc.* 1. quæ, ex insinuatis, est materiæ magistra. 8

Quo verò ad alteram inspectionem super meritis negotii principalis, scribentes in contrarium plura deducebant, potissimum receptam beneficialistarum traditionem desumptam ex Canonistis 9 *in cap. quia Monasterium de Religiosis domibus*, quod scilicet ubi fit aliqua unio accessoriè, & subjectivè, (ut non dubitabatur esse præsentem) omninò immutatur prior Ecclesiæ unitæ status & natura, & fit nudum prædium ejus, cui facta est unio ex frequenter deductis in sua materia *sub titul. de Beneficiis*, ac etiam habetur deductum infrà *hoc eodem lib. sub titul. de præeminentiis in Pampilonen. decimarum*, ubi de Regno, seu Civitate, vel Provincia alteri Regno vel Coronæ annexa, cum distinctione, an æquè principaliter vel accessoriè & subjectivè, ut primo casu retineat primævam naturam ac statum, secundò autem, tanquam per speciem alluionis, efficiatur unum & idem cum eo, cui facta est unio, & de quo etiam *in Ampurien. unionis eodem titulo de præeminentiis*; & sic dicebant hujusmodi Ecclesiam effectam esse de Diœcesi *Salernitana*, multò magis ob nullum seu modicum præjudicium exindè resultans huic Diœcesano, dùm agebatur de Ecclesia regulari jam plenariè exempta.

Verùm reflectendo etiam ad veritatem, dicebam improbabilem esse hujusmodi prætensionem ex fallacia applicationis dictarum conclusionum ad casum, non negabam etenim dictæ distinctionis 10 veritatem quodque in facto vera esset dicta unio accessoria, & per viam subjectivæ annectionis, sed dicebam, ut punctualiter in consimili controversia firmatur *apud Duran. decis. 14.* cum qua processum fuit contrà eumdem *Salernitanum in dicta Nucerina*, quod scilicet, id intelligitur quoad ipsam Ecclesiam ejusque redditus, proventus & jura, ita ut Archiepiscopus subintraret in universum jus Abbatis & Monasterii, non autem pro separatione territorii cum Clero & populo, dismembrando ab antiqua Diœcesi, & tribuendo novæ, cum unionis tenor id non importaret, Atque punctus non erat in ipsa Ecclesia materiali; ejusque ministris in ordine ad jurisdictionem ordinariam, sed erat in territorio, & Clero ac populo ibi vivente, juxtà tot continuas controversias, in quibus ab exemptione loci passiva inferri prætenditur ad jurisdictionem activam, ac territorii separationem, Undè propterea, amplitudo clausularum in literis unionis contentarum per scribentes in contrarium nimium exagerata, rectè operativa remanet pro retentione antiquæ exemptionis privilegiorum in statu Regulari, & ne per sæcularizationem, seu unionem Ecclesiæ sæculari cessaverint, atque hic est hujusmodi clausularum effectus, De reliquo autem sicuti frequens praxis docet præsertim in Regno Neapolitano, & non semel habetur *sub titul. de feudis & hoc eodem titul. præcipuè in Massanen. assictuum disc.* 90. concesso feudo alicui, qui in sua ditione sit Supremus Princeps, respectu feudi consideratur Baro, & simplex feudatarius, non autem cum Supremo jure Principatus, eodem modo quo Episcopus, cui annectatur Canonicatus, quo ad concernentia canoniam, reputatur ut Canonicus, & non Episcopus, sic à pari. 11

Omnemque difficultatem tolli dicebam ex eadem Bulla unionis, in qua disponitur, *Salernitanum* percipere posse istius Ecclesiæ & Monasterii fructus & emolumenta, aliaque jura agere & exercere sine impedimento Ordinarii loci, cùm hujus inhibitione, ne illum impediret, ergò supponitur etiam post effectuatam unionem alium esse Ordinarium loci discretivè ad ipsum *Salernitanum*, quod implicat cum dicta prætensione.

***

TIRASONEN JURISDICTIONIS PRO ARCHIDIACONATU CALATAIUBII CUM EPISCOPO ET CAPITULO.

Casus decisus per Rotam pro Episcopo & Capitulo.

Subditi Diœcesani, an & quando recusare possint accedere ad Civitatem vel locum residentiæ Episcopi, ita ut trahi non debeant extrà proprios lares, ibique judicandi sint ab ipso Episcopo, vel Vicario specialiter deputato.

Quando dicatur una Diœcesis, vel duæ potiùs æquè principaliter unitæ, & de effectibus indè resultantibus, præsertim, nè illi unius ad aliam trahantur.

Sententia lata cum Capitulo & Ecclesia loci dominantis, an præjudicet reliquo Clero & populo ejusdem loci, ac aliorum adjacentium, ita ut faciat statum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *In controversiis jurisdictionalibus qui sint citandi, & quando omissio aliquorum causet nullitatem etiam quoad citatos.*

3 *Sufficit citare principaliter interessatos, non autem citandi sunt habentes interesse secundarium.*

4 *Quando etiam omissio citationis alicujus interessati non attendatur, & non causet nullitatem.*

5 *Ex quibus probetur locum esse de Diœcesi.*

6 *Potest unus & idem Episcopus in una parte considerari tanquam Episcopus, & in altera tanquam Prælatus inferior.*

7 *Sicuti Rex in aliquo Ducatu consideratur Dux vel Comes, ut præsertim de Rege Hispaniarum.*

8 *Divisio materialis territoriorum est magnum argumentum diversitatis Diœcesum.*

9 *De Episcopatibus insimul unitis, qui invicem non contineant.*

10 *Episcopus duarum Ecclesiarum insimul unitarum non tenetur habere duos Vicarios, imò nullum, sed potest convocare omnes utriusque Diœcesis ad locum suæ residentiæ.*

11 *An ex causa magnæ distantiæ vel asperitatis itineris possint subditi petere sibi deputari judicem particularem in loco.*

12 *Oppidum qualificatum an possit pretendere habere Vicarium particularem, & non subjacere illi Civitatis.*

13 *Observantia circa deputationem Vicarii particularis in loco utpotè facultativa non attendenda.*

14 *De circumstantiis ob quam conveniat concedi judicem seu Vicarium particularem.*

15 *Multa ex lege convenientiæ, vel prudentiæ, seu pro scandalis tollendis concedenda sunt, quæ alias de jure non procederent.*

DISC. XXII.

IN Regno Aragoniæ adest insigne Oppidum *Calataiubii*, Civitatis titulo & nuncupatione, vel ex Regio indulto, vel ex consuetudine decoratum, quod post Metropolicam Civitatem *Cæsaraugustanam*, populi numero, nobilitate & divitiis, nec non ædificiorum & Ecclesiarum sumptuosa structura, aliisque qualitatibus Civitatem conspicuam reddentibus præsupponitur primum locum occupare suprà reliquas ejusdem Regni Civitates & Oppida, præsertim verò in duplo & ultrà suprà Civitatem *Tirasonen.* de cujus Diœcesi & territorio cum suis annexis, per Episcopum & Capitulum Cathedralis dicebatur; Econversò autem ex constanti Oppidanorum ac districtualium opinione, originata à fama & antiquis traditionibus, prætenditur Oppidum prædictum, ejusque districtum sub se complectens 70. circiter Oppida, & Castra seu Villas, constituere territorium separatum & *Nullius*, à quacumque Diœcesi independens, sub proprio Prælato, *Archidiacono*, nuncupato, Ordinariam ac plenam quasi Episcopalem jurisdictionem habente, quodque propterea totum hoc tenimentum antiquam habet nuncupationem *Archidiaconatus Calataiubiensis*, qui successivis temporibus ob tenuitatem Ecclesiæ *Tirasonen.* huic æquè principaliter unitus fuerit; Sed quidquid esset de hujus traditionis veritate, antiqua tamen plurium sæculorum observantia de facto dedit, quod Episcopo ibi non residente, deputatus fuerit Officialis particularis, sub nomine Vicarii Generalis, penitus distincti ab altero reliquæ Diœcesis penès Episc. residente, cum proprio formali Tribunali, Archivio, carceribus, ac aliis unum Tribunal independens & stans de per se constituentibus, adeò ut, ab istius Vicarii sententiis & provisionibus, in quibuscumque causis civilibus, criminalibus, matrimonialibus & aliis, non ad Episcopum, sed ad Metropolitanum vel Nuntium Apostolicum, seu ad Papam ejusque Curiam appellationes interponerentur; Adeoque talis observantia incaluit, quod etiam Dataria & Cancellaria Apostolica, eidem Vicario tanquam Generali, in dispensationibus matrimonialibus, aliisque literis Apostolicis rescribere consueverint, & quod magis est, novus Episcopus, in hujus loci Ecclesia Collegiata possessionem accipere consuevit, ab illa Cathedralis separatam, adeò ut eo intermedio tempore quo Diœcesis Tirasonen. esset sub Episcopo tanquam Sede plena, in isto Archidiaconatu continuaretur sub jurisdictione & gubernio Capituli & Vicarii ab eo deputati, tanquam adhuc Sede vacante, in cujus casibus eadem observantia dedit, ab ipsius Collegiatæ Capitulo, ad formam Sacr. Concil. Trident. deputatum esse Vicarium, à Capitulo tamen Cathedralis confirmari solitum; Cùmque hanc separationem, Oppidani & districtuales, tàm de Clero, quam de populo, adeò tenaciter substinere vellent, ut neque ab Episcopo in Cathedrali seu Diœcesi residente evocari possent, atque extra proprios lares trahi, sed ibi solum judicari; Hinc proindè introducta fuit per Episcopum usq; ab An. 1510. lis in Rota super libero suæ Jurisdict. Episcopalis exercitio inquacumq; Diœcesis parte residere ac Tribunal habere contingeret, atque de An. 1555. favorabilem reportavit resolutionem coram *Achille de Grassis*,

Grassis, de qua testatur *Caputaq. decis. 306. part. 1. & dec. 201. part. 2.* quæ tamen resolutio ulteriorem progressum non habuit, sed dicta observantia continuante, causa siluit, usque ad Annum 1619. in quo *sub die 28. Iunii coram Sacrato*, alia consimilis resolutio in contumaciam prodiit ad favorem Episcopi solùm informantis, sed ista pariter eamdem sortita est fortunam ac prima, usque ad Annum *1656.* subortis interim vel cum Episcopis, vel cum Capitulo Cathedralis diversis concordiis; Reassumpta verò per Episcopum & Capitulum causa de dicto Anno 1656. atque prævijs decisionibus Episcopo & Capitulo solùm informantibus *sub diebus 18. Iunii 1660. coram Verospio & 3. Iunii 1661. coram Albergato*, duæ in contumaciam, atque ut in Curia dicitur, per contradictas, tanquam in diversis instantiis prodierunt sententiæ, declarantes Episcopo licitum esse, in quacumque Diœcesis parte residere, ac Tribunal habere erectum contingeret, suam Episcopalem jurisdictionem per universam Diœcesim exercere, & causas per se ipsum, vel ejus Vicarium apud se assistentem cognoscere, subditos evocare, aliaque generaliter sibi competentia exercere, neque teneri particularem Vicarium pro dicto Archidiaconatu deputare; A quibus sententiis, habita earum notitia, interposita appellatione, & commissa causa *coram Vicecomite*, assumpta fuit formalis defensio, qua tamen non obstante *sub die 3. Decembris 1663.* pro sententiarum confirmatione responsum fuit, obtentaque nova audientia, de stylo Tibunalis, ubi præsertim agitur de tertia instantia, nedùm semel, sed bis, & ter quandoque in causis gravibus concedi solita, perstitum fuit in decisis *sub die 15. Junii 1665. coram Otalora subrogato* in locum *Vicecomitis* Nuntium Apostolicum, apud Regem Catholicum, tunc peragentis, Atque ad normam decisionum expedita tertia sententia, per Signaturam Justitiæ commissa fuit causa appellationis in eadem Rota cum clausula, *sine præjudicio executionis trium conformium*, undè propterea ad executorialium concessionem deventum est, super quarum executione de facto, quid in partibus gestum sit, ignotum est.

Occasione autem disputandi in Rota & Signatura, ac etiam occasione plurium congressuum habitorum pro causæ directione ex parte *Calataiubiensium*, pro quibus in dicto malo causæ statu, post tot decisiones & sententias assumptus scribebam, Tres erant puncti seu inspectiones, Primò scilicet circà nullitatem dictarum sententiarum utpotè latarum citatis solùm Capitulo Collegiatæ, & Communitate sæculari ejusdem Oppidi, non citatis aliis tribus corporibus, ex quibus istius Archidiacouatus Universitas constituitur, primò nempè & secundò ex jam dictis, tertiò ex Clero plurium aliarum Ecclesiarum ejusdem Oppidi principalis, quartò ex Clerò aliorum Oppidorum & locorum Archidiaconatus seu districtus, & quintò ex Communitate populi sæcularis pariter aliorum locorum ejusdem districtus, contradistincti à populo Oppidi dominantis, benè in facto justificando, ex his quinque corporibus hanc Universitatem in quibuscumque actibus constitui.

Secundò, circà dictum *Calataiubiensium* præsuppositum, quod istud Territorium separatum, stans de per se, æquè principaliter, non autem accessoriè, unitum Ecclesiæ *Tirasonen.* An scilicet id aliquam haberet subsistentiam, Et quatenùs haberet, quid indè relevaret ad effectum de quo agebatur, Et tertiò quatenus etiam, cessante dicto præsuppositio, unica & eadem esset Diœcesis, An adhuc subsistentiam haberet dicta prætensio, quod isti Diœcesani extrà proprios lares evocari non possent, neque tenerentur parere Episcopo vel ejus Officiali nisi ibi residenti juxtà retroactam observantiam, Quare de singulis distinctè agendo.

Quatenùs pertinet ad primum, credebant reliqui pro hac parte scribentes, nullitatem subsistere ob omissam creationem dictorum aliorum corporum hanc Universitatem æquè principaliter constitu- 2
entium, potissimè quia in commissione nominabantur, innixi decisionibus *in montis regalis jurisdictionis coram Penia inter suas decis. 1233. & coram Mullino inter suas decis. 345.* in quibus referuntur concordantes, cum aliis *in Marsicen. & in Conversana hoc cod. tit. discur. 2. & 13.* quæ decisiones, scribendo in causa more Advocati à Me quoque deducebantur, Cùmque ageretur de negotio individuo, credebant quod nullitas respectu non citatorum, influeret etiam in citatos, cùm unus & idem actus individuus & connexus, non possit esse in parte validus, & in parte nullus, atque in hoc differunt dividua ab individuis, ut *in eadem decisione Peniæ repetita 118. par. primarec. & apud Cavaler. decis. 353. & 396. Buratt. decis. 71. decis. 439. num. 5. par. 9. rec. & septus.*

Verùm omninò neglecta fuit hæc nullitas, atque resolutiones in hac parte fuerunt juxtà meum votum, in congressibus semper tentum, quoniam si apud nos, juxta secundam inspectionem, in confesso erat, atque acriter prætendebatur, quod istud esset territorium separatum & *Nullius* in quo Episcopus repræsentare diceretur Archidiaconum seu proprium Prælatum diversum ab Episcopo *Tirasonen.* hinc proindè de plano resultabat, quod huic corpori oportebat dare caput constitutum ex Ecclesia Collegiata dicti loci dominantis ejusque Capitulo, æquè concurrente ad efformandum unicum corpus, cum Prælato sponso ejusdem Ecclesiæ, tanquam repræsentativæ illius Reipub. spiritualis, Juxtà id quod comparativè, seu proportionatè, in controversiis cum Ecclesia Cathedr. habentur de ipsa Ecclesia ejusq; Episc. & Capitulo, qualis est casus *in d. Montis regalis*, ubi ratio solùm habetur de omissa citatione Capituli constitutivi ejusdem corporis cum Episc. & successivè habentis jus coæquale, ac æquè principaliter, non autem Civitatis seu Communitatis sæcularium.

Ideoque ad validitatem gestorum sufficit citasse eos, quorum principalis causa erat defensionis, ac 3
principale interesse, non autem oportuit citare habentes jus, ac interesse secundarium, & consecutivum juxtà receptam *gloss. in l. de unoquoque ff. de re judic. Covarr. pp. qq. cap. 13. num. 6. & 7. Roias decis. 439. num. 5. decis. 242. num 7. & 8. part. 9. rec.* cum aliis cumulatis *in decis. 14. Decembris 1663. coram Vicecomite ac etiam in dictis Marsicen. & Conversan. disc. 2. & 13.* ubi magis ex professo de hoc articulo.

Hinc proinde in congressibus dicebam, hæc duo motiva esse incompatibilia, quod scilicet subsistinere velimus istud esse territorium separatum, constituens corpus stans de per se, tanquam speciem diversæ Diœcesis, & quod citatio solius Capituli Ecclesiæ ncipalis non sufficeret; Tunc etenim istud priprimum nullitatis motivum dici posset considerabile, quando, neglecto altero territorii separati, standum esset solum in tertio, juris scilicet compe-

tentis omnibus de Clero,&populo,ut vel ob itineris distantiam, & asperitatem, vel ob consuetudinem trahi nõ possent extrà proprios lares,cùm tunc id non minùs respiceret interesse Capituli dictæ Ecclesiæ principalis, quàm totius Cleri & populi sæcularis, atque tam Oppidi dominantis,quàm omnium districtualium in istius Archidiaconatus limitibus, & territorio viventium, ideòque cùm jus esset omnium coæquale, ac æquè principale, idcircò omnium quinque corporum citatio necessaria erat; Sed quia agentes pro *Calataiubiensibus*, mordicus, ac principaliter insistebant super dicto secundo motivo territorii separati,idcircò ab initio dicebam, in hoc primo nullum constituendum esse fundamentũ,undè in hac parte,resolutiones probabiles,ac benè fundatæ,reflectendo ad veritatem,videbantur.

Potissimè quia, ubi etiam aliorum non citatorum corporum,jus vel interesse dicendum esset coæquale,ac æquè principale, adhuc tamen inexcusabilis videbatur scientia tanquam de facto nimis in ea regione notorio, Ac etiam quia ubi videtur concurrere justitia judicati, ita ut quacunque collusionis suspicione cessante constet causam fuisse benè defensam, undè alii non vocati plus deducere non potuissent, si vocati essent, Tunc iste defectus, per Magna præsertim Tribunalia, negligi solet,ut fuisse practicatum *in dicta Montis regalis patet apud Peniam decis.* 1233. *in fine*, & habetur in allegatis *Conversan. & Marsicen. disc.* 2. *&* 13. Ad instar eorum, quæ habemus de necessaria denunciatione venditoris, ut agi valeat ad evictionem, quia si constat de certa justitia evincentis, omissio denunciationis non curatur, cum similibus, Et quidem meo judicio benè, quoniam aliàs esset præbere magnum fomentum calumniis, ac modo reassumendi ex integro lites diu agitatas, & sopitas, proindèque sibi imputent putantes habere principale interesse in causa, cur inexcusabilem scientiam habentes de facto habente speciem notorii in loco, non curarunt se facere admitti ad causam, ac defensionem suscipere, licet è converso urgeat ratio, de qua *in Marsicen. d.* 13. quod non citatus utpotè tutus de jure suo potest judicium negligere.

Quoverò ad secundam inspectionem super territorio separato, & constitutivo corporis, stantis de per se, independenter ab Ecclesia & Diœcesi Tirasonen. quamvis id apud illos populos ex antiquis traditionibus habeatur pro saris constanti, ac reputaretur verum, ut per modum loquendi dici solet, tanquam species Evangelii, nihilominùs nulla dabatur sufficiens probatio, nisi illa, quæ resultabat à dicta observantia, per sæculum tamen, & ultrà contradicta, stante litis introductione in Rota usque ab anno 1550. cum tot interpolatis resolutionibus, cùm non omnium Episcoporum idem sit zelus,undè aliqui magis quierem desiderantes, plura concedere vel permittere solent, aliàs non permittenda,ac propterea ista causa quoad hunc punctum mihi in omnibus comparativè fraternizare videbatur cum *Sypontina Cathedralitatis,de qua hoc libro sub titulo de præeminentiis disc.* 2.

Multòmagis,pluribus in contrarium urgentibus, quæ hujusmdi prætensionem omninò destruere videbantur, Concurrebant enim primò antiquæ,mediæ,& modernæ enunciativæ, quod istud 5 Oppidum aliaque loca semper dictasint *Tirasonen*, nunquã verò *Nullius*,Secundò quod in processibus & actis consistorialibus super provisionibus Ecclesiæ nunquam de hoc fieret mentio; Tertiò fortiter ob sententiam Rotalem in judicatum transactam usque ab Anno 1436. per quam declaratur Archidiacono Calataiubien, non competere jurisdictionem in his locis ab eo prætensam, Et tamen ista lite agitata cum Episcopo *Tirasonen.*supponenda erat tunc sequuta d. unio, Quod etiam evidenter comprobabatur,dum docebatur de actibus jurisdictionalibus Episc. *Tirason.* usq; ab Anno 1201. ergò impossibile est dicere, quod Episcopus in hoc territorio consideraretur tanquam proprius Archidiaconus, dum ita constat alium adesse occupantem hanc dignitatem, sub Episcopo jurisdictionem prætendentem; Undè ex hoc deveni in cognitionem originis dictæ antiquæ traditionis, quod scilicet hujus Oppidi Archidiaconus prætenderet in hac Diœcesis parte illam jurisdictionem, quam longo tempore habuit in quibusdam castris & parte Diœcesis Beneventanæ illius Metropolitanæ Ecclesiæ Archidiaconus, juxta deducta *in tot Beneventan. jurisdictionis coram Zarota & aliis*, inter Archiepiscopum, & Archidiaconum, quarum una habetur impressa *par.* 11. *rec. dec.* 304.

Et quartò etiam satis fortiter à contraria,observantia Sedis vacantis, dum Vicarius pro hac parte à Capitulo dictæ Collegitæ deputari solitus, confirmationem recipere consuevit à Capitulo Cathedralis, quod utique incongruum fuisset, si istud constitueret territorium separatum, & corpus independens æquè principaliter unitum, cùm tunc, quodlibet Capitulum Sede vacante deputet independenter ab alio suum Vicarium, ut habetur *in Acernen. hoc titul. disc.* 24. *& in Materanen. & Acheruntin.* & in aliis *sub tit. de Capitulo,& Canonicis*, Undè ex hoc mihi videbatur istã causam fraternizare quoque cum dicta *Acernen.Vicarii*,quod scilicet totum proveniret ab abusibus, quos antiqua simplicitas de facili induxit.

Hinc, licet taquàm Advocatus, cum speciosis allegationibus, & argumentis deducerem, non im- 6 plicare, Episcopum, qui in Civitate & Diœcesi *Tirasonen.* Episcopi personam gerit, in hac parte gerere personam Archidiaconi, & Prælati inferioris in loco *Nullius*, Ad instar eorum, quæ de Archiepiscopo *Amalphitano* habentur *in Amalphitana jurisdictionis hoc eod. titul. disc. præcedenti.*

Sive ad instar eorum,quæ habentur *apud gloss.& Bart. in l.* 3. *ff. de off. Presid.* de Rege Angliæ, ut considerandus veniat in Ducatu Vascoviæ eidem Regno unito,tanquam Dux, non tanquam Rex, Quod etiam habetur de Rege Hispaniarum, ut considerandus veniat in Principatu Cataloniæ tanqnam Princeps, *ut apud Roias decis.* 279. 281. *&* 286. *& dec.* 316. *par.* 9. *rec.* cum similibus, quæ habentur de eodem Rege respectu Comitatus Flandriæ & Ducatus Mediolani &c. *In Pampilonen. decimarum hoc libro sub titul de præeminentiis disc.* 29. Nihilominùs theoricæ erant veræ, sed defectus erat in applicatione ad factum, Undèliquet de tam sæpius repetita observatione, quantum scilicet de consulentibus in judicando fidendum sit.

Magnã apud me vim faciebat ea circumstantia ex 8 hacparte præsupposita, ac etiã per aliquos testes in Curia,& per aliquas mappas geographicas impressas comprobata,quod hujus Archidiaconatus, seu districtus termini,undique circumdarentur ab alienis Diœcesibus, absque eo quod aliquam confinationem, seu adjacentiam haberent cum ista Diœcesi *Tirasonen.* ita ut pro accessu ab una parte ad alteram

ram, oporteret cum longo, ac etiam aspero itinere pertransire per alienas Diœceses ; Posita enim ista circumstantia, impossibile dicebam, ut istud dicendum esset unum & idem territorii constitutivũ unius corporis integralis, quod non videtur dari posse de illis membris, quæ à corporis unitate per alienorum corporum intersecationem, naturaliter & de facto separata sunt, Neque probabile est, quod in ea generali Diœcesum, & territoriorum separatione, quæ ex communi & magis recepta opinione *Dionysio* tribuitur id sequutum esset, Undè propterea maximum resultare videretur argumentum veritatis dictæ antiquæ diversitatis & subsequutæ unionis alteri Ecclesiæ ob istius paupertatem ; Ad instar illius unionis, quam in Regno Neapolitano habemus de Episcopatibus *Campanien. & Satrianen.* quorum unus ab altero naturaliter est sejunctus, cum intermediatione aliarum Diœcesum; Imò cum diversitate Provinciarum, quia *Campanensis* est in Provincia *Salernitana*, & sub eo Metropolitano, ille verò *Satrianen.* est in Provincia *Compsana*, & sub eo diverso Metropolitano, Ac etiam in Archiepiscopatu *Nazareno* in partibus Infidelium, quibus uniti sunt æquè principaliter Episcopatus *Cannarum* in provincia Baren. seu Sypontina, & Episcopatus *Montis Viridis* longè distans ab illo *Cannarum* cum intersecatione plurium aliorum Episcopatuum, & sub diversa Provincia Metropolitani *Compsan. vel Beneventani*, cum similibus; Verum in hoc facto partes discordabant, & quantum liquet ex decisionibus, probabilius reputatum fuit, hanc separationem non subsistere, super quo tamen certum judicium non efformavi cùm consistat in facto.

Et quamvis data etiam dicta corporũ seu territoriorum unione æquè principaliter, adhuc id non suffragaretur ad effectum quæstionis, quoniam ut liquet ex decisione *Viterbien. & Tuscanen. coram Cavaler. decis. 418. inter suas*, Episcopus etiam duarum Cathedralium æquè principaliter unitarum non tenetur duos Vicarios, duoque Tribunalia habere, cùm etiam possit nullum habere Vicarium, sed judicare & causas cognoscere per se ipsum, ideoque subditi unius Diœcesis evocari possunt ad locum residentiæ Episcopi & Tribunalis in alia existentis, nisi obstet centenaria consuetudo, ut etiam admittitur *apud Mandos. cons. 27.* ubi agendo de Ecclesiis *Brundusin. & Vritan.* tunc unitis, fundamentum constituitur in centenaria, ac etiam habetur *dec. 537. par. 3. rec. to. 3.* ubi de Ecclesiis *Calciaten. & Calaguritan.* de quibus etiam *Gratian. discept. 655.* qui agit quoque de Ecclesiis *Sulmonen. & Valven. discept 892. & sequen. & habetur in Ampurien. titul. de præeminentiis disc. 7.*

Considerabam tamen hæc rectè procedere, ubi agitur de duabus Diœcesibus, quæ licet ex fictione legali ob naturam unionis æquè principalis, quoad privilegia & prærogativas; omninò divisæ reputentur, attamen naturaliter confinant, & de facto per continuationem territorii quoad Episcopum dici possunt, una & eadem, ita ut subditi unus non cogantur alienas diœceses intersecare, ut adeant Episcopum ejusque Tribunal in altera, Sed hæc ex abundanti ac extra casum, dum cessabat facti fundamentum super diversitate ac unione æquè principali, ideoque resolutiones Rotales quoad istius motivi rejectionem, pariter probabiles videbantur.

Demùm verò quoad tertium, an scilicet data una eademque Diœcesi, vel ratione destinationis ab initio, vel ratione unius subjectivæ, Adhuc tamen per subditos istius partis prætendi posset, eos in propriis laribus ab Episcopo ibi residente seu ab Officiali particulari judicando; Tria ex hac parte pro hujusmodi prærogativa deducebantur fundamenta, Primò scilicet ratione magnæ distantiæ cum incommodo & aspero itinere, Secundo ratione conspicuæ qualitatis hujus Oppidi, Civitatis nuncupatæ, Calataiubii, longè majoribus qualitatibus pollentibus in populi numero, divitiis, & nobilitate, quam ipsa Civitas, Et tertiò ratione antiquæ consuetudinis & possessionis.

Ad probationem primi fundamenti deducebatur auctoritas *Ancharan. in cap. finem litibus de dolo*, & clarius *in cap. cum te de officio delegati num 1. vers. 2. nota in fine*, ubi explicitè habetur, quod subditi hoc justè petere valeant, & sequuntur *ibidem Barbat. Dec. & cæteri, Franch. in cap. cum Episcopus de off. ordin. in sexto, benè Corsett. in singular.* verbo *Expensæ Mandos. d. cons. 27. nu. 13. Gratian. dicta discept. 892. num. 8.* & admitti videtur *dec. 297. num 1. & 8. part. 2. divers.*

Alterum verò fundamentum deductum ex conspicua qualitate loci, probatur cum auctoritatibus collectis *per Gratian. dicta discept. 655. & 892.* Et tertium antiquissimæ & immemorabilis consuetudinis, probatur cum receptis propositionibus generalibus facultatis, quæ ex immemorabili resultat, allegandi quemcunque titulum amplissimum vel contractum.

Omnia hæc fundamenta rejecta fuerunt in dictis ultimis decisionibus *coram Vicecomite & Otalora*, eisque singillatim respondendo, Ad primum dicitur, hanc opinionem esse magis communiter reprobatam *per Abb. & alios collectos per Barbos. de Episcopo alleg. 80. num. 5. & alleg. 54. num. 127. & sequen.* ubi de ampliss. Archiepiscopatu Toletano *& de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 15. num. 30. Rota dicta decis. 297. num. 7. part. 2. divers.* & clarius *dec. 537. num. 10. part. 4. recent. tom. 3.* Id enim quod dicunt *Ancharan.* & sequaces non procedit de jure, sed ex quadam æquitate, ob quam non urget necessitas deputandi duos Vicarios Generales, ac erigendi duo diversa Tribunalia, cum prohibitione Episcopi, nè residens in Cathedrali, Diœcesanos ad se evocare non valeat, ibique causas cognoscere, sed solùm ad effectum deputandi in locis Vicarios foraneos & particulares pro levium, & minorum causarum cognitione, nè pro istis subditi, magnum & incongruum incommodum pati cogantur, ut servat usus ferè omnium Episcopatuum, ubi præsertim amplas habent Diœceses atque reflectendo ad veritatem, responsio videbatur solida & probabilis.

Ad secundum dicitur, etiam benè considerationem procedere in concursu duarum Cathedralium æquè principaliter unitarum, in qua scilicet earum Episcopus residere debeat, ac Tribunal habere, saltim pro majori parte temporis, unde quidquid sit de isto casu, de quo loquuntur *Gratian. & cæteri apud eum* id non videtur congruè applicabile Oppidis & locis Diœcesis, quia cum Sedi Apostolicæ visum sit in ea Civitate, Sedem seu Cathedralem collocare, signum est quod ille locus reputatus fuit dignior ac magis aptus, non curato, quid temporum accidentia cau-

ſaverint, cùm exindè jus Cathedræ non tollatur, niſi talis eſſet rerum immutatio, quod locus eſſe deberet, ejuſdem Cathedræ translationi, per eamdem Sedem Apoſtolicam faciendæ, Atque ita docet communis praxis, ut videmus, de Civitate *Toletana*, & Oppido *Matriti*, de Civitate *Tranen.* & Oppido *Baroli*, cum ſimilibus, & in his ſpecialibus terminis dicti Oppidi *Baroli* prætendentis habere Vicarium particularem, habetur talis prætenſio rejecta *apud Peniam 1318.*

Et quidem antiquiùs erant iſti abuſus frequentes, nedum in magnis Diœceſibus, ſed etiam in parvis & cum breviſſimo & ſatis commodo itinere, ut eſt illud inter dictam Civitatem *Tranen.* & Oppidum *Baroli*, quinimò etiam in locis longè inferioribus, ut de parvo & miſerabili Epiſcopatu *laquedonen.* conſtituto ex ipſa parva Civitate, & parvo Oppido *Rocchettæ* habetur *apud Campanil. in diverſ. Iur. Canon. rubur. 11. cap. 23. num. 150. & ſequen.* ubi latè expenditur *deciſ. 297. par. 2. diverſ.* Et de alio pariter miſerabili Epiſcopatu *Acernen.* habetur in *dicta Acernen. hoc eod. tit. diſc. 24.* Et de conſimili prætenſione Oppidi *Corati* ejuſdem Archiepiſcopatus *Tranen.* habetur in *Tarentina diſc. ſeq.* ubi de conſimili prætenſione Oppidi *Martinæ* cum ſimilibus.

Ad tertium verò fundamentum, deductum
13 ex antiqua, & immemorabili conſuetudine reſpondetur, & pariter benè illam non eſſe probatam, quinimò improbabilem ſtante lite ab anno 1550. ſuprà per ſæculum & ultrà pendentem, Ac etiam quia retroacta obſervantia, facultati potiùs tribuenda eſt, ut advertitur *dicta deciſ. 297. part. 2. diverſ. & deciſ. 537. part. 4. recent. tom. 3. apud Peniam dicta deciſ. 1318.* cum aliis quæ habentur in hujus cauſæ ultimis deciſionibus, & habetur etiam *in dicta Acernen. diſc. 24.* & aliis *hoc tit.*

Quamvis autem omnes iſtæ reſponſiones ſingulariter & de per ſe conſideratæ eſſent vali dæ & ſubſiſtentes, quia revera d. fundamenta ſingulariter & diſtinctè videntur de ſtricto jure non habere ſubſiſtètiam, Adhuc tamen in hac facti ſpecie ex ejus particularibus circumſtantiis, non ſingulariter ſed unitim conſiderandis, reſolutiones non placebant, utpotè nimis innixæ leguleicis rigoribus, contra leges congruentiæ, & æquitatis, ac etiam Chriſtianæ prudentiæ regulas evitandi ſcilicet ſcandala & præjudicia ſalutis animarum; Licet enim in Ordine ad primum fundamentum, magis communis opinio ſit ea, quam ſequuta eſt Rota, reijciendo illam *Ancharani* & ſequacium; nihilominùs cùm ſit articulus in jure dubius, habens opiniones hinc indè, dici non poteſt obſtare poſitivam reſiſtentiam juris, quæ immemorabili formiter probata vel Apoſtolico privilegio expreſſo indigeat, cùm ita potiùs agi videatur de puncto præter jus, circa quē obſervantia etiam non antiquiſſima conſiderabilis videtur, potiùs tanquam interpretativa quâ præſcriptivâ, Ac etiam quia non agebatur de indiſcreta prætenſione, ad ſolam pompam & fumoſam prærogativam juſta ratione non munitam, ut ſunt ſuprà inſinuati caſus *Tarentin & Tranen.* & ſimiles, in quibus de unico Oppido à Cathedrali parum diſtante, ſed de magna parte Diœceſis, conſtituta ex tam inſigni Oppido, majores habente qualitates Civitatis, quàm ipſa Civitas, ejuſque diſtictu 70. circiter Oppidorum, & locorum cum diſtrictu ſeu ambitu 170. milliarium, congruo ad qualificatam Diœceſim conſtituendam; Concurrentibus etiam, longa diſtantia, aſperitate itineris, ac etiam aliarum Diœceſium interſecatione, ita ut omnes iſtæ circumſtantiæ, junctæ cùm tam antiqua obſervantia ac adeò tenaci illorum populorum opinione, & traditionibus, undè contrarium non niſi cum ſcandalis & inconvenientibus practicari poſſe videtur, ſuadere videbantur, cùm aliqua epicheia, & cum prudentialibus potius, quàm merè leguleicis regulis procedendum eſſe; Sæpius enim praxis docuit, quod etiam poſt ſententias & executoriales, iſtæ controverſiæ in populorum opinione adeò fi- 15
xæ ſunt, quod videntur impracticabiles, abſque magnis ſcandalis, pro quibus tollendis Sedes Apoſtolica quandoque ſe agnovit conſtitutam in neceſſitate aliàs providendi, Ut inter quamplura exempla, quæ deduci poſſent, memoria tunc ſcribendo ſuggerebat illud Eccleſiarum *Brunduſin. & Uritan.* de quo apud *Mandoſ. dicto conſ. 27.* quoniam, cum non obſtantibus deciſionibus, diſcordiæ eſſent implacabiles, opus fuit eas dividere, atq; Eccleſiæ *Vritanæ* proprium Epiſcopum tribuere; Quod etiam geſtum fuit de Eccleſia *Lancianen.* quàm oportuit erigere in Archiepiſcopatum, ad tollendam litem ſuper qualitate ſuffraganei Archiepiſcopi *Theatin.* cum ſimilibas enunciatis *in Vrbinaten. Juris* metropolitici *hoc eod lib. ſub titul. de præminentiis diſc. 1.*

Illudque præſertim videbatur in iſta cauſa ſatis conſiderabile pro dicta antiqua obſervantia ſubſtinenda, reſultante ex antiqua lite habita etiamin Curia, inter Epiſcopum & Archidiaconum prætendentem in hac parte Diœceſis tanquam in ſuo Archidiaconatu juriſdictionem ordinariam & quaſi Epiſcopalem, privativè ad Epiſcopum, quæ lis terminata fuit per ſententiam Anni 1436. Probabile ſiquidem videtur, quod Epiſcopi, ad alliciendos iſtos populos, ut dicto Archidiacono tanquam proprio Prælato non adhærerent, atque eos in Epiſcopos & ſuperiores, pacificè, & libenter agnoſcerent, ita cum eis convenerint, ut etiam ſub Epiſc. viverent, eo modo, quo ſub particulari Prælato vivere aſſueti erant, Eo modo quo devolutis ad Sedem Apoſtolic. Civitate, & Statu Ferrariæ, *Clem. VIII.* dictis Civitati & Statui conceſſit, nè ad Romanam Curiam & extra proprios lares traherentur, ſed viverent eo modo, quo ſub propriis Ducibus vivebant, Quod etiam *Vrbanus VIII.* conceſſit illis Status Urbini poſt iſtius devolutionem, quamvis juris rigor eſſet in contrarium, quia conſolidato feudo cum reliquo ſtatu Eccleſiaſtico, certum eſt, quod ſubditi tenentur venire ad Curiam Principis, & non poterat id per eos prætendi, ſed multa concedenda, ſeu toleranda ſunt ex lege prudentiæ, & convenientiæ, quæ rigoroſa lex ſcripta non concedit.

***

TARENTINA JURISDICTIONIS PRO ARCHIEPISCOPO. CUM CLERO ET POPULO OPPIDI MARTINÆ.

Casus decisus per Sac. Congregationem Concilii pro Archiepiscopo.

De eadem materia, An scilicèt subditi alicujus loci vel partis diœcesis prætendere possint trahendos non esse extra proprios lares, sed ibi tantum per Episcopum seu Vicarium particularem, eorum causas cognosci debere.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Decisio Sac. Congregationis.*
3 *Ubi cessat magna incommoditas, omninò injusta est prætensio subditorum, nè trahantur extrà lares.*
4. *Episcopus non potest concedere privilegia subditis, ne extra lares trahantur, seu alias jurisdictionem diminuere.*
5 *Prælati inferiores non possunt supplantare successores, eosque obligare.*
6 *Etiam ipsemet, qui alienationem vel prohibitam concessionem fecit, potest contravenire.*
7 *Imprudens consilium est privilegia & jura minus tuta ad quæstionem in foro deducere.*

DISCURSUS XXIII.

1 EAdem prætensionem, quam *in Tyrasonen. disc. præcedenti*, ex tot fundamentis & circumstantiis, non improbabiliter habebant Incolæ & districtuales oppidi seu Archidiaconatus Calataiubii, satis improbabiliter habebant quoque clerus & populus Oppidi *Martinæ Tarentinæ Diœcesis*, ut scilicet ex privilegiis per antecessores Archiepiscopos sibi concessis, extrà proprios lares trahi non possent, neque per Archiepiscopum, ejusque Vicarium Generalem pro eorum causis, tam civilibus, quam criminalibus, ac aliis quibuscumque evocari ad Civitatem seu alium residentiæ & Tribunalis locum, sed omnes causæ prædictæ cognoscendæ essent in eodem loco per Vicarium particularem ibi deputari solitum; Adcoque hæc prætensio crevit, ut ipsimet Archiepiscopo occasione visitationis diœcesim peragranti, atque per aliquod tempus in Oppido prædicto residenti, se opponebant, ne per seipsum, vel per ejus Vicarium Generalem, eorum causas cognosceret, quasi quod privativa cognitio spectare deberet ad eorum Vicarium particularem; Et quamvis Archiepiscopus per seipsum absque dubio hujusmodi omninò temerariam prætensionem respuere atque compescere potuisset, Ad abundantiorem tamen cautelam, occasione visitationis liminum, desuper consuluit Sac. Congregationem Concilii, qua mandante partes audiri, assumptaque desuper disputatione, pro Archiepiscopo prodiit resolutio, demandando solùm Vicario foraneo committi summariam cognitionem causarum| modici momenti, juxta communem 2
omnium aliarum diœcesum observantiam, à juris communis etiam dispositione vel intentione resultantem, ex auctoritatibus, de quibus *in dicta Tirasonen. disc. præcedenti*, quas etiam in ista controversia, scribens pro Archiepiscopo, deducebam.

Et quidem cum deficerent, amplitudo diœcesis, asperitas, & notabilis distantia itine is fama diversi territorii, aliæque circumstantiæ, de quibus in *dicta Tirasonen.* quæ tamen nequè in eo casu de juris rigore sufficientes reputatæ fuerunt, prorsùs irrationabilis remanebat hæc prætensio, cum hujusmodi Oppidum supponeretur distare à Civitate, in qua Archiepiscopus residere, ac 3
Tribual erectum habere solet, solo spatio 12. milliarium, per iter planum, & ex qualitate regionis satis commodum, undè propterea dicebam, quod eramus in casu præciso, de quo *in Tranen. coram Penia inter suas dec. 1318.* ubi de consimili prætensione Oppidi, Civitatis nuncupatæ, *Baroli*, cum tamen in eo casu concurreret circumstantia conspicuæ qualitatis loci, quæ proportionabiliter & comparativè ad Civitatem, in præsenti adeò non concurrebat.

Constituebatur ex parte hujusmodi oppidanorum fundamentum in privilegiis sibi concessis per Arciepiscopos prædecessores, sed erat nimis 4
leve fundamentum, quoniam hujusmodi dismenbrationes seu diminutiones jurisdictionis, sapere dicuntur speciem alienationis cadentis sub *extravag. ambitiosæ* ut in his terminis jurisdictionalibus habetur *in Acernen. Vicarii coram Otthobono dec. 220. & in eadem prima Julii 1652. Bichio*, *& de qua infrà disc. sequenti*; Et generaliter de dismembratione habetur benè deductum *apud Otthob. dec. 6. in Comen. dismembrationis coram Corrado dec. 224. par. 10. rec. & passim*, Multò magis ubi non agitur de simplici divisione seu dismembratione jurium Ecclesiarum inferiorum, sed de scindenda seu coarctanda ipsa dignitate, ac jurisdictione Episcopali; Undè si etiam in Principe Supremo denegatur potestas scindendi Coronam & concedendi inferioribus Regalia majora ipsi Coronæ seu Principatui infixa, ex iis quæ frequenter habentur *sub tit. de feudis*, Multò minùs & absque dubio id admittendum est in Episcopis & Prælatis inferioribus, qui 5
etiam in levioribus materiis, & ubi agitur de concessionibus rerum merè temporalium, neque possunt supplantare successores independenter ab eis venientes, ex iis quæ occasione investituræ abusivæ seu gratiæ expectativæ de re plena habentur deducta *sub tit. de emphyt. in Fulginaten. disc. 1.* Undè propterea hujusmodi concessiones remanent merè personales, Quinimò etiam ab ipsismet concedentibus, rectè sperni, ac impugnari possunt, saltim nomine Ecclesiæ, ut hodie receptam & absolutam habemus conclusionem, de qua *dec. 94. par. 7 rec.* & passim, ut ipsemet Prælatus, 6
qui alienationem fecit, ne dum eam possit impugnare in petinorio, sed etiam in simplici possessorio ma-

nutentionem vel reintegrationem petere valeat, adversus eum, cui ipsemet alienavit, quamvis ageretur de rebus merè temporalibus, multò magis in hac materia, in qua longè major juris resistentia concurrit, nedùm ob speciales prohibitiones, quæ *in dicta extravag.* & alibi per Pontifices factæ fuerunt super alienatione bonorum & jurium Ecclesiæ, sed etiam ob generalem dispositionem, vel rationem juris communis prohibentem ut suprà, etiam in Principibus scissuram vel diminutionem propriæ dignitatis, undè metiendo voluntatem à potestate, dicendum est, hujusmodi concessiones remanere potiùs benevolas, & merè præcarias, ad ipsius concedentis nutum quandocumque revocabiles, multò magis successoris.

Hinc proindè cum post disputationem jam habitam super consimili prætensione, me consuluisset clerus Oppidi *Corati*, instando pro assumptione judicii contrà Archiepiscopum *Tranen.* nolentem consimilia prædessorum Archiepiscoporum privilegia observare, Consului, ut omninò ab hujusmodi assumpto abstineretur, sed cum precibus ac verbis urbanis curaretur hujusmodi observantiam de facto obtinere, incutiendo solùm cum hujusmodi privilegiis, & retroacta observantia verbaliter aliquem litis timorem, semper tamen effugiendo experimentum, Ad instar habentis sclopum in manibus absque pila seu globulo, vel gladium inutilem in vagina, cum similibus, Undè propterea sæpius experientia dedit, quod ex imprudentia, vel partium, vel defensorum & consulentium, amissa penitus fuerunt cum judiciali experimento illa jura, quæ cum clipeorum famæ & existimationis, taliter qualiter juxta temporum & superiorum oportunitates conservabatur, ut patet ex *Tolet.* & tot aliis jurisdictionalibus *hoc tit. & in Sypontina Cathedralitatis sub tit. de præmiuentiis disc.* 2. cum similibus.

7

ACERNEN. RESIDENTIÆ ET VICARII PRO CAPITULO CATHEDRALIS CUM EPISCOPO ET CLERO OPPIDI MONTIS CORVINI.

Casus decisus per Sac. Congregationem Episcoporum & Regulatium, & per Rotam pro Capitulo.

An Episcopus, neglecta residentia in Civitate & Ecclesia Cathedrali, illam habere possit, ac Tribunal erigere pro toto tempore in aliqua parte diœcesis; Et quatenus id concedatur, An possit Capitulum Cathedralis prætendere, pro Civitate deputandum esse Vicarium Generalem independentem ab alio Vicario Generali assistente penes Episcopum.

Et de jurisdictione Capituli sede vacante, cum facultate deputandi Vicarium, An illa respectu loci, vel partis diœcesis, esse possit penes Capitulum Collegiatæ vel clerum ejusdem loci, privativè ad Capitulum Cathedralis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Decisio Sacr. Congregationis circà residentiam Episcopi.*
3 *De alio casu controversiæ circa jurisdictionem Capituli sede vacante.*
4 *Decisio Sacr. Congregationis in dicto alio puncto.*
5 *Episcopus non tenetur habere Vicarium Generalem & si velit non nisi unicum, etiamsi essent duæ diœceses.*
6 *Neque in hoc attenditur observantia, quia est actus facultativus.*
7 *Vicarius particularis pro Civitate vel certo loco, etiamsi habeat titulum Generalis, in effectu est foraneus.*
8 *Episcopus pro majori parte anni debet residere in Civitate & apud Cathedralem.*
9 *Intemperies aeris vel alia incommoditas, an excuset Episcopum à residentia in Cathedrali.*
10 *De interpretatione Conc. Trid. circa residentiam in Cathedrali, dum utitur verbis hortativis.*
11 *Dispositio extravag. ambit. de reb. Eccles. non alien. procedit etiam in juribus incorporalibus, & jurisdictionibus.*
12 *Sub alienatione prohibita, venit etiam transactio.*
13 *De materia Beneplaciti Apostolici præsumpti ex lapsu temporis, quando intret nec ne.*

DISC. XXIV.

CUm parva diœcesis Acernen. constituta sit ex ipsa exigua Civitate, quodam castro nuncupato *Gauro*, & ex parte, licèt notabiliori, Oppidi *Montis Corvini*, quod juxta illius regionis usum, divisum est in plures pagos seu vicos, quorum aliqui sunt hujus diœcesis, alii verò *Salernitanæ*, observantia dedit quod ob hujus loci majorem commoditatem, ac etiam aeris amœnitatem, ibi Episcopi residere pro majori tempore consueverunt, Ut autem Capitulum Cathedralis ipsaque Civitas in hoc acquiescerent, consueverunt Episcopi pro tempore, pro ipsa Civitate deputare Vicarium particularem, cum titulo & potestate Vicarii Generalis, & independentis ab alio Vicario Generali apud ipsos Episcopos residente; Cum autem modernus Episcopus dictam deputationem facere recusaret, evocando Canonicos Cathedralis ac reliquos de clero & populo Civitatis, etiam pro levibus causis ad dictum locum suæ residentiæ, istam omninò deserendo apud Cathedralem, quam quandoque, æstivo præsertim tempore, prædecessores habere consueverant, Idcircò Capitulum prædictum recursum habere decrevit ad Sac. Congregationem Episcoporum & Regularium, principaliter & unicè pro continuatione dictæ retroactæ observantiæ circa deputationem Vicarii particularis pro ipsa Civitate, cum titulo & potestate Generalis ut suprà, itaut pro eorum causis extra proprios lares & ad præfatum locum residentiæ ab Episcopo evocari non possent, Cumq; vel circa initia susceptæ Advocationis, vel forte dum adhuc indeterminatus huic pessimæ occupa- 1

tioni me non subjeceram, desuper consultus essem, Ab hujusmodi assumpto omninò abstinendum fore censui, utpotè non subsistentabili, sed potiùs assumi debere alterum punctum residentiæ, ac erectionis Tribunalis in Cathedrali, quo mediante, melius ejusdem Civitatis & Capituli juribus & honorificentiæ consultum esset, cogendo scilicet Episcopum ad residendum, ac habendum Tribunal erectum apud Cathedralem, & in ipsa Civitate pro majori parte anni.

2 Prout assumpta desuper desputatione, quamvis in puncto juris agnoscerent Patres responderi debere pro residentia pro majori parte temporis, Nihilominùs, ob retroactam observantiam, nec non aeris asperitatem, aliasque parum felices loci circumstantias, illam præsertim quod Episcopi prædecessores in isto consueto loco congruam accommodaverant habitationem, in dicta Civitate satis incongruam, De anno 1647. proponente *Cardinali Cornelio*, censuit Episcopum præcisè obligatum esse ad residentiam apud Cathedralem in temporibus præscriptis à *Sac. Concilio Tridentin. sess. 23. de Reformat. cap. primo*, ab Adventu scilicet ad Epiphaniam, & à die Cinerum ad Octavam Paschæ inclusivè, ac etiam in solemnitatibus Pentecostes & Corporis Christi.

Eadem autem residentia Episcoporum in hoc Oppido, Civitate & Cathedrali penè derelictis, illud præ ceteris inconveniens produxerat, quod 3 clerus Ecclesiæ matricis Sancti Petri, in pago seu loco dictæ residentiæ, utpotè de facto assistentiam faciens Episcopo in functionibus, ac explicans partes Capituli Cathedralis, assumptis nomine & insignibus canonicalibus, cum sola Episcopi licentia, usurpandoque nomen Capituli & Ecclesiæ Collegiatæ, denegare cæpit Capitulo Cathedralis subjectionē & obedientiam sede vacante, deputando proprium Vicarium, aliosque officiales; Cumque in vacatione circà annum 1612. in hujusmodi intrusione cum quibusdam litteris monitorialibus A C. ob dicti Capituli tunc temporis vel ineptiam vel paupertatem, de facto se confovisset, opera Episcopi successoris deventum est ad concordiam, per quam stabilitum fuit quod ab ipso clero seu Collegio in casu vacationis sedis nominari deberent tres, quorum unus per ipsum Capitulum Cathedralis deputaretur ad omnimodæ spiritualis jurisdictionis exercitium in hoc loco, privative ad Vicarium Generalem ab ipso Capitulo deputatum, ac omnino dependenter ab eodem Capitulo, atque ita servatum fuit usque ad tempus præsentis controversiæ, quando sopito dicto puncto residentiæ, assumptoque isto contrà dictum clerum,

Per eamdem Sac. Congregationem de eadem 1647. proponente *Cardinali Franciotto* resolutum 4 fuit, clerum dicti Oppidi nullum jus habere in deputatione Vicarii, vel in exercenda jurisdictione Episcopali Sede vacante, sed in omnibus subjacere, ac obedire debere Capitulo Cathedralis ac Vicario per eum deputando, dicta concordia non obstante; Cumque pro observantia & executione dictæ resolutionis obtenta esset sententia ab A. C. clerus autem prædictus obtinuisset à Signatura justitiæ committi causam in Rota coram *Otthobono* sub intitulatione *Acernen. Vicarii*, Assumpta etiam in hoc Tribunali disputatione, *sub die 30. Maij 1650* prodiit resolutio conformis jam dictæ Sac. Congregationis, ut liquet ex decisione desuper edita inter illas *Otthob. dec. 210.* confirmata *sub die 1. Julij 1652. coram Bichio* subrogato in locum *Otthob.* interim ad Cardinalatum evecti, atque ita utraque controversia finem habuit.

Tres igitur fuerunt puncti, seu inspectiones in tota ista causa cadentes, primus ad disputationis trutinam non deductus, in congressibus tamen examinatus, ad effectum reddendi capaces Capituli Agentes, quod non expediebar illum assumere, Super obligatione scilicet Episcopi deputandi in casu absentiæ Vicarium particularem pro Civitate, cum titulo, & facultate Generalis, utsuprà; Secundò super obligatione ejusdem Episcopi residendi, ac Tribunal habendi in Civitate, & apud Cathedralem pro majori parte anni; Et tertiò super jurisdictione Capituli sede vacante etiam in hoc loco.

Quatenus pertinet ad primam, dicebam minus fundatam esse Capituli prætensionem, cum tali sensu veritatis, quod censui ab illius prosecutione 5 omnino abstinendum esse, Quoniam de jure Episcopus non tenetur aliquem habere Vicarium, sed volens cognoscere potest causas per seipsum, & quatenus etiam illum retinere velit, non cogitur habere, nisi unum sibi assistentem, etiamsi esset Episcopus duarum Cathedralium æquè principaliter unitarum, ita ut revera essent duæ diœceses distinctæ juxtà *decisionem in Viterbien. & Tuscanen. coram Cavalerio inter suas decis. 418.* Et consequenter multò minus duos Vicarios habere cogendus est in una & eadem diœcesi, quamvis hæc nimium ampla esset, ita ut incolis alicujus partis, ob itineris distantiam, vel asperitatem nimium incommodum esset adire locum Tribunalis, quoniam exceptis causis brevioribus, & modici monenti cognosci solitis per Vicarium foraneum, neque dicta circumstantia amplitudinis & incommoditatis, de stricta juris censura habetur in consideratione, juxta ea, quæ formiter discussa materia habentur superius deducta *in Tiraqonen. disc. 22.* quæ tunc, dicta causa adhuc non disputata, in ista discurrendo deducebam, multò magis in hac facti specie, in qua agitur de adeò exigua diœcesi, ac cessat dictum motivum incommoditatis, ut ponderatur *in Tarentina disc. præcedenti.*

Et quamvis agentes pro Capitulo, & consultores de partibus, magnum constituerent fundamentum in longæva retroacta observantia, ob 6 quam prætendebant id esse præscriptum Dicebam tamen hoc fundamentum in specie rejectum esse per Rotam *decis. 297. par. 2. divers.* plenè reassumpta per. *Campanil. in diversor. jur. Canon. rubr. 11 cap. 23.* cum aliis, de quibus *in dicta Tiraqonen.* Ex ea clara ratione, quod hujusmodi actus dicuntur facultativi, non habiles ad præscriptionem, ac ad obligandos successores, juxta superius deducta *in Tarentina*, Ac etiam quia licèt tali Vicario parti- 7 culari pro Civitate, vel aliqua diœcesis parte deputato, titulus Generalis tribuatur, nihilominus id intelligitur impropriè, & abusivè, quia in effectu est foraneus, talem habens nuncupationem, cum Generalis sit unicus, ac ille qui residet apud Episcopum, unum & idem Tribunal cum eo constituens, ut apud allegatos.

Quoverò ad secundum punctum, seu inspectionem, dicebam scribens pro Capitulo, quòd quamvis in puncto juris, ac cessantibus justis causis excusationis, vera sit regula, quod Episcopus potest in 8 quacumque sibi visa diœcesis parte residere, ibique Tribunal erectum habere, causas cognoscere, ac subditos evocare, juxta deducta *in dicta Tiraqonen.* & in decisionibus in ea causa editis, præsertim

ultimis

ultimis coram *Vicecomite & Otalora*, Nihilominus id intelligitur discretè, & sano modo, ita tamen quod pro majori parte anni, cessante ut dictum est justa causa, residere debeat, ac Tribunal erectum habere in ipsa Civitate, & apud Cathedralem, Ex ea clara ratione, quod cum Episcopus sit Ecclesiæ sponsus non debet ab ejus sponsa diu separari, sed cum ipsa convivere, eodem modo, quo maritus cohabitare debet cum uxore *ad text. in cap. inter corporalia de translatione Episcoporum*; Et ex altera, quod dum constituit unum corpus cum Capitulo Cathedralis, cujus ipse est caput, non debet istud à reliquo corpore diu separatum remanere, ut disponitur *per text. in cap. placuit 7. quæst. 1.* Et firmant communiter Doctores præsertim *glos. parva in dict. cap. placuit* super verbo *sedere, Geminian. ibidem in fine, ubi etiam Philipp. Franch. post num 4. Guglielm. Duran. de modo Concil. General. celeber. par 2. rubr. 28. num. 4. & par. 3. rubr. 50. num 3. Gigas de resident. cap. 3. num 12. Bertacchin. in tract. de Episcopo lib. 4. 1. par. quæst. 4. & in repertor.* sub verbo *Episcopus Alvarez. in specul. jur. cap. 9. in princ. Gonzal. ad reg. 8. glos. 43. num. 192. Campanil. diverf. jur. canon. rubr. 11. cap. 23. num. 151. Gratian. discept. Forens cap. 655. nu. 27. & in addit. ad decis. Marchiæ 113. n. 2. Genuen. in manual. Pastor. cap. 31. num. 6. Mandos. conc. 27. num 8. Barbos. de potest. Episcopi alleg 53. num. 3. & alleg. 80. num. 4. Rot. decis. 353. num. 60. par. 5. recent.* Atque cum ea diligentia, quam tunc meliorem, ardor juventutis, & otium concedebant, non de facili inveniri potuit, qui contrarium firmaret.

Ex parte Episcopi replicabatur, præmissa procedere non dato legitimo impedimento, quod in præsenti adesse dicebat ob rigiditatem seu intemperantiam aeris, adducendo exemplum Archiepiscopi *Conzani* propè illam regionem, continuam residentiam facientis, non in Civitate, sed in Oppido *Sancti Mennæ*, vel in illo *Sancti Andreæ*, aut alio diœcesis, Ac etiam Episcoporum, *Caputaquen. Aliphan. Angelonen. & similium*; Verùm, inspecta etiam veritate, replicatio non videbatur considerabilis, neque dicti casus similes adaptabantur ad hanc facti speciem, Id enim procedit quando impedimentum sit accidentale, proveniens post Cathedralis erectionem, vel à Civitatis omnimoda depopulatione, vel ab aeris intemperiè, tractu temporis ex aquarum inundationibus, seu alio casu contingente, ut verificatur in prædictis, & similibus Civitatibus, Non autem ubi agitur solùm de rigiditate, vel sterilitate naturali regionis, itaut essent qualitates naturales existentes etiam de tempore erectionis Cathedralis, Tum quia esset redarguere Sedem Apostolicam de imprudentia, faciendo in tali loco potiùs quàm in altero diœcesis hujusmodi erectionem, quæ non nisi causa cognita, omnibusque pensatis fieri solet; Tum quia si hujusmodi causa subsisteret, excusandi essent à residentia omnes Episcopi Cathedralium existentium in Alpibus, vel in Apennino, aliisque locis rigidum aerem, ac incommodum vivendi modum habentibus; Ac etiam quia cessante totali depopulatione, aeris defectus considerabilis est in quibusdam anni temporibus, non autem in omnibus, cum ille aer, qui æstivo & autumnali tempore est insaluber, non sit talis tempore hyberno. & veris, Et econtra ille, qui est rigidus & asper in hoc tempore, non sit talis sed suavis, amœnus, & magis saluber in altero, ut reverà est casus præsentis controversiæ.

Dicebatur item ex parte Episcopi, dispositionem *Sac. Conc. Trid. sess. 23. de Reformat. cap. 1.* sibi magis assistere, dum utitur alternativa circà residentiam *in Civitate, vel diœcesi*, Atq; in dictis magis solemnibus anni temporibus ab eodem Concilio expressis, non cogit neq; præcipit, sed tantum hortatur, unde inferebat excludi præcisam obligationem; Sed neque id subsistere advertebam, Tum quia hortatoria superioris necessitatem importare dicitur, *cap. præsentium 7. quæst. 1. cap. dudum 18. qu. 2. c. 1. de testā, cum concord. per Menoch de arbitr. cas. 461. nu. 19. & 20.* dum præsertim Concilium utitur verbis *ullo pacto*, unde quædam præcisa voluntas deduci videtur, Tum etiam magis ad rem, quod verba hortativa Concilii eò tendunt, ne id quod aliàs ipsis Episcopis conceditur circa absentiam à Cathedrali, vel peragrando diœcesim occasione visitationis, vel etiam accedendi ad limina sivè pro tempore ibi præscripto commorandi extra residentiam, fiat in his temporibus, Et sic hortatur, ne id quod aliàs licitè facere possunt, in hujusmodi solemnioribus temporibus agant, cũ aliàs idem Concilium *sess. 6. de Reformat. c. 1.* explicitè, & in dicto loco implicitè, profiteatur confirmare, & renovare magis, quàm corrigere dispositionem sacrorum canonum circa Episcoporũ residentiam, ideoque alternativa ibi posita inter Civitatem, & diœcesim intelligenda est discretè, & juxta ipsorum canonum dispositionem, non autem, quod omninò derelicta Cathedrali, licitum reddatur in omnibus anni temporibus in alio loco continuam residentiam habere.

Demum quoad tertium, & ultimum punctum, scribentes pro dicto clero seu Collegio, non negabant regulam assistere Capitulo Cathedralis, tam de jure communi, quam *ex Sac. Conc. Trid. sess. 24. de Reform. c. 16.* succedenti in Episcopali jurisdictione per universam diœcesim, constituebant tamen fundamentum in concordia ut suprà inita, *Sed* facilis fuit responsio ex illius manifesto defectu, tam ratione causæ, quàm ratione solemnitatis, cum receptissimũ sit, sacros canones de prohibita bonorum Ecclesiæ alienatione disponentes, præsertim verò *extrava. ambitiosæ*, percutere, nedum alienationem bonorũ temporalium, sed etiam illam jurium incorporalium ac jurisdictionalium, Atque juxtà magis veram & receptam opinionem, transactio quoque venit sub nomine prohibitæ alienationis ex deductis in hujus causæ decisionibus *coram Otthobono, & Bichio*, & sæpè in sua materia *sub titulo de alienationibus* præsertim *in Januen. donationis pro Raggio.*

Non negabant scribentes in contrarium hujusmodi propositionum veritatem, insistebant tamen in Beneplacito præsumpto resultante ex lapsu longissimi temporis 30. annorum, dum concordia inita erat de anno 1613 Et quamvis ego scribens pro Capitulo objicerem de Bulla *Urbani VIII.* edita de anno 1641. tollente hujusmodi Beneplacitum præsumptum, de qua Bulla sæpius in sua materia *sub tit. de alienationibus & contra actibus*, Replicabant tamen, & benè, quod quidquid sit de illa in aliis casibus, receptum est non procedere in contractibus inter duas Ecclesias vel personas Ecclesiasticas ob cessantem malam præsumptionem usurpationis, & potentiæ, cujus ratione illa edita fuit, *ut in Vicen. portionum prima Junij 1643. Dunozetto inter suas dec. 713. Romana census 13. Junij 1665. Priolo & frequenter*, unde meritò Rota in utraq; decisione hanc responsionẽ neglexit.

Respondebam secundo, dictam conclusionem super Beneplacito præsumpto procedere, quatenus cũ lapsu longissimi temporis concurrat etiam observãtia, quæ debet esse pacifica, continua, & univoca, nõ autem æquivoca, & quæ in præsenti cessabat, quoniam

niam licet dicta concordia inita esset de dicto anno 1613. Nihilominùs id sequutum fuit sede plena, & cum opera & mediatione novi Episcopi, ob cujus longam superviventiam, usque ad annum citciter 1640. observantia ob istius Episcopi mortem in prima vacatione remanebat multum brevis, & consequenter non intrabat conclusio, atque istud motivum utpotè clarum & omninò tutum in utraque decisione admissum fuit, & cum eo processum.

Respondebam tertiò, quod ex eadem *extravag. ambitiosæ*, non sufficit solemnitas consistens in Beneplacito Apostolico, sed requiritur etiam copulativè justa causa, quam receptum est ab ipso Beneplacito non suppleri, qua causa deficiente, necessitatis, seu evidentis utilitatis etiam in terminis juris communis, & circumscripta dicta Bulla, neque intrat Beneplacitum præsumptum, ex ea clara & convincenti ratione, quod fictio seu præsumptio supplet quidem veritatem, sed ultrà eam non operatur, undè cum certum sit quod absque justa causa, quæ in præsenti omninò deficiebat, super actu evidenter læsivo, & præjudiciali, expressum Beneplacitum concessum nõ esset, Idcirco intrare non poterat præsumptũ, ut advertitur *dec. 82. n. 10 p. 11. rec. & in aliis frequenter*, cũ sit propositio hodiè pariter recepta, Ideòq; ex isto etiã motivo, quamvis in decisionibus non deducto, cessabat dictum fundamentum Beneplaciti præsumpti, multò magis omnibus dictis responsionibus in simul ponderatis, undè propterea, reflectendo etiamad solam veritatem, omnes dictæ resolutiones, tam Sac. Congregationis, quàm Rotæ, probabiles, ac benè fundatæ visæ sunt.

COLONIEN
SEU
NULLIUS EXEMPTIONIS
PRO
ABBATISSA MONASTERII ESSENDIEN.
CUM
ARCHIEPISCOPO.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium, & soptus per concordiam.

De exemptione ab Ordnatii jurisdictione competente alicui Monasterio Monialium vel Ecclesiæ principali. An competat alteri Monasteriò vel Ecclesiæ subjectæ vel dependenti; Et quid etiam respectu curæ animarum, & administrationis Sacramentorum in illis partibus, in quibus receptum non sit Concilium Tridentinum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Privilegia exemptiva non suffragantur quoad jurisdictionem delegatam.*
3 *In locis, in quibus non est publicatum & receptum Sac. Conc. Trid. cessat dicta jurisdictio delegata.*
4 *Exemptio competens Monasterio seu Ecclesiæ principali, competit etiam ejus membris, & Ecclsiis unitis & de mensa.*
5 *De notabili differentia inter subjectionem nativam & dativam & unionem Ecclesiæ aliàs liberæ, vel illius, quæ nascitur unita & subjecta.*
6 *Ex quibus probetur unio seu subjectio.*
7 *Ad præscribendam jurisdictionom contra exemptos requiritur quadragenaria cum scientia & patientia.*
8 *Exempti & immediate subjecti Sedi Apostolicæ non possunt se subjicere Ordinario.*
9 *De decreto irritanti appositio in privilegiis, an & quando inficiat contrariam possessionem & præscriptionem.*

DISCURSUS XXV.

MOnasterium Monialium *Essendiẽ.* cujus Abbatissa ratione notabilis jurisdictionis temporalis, ac etiam spiritualis, fortè cum territorio 1
separato, & qualitate *Nullius*, Principis ac Prælati figuram facit, habet sub se Monasterium, seu Collegium, pariter Monial um *Relinguſanum*, cujus Præpositissa per illas Moniales seu Canonissas elig solita, per istam Abbatissam confirmatur, & cujus Monasterii seu Collegii Ecclesiæ annexa est cura animarum populi in eo loco viventis, de jurisdictione temporali dictæ Præpositissæ forsan existentis; Cumque non dubitetur istum locum *Relunguſan.* esse intra fines diœcesis *Colonien.* ut etiam non improbabiliter dici posse videtur de eodem loco *Essendien.* cum eadem privilegia Apostolica exemptiva, illud præsertim *Innocentii VIII.* id enuncient, Idcirco Archiepiscopus, prætendens ita quoque per prædecessores practicatum esse, istud Monasterium seu Collegium *Relinguſan.* ejusque Ecclesiam & clericos visitare volebat, aliosque Episcopalis jurisdictionis & diœcesanæ legis actus exercere. Cumque dicta Præpositissa de facto se opponeret, illam censuris subjecit, unde propterea, tam ex parte ipsius, quam etiam principaliter ex parte dictæ Abbatissæ *Essendien.* habitus fuit recursus ad Sac. Congregationem Episcoporum & Regularium, à qua ob aliquam negligentiam agentium pro hac parte, Archiepiscopus, docto de exercitio aliquorum actum jurisdictionalium, obtinuit resolutionem super ejus manutentione in possessorio, Adversus quam resolutionem obtento iterum audiri, cum in hoc statu ad causam ex hac parte evocatus essem; In congressibus desuper habitis pro ejus directione, difficultatem habebam ex eo, quod utrumque Monasterium, subjectum habebat clerum & populum, cum quo in eorum Ecclesiis cura exercebatur & Sacramenta ministrabantur, undè procedendo cum præsuppositio jurisdictionis per *Sac. Concil. Trid.* aliasque posteriores Constitutiones Apostolicas ad ejus limites seu ampliationem editas, Crdinariis locorum etiam in locis exemptis delegatæ, difficultatem non levem habebam etiam cum ipsomet principali Monasterio *Essendien.* in quo utpotè amplissimè exempto, Archiepiscopus ejusque Officiales nullam prætendebant jurisdictionem, illam restringentes ad istud *Relinguſanum*, ne scilicet hujus disputationis occasione, dum non benè justificari videbatur territorium separatum, excitaremus dormientes, atque pro defendendo accessorio, re sultaret subjectio ipsius priucipalis, cum privilegia exemptiva quantumvis ampla suffragentur quoad ipsum Monasterium & personas intrà ejus ambitum, non quoad clerum & populum juxta 2

theori-

Theoricam, de qua *in Toletana disc.1.* & in aliis frequenter ; Et juxta quam censui, priusquam disputatio assumeretur edere discursum ad partes trãsmittendum, ut Abbatissæ Consiliarii agnitis difficultatibus determinarent, an potius expeditet resolutis acquiescere, ac materiam amplius non revolvere, ut mea erat sententia, quatenus subsisteret dictum præsuppositum delegatæ jurisdictionis, non obstante exemptione competentis.

Cessavit tamen difficultas ex facto, quoniam utrumque Monasterium, quamvis intra fines diœcesis situm esset, attamen utpotè existens in provincia seu ditione temporali, in qua publicatum & acceptatum non fuit *Sac. Conc. Trid.* non cadit sub dicta delegata jurisdictione, cum tali casu procedendum sit cum solis terminis juris communis ad formam Constitutionis *Bonifacij VIII in cap. cum personæ de privil. in 6.* de qua *in Theatina disc.5.* & juxta notata per canonistas *in cap. cum olim. & cap auditis de præscript. ex* deductis *in Toletana disc.1.*

Et occasione solemnitatum matrimonii vel similium in quibus aliquid de novo à præfato Sac. Conc. statutum est, ita distinguendo inter loca ubi illud est receptum, & ubi non *Sanchez de matrim. lib.3. disp. 18. Guttier. eodem tract. cap.61.n.12. Bossi. eodem tract. cap primo num.63.& 71.*

Quarè cum dictis terminis juris communis procedendo, in disputatione desuper assumpta, cum privilegia exemptiva disponerent de Monasterio *Essendien.* in forma satis ampla, Punctus erat, an illa suffragarentur huic *Relinguſano*, de quo erat quæstio, quod pendebat ab altero puncto subjectionis, an scilicet istud esset unitum & de mensa dicti Monasterii principalis, Quo posito, intrat regula, ut exemptio competens Monasterio seu Ecclesiæ
4 principali, conperat etiam ejus membris, granciis, & aliis dependentibus, ac accessoriè unitis, quæ de mensa dici possunt, cum reputentur res & prædia ipsius Monasterii seu Ecclesiæ principalis *ad tex. in cap. primo de privil. in 6. ubi glos.* verb. *exemplo Soccin. jun. in cap. recipimus num.97. de privil. dec.54. num.11. par.2. diverſ. apud Merlin. dec.8. num.3. benè dec.30. num.4. cum ſequen. par.11. rec.* & in aliis de quibus *in S. Severini Parochialis* 26. *Januarij* 1660. *coram Bevilaqua*, de qua causa habetur actum supra *hoc eodem tit. disc.15.* Et sic quæstio erat potius facti quàm juris, an scilicet de hujusmodi unione seu subjectione & dependentia constaret.

Pro illa justificanda, ac ponderandis probationibus seu adminiculis, dicebam illud principaliter advertendum fore, magnam differentiam esse inter probationem unionis illarum Ecclesiarum, de quarum antecedenti statu libero & independenti con-
5 stet, ita ut agatur de inducenda immutatione status, ac faciendo servum eum, qui erat liber, Et casum in quo de hujusmodi antecedenti statu non constet, ita ut probabiliter dici posset, Monasterium seu Ecclesiam, quæ dicitur unita & de mensa, natam esse subditam & filialem, utpote fundatam intra limites ejus, quæ dicitur matrix, juxta *dec. Ulix bonen.* quæ sunt in materia magistrales 102. *par. prima, & 204. par.2. rec.* ac advertitur *in dicta S. Severini Parochialis coram Bevilaqua*, & habetur etiam actum *in Senogallien. Parochialis sub tit. d. Parochis.*

Et in his terminis versari videbamur, quoniam ex antiquis inscriptionibus & chronicis, aliisque documentis, ac etiam publica voce & fama justificabatur, istud Monasterium seu Collegium Relinguſan. circa annum 997. fundatum esse per quandam Abbatissam hujus Monasterii *Essendien.* quæ ibi 6
sepulturam elegit, atque Superiorissa seu Preposita confirmatur ab hac Abbatissa, cui obedientiam & subjectionem jurat ; Et quod magis est, ipsum Monasterium principale, quædam victualia certis anni temporibus illi suppeditat, per quæ omnia insimul juncta, rectè probari videbatur hujusmodi unio seu subjectio, potius nativa quam dativa, ex deductis in allegatis decisionibus, cum, ut dictum est, on urgear ratio illius odibilitatis, & successivè magis concludentis probationis, quæ concurrit in unione immutativa status Ecclesiæ, aliàs liberæ & independentis ut suprà.

His positis dicebam, non obstare aliquos actus jurisdictionales, qui ex parte Archiepiscopi deducebantur, tum quia non justificabantur cum quadragenaria pacifica benè probata cum suis requisitis, quorum præcipuum dicebam illud scientiæ 7
& patientiæ Abbatissæ Monasterii principalis, de cujus præjudicio agebatur, ut in terminis habetur *dicta dec.30. par.11. rec.* ideòque actus gesti per dictam Præpositissam subordinatam, aliosque subditos, non videbantur considerabiles in præjudicium superioris, quod causari non potest sine istius scientia & patientia, quæ stat loco possessionis.

Tum etiam, quia cum dicta privilegia continerent etiam protectionem Sedis Apostolicæ, ejusque immediatam subjectionem, exinde sequitur 8
quoscumque actus contrarios in nulla consideratione habendos esse, ex recepta conclusione, quod non possunt inferiores ita exempti se subijcere Ordinario, vel alteri sinè consensu Pontificis, Ex ea ratione, quod Superioris interest, ne ejus subditi ab altero judicentur, ut plenè *decis. 456. & 461. par. 5. rec.* Et in terminis specialibus exemptionis consimilis Monasterii Monialium in illis partibus habetur *dec.50. nu.4. & sequen. & nu.8. par.10. rec.* alias apud *Celsum dec.17.* juncto etiam decreto irritanti in privilegiis exemptivis contento, cujus virtus & operatio est inficere quamcumque contrariam possessionem, vel præscriptionem seu consuetudinem, ac impedire, ne ista nascatur, ut *apud Celsum decis. 17. num.9.* alias *dicta dec 50. n.10. par.10.* & generaliter *latè in Cesenaten. seu Sarsinaten. laudemiorum coram Ghislerio, & Albergato dec.* 400. *par.9. rec. & dec.35. post. colluctationes Bondeni* ; Licet de isto 9
motivo decreti irritantis satis dubitari posset quando istud Collegium esset independens à dicto altero Monasterio, quoniam ut advertitur in Bononien. apud *Otthob. dec.175. n.16.* & in aliis, id rectè procedit in eo decreto irritanti, quod adjectum est in Constitutionibus vel aliis provisionibus generalibus editis per viam legis, quæ per non usum subditorum sine scientia & tolerantia Papæ tolli non potest, sive ubi in privilegiis concessis alicui Universitati cui ex pacto singulorum non præjudicatur, secùs ubi in privilegio particulari, quo ipse privilegiatus, renuntiando juri suo, potest non uti, potissimè ubi non usus est magis favorabilis, majoremque habet juris assistentiam, quia sic reversio fiat ad juris communis dispositionem.

Nulla desuper capta fuit resolutio, quoniam cum hujusmodi controversia pendente, deventum esset ad quamdam concordiam, cujus deinde utramque partem pœnituerat, undè propterea agentes deindè eam sub silentio involvebant, aliundè tamen *Sac.* Congregatio ejus notitiam habuisset,

Idcircò

Idcircò prudentissimè, stante qualitate regionis, ac stantibus aliquibus inconvenientib⁹ aliàs exortis, mandavit dictæ concordiæ observantiam, unde propterea cessante occasione ulterioris formalis discussionis, ac non visis juribus alterius partis, quæ communicata non fuerunt, non potuit omninò maturum judicium pro veritate desuper efformari.

NEAPOLITANA JURIS VISITANDI MONASTERIUM PRO MONASTERIO S. CLARÆ CUM ARCHIEPISCOPO,

Casus decisus in Sac. Congregatione Concilii pro Archiepiscopo.

Jurisdictio delegata Ordinario loci in Monasteriis Monialium exemptis, An locum habeat quando exemptio provenit ex lege fundationis; Et quid ubi eadem Monasteria habent alterum delegatum Apostolicum à quo visitantur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Decretum S. Congregationis Concilii.*
3 *De ratione ob quam de jure communi, ac etiam per Sacrum Concilium Tridentinum committitur Ordinariis visitatio Monasteriorum exemptorum, & num. 11.*
4 *An Concilare decretum procedat in monasteriis subjectis Regularibus habentibus visitatorem, & num. 6.*
5 *Constitutio Gregorii XV. quid addiderit Concilio Tridentino.*
6 *De eadem conclusione de qua n. 4.*
7 *De differentia inter exemptionem dativam & nativam, ac eam quæ ex mero privilegio, & alteram quæ ex lege fundationis.*
8 *Leges adjectæ in limine fundationis sunt servandæ.*
9 *Privilegium Apostolicum quandoque attendendum est tanquam consensus præstitus.*
10 *Jurisdictio delegata non adversatur exemptioni.*
11 *De ratione ob quam Ordinariis committenda est cura clausuræ.*
12 *De casu in quo jurisdictio Ordinariis delegata circa clusuram Monialium locum habere non debet.*

DISC. XXVI.

1 DE anno 1310. in Civitate Neapolis, Rex Robertus & Regina Sancia ejus Uxor, fundarunt ac dotarunt Insigne Monasterium Monialium S. Claræ, ibique annexum Conventum Fratrum Ordininis Minorum, qui tunc unicus & indivisus erat, pro ejusdem Monasterii gubernio & administratione, pluribus in ipso fundationis limine adjectis legibus per *Ioannem XXII.* approbatis, inter quas ea fuit præcipua, ut esse deberet de Regio jurepatronatus, ac immediatè subjectum Sedi Apostolicæ, omninò liberum & exemptum à quacumque Archiepiscopi jurisdictione, visitatione, & superioritate, atque ita continuata observantia dedit usque ad annum 1648. licèt enim post publicationem Sac. Conc. Trid. plures Archiepiscopi in vim jurisdictionis ab eo delegatæ illud visitare curaverint, præsertim verò sub *Clemente VIII.* nihilominus dum hæc disputabantur, ex parte agentium pro dicto Monasterio supponebatur dictam exemptionem adhuc intactam remanere, quoniam quoad regimen, & ordinariam superioritatem, juxta legem fundationis, fuit sub jurisdictione & Visitatione Generalis aliorumque Prælatorum dicti Ordinis Minorum, prius Conventualium, deinde Observantium; Et quoad Clausuram, ac alia quæ per dictum Concilium & Apostolicas Constitutiones in Monasterris exemptis, locorum Ordinariis jure delegato competunt, talem jurisdictionem exercuit Nuntius Apostolicus residens in eadem Civitate; Cùm autem occasione revolutionum popularium, quædam pars muri Clausuræ ruptura passa esset, subsequuta tamen illicò refectione, Archiepiscopus, ista occasione sumpta, Monasterium visitare voluit, exemptione non obstante, ex delegata jurisdictione *per dictum Conc. sess. 25. de Regular. cap. 5.* & clarius *ex Const. 18. Gregorii XV.* atque se opponentibus Monialibus ac aliis, qui earum exemptionem tueri curabant, per Archiepiscopum consulta fuit Sac Congregatio Concilii, quæ pro 2
eo respondit, licere scilicet Clausuram visitare non obstantibus deductis ex parte Monasterii.

In hac igitur disputatione, scribens pro Monasterio circa initia Advocationis, distinguendo decretum Conciliare, *à dicta Constitutione Gregorii XV.* in quibus erant Archiepiscopi fundamenta, Quatenus pertinet ad primum, dicebam illud pro- 3
fiteri solùm in hoc innovare canonum dispositionem *in cap. periculoso de privil. in sexto, & clement. 2. eod. tit.* in quibus, præcipuè *in clementina* disertis verbis declaratur, ut potestas, quæ jure delegato locorum Ordinariis conceditur in Monasteriis exemptis, & Sedi Apostolicæ immediatè subjectis, procedat in iis, quæ nullum habent Ordinarium Visitatorem, ita consulendo illis casibus, in quibus, cùm ipse Pontifex non posset per seipsum visitare, neque congrueret ab Urbe seu aliunde transmittere particulares Visitatores, per quos, utpote ad tempus in loco morantes, neque consultum esset Clausuræ casibus, qui in dies contingere possunt, præsentem seu proximum ac promptum Visitatorem exigentibus, idcircò Ordinariis tale munus demandatum est, ut advertunt *Abb. num. 4.* & cæteri *in cad. clementina.*

Hinc propterea Morales magis communiter concludunt, dictum Conciliare decretum locum non habere in illis Monasteriis exemptis, quæ ex Apostolica concessione subjacent regimini & ad- 4
ministrationi Regularium, quoniam Visitantur à *Generali*, vel *à Provinciali*, aliisque ejusdem Religionis Prælatis, ut præ cæteris firmant *Sanchez ad præcepta Decalogi lib. 6. cap. 15. numer. 21. Rodriquez q. Regul. tom. 1. q. 47. a. 10. Miranda in manual. Prælator. tit. de Monialibus q. 2. a. 14. conclus. 4. Bonacina de clausura q. 6. puncto 1. Tamburin. de Iur. Abbatis disput. 24. q. 9. n. 5. & cæteri plures.*

Et quoad Constitutionem *Gregorii XV.* dicebam eam ad limites dicti decreti Conciliaris intel-
5 ligendam esse, cùm in aliquo ejus alterativa vel innovativa non esset, nisi circa facultatem, quæ ipsis Ordinariis conceditur procedendi ad pœnas & censuras contra exemptos, de qua, ratione privilegiorum, dubitari poterat, ut observat *Lotter. de Beneficiis lib. 1. q. 24. n. 66. cum seq.*

Quamvis autem hæc deducerem tanquam Advocatus, Nihilominus, ut ab initio agentibus pro hac parte insinuavi, non videbantur tuta, quoniam
6 dicta Sac. Congregatio contrarium tenet, non attentis opinionibus Moralium, qui tanquam Regulares, in hac exemptionis materia parum probati testes videntur, utpote causam propriam potiùs defendentes; Potissimè verò quia Constitutio *Gregorii XV.* expressam habet mentionem Regularium hujusmodi Monasteria gubernantium, unde propterea cessat omnis difficultas, quoniam Pontifex, sciens adesse Regulares Visitatores, adhuc hujusmodi facultatem Ordinariis demandare voluit.

Deducebam secundo dictam legem adjectam in
7 limine fundationis & à Sede Apostolica probatam super omnimoda exemptione à jurisdictione, ac specialiter à visitatione Archiepiscopi, illud præsertim observando, istam non esse exemptionem dativam, & merè privilegiativam, ut regulariter aliæ esse solent, in quibus strictius proceditur juxtà naturam privilegiorum à jure exorbitantium, ac locorum Ordinariis præjudicialium, sed esse exemptionem nativam, in ipso Monasterii ortu impressam, non ex mera gratia & privilegio, sed ex quadam specie justitiæ & contractus correspectivi initi inter Sedem Apostolicam & fundatorem, qui fortè aliàs non fundasset, unde propterea in materia jspatronatus, receptam propositionem habemus,
8 leges in limine fundationis, de consensu Ordinarii, vel alterius Superioris adjectas, observandas esse, quamvis juri contrarias *ad text. in cap. præterea ii secundo de Iurepatronatus cum concord. per Ancharan. cons. 129 Lotter. de Benef. lib. 1. q. 32. num. 2. cum s. quen. Barbos. de Episcopo alleg. 70. num. 39. cum sequen.* & habetur frequenter in sua materia *sub tit. de Iurepatr.*

Et in specialibus terminis legis adjectæ per fundatorem super visitatione supponitur apud *Greg. dec. 4. & 8. infra & disc. 40. & 41.* licet ex illius casus particularibus circumstantiis diversimodè determinetur, ideoque dicebam dictam Apostolicam concessionem *Innocentii XXI.* capiendam esse, non
9 tanquam merum privilegium exemptionum, sed tanquam consensum legibus fundationis præstitum per Papam uti Ordinarium Ordinariorum, ut considerat *Gubr. cons. 192. numer. 9. lib. 2. Rot. dec. 218. num. 36. par. 6. & dec. 29. nu 8. par. 7. rec. & frequenter.*

Verùm pariter istud motivum, reflectendo ad
10 veritatem, parum tutum videbatur, quoniam lex fundationis ita intacta remanet utpotè loquens de ordinaria & propria Archiepiscopi potestate & jurisdictione, cùm hanc exercere dicatur jure delegato ipsius Sedis Apostolicæ, quæ sicuti quemcunque alium Visitatorem deputare potest, ita prohibenda non est prudentius id committere Ordinario, qui tanquam præsens in loco, & magis informatus, commodius cum minori sumptu has partes explicare potest.

Alia etiam magis convincenti & viva ratione
11 concurrente, superius etiam ponderata *in Marsicana disc. 18.* quod scilicet clausuræ custodia & Visitatio, magis consideranda est formaliter, & ab extra, quàm materialiter & ab intrà, respectu scilicet cleri & populi sæcularis, à quo potius, quàm ab ipsis Monialibus scandala provenire solent, idcircò congruum est, hujusmodi munus committi illis, qui jurisdictionem in eumdem clerum & populum in loco habent, & coercere possunt, ut plenius *in eadem Marsicana.*

Ex alio autem fundamento, etiam cum sensu veritatis, dicebam dictam resolutionem, vel minus 12
probabilem, vel nimium rigorosam videri, ac revera non placuit, quod scilicet, ultra Visitatores & Superiores Regulares, istud Monasterium habebat ex Apostolica delegatione in Visitatorem Nuntium Apostolicum in ipsa Civitate continuò residentem, cum familia armata & jurisdictione fortè magis ampla in clerum & populum, unde propterea cessabant omnes rationes, de quibus suprà, ob quas hujusmodi munus Ordinarius, per Sedem Apostolicam commissum est, cùm illud explicetur per ejusdem Sedis ministrum, cui ipsa Sedes omnia ejus longè graviora negotia committit, unde propterea videbatur casus specialis sub dictis regulis non cadens.

Ea etiam ratione accedente, quod ita privilegium, & lex fundationis, retorquerentur in odium, atque deterioris conditionis esset istud Monasterium adeò privilegiatum, quàm alia non privilegiata unicum vel duplicem Visitatorem habentia, cum istud ita tribus Visitatoribus ac Superioribus subjectum remaneret, Regularibus scilicet, Archiepiscopo, & Nuntio, contra recepta principia, ut ea quæ favore introducta sunt, in odium retorqueri non debeant, atque super hoc motivo nunquam audivi responsionem quæ captivaret intellectum.

CAMPANIEN.

JURIS VISITANDI

PRO

PP. MINORIBUS OBSERVANTIBUS ET ALIIS

CUM

EPISCOPO.

Casus decisus per S. Congregationem Concilii pro PP.

An jurisdictio à S. C. T. & Apostolicis Constitutionibus delegata Ordinariis in Monasteriis exemptis, militet ubi obstat lex fundationis approbata per Sedem Apostolicam.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Decisio Sac. Congregationis.*
3 *Privilegium Apostolicum quandoque stat pro consensu approbativo legum fundationis observandarum.*
4 *Concilio Tridentino derogatum censetur per derogationes generales, & non requiritur mentio specialis.*
5 *Constitutio Gregor. XV. quid addiderit Concilio Tridentino.*
6 *Sub legibus & dispositionibus generalibus non venit Iuspatronatus ex causa onerosa.*

Papa

7 *Papa non censetur velle derogare juri tertii.*

8 *De ratione ob quam etiam cum exemptis Sacramenta ministrantibus Ordinario loci datur jurisdictio.*

9 *Et de ratione, ob quam etiam in monasteriis exemptis circa clausuram datur jurisdictio Ordinario.*

10 *An deputati laicorum debeant intervenire in clausura Monialium.*

DISC. XXVII.

1 DE anno 1542. Benedictus Tricasius de Civitate *Campaniæ*, mandavit in eadem Civitate erigi Monasteriũ Monialiũ Ord. S. Claræ sub invocatione *S. Iacobi*, pro puellis aliquarũ familiarũ tantùm, sub diversis legibus in ejus testamento contentis, ea præsertim, quod Monasterium prædictum in temporalibus esset sub administratione aliquorum ejus conjunctorum, eorumque descendentium, quos operis exequutores deputavit, ac *Ius habentes* nuncupavit, in spiritualibus verò, sub visitatione, cura, & regimine *P. Generalis*, seu *Provincialis Minorum Conventualium*, cum omnimoda exemptione à visitatione, & alia jurisdictione, vel superioritate Ordinarii Diœcesani, ac Metropolitani, Quæ dispositio in ipso fundationis limine, in omnibus & per omnia per *Iulium III.* approbata fuit; Cumque deinde *Pius V.* generaliter curam Monialium existentium penès Patres Conventuales, transtulisset ad locorum Ordinarios, Hinc proinde Episcopus prætendere cœpit, nedum visitationem, & jurisdictionem, sed omnimodam administrationem, unde propterea *Ius habentes*, recursum haberunt ad *Gregorium XIII.* qui per litteras speciales mandavit observantiam dictæ dispositionis, & Apostolicæ approbationis, inhibendo dicto Episcopo, ne prætextu *Piarum Constitutionum* in hujus Monasterii cura, & administratione se ingereret, ita ut temporalis esset penès *dictos Ius habentes*, & spiritualis penès Minores Observantes loco Conventualium subrogatos; Verùm excitata denuò hujusmodi prætensione per Episcopum circà annum 1648. atque habito recursu, tàm per Generalem Minorum, quàm *Ius habentes* ad Sac. Congregationem Concilii, Pro observantia litterarum Apostolicarum, & fundationis responsum fuit,

2 non tamen suggerit memoria, num dicta resolutio fuerit generalis, etiam in Ordine ad clausuram, vel potiùs solùm quoad curam, & administrationem, tam temporalem, quàm spiritualem respectivè, firma tamen remanente Episcopi delegata jurisdictione ex Concil. Trid. & Apostolicis Constitutionibus circa Clausuram, ut est probabile juxta casum, de quo *in Neapolitana Monasterii S. Claræ disc. præcedenti*, qui est casus longè fortior, dum ibi adest alter delegatus Apostolicus, unde cessant omnes rationes, ob quas hujusmodi jurisdictio locorum Ordinariis demandata est.

In hac autem disputatione, tria erant Episcopi

3 fundamenta, Primum ex dispositione juris, non obstante lege fundationis, utpote destituta consensu Ordinarii, quo accedente, & non aliàs procedit conclusio, ut leges per patronum in limine fundationis adjectæ, quamvis juri contrariæ servari debeant. Secundò ex dispositione *Sac. Conc. Trid. sess. 25. de regular. cap. 5.* non obstantibus litteris *Gregorii XIII.* utpote non continentibus specialem ejus mentionem, ut requiritur in Conciliis Generalibus, regulariter non venientibus sub generalibus derogatoriis obstantiacum; Et tertiò *in Constitutione* 18. *Gregorii XV.* postmodum superventa, quæ specialiter loquitur de Monasteriis existentibus sub cura & regimine Regularium.

His tamen non obstantibus, quatenus pertinet ad curam, regimen, & administrationem, excepto casu Clausuræ ut supra, Contrarium, cum sensu etiam veritatis, probabilius dicebam; Singula enim objecta prædicta examinando, Quatenus per- 4
tinet ad primum, non impugnabam conclusionem in puncto juris, negabam verò applicationem ad factum, ob interventum Apostolicæ confirmationis, tam *Iulii III.* quam succesſivè *Gregorii XIII.* habendæ loco consensus Ordinarii, cujus vices Papa rectè supplet, utpote Ordinarius Ordinariorum, ideoque privilegia Apostolica emanantia in approbationem voluntatis fundatorum, capienda sunt potius in terminis dicti consensus approbativi, quàm puræ gratiæ, & privilegii, ex iis, quæ habentur *in dicta Neapolitana Monasterii S. Claræ disc. præcedenti*, & infrà *disc. 41.*

Et quoad obstantiam Concilii Tridentini, plana erat responsio, ob posteriores litteras *Gregorii XIII.* per quas cessabat difficultas, quæ militare posset attentis Litteris *Iulii*, an scilicet per superveniens Conciliare decretum eis derogatum esset, Non obstante omissa speciali mentione regulariter necessaria in Concilis Generalibus, juxta ea quæ occasione exemptionis decimarum super derogatione Concilii Generalis Lateranensis *in cap. nuper de decimis*, habetur frequenter in sua materia *sub tit. de decimis*, Quoniam respectu Conclii Tridentini, licèt illud sit generale, & Oecumenicum, attamen ex dispositione Constitutionis *Pii IV.* editæ super ejus confirmatione & publicatione, hujusmodi regula cessat, illudque venit sub derogatoriis generalibus, quoties defectus intentionis non obstat, deductus ex aliquo facto Papæ ignoto *Cavaler. decis. 181. num. 3. decis. 179. num. 6. & 687. num. 25. par. 2. rec. & frequenter.*

Demum quoad Constitutionem *Gregorii XV.* duplicem dabam responsionem, unam quod sicuti advertit *Lotter. de Beneficiis lib. 1. q. 24. num. 66. &* 5
sequen. & habetur in dicta Neapolitana Monasterii S. Claræ disc. præced. dicta Constitutio nihil addidit Concilio Tridentino, neque ejus dispositionem alteravit, nisi quoad facultatem Ordinariis attributam, in casu hujus delegatæ jurisdictionis, competscendi etiam per censuras & pœnas exemptos, stante quod ex magis communi, præsertim Moralium sensu, de hac facultate dubitabatur.

Et alteram, congruã etiam dictis litteris *Iulii III.* ne subdecreto Conciliari caderent, quod scilicet non agebatur de mero privilegio seu mera gratia, sed de concessione per quamdam speciem justitiæ, & actus correspectivi in limine fundationis, ut suprà, quæ species concessionis regulariter absque speciali mentione non venit sub legibus & dispositionibus generalibus *Crescent. decis. 5. de privil. Marescott. lib. 2. var. c. 40. n. 28. Lotter. de Benef. lib. 2. quæst. 8. n. 26. & sequen. & infra disc. 41.* ac etiam habetur frequenter in materia jurispatronatus laicorum ex fundatione & dotatione, vel do- 6
tis augmento præponderante, ita ut dicatur potiùs ex justitia quàm ex gratia, ut non veniat sub regulis Cancellariæ, aliisque legibus generaliter disponentibus de beneficiis, *ut in sua materia.*

Assistente etiam regula generali, exclusiva voluntatis derogandi juri tertii, ex propria providentia magis, quam ex illa legis, vel Principis quæsito ad communiter notata *ad intellectum text. l. assiduis ff. qui potior. in pign.* ex collectis *per Add. ad dec. 666. par. 4. rec. tom. 3. Otthob. decis. 115. num. 5. & 6.* quæ regula si procedit in quocumque Principe, fortius magisque de plano locum habet in Papa expresè profitente per ejus *regulam de jure tertio quæsito non tollendo* non derogare juribus tertii ex deductis per *Gomesium ad eamdem regulam Gabr. de jur. tertii quæsit. non tollen. conclus. 1. cum concord. collectis per Adden. ad dictam decis. 666. par. 4. rec. tom. 3.*

8 In dicta tamen resolutione, suggerit memoria, reservatam fuisse approbationem Confessariorum, Et meritò, quia tunc jurisdictio exerceri non dicitur cum ipso Monasterio, sed cum ipsis Confessariis volentibus Sacramenta intra diœcesim ministrare, quamvis hæc ratio, retenta quoad Monasterium omnimoda exemptione, non esset tuta, quoniam ex eadem ratione, ob quam cum sola licentia, & approbatione superioris Regularis, istud Sacramentum per ipsos Regulares, & exemptos ministratur intra ipsorum Monasteriorum seu Conventuum virorum ambitum, cum viris regularibus, seu aliis Prælato regulari subjectis, ita pariter in præsenti, cùm ex frequenter supra deductis, jurisdictio Ordinariis locorum delegata, etiam cum exemptis Sacramenta ministrantibus, competat, potius in ratione activa quàm passiva, & sic ratione cleri, & populi sæcularis, quibus tanquam propriis ovibus & subditis sub ejus cura existentibus divina pabula ministrantur; Nihilominus cùm agatur de Monialibus, in hac parte laudavi moderationem, Prout etiam in altera, ut puto sequuta, circa custodiam seu violationem Clausuræ, ex ratione deducta *in dicta Neapolitana*, & in *Marsicana disc. 18.* & alibi, quod scilicet hujusmodi custodia, magis pendet ab extrà, quàm ab intra, & sic potius ratione cleri, & populi sæcularis, quem Prælatus Regularis inferior compescere non potest.

Alia etiam ratione accedente, quod licèt æquè ac in Ordinario loci, non improbabiliter fiducia haberi posset in vigilantia & cura Prælati Regularis majo-
9 ris, puta *Generalis*, vel etiam *Provincialis*, cujus fides & idoneitas per universam Religionem, seu provinciam respectivè probata est, ad quod munus regulariter, probati & primi Ordinis Patres eligi solent, Adinstar illius fiduciæ, quam Sac. Concil. Tridentinum habet quoad jurisdictionem spiritualem in iis, qui sunt Capita Religionum, Nihilominus isti majores Prælati non semper residunt in loco utpote universam Religionem, seu Provinciam respectivè peragrantes & visitantes, ideoque consultum non est hujusmodi visitationi clausuræ, pro qua necessaria est Prælati, vel præsentia, vel vicinitas continua, ut promptè occurrere valeat casibus, qui indies contingere possunt, ut ponderatur *in eadem Neapolit.* unde meritò omnes hujusmodi difficultates substulit Constitutio *Alexandri VII. edita de anno 1664.*

Quia verò non agebatur de Monasterio, generaliter & indefinitè admittente omne genus personarum, sed restricto ad mulieres de genere dicto-
10 rum *Ius habentium*, quibus temporalis administratio commissa est, Ponderabam ex hac facti circumstantia, omninò mandari debere, id quod antiquitùs, ex nimium laudabili consuetudine in omnibus Monasteriis servabatur, ut scilicet quotiescumque Confessarii, Medici, Chirurgi, vel etiam ipsimet Episcopi, vel Superiores, Monasterium ingredi volunt, id facere debeant cum interventu alicujus ex probatis patribus familias, qui vulgò *Deputati* dici solent, ab ipsa populi Communitate nominati, Quoniam cùm sint cives, propriumque, ac proximum habeant interesse, filiarum, sororum, aliarumque conjunctarum, magis eis cordi est clausuræ custodia; Unde propterea occcasione plurium controversiarum desuper habitarum inter Episcopos, & Communitates sæculares, præsertim in una *Cusentina* inter illam Civitatem & Archiepiscopum habita in Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium, Dicebam in hac materia, errores, ac exorbitantias inconvenientium productivas, adesse hinc inde, & in utroque extremo respectivè vitioso, ex parte scilicet laicorum, ultra quam ut par est id prætendentium in ratione auctoritativa, & jurisdictionali, quasi quod Episcopus vel alii per eum deputati, clausuram ingredi non possent absque interventu illorum, quos ipsa Communitas deputavit pro ejus libito, quod revera est fabulosum, unde meritò Sac. Congregatio pluries hanc prætensionem rejecit, præsertim quia laici pro hujusmodi prætensæ consuetudinis observantia, imprudenter laicales Magistratus adire solent.

Et econversò magna videtur imprudentia Episcoporum, aliorumque Prælatorum, ex prudenti consilio id non practicandi, cùm ita eorum idemnitati in quocumque casu consultum sit, ac etiam pluribus inconvenientibus occurreretur, Unde propterea mihi videbatur, quod per Sac. Congregationem, generaliter id injungi deberet Episcopis aliisque Prælatis, Clausuræ Monialium curam habentibus, quod scilicet ipsi, in ratione consultiva, requirerent Communitatem laicalem, ejusque Concilium generale vel particulare, ut sibi videbitur, pro nominatione plurium probatorũ patrumfamilias, qui ad hoc munus toti populo interessato in pudicitia monialium oportuni videantur, & sic tanquam per speciem illius gratæ & consultivæ nominationis, quam aliquando Prælati à Parochianis & populo exigere solent de clericis, ex quibus gratus Rector eligatur *ad not. per canonistas in cap. quod ad Dei timorem de statu Monachorum Cavaler. dec. 416. num. 1.* cum similibus, Ad effectum scilicet, ut idem Prælatus, ex pluribus ita per populum approbatis, ex propria jurisdictione, & auctoritate eligat aliquos sibi benè visos, cùm ita cessaret facultas potestativa, & jurisdictionalis laicorum, & rectè satisfieret populis, multisque inconvenientibus consuleretur.

COLONIEN. MONASTERII
S. CORNELII AD INDAM
PRO
ABBATE ET MONASTERIO
CUM
ARCHIEPISCOPO.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium, & absque resolutione remissus ad Rotam.

An & quando Ordinarius loci jurisdictionẽ habeat

habeat etiam ordinariam in Monasterio Regulari, ejusque Abbate & Religiosis, ubi agitur de illis Monasteriis, quæ eum aliis non connectunt, sed reguntur de per se, & independenter, An scilicet exemptiones generales competentes Religionibus, capiant hæc Monasteria.

SUMMARIUM.

1 *IN partibus Ultramontanis plura Monasteria Regularium reguntur singulariter, & de per se independenter.*
2 *Casus controversiæ.*
3 *De generica exemptione Monachorum & Regularium ex Synodo celebrata sub Divo Gregorio Magno, & num. 8.*
4 *Hodie universis Ordo regularis est exemptus.*
5 *Causæ exigentes probationes & processum remittuntur per Sac. Congregationem ad Iudices ordinarios.*
6 *Congregatio Casinensis non egreditur Italiam, eiusque privilegia non conveniunt Monasteriis Ordinis S. Benedicti extra Italiam.*
7 *De origine, progressu, & divisione Ordinis S. Benedicti.*
8 *De eadem exemptione generali Regularium, de qua num. 3.*
9 *De differentia in proposito exemptionis inter Religiones, quæ reguntur per viam universitatis & Monasteria singularia.*
10 *Recensentur aliqua exemptionis vel subjectionis argumenta.*

DISC. XXVIII.

1 CUm in partibus Ultramontanis, præsertim verò, ac frequentius in Germania, quamplura adsint Monasteria Regularium, independenter, & de per se cum proprio Abbate & Capitulo se regentia, absque communicatione cum aliis Monasteriis sive Universitate Religionis seu Congregationis, ut habetur *in Treveren unionis decis. 24. par. 9. rec.* & in aliis, Cujus naturæ seu qualitatis est Monasterium *S. Cornelii ad Indam* Ordinis S. Benedicti Congregationis *Bursfeldensis*, situm intra limites Diœcesis *Colonien.* Atque Archiepiscopus
2 prætenderet, illud sibi jure Ordinario in omnibus esse subjectum, præsertim verò circa visitationem; Econversò autem ex parte Monasterii prætenderetur exemptio generaliter competens Monachis, Vel ex generica exemptione Monastico Ordini con-
3 cessa in Synodo habita sub *Divo Gregorio Magno anno* 1601. de quo *in Canone quàm sit necessarium 18. quæst. 2. Baron. in anal. eodem anno* 1601. *Passarin. tom. 3. de statu hominum quæst.* 189. *num.* 10. *inspect.* 10. *num.* 974. *& cæteri.* Vel ex privilegiis specialibus Ordini S. Benedicti concessis per *Clementem V. Benedictum XII. & Eugenium IV.* Vel demum ob generalem communicationem privilegiorum, quæ habetur inter Religiones, ob quam, sive directè, sive indirectè univ[illegible]sus Ordo Regularis
4 de facto exemptus est, ut advertunt *Cochier. de jurisdictione in exemptos p. 1. q. 17. n. 9. Barbos. de Episcopo alleg.* 105. *num. 3. Tamburin. de jur. Abb. tom. 1. disput. 15. quæstio 2.* & cæteri apud eos, & apud *Card. de Luca de jurisdict. & foro compet. Frances Episcopum Barbastren. in Pastoral. Regul. par. 2. quæst. 2.* ubi latè de hac materia exemptionis Regularium, ejusque origine & introductione.

Ortâ proinde desuper controversiâ, & re delatâ ad Sac. Congregationem Episcoporum & Regularium, post binam disputationem, cùm multa hinc inde invicem pugnantia deducerentur, ac supponerentur in facto, quæ probationes ac formalem processum requirebant, & ex quibus, exemptionis vel respectivè subjectionis decisio pendere videbatur, Idcircò nulla capta resolutione, ad nor- 5
mam *Constitutionis 74. Sixti V.* causa, tanquam exigens formalem processum, & telam judiciariam, remissa fuit *ad Rotam*, ubi pendet indecisa, quod hucusque sciam.

In dictis autem disputationibus habitis in Sac. Congregatione, tres fuerunt inspectiones seu puncti, Primò scilicet, an istud Monasterium censendum esset Ordinis S. Benedicti, ita & realiter, quod ei convenirent Apostolicæ Constitutiones concedentes privilegia exemptiva, præsertim vero; 2. & 9. *Innocentii IV.* Secundò, an posita negativa, suffragaretur exempto generalis competens universo Ordini Monastico, omnibusque Religionibus Regularibus, vel directè, vel per communicationem ut suprà; Et tertiò circa speciales facti circumstantias quæ respectu hujus Monasterii quoad exemptionem, vel subjectionem respectivè concurrebant.

Quoad primum, scribentes pro Archiepiscopo in eo insistebant, quod originalis exemptio competens Monachis Nigris Ordinis S. Benedicti, constituentibus in Italia Congregationem, quæ *B. Justinæ de Padua* seu *Casinensis* dicitur, proveniret à dictis Constitutionibus 2. & 9. *Eugenii IV.* per- 6
cutientibus tantùm dictam Congregationem, Hinc inferendo, eas suffragari non posse huic Monasterio, utpote nullam connexionem habenti cum dicta Congregatione non egrediente limites Italiæ, & consequenter quod istud Monasterium, sive esset Ordinis S. Benedicti, sive cujuscumque alterius Ordinis, remaneret sub dispositione juris communis, qua attenta, & cessantibus privilegiis exemptivis, ex magis communi & vera opinione, de qua infrà in secunda inspectione, Monachi seu Regulares, ad instar reliqui cleri, & populi, subjacent jurisdictioni, ac legi diœcesanæ illius Ordinarii, intra cujus Diœcesis limites vivunt.

Scribens pro Monasterio, non negabam dictas Constitutiones *Eugenii IV.* percutere solùm dictam Congregationem *Casinensem*, non egredientem limites Italiæ, proindeque non complectentem istud Monasterium, quod ab ejusdem Congregationis Præsidente Generali, aliisque Superioribus, nullam habet dependentiam, ejusque professores dicuntur de Congregatione *Brusfeldensi*; Dicebam tamen, non exinde resultare, eorumdem scribentium assumptum, [illegible]uc[illegible]nsequentiam, quod scilicet illud non esset Ordinis S. Benedicti, quasi quod iste ad hanc secundam Congregationem restrictus esset, Hoc enim erat æquivocum clarum, quale etiam reputatum fuit per Sac Congregationem, quæ in hoc puncto nullam habuit difficultatem, quod scilicet istud Monasterium esset etiam dicti Ordinis S. Benedicti.

Ad quod probandum, assumendo materiam ab alto seu origine dicebam, S. P. Benedictum in loco qui dicitur *Sublacus* instituisse Ordinem Monasti- 7
cum, qui in Ecclesia Latina seu occidentali fortè fuit primus, per universum Orbem mirificè dilata-

tus, & qui ad differentiam multarum Congregationum seu Reformationum filialium ab ista Religione tanquam à matre emanantium, ut sunt *Cistercienses, Cluniacenses, Celestini, Charthusini, Camaldulenses, Olivetani, Montis Virginis, Vallis umbrosæ*, & aliæ, ab antiquo nuncupari consueverunt *Monachi nigri*, ut liquet ex *Clement. prima de statu Monachorum*, ubi *Monachi nigri* nuncupantur, & ex Constitutione *V. Benedicti XII.* edita pro hujus Ordinis bono regimine, ubi dicitur, *illum à mari usque ad mare se dilatasse, atque per universa Orbis climata se illustrasse*, Unde propterea convincebatur manifestus error dicti assumpti, quod scilicet Ordo prædictus restrictus esset ad Congregationē *Casinensem* citra montes restrictā.

Et in specie hujusmodi Religiosorum de Congregatione seu observantia *Bursfeldensi* in Germania, quod sint Ordinis S. Benedicti habetur *in Salamantina cucullæ 9. Dec. 1658. & 23. Iunii 1659. coram Cerro impress. post collectationes Bondeni dec. 56.* præsertim in prima, in quibus decisionibus, *ex Bellamer. cons. 32. num. 23.* & aliis habetur, Apostolicas Constitutiones loquentes de *Monachis Nigris*, convenire *Benedictinis*, non autem *Basilianis*, quamvis habitum nigrum quoque gestantibus.

Quia verò hic Ordo tractu temporis in varios abusus incidit, diversasque scissuras passus est, ut patet *ex toto titul. decretalium de statu Monachorum*, præsertim *cap. cùm ad Monasterium*, ubi in specie de Monasterio Sublacen. *& ex dicta clement. prima eodem tit.* ac etiam ex *Constitutione V. Benedicti XII.* unde vel fortè ex primævo instituto, vel ex subsequuta introductione, singula Monasteria, etiam in Italia, singulariter & de per se regebantur, eo modo, quo in Germania aliisque partibus Ultramontanis, etiam hodie practicatur, unde relaxationes à regula, aliique abusus prodierunt; Idcircò in aliquibus Italiæ partibus prodiit quædam ejusdem Ordinis reformatio, quæ *Congregatio unitatis* seu *de observantia* nuncupari cæpit, frequentiori autem vocabulo *Beatæ Iustinæ de Padua*, quia fortè ibi initium habuit, cui Congregationi *Eugenius IV.* in dictis Constitutionibus multa concessit privilegia, illud præsertim amplissimæ exemptionis à quacunque Ordinariorum jurisdictione, & superioritate.

Cum autem Monasterium Cassinense, in quo S. Benedictus Ordinis institutor ultimam sedem habuit ac mortuus est, dari soleret in Commendam Cardinalibus vel Prælatis, *Iulius II* per ejus Constitutionem *primam*, illud proprio Abbati Regulari restituit, ac etiam univit dictæ Congregationi, cujus Caput in futurum esse deberet, & quæ ab ipso nomen acciperet, *Casinensis* proinde nuncupata, Atque sive posteriori tempore ad istius instar, sive prius in aliis Mundi partibus, aliæ prodierunt Congregationes sub diversis Constitutionibus & privilegiis, diversisque Prælatis, & modis rectæ, inter quas præsertim est ista *Bursfeldensis* in Germania, cum ea differentia, quod pleraque ejusdem instituti Monasteria invicem connectunt, tanquam plura membra unum corpus seu unam Universitatem constituentia, adinstar dictæ Congregationis Cassinensis, Pleraque verò reguntur singulariter, ac independenter; Et sic benè dicebatur per scribentes in contrarium, dictas Constitutiones *Eugenii IV.* aliaque privilegia concessa Congregationi *Casinensi*, non convenire huic Monasterio & similibus, non inde tamen inferebatur ad aliud assumptum, quod non esset Ord. S. Benedicti.

Quare tota disputatio percutiebat secundum punctum, in quo scribens pro Monasterio tanquam Advocatus, deducebam dictam exemptionem generalem ex Synodo *Gregorii I.* de anno 601. relatus *per Baronium*, *Passerin.* & alios supra initio allegatos, Addendo etiam respectu hujus Ordinis S. Benedicti, magnam verisimilitudinem, quod cum continuato spatio annorum circiter 300. per successivum Ordinem, 25. ferè Pontifices ejus alumnos habuerit, prorsus improbabile videbatur, quod hæc & alia longè ampliora ei concessa non essent privilegia, istud præsertim generalis exemptionis, quo de facto quælibet, quamvis exigua & obscura Religio potitur.

Verùm reflectendo ad veritatem, contrarium credebam probabilius, tum quia verius ac magis communiter receptum est, cessantibus privilegiis particularibus, Regulares, tam quoad Ecclesias, quàm quoad personas, subjacere Ordinariis locorum, & comprehendi sub generalitate *text. in cap. omnes Basilicæ 16. quæst. 7.* ut antiquioribus allegatis habetur apud *Tamburin. Barbos. Frances*, & aliis supra initio allegatos, *Fagnan. in cap. nimis prava num. 3. de excess. Prælatorum, Rota decis. 238. num. 2. par. 1. rec.* & plenè ac eruditè comprobat *Cardinalis de Albicis* in secunda responsiva disceptatione edita *in Romana jurisdictionis seu tituli Cardinalitii*, de qua infrà *disc. 34. in 1. quæst.* & quæ disceptationes habentur impressæ in calce hujus tit.

Tum etiam magis in specie, quia id manifestè probatur per *text. in cap. finali de statu Monachorum*, ubi agitur in individuo de hoc Ordine S. Benedicti, & distinguuntur Monasteria exempta, à non exemptis, ac probat etiam textus *in cap. conquerente de officio Ordinarii* ubi præsupponitur facultas Ordinarii visitandi Cappellas & Ecclesias istorum Monachorum S. Benedicti; Idemque comprobari observabam ex eisdem Constitutionibus *Eugenii IV.* concedentibus hanc exemptionem per speciem novi privilegii, quod supponit præcedentem subjectionem, cùm non detur acquisitio rei, quæ jam obtinetur, Ac etiam id clarè comprobat observantia, præsertim in Germania, quod multi sunt Abbates exempti, confirmationem recipientes à Sede Apostolica tanquam huic immediate subjecti, alii verò ab Ordinariis locorum, & consequenter clara est contradistinctio.

Neque dicta inverisimilitudo, quam aliàs more Advocati nimium exagerabam, alicujus momenti videtur, quoniam magna differentia est inter eas 9
Religiones seu Congregationes, quæ in forma Collegiali seu per constitutionem Universitatis, reguntur cum *Generali & Provincialibus*, aliisque Prælatis, ita ut omnia Monasteria, omnesque professores sub eodem instituto vivant, eisdemque Superioribus ac Visitatoribus subjaceant, & illa Monasteria, quæ singulariter & de per se reguntur, cùm in istis cesset illa ratio, ob quam, citrà abusus & inconvenientia, practicabiles sunt exemptiones Regularium ab Ordinaria jurisdictione, à qua tamen neque omninò immunes existunt, cùm subjaceant etiam in plerisque casibus recensitis per supra allegatos, præsertim *per Barbos. de Episcopo dicta alleg. 105. Tamburin. Frances, Fagnan. & alios ubi suprà.*

Hinc proinde, unicum fundamentum hujus partis, restringebatur ad particulares facti circumstantias, ex quibus prætendebatur istud Monasterium reperiri in quasi possessione exemptionis, ac immedia-

mediatæ ſubjectionis Sedi Apoſtolicæ, Super quo tamen maturum judicium pro veritate efformari non potuit, cum totum ponderet à probationibus deſuper faciendis; Urgebant tamen ea, quæ ex
10 parte Archiepiſcopi deducebantur, præſertim quod Abbas ab ipſo Monaſterio electus, confirmationem reciperet ab Archiepiſcopo, cui obedientiam & fidelitatem promittere ſolet, quod eſt ſubjectionis argumentum, ut po nderatur in *Marſicen. Juriſdictionis apud Buratt. deciſ. 578. numer. 9. & in eadem 18. Februarii 1647. coram Bichio dec. 24. num. 37. par. 10. rec.* Magis verò ſtringebat diſcretiva aliorum Abbatum in eadem diœceſi, aliiſque hujus regionis partibus exiſtentium, qui noviter electi, ratione exemptionis à quocumque Ordinario ac immediatæ ſubjectionis Sedi Apoſtolicæ, ab iſta confirmationem recipere ſolent, quod ſupponebatur in hoc Abbate non practicari, Quamvis econverſò multæ darentur enunciativæ ſuper hujuſmodi exemptione, cujus non leve argumentum reſultabat etiam à conſuetudine, quod illud ſubjaceret viſitationi Nuntii Apoſtolici, ad inſtar aliorum Monaſteriorum exemptorum, Magnique momenti videbatur illud facti præſuppoſitum, quod idem Archiepiſcopus *Colonien.* ſeu ejus Officiales illud Monaſterium viſitaſſent ex ejuſdem Nuntii Apoſtolici delegatione.

MESSANEN.

PRO

ARCHIEPISCOPO

CUM

RELIGIONE HIEROSOLYMITANA

Caſus deciſus per S Congregationem immunitatis pro Archiepiſcopo.

De juriſdictione Ordinarii loci in exemptos, præſertim in Milites Hieroſolymitanos ejus juriſdictionem turbantes, Et an poſſit eos excommunicare, ſeu excommunicatos declarare, eorumque Eccleſias interdicto ſubjicere, non obſtantibus ſpecialibus privilegiis, ne excommunicari, vel aliis cenſuris innodari poſſint.

SUMMARIUM.

1 *Caſus controverſiæ.*
2 *Ordinarius poteſt procedere ad cenſuras contrà Regulores exemptos habentes privilegium in ſpecie cenſurarum ubi agitur de cenſuris illatis à jure.*
3 *Multò magis ubi agitur de re notoria.*
4 *Item poſſunt exempti ab eo puniri & cenſuris affici ob ſuam juriſdictionem turbatam.*
5 *Regulares prius erant ſubjecti Ordinario.*
6 *Conceſſa juriſdictione cenſentur conceſſa omnia ea ſine quibus illa effectum ſortiri non poteſt.*
7 *Privilegium competens regularibus ne poſſint excommunicari an procedat in caſibus in quibus iſti ſunt ſubjecti Ordinariis, & de differentia inter jus commune & Concilium Tridentinum.*
8 *Interdictum Eccleſiæ apponitur ob crimen perſonarum & de cauſis ob quæ illud apponatur.*
9 *Exemptio ab interdicto nunquam ſuffragatur illis qui ſunt ejus cauſa.*

DISC. XXIX.

CUM quidam clericus inquiſitus, 1
vel à carceribus, vel à manibus familiæ Curiæ Archiepiſcopalis *Meſſanen.* fugiens, in Eccleſiam Religionis Hieroſolimitanæ, ejuſdem Civitatis ſe confoviſſet, miniſtri verò dictæ Curiæ Archiepiſcopalis, illum exinde extrahendo, ad carceres traduxiſſent, quidam Eques Goto dicti Prioratus Locumtenens, aliique Equites & miniſtri, ægreferentes hujuſmodi extractionem, utpotè ab eis reputatam præjudicialem privilegiis Religionis, accedentes armata manu ad Palatium Archiepiſcopale, cum non levi ſcandalo Promotorem fiſcalem qui erat clericus in ſacris percuſſerunt, quemdam curiæ ſervientem lethaliter vulnerarunt, & carceratum violenter ad eamdem Eccleſiam reduxerunt, Unde Archiepiſcopus ſer. ſer. dictos Equites alioſque ſibi adhærentes excommunicatos per publicos cedulones declaravit, ipſamque Eccleſiam interdicto ſubjecit, Adverſus quæ recurrente ipſamet Religione ad Sacram Congregationem immunitatis, ac prætendente, non potuiſſe Archiepiſcopum contrà formam ſuorum privilegiorum, Eccleſiam exemptam interdicto ſubjicere, ejuſq; milites profeſſos excommunicare, aſſumptaque deſuper diſputatione de anno 1653. pro cenſurarum validitate reſponſum fuit, & conceſſâ novâ audientiâ perſtitum fuit in deciſis.

In his autem diſputationibus, pro Archiepiſcopo ſcribens, diſtinguendo cauſam in duas inſpectiones, unam ſcilicet ſuper cenſuris perſonarum, alteram ſuper illis loci; Quatenus ad primam pertinet dicebam, difficultatem ratione privilegiorum, cadere poſſe, quoties ageretur de excommunicatione lata ab homine, ſecus autem ubi agitur de excommunicatione lata à jure ut in præſenti ob violentas manus in clericos & perſonas Eccleſiaſticas 2
illatas *ex canone ſi quis ſuadente diabolo*, Iſto enim ſecundo caſu receptum eſt, Ordinarium, non obſtante privilegio quamvis ſpeciali circa cenſuras, poſſe exemptos declarare excommunicatos, ex ea clara ratione, quod ille excommunicare non dicitur, neque propriam juriſdictionem vel ſuperioritatem exercere, ſed ſolum declarare, ſeu denunciare illas cenſuras, jam ex juris diſpoſitione incurſas.

Denunciatio enim tanquam inducta favore animarum, eſt actus qui exerceri poteſt etiam à non habente juriſdictionem juxtà *text. expreſſum in clem. prima de privil. ubi Abb. Zabarell. & cateri*, quibus relatis hanc veriorem profitentur *Campanil. in diverſor. jur. Canon. rubr. 12. cap. 16. num. 42. Lauret. de Franch. de controv. inter Epiſcoos & Regular. quæſt. 7. verſ. contraria opinio, Genuen. in prax. Archiep. Neapol. cap 57. num. 1.* Et hanc opinionem uti veriorem maturè diſcuſſo articulo, inhærendo pluribus aliis declarationibus antecedentibus, præſertim de annis 1610. & 1633. firmavit Sacr. Congr. Concilii in una *Eyſtetten. 28. Auguſti 1649.* ubi in fortioribus terminis declarata fuit valida declaratio Epiſcopi ſuper incurſu cenſurarum contrà Commendatorem Ordinis Theutonici ob

ſolam

solam retentionem clerici, contrà quem dictus Commendator prætendebat habere jurisdictionem, quam in effectu non habebat.

Dictaque opinio videtur indubitata, quoties agitur de casu notorio, cum sola difficultas, juxtà
3 opinionem aliquorum præsertim Moralium, ut plurium causam propriam tuentium, procedere possit, quoties agitur de facto dubio, in quo censurarum incursus potius resultet ab ipsius Ordinarii declaratione, quæ injusta & gravatoria prætendi potest, quam ab ipso facto, de quo puncto in præsenti disputare opus non fuit, stante facti notorietate.

Præterea ubi etiam ageretur de censuris aliisque pœnis ab ipso Archiepiscopo, & sic ab homine ratione delicti illatis adhuc, tamen jurisdictionis in-
4 competentia prætendi non poterat, dum delictum consistebat in injuria ipsi Archiepiscopo illata, suæque jurisdictionis turbatione, ob quam judex, cujus majestas læsa fuit, quantumvis alias incompetens sit competens, quia exemptus ita turbando & offendendo judicem incompetentem, dicitur illius jurisdictionem prorogare *juxtà glos. in cap. primo de offic. delegati ubi communiter Canonistæ, & Civilistæ in l. addictos C. de Sacr. Sanc. Eccl. do quibus Genuen. in praxi Archiepisc cap. 11. & magis in terminis cap. 56. num. 6.* ubi de Regularibus injuriam inferentibus Episcopo ejusque jurisdictionem turbantibus *Farinacc. quæst. 114 num 67. & seq. & consil. 134. lib. 2. Cocchier. de jurisdictione in exemptos par. 2. quæst. 45. Sperell. decis. 86. num. 5. & 6.*

Et licet scribentes pro Religione responderent, *text. in cap. primo de offic. delegat. cum ibi notatis* procedere in judice delegato, de quo loquitur, Replicabam tamen fortius procedere in Ordinario, cujus jurisdictio est major, ut explicat *Farinacc. di-*
5 *cta quæst. 114. num. 75. & seq. ubi num. 78.* habetur, quod respectu Ordinarii est indubitatum, fortius verò in Episcopis & locorum Ordinariis ob nativam & habitualem jurisdictionem quàm ante privilegia habebant etiam cum Monachis, aliisque Regularibus, & exemptis *ut disc. praced.*

Clarius duplici circumstantia accedente, una nempè, quod contentio non erat cum judice pœnitus incompetente, qui nullam nec actu nec habitu jurisdictionem haberet, sed ut supra cum Diœcesano habitu ac de jure antiquo habente jurisdictionem ordinariam cum omnibus, qui more reliqui cleri & populi subjacebant ejus jurisdictioni, à qua per privilegia exempti sunt, unde propterea eorum exemptio non est nativa & omnimoda, sed dativa, tollens quidem jurisdictionis exercitium, non autem habitum, ideoque facilius admittitur prorogatio, tanquam reversio ad suam primævam & antiquam cautam, Maximè quia etiam hodie in pluribus casibus locorum Ordinarii, actualem etiam jurisdictionem in Regulares & exemptos retinent ex deductis *Bochier dicta q. 45, Campanil. in diversor. rubr. 12. cap. 13. & Barbos. dicta alleg 105.*

Altera erat fortior circumstantia, quod turbatio erat occasione extractionis ab Ecclesia, & in causa, in qua Ordinarius, ne dum in locis exemptis, sed etiam in illis *Nullius* habentibus proprium Prælatum cum omnimoda jurisdictione, ac territorio separato, ex constitutione *Gregorii XIV.* delegatam habet jurisdictionem, ideoque dicebam esse in terminis præcisis text. in *dicto cap. primo de offic. delegati*, Quoniam concessa jurisdictione circa aliquam rem, concessa etiam censentur omnia ea sine
6 quibus illa res explicari non potest *ad text. in l. 2. ff. de jurisdictione omn. judicum cum concordan. per Bellon. jun. demandata jurisdictione cap. 8. quæst. 15. Rot. decis. 253 par. 4. recent. num. 1. & seqq. alias apud Merlin. dec. 610. & supra disc. 20.*

Et licet plerique DD. ex parte Religionis deducti velint, privilegia Regularium vel exemptorum, ne possint à locorum Ordinariis excommunicari vel interdici, suffragari etiam in illis casibus eisdem Ordinariis subjecti, ut *per Sanchez de matrim. lib. 7 disput. 33. num. 23. & ad præcepta Decalogi tom. 1. lib. 2. cap. 1. nu. 14. Lezana in summario tom. 1. cap. 11 num. 14. Lauret. de Franch. controv. Regular. quæst. 17.* apud quos cæteri; Replicabam tamen, 7
etiam cum sensu veritatis, hujusmodi opinionem esse fortè subtentabilem in terminis juris communis ex dispositione *text. in cap. 1 §. in eos de privil. in 6.* secus autem hodie post Concil. Trid. per quod, in casibus in quibus Regulares & exempti Ordinariorum jurisdictioni subjiciuntur, istis concessa est indistincta potestas eos coercendi, cum revocatione omnium & quorumcumque privilegiorum, ut probant *Genuen. in praxi Archiepiscopali dicto cap. 59. num. 9. Leo in Thesaur. For. Eccles. par. 1. cap. 8. num. 19. Navar. in Lucerna Regular. verb. excommunicare in princip. cum aliis per Barbos. de Episcopo dicta alleg. 105. num. 13.* atque ita declaratum fuisse per Sac. Congregationem Concilii 7. *Februarii* 1633. testatur *Lezana in Summa tom. 3. verb. exemptio Regularium tract. 13.* Et quamvis ipse subjungat hujusmodi declarationem intelligendam esse quoad eos Regulares & exemptos, qui hoc speciale privilegium non habeant, Dicebam tamen hujusmodi observationem, nullum habere rationis, vel auctoritatis fundamentum, quia ob specialia privilegia singulis Religionibus per Sedem Apostolicam nimia benignitate concessa, sive per generales communicationes privilegiorum, nulla fortè in Ecclesia Catholica adest Religio, quæ hujusmodi privilegium habere non prætendat, ideoque dicebam, Moralium auctoritati in proposito deferendum non esse, quamvis alias doctis & probatis, utpotè testibus in causa propria; Cum enim Concilium Tridentinum quæcumque privilegia talibus casibus tollat, nil remanet quod Ordinarios impediat, ne censuras proferre possint contrà exemptos, eodem modo quo in reliquum clerum & populum subditum, jure suo primævo, & Ordinario, & ex antiqua nativa jurisdictione, tanquam per remotionem obstaculi, quod privilegia inferebant, Ad instar habentis naturaliter membra valida, sed ex accidentali vinculo impedita, quia vinculis dissolutis, operari dicitur jure suo primævo & nativo, non autem ex novo & dativo à dissolutione resultante, ut est communis Beneficialistarum traditio in materia indultorum, quæ Ordinariis conceduntur super conferendis beneficiis reservatis, licet hodie ob modernam indultorum formulam, magis receptum sit, id jus delegatum importare.

Quoverò ad interdictum Ecclesiæ, prudenter ac fundatè dicebam, ad illud processum esse, quia cum Ecclesia fuerit occasio scandali publici, rationabile erat, ut publica demonstratio punitionis in eadem Ecclesia fieret, Non obstante ejusdem Ecclesiæ exemptione, cum hæc localis non competat ratione ipsius loci materialis, qui tanquam res inanimata, sicuti est incapax delicti, ita etiam pœnæ vel privilegii, Sed hæc omnia respectivè competunt ratione personarum ministrantium, ideoq; in loco adjiciuntur censuræ in pœnâ personarū, sub quarū regimine est Ecclesia, seu in pœnam populi in eadem

dem Ecclesia sacramenta & divina recipientis.

Ut de interdicto apponendo in loco, Provincia, vel Civitate, ob delictum Principis, seu Magistratus, vel alicujus notabilis partis populi *Archidiac. in cap. Si sententia per illum text. de Sentent. Excommun. in 6 Felin. Dec. & alii in cap. fine de Offic. deleg. cum Concordan. per Sayr de Censur. lib. 5. cap. 11. num. 8 & 9. Covarr. in cap. alma mater. p. 2. §. 1. num. 4.* ideoque cum personæ quamvis exemptæ, in proposito ut suprà, subjaceant jurisdictioni Ordinarii, multò magis eorum Ecclesia subjacere debet.

Nunquam enim exemptio ab interdicto suffra-
9 gari potest iis, qui sunt ejus causa *ad text. in cap. licet de privil. in 6 Kocchier. de jurisdict. in exempt. lib. 4. quæst. 14. num. fin.* ac in specie id probatur *per tex. in cap. cum & plantare §. fin. de privil.* ubi expresse statuitur, quod Religiosi qui jura Episcoporum sibi arrogant, Episcopo fiunt subjecti, & eorum Ecclesiæ interdicto subjiciuntur; Ergò Ecclesia subjicienda est interdicto ob dictum Religiosorum in ea existentium, præsertim, quia delictum nomine Ecclesiæ & pro ejus causa commissum erat; Et ex his per dictam S. Congregationē immunitatis ut supra insinuatum est, de anno 1653. pro censurarum validitate responsum fuit, atque in nova audientia Religioni concessa, confirmata fuit resolutio, quæ mihi ad veritatem reflectenti, visa fuit justa & benè fundata, quamvis nimiæ fuerint disputationes desuper habitæ, tanquam in causa exemplari, & in decisione faciente statum.

FANEN. VISITATIONIS

PRO

EPISCOPO

CUM

PP. MINORIBUS OBSERVANTIBUS LOCI CARTOCCETI.

Casus decisus per Sac. Congregationem Concilii pro Episcopo.

De Jurisdictione Ordinarii in Ecclesia sæculari, quamvis per Regulares & exemptos possessa & officiata, quæ propterea naturam non immutavit, neque Regularis effecta est.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Quæ jurisdictio competat Ordinario in Ecclesia Regularium.*
3 *Ecclesiæ sæculares non immutant earum Statum sæcularem, quamvis concedantur ad usum Regularium.*
4 *Nemo potest refricare quæstionem dominii suo auctori.*
5 *Possunt esse duæ Ecclesiæ in quibus cura exerceatur, una principalis, altera adjutrix.*
6 *Ecclesia per invalidam alienationem non amittit possessionem.*
7 *Dismembratio dicitur alienatio prohibita cadens sub Extravaganti Ambitiosa.*
8 *Quid requiratur ad inducendum beneplacitum præsumptum.*
9 *Regulares sunt quandoque infensi Ordinariis locorum.*
10 *In Ecclesia sæculari officiata per Regulares Episcopo præsente vel etiam impedito, cui competat jus celebrandi missam solemnem.*

DISC. XXX.

ERecto in dicto loco usque ab an- 1
no 1619. Conventu Minorum Observantium, Parochus dictis Patribus concessit Ecclesiam parochialem sub invocatione Sanctorum Petri & Pauli, stante alia Ecclesia, sub invocatione Sanctæ Mariæ, in commodiori situ posita, ubi sacramenta populo ministrari poterant, sub ea tamen lege, ut Ecclesia prædicta in signum primævi status, *Plebis* nomen, seu titulum consuetum retinere deberet, necnon aliquæ solemniores & principales functiones in ea peragi, nempè distributiones candelarum & palmarum, processio in die Sancti Marci, & in altera Corporis Domini, subministratio eucharistiæ populo in diebus cœnæ Domini vel Paschæ resurrectionis, in quibus Parochiani de præcepto tenentur accedere ad Parochiam, ibique privativè quoad omnes Ecclesias, dictum sacramentum recipere, Proindeque sequutum est quod Episcopo diœcesim peragrante occasione visitationis, istam Ecclesiam tanquam sæcularem & parochialem visitavit à dicto tempore citrà usque ad annum circiter 1660. quando dicti Patres, sub eorum exemptionis & privilegiorum prætextu, dictæ visitationi se opposuerunt, unde recurrente Episcopo ad Sac. Congregationem Concilii.

Assumpta desuper disputatione, Agentes pro Regularibus prædictis, slongo allegationum apparatu in superfluis, ac iis quæ tanquam in jure notoria præsupponi possunt, probare conabantur, Ecclesiarum Regularium exemptionem ab Ordinarii visitatione, quodque per Concilium Tridentinum, & Apostolicas Constitutiones, aliud non concedatur nisi ex delegata jurisdictione visitatio sacra-
mentorum, quatenus ibi animarum cura exer- 2
ceatur, ex congestis *per Lotter. lib. 1. quæst. 25. Barbos. de Episcopo alleg. 74. Rot. decis. 220. num. 4. par. 9. recent.* Unde propterea inferebant, quod cum in ista Ecclesia, nulla exerceretur cura, translata ab antiquo in alteram Sanctæ Mariæ, & administratio sacramenti eucharistiæ, quæ jure parochiali fit populo in dictis diebus Parascevæ & Paschæ, sit accidentalis, ideircò dicto tempore tantum, & in illis diebus admittebant, Episcopum potuisse vel posse Ecclesiam jurisdictionaliter ingredi, ut dictum sacramentum visitaret, non autem in reliquis anni temporibus.

Pro Episcopo scribens, admittendo omnes dictas juris propositiones, utpotè hodie ut suprà notorias, & præsupponendas, Dicebam punctum esse in earum congrua applicatione, in qua ferè omnes forenses controversiæ solent hodie consistere; Illas siquidem rectè procedere dicebam in Ecclesiis Regularibus, Nos autem versabamur in Ecclesia merè sæculari, & parochiali in antiquo ejus statu continuante, quam indubitatum est, sub omnimoda Ordinarii jurisdictione existere ex deductis per *Lotter. ac Barbos. locis citat. ac omnes.*

Regu-

Regulares autem ibi ex quadam precaria con-
3 cessione, non immutato Ecclesiæ statu, facultatem solum habent divina officia celebrandi, tanquam in Ecclesia eorũ Conventui contigua, Rectè siquidem simul stare possunt, Ecclesiam esse sæcularem ac proprium sæcularem Rectorem habere, & nihilominus officiari, ac divinum cultum habere à Regularibus ibidem adjacentibus, ut frequens habemus in Urbe in pluribus Ecclesiis Titularibus Cardinalium, quæ earum antiquo statu & qualitate retentis, officiantur à Regularibus, earum usum tantum habentibus, tanquam ministris ad cultum à Rectore seu Titulari deputatis, sed non per hoc sunt Regulares ex deductis *in Romana jurisdictionis seu tituli Cardinalium hoc eodem titul. disc. 34.*

Quod autem ista Ecclesia esset talis, liquido constabat ex ipsa concessione facta per Rectorem, cui tanquam eorum auctori, concessionarii quæ-
4 stionem proprii juris vel dominii refricare non poterant, juxtà terminos tex. cum ibi notatis *in l. si quis conductionis Cod. locati*, quod ex idenditate rationis in omni materia procedere abundè firmatur *apud Mantic. decis. 277. num 5. Cavaler. decis. 171. num. 61 & in aliis per adden. ad decis. 420. par. 4. recent. tom. 2 & 613 par. 5.* ac etiam evidentius comprobatum remanet ex continuatione actuum parochialium singulis annis in quibusdam majoribus solemnitatibus, Nil refragante continuo curæ exercitio, & sacramentorum administratione in dicta alia Ecclesia, quàm pro altera parte scribentes dicebant, ita effectam esse Curatam, atque ad eam translatam curam, ab hac dismembratam, quoniam de hujusmodi dismembratione nullibi con-
5 stabat, sed potius de contrario, Neque implicat duas adesse Ecclesias, in quibus cura exerceatur, & sacramenta ministrentur, unam scilicet parochialem Matricem, alteram filialem seu adjutricem, in qua, ratione situs commodioris præmissa peragantur ex deductis *decis. 258 por. 1. recent*, ac habetur *in Novarien. seu Comen. divisionis Parochiarum sub tit. de Parochis.*

Præterea ubi etiam de hujusmodi translatione curæ constaret, quod scilicet Parochus, liberè Regularibus hujusmodi Ecclesiã concessisset, transferendo omnimodam curam in alteram, etiam si de Episcopi consensu id factum esset, Adhuc tamen, ob actus manifestam infectionem, Ecclesiam in
6 ejus primævo statu residere dicebam, & in quo Rector successor, vel Episcopus, ipsam manuteneri tutè prætendere poterat, cum hodie receptum sit, per hujusmodi invalidas bonorum vel jurium Ecclesiæ alienationes, illam non privari, nedum dominio, sed etiam possessione, habili etiam ad interdictum retinendæ, ac frequens summarissimum remedium manutentionis *Cassador. dec. 7. num. 13. de causa poss. & proprie. dec. 11. 215. & 518. apud Postium de manut. dec. 78 139. 226. & 275. par. 6. rec. cum alus per Postium dicto tract. obser. 57. num. 102. & seqq.*

Nullitatem verò dicebam evidentem, quia dis-
7 membratio seu transmutatio status, dicitur formalis alienatio, exigens solemnitatem & causam ad præcisos limites *extravag. ambitiosæ*, quam receptum est, locum sibi vindicare in hujusmodi juribus incorporalibus, eodem ad amussim modo quo in alienatione prædiorum & rerum corporalium ex deductis *per Otthobon. decis. 6. latè in Comen. dismembrationis 22. Junii 1648. coram Corrado dec. 224 par. 10. rec. Bonon. dismembrationis 22. Martii 1638. coram Verospio*, & habetur pluries in materia beneficiali, *sãb tit. de benef.* vel sub altero *de Parochis.*

Beneplacitum verò ex lapsu temporis præsumptum, in præsenti prætendi non poterat, nam 8
quicquid sit an intraret, nec ne Bulla *Urbani VIII.* de præjudicialibus, excludens hujusmodi præsumptionem præterquam ex centenaria, in quo verius est bullam non intrare, quia inter Ecclesias, & Ecclesiasticos ex alibi deductis *hoc eodem tit. præsertim in Astoricen. jurisdict. disc. 7.* Adhuc tamen, antiquis terminis juris communis retentis, illa non intrabat, cum ad ejus jeffectũ, copulativè exigerentur, lapsus temporis, & pacifica continua observantia ex deductis *apud Otthobonum decis. 220. editu in Acernen. hoc eodem tit. disc. 24.* quæ observantia hic cessabat, atque potius contraria concurrebat, nedum ex dictis functionibus, & actibus parochialibus, singulis annis fieri solitis, sed etiam ex continuatis Episcoporum visitationibus jure ordinario, tanquam in Ecclesia sæculâri, & subdita; Et ex his de anno 1661 per dictam Sac. Cungregationem Concilii, juste, ac fundatè pro Episcopo responsum fuit.

Mos enim est Regularium, locorum Ordinariis quantum fieri potest se opponere, eorumque juris- 9
dictionem evitare pro eorum exemptione conservanda, Eamdem igitur prætensionem expertus fui, dum ante accessum ad Curiam ferè adolescens munus Vicarii prius Capitularis, deinde Generalis in Patria gererem; Cum enim in Oppido Spinatiolæ Venusinæ diœcesis, adesset Ecclesia sæcularis sub invocatione Sanctissimæ Annunciationis, quam quidam Episcopus ita precariò, & ad simplicem usum concessit Minoribus Conventualibus, Conventuum ibi erigentibus, reservato sibi jure illam visitandi ordinaria auctoritate, tanquam Ecclesiam sæcularem, curarunt dicti Regulares hujusmodi visitationi se opponere, verum oppositionem de facto cum propria jurisdictione, non expectata auctoritate Sac. Congregatione, superavi.

Consimilem tractavi controversiam, in Sacra Congregatione Rituum de anno 1657. pro Archiepiscopo *Surrentino* cum Clericis Regularibus, *Theatinis*, nuncupatis; Cum enim eadem occasione introductionis dictorum Religiosorum in Civitatem, Archiepiscopus *Provensalis* de anno 1608. absque beneplacito Apostolico, & consensu Capituli, aliisque solemnitatibus non servatis, dictis PP. concessisset Ecclesiam S. Antonini præcipui Civitatis Patroni, quæ erat sæcularis collativa, & in quo statu, adhuc continuat, dum Rectoriam præsentis disputationis tempore quidam Romanus Metropolitanæ Primicerius actu possidebat, atque ex antiqua consuetudine, in die qua dicti Sancti commemoratio quamdam sæcularium Confraternitatem ibidem erectam cum magna solemnitatẽ & populi concursu celebrari solet, Archiepiscopus una cum Capitulo Metropolitanæ, & toto clero sæculari, tam Civitatis, quam suburbiorum processionaliter accedere, ibique pontificaliter celebrare consuevisset, Exorta est ex parte Theatinorum dubitatio, num Sede vacante, sive Archiepiscopo ab- 10
sente, infirmo, vel aliàs impedito, seu etiam eo præsente, sed nolente celebrare, solumque assistente, celebratio missæ solemnis spectaret ad primam Dignitatem Capituli Metropolitanæ, vel potius ad Præpositum Theatinorum; Et introducta causa in Sac. Rituum Congregatione, pro Archiepisco-

chiepiscopo, & Capitulo prodiit resolutin, Tum quia ubi etiam Ecclesia esset Regularis, attamen cum hujusmodi solemnitas sit de Pontificalibus, ac celebratio fiat occasione processionis Capltuli & cleri sæcularis, Vices Episcopi absentis, impediti, vel celebrare nolentis, supplendæ sunt, non à Superiore, seu Prælato Regulari, sed à prima Dignitute, seu digniori Canonico Capituli, ut declaratum per eamdem Sac. Rituum Congregationem *in una Firmana de anno 1603.* occasione missæ, quæ celebratur in processione rogationum; testantur *Novar. & Lezzana, de quibus Barbos. in Summa Apostolicarum decisionum verbo Episcopus quoad Regulares collectan. 297 num. 2.* qui casus est fortior, quia processio rogationum non solet esse functio Pontificalis, neque illam missam Episcopus pontificaliter celebrare solet, ut in præsenti quando agitur de supplendo vices Episcopi, quod incongruum est fieri per Regularem, sed faciendum est per digniorem personam Capituli unum, & idem corpus cum Episcopo constituentis.

Clarius verò, quia tractabatur de Ecclesia merè sæculari, in suo antiquo & collativo statu, adhuc continuante, cujus solum præcarium usum Regulares habebant, eodem modo quo ut supra *in Fanen.* dictum fuit, unde propterea cessabant omnia, quæ in proposito habentur de prærogativa Prælatorum Regularium in solemnitatibus, & functionibus, quæ in eorum Ecclesiis Regularibus fiunt, Cum hæc non esset talis, tum ex clara voluntate Archiepiscopi concedentis, à subsequuta observantia comprobata, Tum etiam ex defectu potestatis, quia nec volens Archiepiscopus potuisset absque forma *extravag. Ambitiosæ*, vel saltem absque consensu Capituli, & solemnitatibus de jure communi requisitis, hujusmodi status transmutationem facere ut supra.

MEDIOLANEN.

INTERDICTI

PRO

ARCHIEPISCOPO SEU EJUS CURIA,

CUM

PP. CASSINENSIBUS S. PETRI INGLUSSIATE.

Casus resolutus per Sac. Congregationem Rituum contrà Curiam Archiepiscopalem.

De jurisdictione Ordinarii in Regulares exercentes in eorum Ecclesiis functiones Pontificales, & quæ non nisi ad Episcopum, vel ab eo deputandum spectare debent, Et an possit propterea Episcopus eos punire eorumque Ecclesiam Ecclesiastico interdicto subjicere.

Et quando Abbates & Prælati Regulares Pontificalium usum habentes, possint in eorum Ecclesiis baldacchinum erigere, ac pontificali more celebrare.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*

2 *Abbates Regulares, quando possint baldachinum erigere & pontificaliter celebrare & nu. 9.*

3 *Datur facultas Episcopo puniendi Regulares turbantes ejus jurisdictionem.*

4 *Funus Principis vel gerentis ejus supremas vices spectat ad Episcopum, & est functio pontificalis.*

5 *Ceremoniale attendendum est pro lege.*

6 *Quæ liceant Regularibus in eorum ambitu aliàs illicita. Et ad quem spectet jus faciendi exequias super cadavere quod sepelitur in Ecclesia Regularium.*

7 *De ratione ob quam Regularibus non licet in propria Ecclesia prædicare vel sacramenta ministrare sine licentia Episcopi.*

8 *An Regulares habentes privilegium speciale ne possint ab Ordinario censuris affici, gaudeant hoc privilegio in casibus, in quibus ei subjacent.*

9 *Declaratur conclusio de qua num. 2.*

10 *Quando inferior certioravit superiorem, an possit procedere in causa.*

11 *Attentata non committuntur in causa diversa.*

DISC. XXXI.

CUM in Civitate Mediolanen. sequuta esset mors Cardinalis Trivultii, qui raro exemplo tunc, licet provisionaliter, & pro interim, quamvis concivis, munus Gubernatoris illius Civitatis, & Status gerebat, atque, vel ex propria electione, vel quia ibi majorum sepulchrum haberet, sepeliendus esset in Ecclesia Regulari Sancti Petri Ingluffiatæ PP. Cassinensium; Princeps autem Trivultius ejus filius ex legitima uxore ante clericatum susceptus, cuperet funus, ut par erat, à quodam Episcopo benevolo, qui in eadem Civitate reperiebatur, cum interventu quorumdam aliorum Prælatorum sæcularium, usum pontificalium habentium, pontificaliter celebrari, proindeque Archiepiscopum requiri curasset pro concessione licentiæ, tam dicto Episcopo quam aliis Prælatis pontificalia exercendi; Archiepiscopus verò denegasset, ex eo quod hujusmodi functionem peragere intendebat per se ipsum. Hinc Trivultius curavit functionem peragi pontificaliter per dictæ Ecclesiæ Abbatem cum interventu quatuor aliorum Abbatum titularium ibidem residentium, pontificalium etiam usum habentium, de quo habita notitia per Vicarium Generalem, hic inhibuit ne sub Ecclesiastici interdicti aliisque comminatis pœnis hujusmodi functionem peragere auderent, cumque eo spreto ad ulteriora processum fuisset, Archiepiscopus, vel idem Vicarius de his certioravit Sac. Congregationem Rituum, cujus tamen responso non expectato, ad interdicti indictionem processum fuit, à quo interposita per dictos Patres appellatione, & habitu recursu ad eamdem Congregationem, ibique assumpta disputatione super hujusmodi interdicti validitate.

Scribentes pro Cassinensibus, præcipuum invaliditatis constituebant fundamentum in facultate quam ipsi habebant, prius generaliter & indefinitè, nunc autem ad tres vices seu festivitates cujuslibet anni restricta per decretum ejusdem Congregationis Rituum de anno 1628. erigendi baldachinum, ac pontificaliter celebrandi, & qua facultate licitè uti potuisse dicebant in ista functione, quam cum nimia prolixitate probare conabantur sub nomine festivitatum venire,

Scribens

Scribens pro Archiepiscopo dicebam, duplicem contraventionem ex parte hujusmodi Religiosorum in proposito considerari, unam nempè decreto prædicto, erigendo baldachinum & pontificaliter celebrando extra occasionem festivitatum; Alteram verò sibi arrogando prærogativas Episcopales, atque in spretum manifestum præcepti eis injuncti, etiam armata manu, & cum aliquo scandalo faciendi eas functiones merè pontificales, quæ soli Diœcesano incumbunt.

Quicquid autem esset de prima specie, de qua potius ad ipsam Congregationem, cujus Majestas lædi dicitur per contraventionem ejus decreti, punitio spectabat; Sive ad ipsam tanquam legislatorem incumbebat interpretari, an sub nomine festivitatum denotantium solemnitatem, seu lætitiam, venire possent, nec nè funera, quæ luctum, & tristitiam continent, quod satis improbabile videbatur.

Ob secundam speciem contraventionis, benè ad
3 interdictum processum fuerat ex dispositione *tex. in c. cum & plantare §. final. de privilegiis*, ubi ad literam disponitur, quod cum Religiosi indulta sibi à Sede Apostolica privilegia exercentes, contrà Episcopalem auctoritatem multa præsumant, quæ & scandalum, & grave pariant periculum animarum, propterea datur Episcopis facultas eos puniendi, eorumque Ecclesias interdicto subjiciendi.

Quod autem jura Episcopalia turbata seu arrogata in proposito essent, videbatur indubitatum, dum agebatur de funere personæ, quæ dupliciter Magni Principis figuram faciebat, ob dignitatem scilicet Cardinalitiam, Ac etiam quia supremas Regis vices gerebat, ob quam secundam circumstantiam funus Ritu Regio, cum Catafalco & assistentia Senatus, ac totius Civitatis & exercitus celebra-
4 tum fuit; Ideoque tanquam functio pontificalis ex majoribus primæ classis in funere Principis, per Episcopum facienda erat, ita disponente ceremoniali *lib. 2. cap. 11. in rubr. de missa pro defunctis*; Quod ceremoniale in his materiis facere legem, ac pro lege servandum esse sæpiùs firmavit Rota præ-
5 sertim *in Brixien. thurificationis 16. Martii 1626. Remboldo Calaritana primatus 14. Junii; & 10. decembris 1638. Ghislerio decis. 60. & 92. par. 8. rec. Mediolanen. subsistentationis libri 26. Junii 1647. eodem dec. 102. par. 10. rec.*

Quemadmodum enim si hic Abbas, vel alter Prælatus habens usum Pontificalium, se ingessisset non requisito, & multò magis spreto Diœcesano, in gerendo functiones pontificales juxtà ceremoniale ad loci Episcopum spectantes, utputà in faciendo processionem Corporis Christi, in pontificaliter celebrando in majori Civitatis solemnitate alicujus Sancti Primarii tutelaris, sive in adventu Principis, cum similibus, absque dubio Episcopalem auctoritatem læsisse diceretur, atque ea quæ Episcopo incumbunt usurpasse, ita in præsenti, cum absolutum videretur, hujusmodi functionem, ex facti circumstantiis esse de primariis merè pontificalibus.

Et quamvis per scribentes pro altera parte replicaretur id procedere posse, quando dictus Abbas, aliique sibi assistentes pontificalia exercuissent
6 per Civitatem, & loca Diœcesano subjecta, secus autem in propria Ecclesia exempta, in qua habent in facultatibus pontificalia exercendi, aliaque gerendi, animarum curam, & sacramentorum administrationem non concernentia, Diœcesani loci licentiâ minimè requisitâ, unde propterea eas processiones quas Regulares per Civitatem, vel parochiam absque Ordinarii vel Parochi licentia facere non possent, licitè faciunt per Ecclesiam vel claustra tanquam in loco exempto, qui licet sit in diœcesi, non tamen est de ea, seu in proprio territorio.

Atque descendendo magis ad specialia, plures darent declarationes ejusdem Sac. Congregationis in materia funerum & exequiarū, quod licet hoc sit jus parochiale, atque ad Parochum pertineat funus assòciari, aliasque fuuctiones jurisdictionaliter exercere, Hoc tamen intelligitur donec cadaver vel funus est intrà limites parochiæ, sive etiam extrà per loca subjectà Diœcesano, & donec ingrediatur Ecclesiam Regularium, in qua cadaver sepeliri debeat vel exequiæ celebrari, tunc enim jurisdictio Parochi cessat, atque ad Prælatum Regularem, vel alium ab eo deputandum tanquam in loco suæ jurisdictionis hujusmodi functionem peragere pertinet, Ideoque inferebant nullam Diœcesani jurisdictionem turbatam esse, nec aliquid gestum in ejus territorio, sed feciſſe propriæ domi, id quod ex Apostolicis indultis eis facere concessum est, atque hoc erat fortius objectum, quod aliquibus ex Congregationis PP. magnam inferebat difficultatem.

Nihilominus, cum sensu etiam veritatis, satis leve fundamentum mihi videbatur, quia punctus non erat in localitate, & sic in simplici exercitio pontificalium in propria Ecclesia occasione celebrandi aliquā ejusdē Ecclesiæ solemnitatē, Sed erat in persona defuncti, cum qua peracta fuerant functiones, non nisi ad loci Pontificem, & Diœcesanum pertinentes, Et sic in loco quidem exempto, sed in persona subdita, & in re, non ad Regulares, sed ad loci Ordinarium pertinente, Unde quemad- 7
modum in eisdem Ecclesiis quantumvis exemptis, non licet Regularibus verbum Dei prædicare populo, neque sacramentum pœnitentiæ ministrare, seu alia ad loci Ordinarium, vel Parochum pertinentia facere, non ratione loci, in quo fiant, cum ille sit exemptus, & non de diœcesi, sed ratione personarum, cum quibus fiunt, ita á pari.

Insistebant etiam fortiter super istorum Regularium omnimoda exemptione, cum specialibus privilegiis, ne possint per locorum Ordinarios censuris innodari, eorumque Ecclesiæ interdicto subjici, sed ex iisdem quæ deducta habentur *in Messanen. hoc eodem titulo disc. 29.* dicebam pariter hoc fundamentum esse satis leve, quia ob offensam ejusdem Diœcesani jurisdictionem, & Dignitatem, 8
quantumvis exempti de ejus jurisdictione effecti erant; Et quamvis in solis terminis juris communis dubitari posset, an stantibus specialibus privilegiis circà censuras, posset Ordinarius eas exercere, etiam in casibus, in quibus cessante exemptione subjacent Diœcesani jurisdictioni, Nihilominus ex Concilio Tridentino, juxtà veriorem opinionem, rejecta contraria suspecta Moralium, hujusmodi difficultas cessat ex auctoritatibus, & declarationibus Sacr. Conc. Trid. de quibus *in dicta Messanen. disc. 29.*

Et quod Sedis Apostolicæ intentio fuerit concedendi istis Prælatis Regularibus honorificum 9
usum pontificalium, moderatè tamen, ita ut non omninò pontificaliter celebrare dicerentur, neque ea peragere, quæ Episcopis conceduntur, probari dicebam ex ejusdem Sacr. Congregationis decretis ab *Urbano VIII* etiam probatis *Constitutione* 101. ut etiam in tribus anni festivitatibus, in quibus

hujusmodi

hujusmodi Prælati Regulares baldachinum erigere possint & pontificaliter celebrare, non tamen possint habere assistentiam paratorum in sedibus choralibus, more Canonicorum Episcopo assistentium, sed illi sedere debeant in congruo loco in scabellis, ita ut aliqua constituatur differentia inter pontificales functiones Episcopi, ac istorum inferiorum Prælatorum, quibus hujusmodi prærogativæ concessæ solum videntur pro privatis solemnitatibus propriæ Ecclesiæ, non autem pro publicis, quæ totius Civitatis vel Principatus nomine ac per ipsum populum potius celebrantur, ut erat præsens.

Habebantur hæc pro veris à Sac. Congregatione, omnesque ejus Patres hujusmodi temeritatem damnabant, Sed resolutio fuit in contrarium, interdictum scilicet non substineri, non ex dictis Regularium fundamentis, sed ex motivo attentatorum, ac spretæ majestatis ejusdem Sac. Congregationis, attento quod his sequutis, idem Archiepiscopus vel ejus Vicarius, antequam ad interdicti promulgationem procederet, ipsam Sacr. Congregationem certioraverat, Ideoque dicebatur, quod certiorato Principe, inferior magistratus sibi ligavit manus, ac tenetur responsum expectare, ac alias indebitè procedit; Et quamvis cum solidis legalibus fundamentis convincenter probaretur hujusmodi attentata omninò cessare, quia ut suprà dictum est, duæ erant contraventionis species, Una super usu baldachini extra tres festivitates contra formam dicti decreti ejusdem Congregationis, Altera verò super usurpatione jurium Episcopalium contra *tex. in dicto cap. & plantare*, quodque certioratio fuerat super prima specie, de qua ad ipsam Congregationem cognoscere pertinebat, non autem super altera, neque ex gestis in una causa inferri potest ad attentata in altera omninò diversa ex deductis *per Egid. cons.* 18. *Gregor. decis.* 345. *Merlin. decis.* 81. *Buratt. & adden. decis.* 644. Nihilominus quia istæ S. Congregationes utpotè Supremum Principem repræsentantes, magis procedere solent cum motivis prudentialibus quàm cum legalibus, quorum cancellis se adstrictas non esse profitentur, judicatum fuit, quod stante dicta certioratione, omninò ab ulteriori processu abstineri debuisset, Eodemque themate prudentialium motivorum retento, magnum dictæ resolutionis fundamentum fuit præsuppositum alicujus privatæ discordiæ vigentis inter Archiepiscopum, & Cardinalem defunctum, vel Principem ejus filium superstitem, quodque cum iste ex prædicta causa, ipsius Archiepiscopi interventum ægreferedo, licentiam ab eo petierit hujusmodi functionem peragendi cum interventu alterius Episcopi & Prælatorum sæcularium, malè gestum videretur, hujusmodi licentiam denegando scandalo causam præbere.

***
**
*

PANORMITANA
PRO
ARCHIEPISCOPO.
CUM
ALIQUIBUS REGULARIBUS.

Casus discutiendus in Sac. Congregatione Concilii, sed de consensu resolutus juxtà votum Archiepiscopi.

De jurisdictione & potestate Diœcesani in Regulares, ut quamvis inviti munus audiendi confessiones præsertim Monialium explere debeant.

Regularium electio eorumque distributio per Monasteria, in quibus tale munus exerceri debeat, an spectet ad ipsum Diœcesanum, vel ad Superiores Regulares.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Circà confessarios monialium jurisdictio est Ordinarii loci etiam in Monasteriis exemptis.*
3 *De aliquibus declarationibus S. Congregationis in hac materia.*
4 *An observantia circà electionem confessariorum commissam ab Episcopo superioribus Regularibus operetur.*
5 *De nominatione competente Magistratui sæculari Ministrorum Monasterii.*
6 *Grata seu consultiva nominatio non tribuit jus.*
7 *An Episcopus possit cogere Regulares ad confessiones audiendas.*
8 *Quid tempore pestis remissivè.*
9 *Medici, Chirurghi, barbitonsores & alii coguntur ad eorum artem exercendam.*
10 *Episcopus non potest generaliter denegare omnibus Regularibus facultatem audiendi confessiones.*

DISC. XXXII.

DIsponente Sac. Concil. Trident sess. 25. de Regular. cap. 10. ut præter ordinarium monialium Confessarium, alter extraordinarius, bis, vel ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat; Cum in hujus decreti executionem Archiepiscopus Panormitanus in illius Civitatis Monasteriis consuetis temporibus in extraordinarios confessarios deputare solitus esset plures diversarum religionum regulares in singula monasteria, prout sibi congruum videretur, distributos, singulisque annis confirmatos vel variatos, atque ut plurimum, consultius agendo, Archiepiscopi pro tempore injungere consueverint ipsis Superioribus Regularibus, ut

bus, ut aliquos sibi benè visos Religiosos jam ad confessiones audiendas approbatos ad aliqua Monasteria transmitterent, Modernus verò Archiepiscopus nollet Superiorum prædictorum arbitrio & electioni confidere, sed ipse singulos confessarios eligere, ac respectivè singulis Monasteriis assignare & distribuere ; E converso autem dictis Superioribus diversarum Religionum prætendentibus id ad eos pertinere, ac alias reluctantibus licentiam concedere eorum subditis, ut munus ab Archiepiscopo injunctum explerent.

Re delata ad S. Congregationem Concilii, ac Me pro Archiepiscopo scribente, dividendo punctum in duas inspectiones, Unam scilicet super electione ac respectivè assignatione Religiosorum singulis Monasteriis, an scilicet ad ipsum Archiepiscopum vel ad Superiorem Regularem pertineret ; Alteram verò an Prælato vel superiore regulari recusante licentiam concedere suis religiosis, quinimò eis prohibente ne hujusmodi confessionis munus assumant, vel exerceant, possit loci Diœcesanus eos ad id compellere.

Quatenus pertinet ad primum, cum sensu etiam veritatis, pro Archiepiscopo respondendum esse dicebam, quia si Concilium Tridentinum & clarius Constitutio *Gregorii XV.* non solum hanc
2 confessariorum deputationem demandant Episcopis, sed eis tribuunt jurisdictionem in confessarios, quamvis regulares & exemptos, etiam Monasteriorum exemptorum, Multò magis eorumdem Episcoporum libera auctoritaa esse debet in Monasteriis sibi subjectis & sub ejus immediato regimine existentibus, qualia erant illa de quibus agebatur; Ponderando potissimè declarationes S. Congregationis, *Urbano VIII.* etiam approbante editas de anno 1623. registratas *per Barbos. in Collectan. ad Concil. dicta sess. 25. cap. 10. de Regular. num. 8. cum seqq.* Episcopum scilicet removendo confessarios Monialium, non teneri significare causas remo-
3 tionis superioribus Regularibus, Atque Confessarium Regularem deputatum ad confessiones unius Monasterii, non posse se ingerere in eodem munere in altero Monasterio sine licentia Episcopi, Igitur ad istum pertinet confessarios deputare, atque prout sibi videbitur eos singulis Monasteriis distribuere, cùm frequenter facti circumstantiæ præbeant, unum esse congruum & idoneum confessarium pro uno Monasterio, inconveniens autem esse eum in altero deputare.

Et licet aliqui prædecessores Archiepiscopi, significando superioribus Regularibus numerum
4 Monasteriorum, & respectivè confessariorum quibus indigebant, eis commiserint singulorum assignationem seu distributionem, dummodò essent de personis jam ad id munus approbatis, Nihilominus dicebam fuisse istum actum facultativum nullum jus tribuentem, utpotè gestum ex prudentiali motivo, laudabili quidem, sed non necessario, cum ipsis Superioribus Regularibus magis singulorum religiosorum mores & qualitates innotescant, Adinstar illius gratæ & consultivæ nominationis, quæ aliquando per Episcopos prudenter tribui solet populo seu Magistratui & Decurionibus Civitatis de cappellanis, factoribus
5 & ministris Monasteriorum Monialium, quia est quidem prudentissimum & laudabile consilium, ut hujusmodi ministris non benè suum munus gerentibus, eorumque occasione scandalo resultante, non possit populus adeò in Monasteriis Monialium interessatus conqueri de mala electione Episcopi, Sed non inde resultat, ex hoc acquiri aliquod jus laicis, atque actum reddi necessarium, ut sæpissimè declaravit S. Congregatio Episcoporum & Regularium, ac etiam quandoque illa Concilii ; Et in terminis consultivæ seu gratæ nominationis, quam aliquando Ordinarius accepit à 6
populo de Parocho seu alterius Ecclesiæ Rectore, ut non exindè inferatur ad jus patronatus & præsentandi habetur *apud Cavaler. decis.* 419.

Quo verò ad alterum punctum, an scilicet reluctante alias Superiore Regulari Religiosos ad prædictum munus aptos exhibere, seu per Episcopum electis inhibente, possit Episcopus etiam cũ censuris vel aliis remediis ad idoneos compellere, Eodem sensu veritatis retento, pro Archiepiscopo quo- 7
que respondendum esse credebam, quoties agitur de illis Religiosis, quorum principale institutum non consistat in vita contemplativa, se abstinendo ab audiendis confessionibus aliisque sacramentis populo ministrandis, sed principaliter consistat in vita activa, quia dum servitio vineæ Domini & Ecclesiæ tanquam operarios se addixerunt, esse non debet in eorum libito velle operari circà unum ministerium & non circà alterum, sed parere tenentur ejusdem vineæ Præposito & operario majori, qualis est Episcopus, dum hujusmodi Regulares dicuntur Episcoporum & Parochorum coadiutores in salute proximi adjuvanda, & ob 8
quod ex fidelium eleemosynis & largitionibus substentantur, ut ita distinguendo occasione quæstionis an Regulares tempore pestis cogi possint ad assistendum infirmis, eisque sacramenta ministrandum habetur *apud Sanchez ad præcept. decalog. lib. 6. cap. 2. nu. 59. & 60.*

Et quemadmodum Potestati sæculari facultas tribuitur cogendi, quoties necessitas urget medicos, chirurgos, barbitonsores, pharmacopolas & & alios hujusmodi ad exercendam quamvis invitos 9
suam professionem, prout & artifices ad exercendam eorum artem, ita non videtur, cur Potestati Ecclesiasticæ tribuenda non sit facultas cogendi medicos spirituales ad exercendam eorum professionem, & in qua eorum principale institutum versatur, quo exemplo passim utuntur Morales in quæstione, an Religiosi quamvis inviti cogi possint ad Episcopatum suscipiendum.

Clarius, quia si hæc procedunt in illis Regularibus qui ex sola ratione instituti addicti censentur vitæ activæ & saluti proximorum, multò magis recipienda sunt in illis, qui specialiter munus Confessionis susceperunt, illudque in ea Civitate cum populo sæculari exercent, quia dicuntur operarii specialiter jam addicti culturæ & operationi illius vineæ, cujus domino vel institori à quo in operarios admissi sunt, obedire tenentur, neque in eorum libito esse debet in una parte vineæ & non in altera exercere illud opus, ad quod se exhibuerunt.

Prætereà dicebam esse non debere melioris conditionis ipsos Regulares quàm Episcopos, cum saltem tanquam in proposito correlativi debeant ad paria judicari, Et ideò quemadmodum si Episcopus omnibus Religiosis denegaret facultatem audiendi confessiones vel prædicandi, possent 10
ipsi justè conqueri, atque mediante recursu ad superiores illum cogere ad hujusmodi facultatem eis tribuendam ex deductis *per Campanil. in diversor. jur. Canon. rubr. 12. cap. 13. num. 6. cum seqq. & num. 55. cum seqq. & Barbos. in summ. Apostolicarum Decis. verb. Regulares quoad Confessiones & Prædicationes collect. 636. & seqq.* atque omnes

nes Morales idconcorditer firmant, utpote causam propriam agentes, ita è converso ad æqualitatem servandam concessum esse debet Episcopo illos cogendi ad exercenda munia eorum instituto congrua.

Et quamvis replicari posset, quod una Religione recusante, præsertim ubi agitur de magna Civitate ut in præsenti, non desint aliarum Religionum professores id cupientes, Replicabam tamen id admittendum non esse, Tum ob malum exemplum, & ne ita omnes alii Regulares obedientiam Episcopo denegarent, Tum fortius ad evitanda inconvenientia exindè resultantia, quia Moniales longo tempore assuetæ ad habendos in confessarios Religiosos unius Religionis, non libenter suspiciunt illos aliarum, ut præsertim attento more regionis per Archiepiscopum supponebatur impracticabile, undè propteteà esset per indirectum illum cogere ad hujusmodi electionem & respectivè distributionem ipsis superioribus Regularibus concedendam.

Habita non fuit desuper formalis disputatio, quia Me communicante pluribus Superioribus diversarum Religionum in Urbe existentibus, consilium Archiepiscopo datum, ut non curando Religiosorum renuentium servitium, neque spectato Sac. Congregationis oraculo denegaret eisdem Religiosis facultatem in genere audiendi confessiones sæcularium, ac prædicandi tanquam voluntariè declaratis inhabilibus ad hujusmodi præsertim pœnitentiæ sacramenti ministerium, libenter arbitrio & discretioni Archiepiscopi se submiserunt, Puto tamen quod talis pro Archiepiscopo esse debuisset resolutio, licèt in hoc satis prudenter ac laudabiliter agant Episcopi remittendo superioribus consultivam electionem Religiosorum ad hoc munus exeplendum, quoniam illi sunt melius informati de moribus & idoneitate suorum subditorum, atque sancta res esset, si generaliter etiam in aliis muneribus ita practicaretur juxta dictum B. Joannis Theutonici.

LAVRETANA JURISDICTIONIS PRO EPISCOPO, CUM CARDINALI PROTECTORE ALMÆ DOMUS.

Casus decisus per Congregationem particularem Cardinalium à Sanctissimo deputatam & respectivè per Congregationem Concilii pro Episcopo.

De jurisdictione Cardinalis Protectoris Almæ Domus Lauretanæ privativè ad Episcopum, in quibus casibus locum habeat.

Et an sub nomine cappellanorum Almæ Domui inservientium, veniant illi sacerdotes, qui sub diurna mercede ibi celebrant, vel ab ejusdem Domus ministris deputantur ad celebrandas missas pro satisfaciendis oneribus eidem incumbentibus.

Card. de Luc. de jurisd. & Foro Compet.

Sub nomine laboratorum, famulorum & inservientium, an veniant laboratores & operarii diurni, ac illi qui deputati sunt ad pulsandas campanas Ecclesiæ; Et an milites Civitatis vulgò nuncupati *di militia*, ex eo quod etiam ipsam Almam Domum costodire & defendere dicantur, veniant sub nomine familiarum.

SVMMARIVM.

1 *CAsus controversiæ, & de jurisdictione Cardinalis Protectoris in Alma Domo Lauretana.*
2 *Capellani vocabulum cui conveniat.*
3 *Famulorum, & inservientium nomine qui veniant.*
4 *De jurisdictione Protectoris duarum Capellarum Pauli & Sixti in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris.*
5 *Milites qui dicantur, & qui sub militum nomine veniant, & dantur plures species militum.*
6 *Milites nuncupati de militia, non sunt veri milites sed populus electus.*
7 *Militibus prohibentur mercatura & artificium.*
8 *Qui dicantur artifices & artis privilegio gaudeant.*
9 *Milites gratuitum servitium præbentes, an gaudeant privilegiis militaribus.*
10 *De campanis & campanario.*

DISCVRSVS XXXIII.

PEr Constitutionem *Pauli V.* ad sedandas controversias verti solitas inter Episcopum *Lauretan & Recanaten.* & Cardinalem pro tempore Almæ Domus Protectorem de quibus *dec. 313. & 455. par. 4. rec.* declaratum fuit, S. Cappellam, quantum importat ambitus intra columnas, non obstante quod esset in medio Ecclesiæ Cathedralis, censendam esse, nedum exemptam, sed *Nullius*, & tanquam in territorio separato, sub omnimoda jurisdictione, tam ordinaria quam delegata Cardinalis Protectoris, qui privativè ad Episcopum in omnibus censendus esset loci Ordinarius, eamdemque jurisdictionem, etiam in concernentibus curam animarum, Sacramentorum administrationem & alia hujusmodi habere debere in omnes Cappellanos, sacristas, clericos & alios ejusdem S. Capellæ ministros, nec non in pœnitentiarios, cantores, famulos & quoscumque alios eidem S. Domui seu S. Capellæ servientes, etiam factores, pastores, & animalium custodes, laboratores & quoscumque alios in ejus servitio existentes. Qua constitutione sic stante, prætendere cæpit Cardinalis Protector, dictam jurisdictionem sibi etiam competere in illos sacerdotes, qui sub diurna mercede seu eleemosina, de ejusdem Domus ministrorum commissione pro oneribus satisfaciendis, ibidem vel alibi missas celebrant, utpote sub cappellanorum nomine venientes, Nec non in prædictæ Ecclesiæ campanarium tanquam aliquod stipendium ab eadem Domo recipientem, Ac etiam in milites Civitatis nuncupatos *de militia*, qui sæpius ob pyratarum timorem arma suscipere solent, ut Almam Domum ejusque pretiosissimam supp-

pellectilem custodirent, tunc in eo actu aliquas portiones panis, vini, & obsoniorum ab ejusdem Domus ministris recipientes, utpotè sub inservientium nomine venientes.

Et remissa prius concorditer determinatione Cardinali *Paulutio* Sac. Congregationis Concilii Præfecto, & qui ob munus secretarii ejusdem Congregationis per annos ferè 30. exercitum, magnam desuper peritiam habebat, Hic declaravit, sunt verba præcisa voti.

Cappellanos tam sæculares quam Regulares ad celebrandum missas deputatos, qui vivunt expensis Sanctiss. Domus, seu ut vulgo dicitur provisione à mense trimestre, semestre, ò anno, *esse subjectos durante hujusmodi servitio, jurisdictioni Eminentissimi Cardinalis Protectoris & Gubernatoris ejusdem Sanctissimæ Domus, illorumque sepulturam & administrationem sacramentorum durante eodem servitio spectare ad Curatum ejusdem Sanctissimæ Domus, Sacerdotes verò tam sæculares quàm Regulares seu Cappellanos qui pro celebrandis missis eleemosynam dictim recipiunt, subjectos esse jurisdictioni Episcopi, & quoad sepulturam & administrationem Curato Ecclesiæ.*

Milites Bombarderios, & eorum officiales qui non vivunt expensis, & ut vulgo dicitur cum provisione seu salario *Sanctissimæ Domus, quoad curam animarum, & sacramentorum administrationem esse subjectos Episcopo & Curato Ecclesiæ, illorumvè causas civiles & criminales, prophanas seu laicales spectare ad jurisdictionem Eminentissimi Protectoris & supracti Gubernatoris, Ecclesiasticas verò ad Episcopum, & quo ac causas mixti fori esse inter eosdem locum præventioni.*

Jus proprietatis campanilis, campanarum & annexorum spectare ad S. Domum, & consequenter ad Eminentissimum Protectorem, Episcopo verò competere jus faciendi pulsare dictas campanas pro servitio Ecclesiæ & aliis functionibus Ecclesiasticis, & ad dictum effectum deputan. tantummodo campanarium, illumque corrigendi & puniendi si renuerit, vel quoquo modo neglexerit pulsare ut supra campanas ad jussionem ipsius Episcopi illiusque ministrorum.

Huic voto non acquiescente Protectore, continuantibusque proinde controversiis, ex quibus non levia indies resultabant inconvenientia. Hinc proindè Sanctissimus particularem Congregationem quinque peritissimorum Cardinalium, ad eas summariè decidendas deputavit, in qua Congregatione assumpta super omnibus formali disputatione, eam tamen distinguendo in tres inspectiones juxta dicti voti ordinem, Unam scilicet quoad cappellanos seu sacerdotes missas celebrantes, Alteram quoad milites & bombarderios, Et tertiam quoad campanarium, Quatenus ad primam pertinet pro Episcopo scribens dicebam, hujusmodi celebrantes nullo pacto sub dicto privilegio comprehendi posse, non quidem sub nomine cappellanorum, quia hoc vocabulum non convenit solum
2 Sacerdotibus celebrantibus, sed convenire potest cuilibet etiam in minoribus aliquod beneficium vel cappellaniam possidenti. quamvis per se ipsum non celebraret nec celebrare posset, *Lotter. de benef. lib. 2. quæst. 47. num. 60. & 78. Lara de cappellan. lib. 2. cap. 1. num. 2. Barbosa de Episcopo alleg. 24. num. 28. cum seqq. Merlin. dec. 825.* & in aliis frequenter de quibus in sua materia *sub tit. de benef.* ex quibus constat cappellanos considerari in duplici differentia, alios scilicet perpetuos & in titulum provisos, alios verò manuales & amovibiles, quatenus habenti facultatem placeat, eo tamen præsuppositio retento, quod alicujus Ecclesiæ vel cappellæ servitio perpetuo, vel donec amoveantur sint formiter addicti, quod hujusmodi sacerdotibus non convenit.

Minus veniebant sub nomine famulorum vel inservientium, quia hoc nomen solum convenit illis, qui principaliter & assiduè alicui servitio ad- 3
dicti sunt, ita ut pro majori anni, seu vitæ parte, circa illud servitium ex necessitate tanquam ex contractu continuæ locationis personæ seu operarum occupati sint, cum annuo seu menstruo salario, non autem qui voluntariè ad horas & pro libito servitiũ præstant, quamvis pro eo aliquam recipiant mercedem, ut receptum habemus apud Beneficialistas in materia familiaritatis, ac etiam in proposito Ecclesiasticæ immunitatis vel exemptionis circa famulos, colonos, operarios & inservientes Cardinalium vel aliorum hujusmodi, quod intelligitur de illis, qui ut supra ex necessitate & ex contractu pro majori vitæ seu anni parte sunt servitio formiter addicti, de quibus solum agit Constitutio 67. *Gregor. XIII.* de qua *in Faventina hoc tit. disc. 4.* in proposito exemptionis famulorum & servientium.

Quod etiam clarè comprobari dicebam ab ejusdem Almæ Domus observantia, dum privilegium hujusmodi non exercet cum illis qui pro 4
diurno salario variabiliter, & prout locanti & respectivè conducenti placet, indies operas locant, prout sunt messores, vindemiatores, & alii hujusmodi, quodam anni tempore & pro sola fructuum collectione conduci soliti.

Et in specie dabam exemplum duarum insignium capellarum *Sixti & Pauli V.* existentium in
Ecclesia S. Mariæ Majoris, quarum cappellani, aliique inservientes amplissimum consimile privilegium exemptionis habent à jurisdictione Archipresbyreti, qui ibi est loco Ordinarii, & cujuscumque alterius judicis, cum immediata & privativa subjectione Cardinali Protectori, ut habetur *in Policastren. & in Romana juridictionis seu cappell. hoc eodem titulo disc. 19. & 35.* Quamvis enim ultrà cappellanos ipsarum cappellarum servitio addictos, & plerique alii sacerdotes, vel ex devotione, vel pro earumdem cappellarum oneribus satisfaciendis missas in eis celebrent, non exinde tamen unquam hujusmodi jurisdictio prætensa fuit, quoniam ita esset habere jurisdictionem in toto clero sæculari & Regulari privativè ad proprios Superiores hujusmodi celebrationem ad hunc finem affectando.

Comprobari idem dicebam ex eadem *Pauli V. Constitutione* per quam §. 33. declaratur, Dignitates, Canonicos, & Beneficiatos ipsius Ecclesiæ Cathedralis sub Episcopi jurisdictione remanere 5
Et tamen *in* §. 31. disponitur eosdem Canonicos, Dignitates, & Beneficiatos remanere subjectos oneri celebrationis missarũ in sancta Cappella juxta tabellam in ea retentam, ergo simplex missarum celebratio non inducit exemptionem ab Episcopo, neque subjectionem Protectori, nisi in concernentibus ipsam celebrationem, & dum ibi sunt in loco exempto celebrantes, vel ad effectum celebrandi *ut in eodem* §. 31. *in fine* benè declaratur. Quod etiam generaliter procedit respectu messorum, triturantium, vindemiatorum, & aliorum, quorum operæ pro diurno salario accidentaliter ut supra conducuntur, quia familiaritatem seu exem-

exemptionem personalem & fixam non contrahunt, sed benè subjacent illi jurisdictioni quoad concernentia illud opus seu exercitium, eo actualiter durante.

Quo verò ad milites, de illis Constitutio in litera non loquitur, undè illorum comprehensio ex alio jure prætendi non poterat, nisi quod venirent sub nomine famulorum seu inservientium, quod solùm convenire posse dicebam juxta dictum vorum illis, qui tanquam præsidiarii sub annuo vel menstruo stipendio ejusdem Almæ Domus custodiæ perpetuò & pro majori vitæ parte addicti essent, cum milites dicantur illi, quorum principale in-
5 stitutum est circà militiam *glos. in l. penult. ff. ex quibus caus. majores Bellug. in specul. Principum rubr.* 20. §. *quia num.* 7. Proprium enim & essentiale militis est, ut vivat sub stipendio ejus cujus servitio causa militandi vel custodiæ addictus est, ut constat *ex toto tit. Codicis de re militari*, & altero *de erogatione militaris annonæ lib.* 12. Sive etiam cessante stipendio militia habeatur in principalem professionem, ita ut ille ex ejus principali instituto dicatur miles.

Undè propterea dicebam, hodiè tres militum species haberi, unam scilicet eorum qui castra sequuntur, & in exercitu seu expeditione actu existunt, licet aliquando recreationis causa vel ex alio accidenti in Civitatibus vel domi eos esse ad tempus permittatur. Alteram præsidiariorum, qui in arcibus & fortalitiis, seu etiam in ipsismet Civitatibus custodiæ & præsidii causa conducti sunt, illi muneri perpetuò & principaliter addicti. Tertiam verò eorum, qui ex instituto Ecclesiastico per Sedem Apostolicam probato certam militiam profitentur, pugnæ parati pro defensione fidei contrà ejus hostes, pro ut sunt milites Hierosolymitani, Theutonici, sancti Jacobi & alii de quibus *in Lucana jurisdictionis hoc eodem titulo disc.* 60. De cætero autem illi milites qui vulgò nuncupati *di militia*, in propriis domibus & patriis viventes, atque artibus vel agricultunæ pro majori vitæ tempore incumbentes, descripti solùm sunt tanquam milites in quodam rotulo, ad effectum ut in aliquibus tarò contingentibus occasionibus adversus publicos hostes vel bannitos arma sumere debeant, ipsamque patriam custodire, nullo recepto annuo vel menstruo stipendio, sed solùm aliquibus privilegiis & exemptionibus gaudentes, atque aliquam subventionem pro vitæ substentatione recipientes pro tempore quo in eo actuali servitio reperiuntur, ut totius Italiæ & forsan Orbis consuetudo
6 est; verè non sunt milites, neque illorum nomen vel privilegia merentur, sed in effectu ac propriè sunt quædam pars populi electi, quæ proprii loci defensioni magis promptè occurrere tenetur, ita prudenter deputata ad evitandam confusionem resultantem ex concursu totius populi etiam inermis & ad bellandum minus apti. Ideoque hujusmodi milites de militia nuncupatos non gaudere privilegiis militaribus, neque judici militari subesse, nisi quando turmatim & actu sub eorum Duce in hujusmodi occasionibus reperiuntur habetur in specie *apud Rovit. super pragm.* 11. *de militibus n.* 34. 38. & 39.

Militibus namque prohibitum est mercaturam exercere, aliisque opificiis vel negotiis se ingerere, dum eorum institutum ac vita versantur circà armorum exercitium, ex militari stipendio viven-
7 do, *ut in l. unica C. negotiatores ne militent lib.* 12.

quod utique istis hominibus de militia convenire non potest, quia nullum habentes stypendium, cùm eorum artibus seu exercitiis ac industria vivunt. Atque in idem conferre dicebam quæ superius, de capellanis, necnon operariis diurnis & conduc-
8 tiis dicta sunt, ac etiam ea quæ in jure habemus de privilegiis concessis exercentibus aliquas artes propria etiam statùta habentes, quia intelligitur de illis qui perpetuò & pro majori parte vitæ tali exercitio addicti sunt, & de illo vivunt, ut *per Salicet in l. sub pretextu num. finali C. de sacr. san. Eccles.* cum concordan. *apud Franch. & Sadden. decis.* 175. & habetur etiam in proposito artificum deductum *in Romana taxæ inter Universitates Nursinorum sub titul. de Regalibus disc.* 98.

Aliud item clarum, & impracticabile inconveniens in hujusmodi prætensione considerabam, quod de Superiorum mandato, quoties de Turcarum, vel aliorum pyratarum incursionibus contra Almam Domum, ejusq; pretiosissimam suppellectilem timeri potest, nedùm occurrere & prompti esse tenentur illi de Militia ipsius Civitatis Lauretanæ, sed omnes de universa Provincia, undè si hæc necessaria promptitudo importaret servirium, ita ut omnes hujusmodi milites dici possent familiares, vel inservientes ita Cardinalis Protector integram jurisdictionem temporalem, & spiritualem in tota provincia haberet, quapropter neque Gubernatores neque Episcopos deputare oporteret, dum sub exemptione ipsius personæ inservitatis, universam ejus familiam sub ipso vivenrem venire debere idem Protector prætendit, & sic penè totus populus Provinciæ esset de ejus privativa jurisdictione, quo nil absurdius.

Scribentes pro Cardinali Protectore in copioso numero quinque vel sex, multa deducebant in regulis generalibus consistentia, nil autem speciale, quod in proposito militum stringere videretur, nisi auctoritatem *Ciriac. contr.* 201. *& Christ. de re militar. casu.* 46. apud quos & alios
9 ab eis allegatos firmatur, gratuitum militare servitium absque stipendio præstitum non debere eis præjudicare, neque militaria privilegia tollere, cum majori laude, ac privilegio digni debeant reputari gratis inservientes quàm stipendiati, Atque ex hoc inferebant nil referre, quod hujusmodi milites non haberent stipendium, sed cum proprio exercitio vel industria viverent; Verùm satis leve fundamentum videbatur ex defectu applicationis, allegati enim auctores, & alii loquuntur de illis, qui castra sequentes, ac pro majori vitæ tempore addicti militiæ, in qua eorum est principale institutum, omniaque alia militum requisita habentes, abstinent solùm à stipendiis recipiendis, vel spiritu gloriæ, vel sub spe majoris præmii, quales vulgò *Venturieri* nuncupantur, quod nil commune habet cum casu controverso, in quo verè isti non sunt aliud, nisi cives, ex populo electi tanquam magis idonei ad ea, quæ toti populo incumbunt ut supra.

Demum quoad ultimam inspectionem campanarii, Dicebam campanile dici partem Ecclesiæ, propè quam campanæ stare debent ad convocandum populum, cum illæ sint species prædicatorum, 10
populum ad fidem & divina vocantium & invitantium *Lapus alleg.* 12. *num.* 4. *ubi Adden. litt. E.* verbo *Campana*, ideoque ipsarum cura, administratio, & jurisdictio esse debet Episcopi, cujus est Ecclesia, & cui incumbit populi cura spiritualis, pro qua

hujusmodi usus in Ecclesia est introductus tanquam de ipsius curæ appenditiis.

Et licèt agentes pro altera parte satis insisterent in eo, quod sæpius campanæ pulsentur occasione peculiarium solemnitatum, & occasionum ipsius sanctæ cappellæ, nihilominus id contingit per accidens, ac minus frequenter, ideoque actio metienda est à prædominanti, seu ab iis quæ frequentius accidunt, nam quandoque etiam campanæ pulsantur in adventu alicujus Magnatis, sivè in signum lætitiæ, seu pro repellendis tempestatibus, & aliquando etiam ad assumenda arma, ad occurrendum incendio, ad convocandum populum ad concilium cum similibus, Sed id per accidens, quia principaliter deserviunt pro convocatione ad divina.

Atque circa istum quoque punctum adducebam idem exemplum Basilicæ S Mariæ Majoris, cujus campanæ frequenter deserviunt etiam pro servitio dictarum duarum capellarum exemptarum, præsertim Paulinæ ob litanias, quæ singulis Sabbatis in eadem cantantur, ac etiam ob solemnitates in singulis B. Mariæ festivitatibus, Non inde tamen sequitur, campanile, campanas, & campanarios venire sub earumdem capellarum exemptione, & jurisdictione, cum similibus; Et secundum præmissa in omnibus resolutum fuit, licet ex congruentia data esset resolutio circa duos punctos capellanorum, & campanarii, Et quoad milites in concernentibus curam animarum & spiritualia, remissa fuerit decisio Sacr. Congregationi Concilii, attento quod ibidem hic punctus reperiebatur aliàs introductus, Adhuc tamen juxtà dictum votum *Cardinalis Paulutii* processum fuit, quoniam hæc videtur veritas irrefragabilis, Ob subsequutam tamen intrà satis brevem terminum mortem Episcopi, hanc litem nervosè substinentis, incertum est, qualem exequutionem istæ resolutiones habeant.

ROMANA

JURISDICTIONIS

SEU

TITULI CARDINALITII

PRO

CARDINALI DE ALBICIS,

CUM

P. GENERALI ORDINIS SERVORUM.

Casus disputatus in Congregatione particulari deputata, & resolutus; ut infrà.

De jurisdictione Cardinalium in Ecclesiis suorum titulorum, quid importet, & quatum se extendat, præsertim verò in aliis, in quibus adsunt Regulares, An cum istis aliquam habeant jurisdictionem, & qualem; Et aliqua de exemptione Regularium remissivè.

SVMMARIVM.

1 *DE titulorum Cardinalitiorum distinctione.*
2 *Formula collationis tituli Cardinalitii.*
3 *Casus controversiæ.*
4 *De origine, & introductione titulorum Cardinalitiorum, & Cardinalium jurisdictione remissivè.*
5 *De exemptione Regularium remissivè, & num. 7.*
6 *Distinguuntur puncti, seu inspectiones controversiæ.*
7 *De eadem exemptione Regularium, de qua num. 5.*
8 *An sit differentia inter jurisdictionem Episcopalem, & quasi Episcopalem.*
9 *De pluribus speciebus Prælatorum habentium jurisdictionem spiritualem.*
10 *Vicarius Urbis representans Papam tanquam Episcopum, seu Ordinarium loci, dicitur habere jurisdictionem quasi Episcopalem.*
11 *Quod Cardinales in titulis habeant jurisdictionem Episcopalem.*
12 *Quid sit jurisdictio quasi Episcopalis.*
13 *Quomodo intelligendi sint volentes Cardinales in titulis esse deputatos tanquam parochos.*
14 *Cardinales sunt pars corporis Ecclesiæ universalis, ejusque Capitulum.*
15 *De rationibus, ob quas Cardinales in eorum titulis, non tanquam simplices rectores, & parochi, sed tanquam Prælati, & Episcopi censeri debeant.*
16 *Quod tituli constituant territorium separatum.*
17. *An Vicarius Urbis in dictis titulis habeat jurisdictionem.*
18 *An quæ disponuntur per Sac. Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 6. de Ordinariis, locum habeant in Cardinalibus in eorum titulis, quoad facultatem dispensandi, & absolvendi.*
19 *De compatibili concursu exemptionis Generalis Regularium eorumque subjectionis Cardinali titulari, vel alteri Prælato.*
20 *De consuetudine relata* in cap. 7. de cappell. Monach. *ut Monasterium non sit subjectum titulo.*
21 *De præscriptione in hac materia remissivè.*
22 *De immutatione status Ecclesiæ, ex quibus inducatur.*
23 *Ingratiis de sui natura præjudicialibus necessaria non est derogatio juris tertii.*
24 *Clausula* sine præjudicio *intelligitur compatibiliter, & in alus quàm in expressis.*
25 *Ubi Ecclesia regularis confertur Prælato sæculari, consetur iste deputatus Abbas seu superior regularis.*
26 *Resolutio causæ cum reservatis.*
27 *Dari potest cumulativus concursus plurium superiorum, & quomodo.*
38 *Consuetudo & præscriptio differunt inter se & quomodo*
29 *Per quos consuetudo induci potest.*
30 *De requisitis præscriptionis in jurisdictione, aliisq; juribus incorporalibus.*

DISC. XXXIV.

ECclesiam Parochialem S. Mariæ in via per Cardinalem S. Marcelli, uni clerico sæculari in titulum provideri solitam, tunc 1 per resignationem vacantem, *Leo Decimus* de anno 1519. cum omnibus ejus bonis, redditibus, juribus, & per-

pertinentiis, concessit Ordini Servorum, cum facultate construendi domum, seu Conventum, ac exercendi curam eidem Ecclesiæ annexam per unum Religiosum ab ipsius Conventus Priore seu alio Superiore deputandum; De Anno verò 1551. *Iulius III.* eandem Ecclesiam in titulum Cardinalitium erexit, quamvis usque ad præsens hujusmodi erectionis literæ non habeantur; Cùmque de Anno 1587. *Sixtus V.* per ejus *Constitutionem 55.* numerum Cardinalium præfiniisset, distinguendo singulos Ordines, non adessent autem tot Ecclesiæ seu tituli, plures alias in titulum Cardinalitium erexit; Undè propterea in eadem Constitutione §. 2. tres distinguuntur hujusmodi Ecclesiarum Titularium species, Una est antiquarum, quæ ab initio hujusmodi prærogativam habuerunt, Altera earum, quæ moderniori tempore per prædecessores Pontifices erectæ fuerunt, & inter istas enumeratur præsens Ecclesia S. Mariæ in Via, Et tertia est illarum, quæ tunc de novo erectæ fuerunt. Per quam Constitutionem expresè determinatur, in hujusmodi Ecclesiis in futurum dandam esse veram vacationem, & successivè veram collationem in titulum, quibuscumque Constitutionibus, consuetudinibus, concessionibus vel aliis in contrarium non obstantibus, nihil statuendo de Regularibus eisdem Ecclesiis sive antiquis, sive modernis inservientibus, ibique Monasterium, seu Conventum annexum habentibus.

Cùm autem *Cardinalis de Albicis* per *Innocentium X.* de dicta Ecclesia S. Mariæ in via in titulum provisus esset, *illius curam (per verba præcisa) regimen, & administrationem in spiritualibus, & temporalibus plenariè ei committendo, ita ut eam regere, & gubernare valeat, prout alii Presbyteri Cardinales, qui illi pro tempore præfuerunt, eandem Ecclesiam regere & gubernare potuerunt, seu etiam debuerunt, mandando Superiori, & Conventui dictæ Ecclesiæ, aliisque illius ratione sibi subditis personis, ut ei pareant, & obediant, &c.* Proindèque Cardinalis prædictus, ab aliquibus forsan dictorum Religiosorum parùm discretis actibus provocatus, Vicarium ejusdem Ordinis pro exercitio curæ animarum, necnon Sacristam, chori Vicarium, aliosque ministros, quoad Ecclesiam, cultum & servitium deputare vellet, aliosque actus jurisdictionales exercere, qui in propria Ecclesia Prælato habenti spiritualem, & quasi Episcopalem jurisdictionem competunt, acriter verò se opponerent dicti Religiosi, eorumque Generalis aliique Superiores.

Hinc orta controversia, & deputata per Sanctissimum particulari Congreg. plurium Prælatorum, Idem Cardinalis, non magis purpura, quàm legali facultate, ac omnigena eruditione Eminentissimus, causam nedùm propriam sed totius S. Collegii tueri profitendo, duas edidit doctas, & elaboratas disceptationes, Unam scilicet continentem suæ prætensionis fundamenta, Alteram verò responsivam dictorum Regularium juribus & motivis per plures scribentes deductis, in quarum prima, prævia etymologia ac significatione *Tituli*, erudiè probat originem, & introductionem hujusmodi Titulorum Cardinalitiorum, probando etiam jurisdictionem, & prærogativas Cardinalibus in eorum Titulis competentes, ac enumerando singulos actus jurisdictionales seu præeminentiales, quos exercere possunt etiam cum Regularibus ibi residentibus, aliaque etiam ibi insinuando circà residentiæ obligationem ipsis Card. incumbentem.

In altera verò divisa in undecim quæstiones, principaliter insistit super jurisdictione in Regulares, quamvis privilegia exemptiva à quorumcumque Ordinariorum Jurisdictione & superioritate habentes, satis doctè & eruditè tractando hunc punctum exemptionis Regularium, de quo etiam aliqualiter & summatim habetur actum *in Colonien. Monasterii S. Cornelii, disc.* 28. An scilicet dicta exemptiò esset antiqua & generalis usque à temporibus Divi Gregorii, vel potius moderna & particularis singulis Religionibus vel Monasteriis per diversos Pontifices, diversis temporibus, & sub diversa forma concessa.

Quia verò idem Cardinalis, quamvis præter necessitatem, Me quoque ad dictæ causæ defensionem assumpsit, Idcircò in disputationibus desuper habitis, non ut aliquid à tanto virò deductis superadderem, sed ut proprio muneri satisfacerem, aliquas particulares ponderationes ad rem stringentes in pluribus informationibus deduxi, ponderatisq; copiosè deductis hincindè, præsertim circà duas quæstiones generales, super quibus nimium elaboratum fuit, Una scil. super generica Regularium exemptione ac origine, & altera super qualitate jurisdictionis Cardinalium in eorum Titulis, an scilicet esset Episcopalis, ut insistebat Cardinalis, vel solùm quasi Episcopoalis, ut insistebant Regulares, ac scribentes pro eis.

Mihi hujsumodi magni labores super his quæstionibus generalibus habiti videbantur fortè præter causæ necessitatem, quoniam admissa etiam generica exemptione Regularium, eo modo quo ipsi eam asserebant, nil referre videbatur ad casum; Prout etiam nullius effectus vel momenti videbatur altera quæstio, an jurisdictio Cardinalium in eorum Titulis dicenda esset Episcopalis, vel quasi Episcopalis, quia quoad effectum isti termini videntur synonimi sonantes in idem; Undè pro meo judicio controversiæ punctus residere videbatur in distinctione actuum particularium, qua distinctione mediante, exemptio Regularium compatibilis remanet cum jurisdictione & prærogativis Cardinalis Titularis.

Quare pro clariori resolutione meliusque veritate indaganda, distinguebam præsentem controversiam in quatuor inspectiones; Unam scilicet jam dictam genericam super Regularium exemptione à jurisdictione Ordinariorum, seu aliorum Prælatorum, spiritualem ac Episcopalem jurisdictione habentium; Alteram super altera pariter generica superius insinuata quæstione qualitatis jurisdictionis Cardinalium in eorum Titulis, an scilicet illa dicenda esset Episcopalis vel quasi, & qualis esset hujusmodi adeò agitatæ quæstionis effectus; Tertiam super compatibili concursu dictæ exemptionis Regularium, sive esset uno, sive altero modo, cum jurisdictione Cardinalis Titularis, sive uno, sive altero pariter modo esset, spectatis solùm effectibus compatibilibus exindè resultantibus, ita ut conciliativæ distinctioni locus esset, dictas genericas quæstiones dirimenti, seu eas inanes reddenti; Et quartam demùm, posito dicto compatibili concursu de jure; An obstaret contraria consuetudo seu præscriptio respectu omnium Regularium in hujusmodi Titulis Cardinalitiis existentium, sive aliquod jus particulare istis Religiosis competeret in hac Ecclesia, ob dictam concessionem *Leonis Decimi.*

Super prima habui Me in omnibus relativè ad deducta per eundem Cardinalem in dictis disceptationibus,

tionibus, præsertim secunda Credebam verò, etiam cum sensu veritatis, probabiliorem esse opinionem ab eodem Cardinali probatam super ineffectuatione dictæ generalis exemptionis resultantis à Synodo celebrata de Anno 601. *sub Divo Greg.* ut habetur superius insinuatum *in Colonien. disc.* 28. & latius in utraque disceptatione prædictis in calce hujus tit. impressis.

Quo verò ad secundam, an scilicet jurisdictio, Cardinalium in eorum titulis dicenda esset Episcopalis vel quasi, in quo multum elaboratum fuit, Ponderando præsertim, ex una parte *Constitutionem V. Pauli Quarti*, in qua ea dicitur *Episcopalis*, & ex altera *dictam Constitutionem 55. Sixti V.* in qua dicitur *quasi Episcopalis*, cum aliis, quæ super uno vel altero termino copiosè hinc indè collecta fuerunt, mihi videbatur esse inanem laborem, quoniam isti termini videntur synonimi, permiscuè per DD. adhiberi soliti, juxtà magis propriam, vel impropriam loquendi formulam, quoad effectum autem idem importantes.

Ad quod dignoscendum distinguebam illas tres species Prælatorum Ecclesiasticam & spiritùalem
9 jurisdictionem habentium, quæ habentur deductæ *in Toletana jurisdictionis supra hoc eodem titul. disc.* 1. Quarum prima est Episcoporum in propriis Diœcesibus tanquam in territoriis Cathedralium omnimodam jurisdictionem spiritualem habentium, quæ proindè Episcopalis dicitur, quia verè & de facto sunt Episcopi habentes etiam ea quæ sunt ordinis.

Altera est Prælatorum cum vero territorio separato, & *Nullius*, in quo, independenter à quocumque Ordinario, omnimodam, habent jurisdictionem spiritualem, ac legem Diœcesanam, eodem modo quo Episcopi, sed quia non habent Ordinem Episcopalem, & consequenter carent exercitio eorum, quæ sunt dicti Ordinis, quamvis habitu ea obtineant, & aliis committant, concedendo dimissoriales ad Ordines suscipiendos ab aliquo Episcopo, idcircò potest etiam hæc jurisdictio dici *Episcopalis*, sed in magis propria loquutione, dicenda est *quasi Episcopalis*, ad differentiam eorum, qui verè & de facto sunt Episcopi.

Tertia verò species est Prælatorum, aliquam jurisdictionem in aliena Diœcesi & sub Ordinario habentium, quibus, nec unum, nec alterũ jurisdictionis *Episcopalis* vel *quasi Episcopalis* vocabulum convenit, Ideoque quoad illos de secunda specie, non ex eo quod dicitur jurisdictio *quasi Episcopalis*, sequitur eam non esse plenam & omnimodam, quia stant simul eam esse talem, sed ita melius nuncupari ad differentiam eorum, qui sunt Episopi ut suprà.

Quod benè probatur ex decisione *in Romana hæreditatis 28. Aprily 1659. coram Meltio* §. *neque*
10 *ex eo, impress. apud Bonden. collect. dec. 62.* ubi agendo de Cardinali Vicario Urbis, firmatur eumdici Ordinarium, utpotè repræsentantem personam Papæ, non tanquam Papæ, sed tanquam Episcopi Urbis cum plena jurisdict. Episcopali, & lege Diœcesana, & tamen ejus jurisdictio dicitur *quasi Episcopalis*, gratia melioris loquutionis, quia verè non est ipse Episcopus. Undè propterea dicebam, nullam in hoc adesse discrepantiam inter dictas Constitutiones *Pauli IV.* & *Sixti V.* quarum unah anc jurisdictionem dicit *Episcopalem*, & altera quasi *Episcopalem*, quoniam isti sunt termini synonimi, quibus DD. promiscuè utuntur, atque moderniori tempore ob dictam differentiam, gratia melioris eloquutionis ita melius dd. species contradistinguuntur.

Et quod Cardinales habeant in suis titulis jus Episcopale dicunt *Joannes Monacus in capit. unico de majoritate & obedientia in 6.* ubi quod *Bonifacius VIII.* ita sibi respondit, & ibidem *Joannes Andr.* 11
num. 3. Joannes de Imola in Clement. ne Roman. num. 23. Romanus in sermone post consilia num. 19. Jacobat. de Concil. lib. 2. art. 2. num. 71. Alban. de Cardina. quæst. 46. Mandos. ad reg. 7. quæst. 2. num. finali, Tuscus litera C. conclus. 100. n. 49. Fagna. in dicto cap. 1. de majoritate & obedientia num. 15. & cæteri collecti in dicta prima disceptat. num. 31. & 34.

Et quod habeant jus quasi Episcopale *Cardinalis in Clement. ne Romani, Probus in addit ad Monacum in cap. unico de majoritate & obedientia in 6.* 12
num. 3. Idem Fagnan. in cap. cum contingat num. 9. de ætate & qualitate & cæteri, qui omnes idem dicere volunt, dictisque terminis promiscuè utuntur, quia in effectu sunt synonimi.

Neque exaudiendi videntur illi, qui rerum so- 13
lam corticem penetrantes, immorantur in antiquis chronicis, vel traditionibus probantibus, Cardinales in eorum titulis ex primæva institurione deputatos fuisse tanquam Parochos ad ministranda Sacramenta, & mortuos sepeliendos, ut scribentes pro dictis Regularibus cum magno apparatu, aliqua eruditionis affectata ostentatione probare conabantur, quoniam istæ sunt antiquariorum piæ meditationes, rectè procedentes in Ecclesia primitiva, quando, licet Papa habitualiter eandem haberet jurisdictionem per universum Orbem, quam nunc habet, de facto tamen ob infidelium impedimenta gerebat partes solius Episc. Urbis vel parum plus, & non habebat illam administrationem, ad quam oporteret habere coadjutores Cardinales, qui proindè solùm Clerum Urbis ejusque Parochos tunc constituere & repræsentare videbantur.

Post Ecclesiæ autem tranquillitatem, liberumq; Pontificiæ potestatis exercitium, cùm Cardinales per summum Pontificem assumpti fuerint ad administrationem Ecclesiæ universalis, Undè propterea 14
dicuntur pars & membra dictæ Ecclesiæ Universalis, unum corpus cum ipso summo Pontifice constituentes, tanquam Capitulum Ecclesiæ Catholicæ Romanæ ex benè deductis in materia *per Lotter. de beneficiis lib. 1. quæst. 8. ex num. 34. ad finem*, & clarè probat *ead. Constitut. 55. Sixti V.* §. 2. Hinc sequitur, deferendum esse dictis & aliis Canonistis juxtà hæc tempora ac statum rectius loquentibus, non autem antiquariis, vel aliquibus Moralibus, qui in sancta simplicitate, cum eis pertransire solent.

Ex ista siquidem status rerum immutatione, hujusque Cardinalitiæ Dignitatis augmento, duas vivas rationes resultare dicebam exclusivas hujusmodi assumpti, Unam quod prosus improprium esset, ut ii, qui sunt Papæ primarii Senatores, ac membra corporis Ecclesiæ Universalis, jure simplicium Parochorum seu Plebanorum censeri debeant; Et alteram, quod capiendo personam Papæ reduplicativè tanquam Episcopi Urbis repræsentatam ab ejus Vicario juxtà distinctionem, *de qua in dicta Romana hæreditatis 28. Aprilis 1659. coram Meltio & infrà hoc lib. sub titul. de præeminentiis in Urbinaten. juris Metropolici disc. 1.* & alibi, Exindè resultat, istam personam esse subjectam alteri personæ in eodem Papa concurrenti summi Pontificis & Episcopi Ecclesiæ universalis, & consequenter cum dicta prima persona ita intellectualiter, distin-

cta,

ta, & de facto repræsentata in Vicario Urbis, aliquam habeat subjectionem, vel subordinationem Collegio Cardinalium tanquam Capitulo Ecclesiæ universalis, atq; istius unũ corpus cum ipso Pontifice efformanti; Hinc proindè incongruit, ut ipsi censeri debeant in istis Ecclesiis tanquam simplices Rectores & Parochi Urbis, subjecti illi Ordinario loci, qui ut sup. est eorum subditus & subordinatus, Sed potiùs dicendum est, ut quidquip sit de prima introductione, Postquam tamen hæc Dignitas adeò crevit ratione participationis in administratione Ecclesiæ Universalis, ob quã habent præeminentiam suprà Episcopos, Archiepiscopos, & Patriarchas ex deductis *per Lotter. dicta quæst.* 8. Istæ Ecclesiæ
16 sibi assignatæ fuerint tanquam singulorum particulares Diœceses cum territorio separato à Diœcesi Urbis, juxtà eam impropriam & intellectualem separationem, quæ data etiam undique circumdatione ab eodem territorio habetur *dec.* 373. *par.* 11. *recent.* de qua supra *in Marsicana disc.* 18. ac etiam suprà *in Lauretana disc. præced.* & proximè infrà *in Roman. Cappella seu præeminentiarum disc. sequenti*, Ut de facto docet etiam praxis, quoniam Cardinales in eorum Titulis habent baldacchinum erectum, sedentes sub throno, etiam cum circulo & subordinata assistentia Episcoporum, Archie-piscoporum, ac Patriarcharum, solemnem benedictionem populo impartientes, aliaque pontificialia munia gerentes; Et comprobat etiam ipsa Constitutio *55. Sixti V.* ubi quod istæ Ecclesiæ sunt quasi quædam Ð. œceses, Quod etiam antiquitus habetur in legenda Sancti Marcelli 15. Januarii, quod 25. titulos in Urbe instituit, quasi Diœceses quasdam ad baptismum, pœnitentiam & Martyrum sepulturam, undè prodiit dictum erroneum assumptum, quod Cardinales in titulis facerent figuam Parochorum pro sepultura mortuorum, Baptismo & aliis Sacramentis ministrandis.

Ad quod benè conferunt ea quæ habentur *in dicta Romana Cappella disc. seq.* ubi quod sunt plus titulares in titulis quam Archipresbyteri Basilicarum vel Cardinales Protectores cappellarum, ergò prorsus fabulosum est dictum assumptum.

Quodque Cardinales in eorum titulis sint independentes ab Episcopo Urbis repræsentato in Vicario Papæ, qui in dictis titulis ac Clericis ejus inservientibus nullam habeat jurisdictionem, firmant
17 in specie *Zabarella in dicta clement. ne Romani* §. *irrum num.* 8. *ubi num.* 4. quod tituli Cardinalium comparantur Ecclesiis Episcopalibus, quod etiam dicit *Probus ad Joannem Monachum in dicto cap. unico de majoritate & obedientia num.* 3. Et de non subjectione Vicario *Villadieg. de Cardinalibus num.* 7. *Manfred. de Card. dec.* 106. *Paris de resign. lib.* 7. *q.* 12. *Barbos. de univers. jur. Eccl. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 37. *Fagnan. in c. his quæ de Major. & obed.* Atque in puncto juris evidenter probant rationes, de quibus suprà, Quamvis fortè praxis de facto sit in contrarium, si non respectu ipsarum Ecclesiarum materialium, respectu tamen earundem Cleri, & populi, de qua praxi testatur *Cohel. de notitia Cardinalium cap.* 55. quia fortè idem Papa non tanquam Episcopus Urbis, sed tanquam Papa pro meliori regimine, ac ad evitandam tantam jurisdictionum scissuram, & varietatem ita velit.

Magnum fundamentum in contrarium constituebatur in auctoritate *Bellarmin. Toleti, Baldelli*, aliorumque Moralium, qui agentes de facultate
18 *per S. Concil. Trid. sess.* 24. *de reformat. c.* 6. absolvendi ab hæresi ac dispensandi ab irregularitate Ordinariis locorum concessa, disputant, an illa competat Cardinalibus in eorum Titulis, & concludunt negativè, freti præsertim declaratione *Grego. XIII.* contrà Cardinales, ex eo quod non essent verè Episcopi, & de qua quæstione habetur apud *Fagnan. in dicto cap.* 1. *de major. & obed. num.* 16. & plenius *in c. ne pro dilatione n.* 42. *de pœnit. & remiss.*

Verùm reflectendo etiam ad veritatem, videbatur leve fundamentum, Tum quia neque extrà quæstionem est, An hæc facultas hodie competat omnibus Prælatis inferioribus, quamvis essent locorum Ordinarii si non sunt Episcopi, cùm plerique dubitent illam sublatam esse per Bullam Cœnæ, quamvis in contrarium sit magis communis, ex plenè collectis hincindè per *Barbos. ad idem Concil. sess.* 24. *c.* 6. *num.* 52. Tum etiam quia stant benè simul, dictum Pontificem tanquam Pontificem, non autem tanquam Ordinarium Urbis, ad tollendas confusiones, & ne tot in faciem Pontificis adessent dispensatores, ob hanc particularem rationem in aliis locorum Ordinariis non militantem, ita statuisse in isto casu, Non indè tamen inferri potest in reliquis sublatam esse plenam jurisdictionem aliàs competentem, quoniam etiam ipsorummet Ordinariorum jurisdictio per Apostolicas Constitutiones in aliquibus casibus limitata est, ea in reliquis firma remanente.

Positis verò generaliter & indefinitè Cardinalium jurisdictione & præeminentiis in eorum Titulis, tàm ex præmissis, quàm ex latius deductis per ipsum *Cardinal. de Albicis* in utraq; discepratione; 19
Quatenùs pertinet ad tertiam inspectionem, dicebam, quod ubi etiam juxtà sensum Regularium, admittenda esset eorum generica exemptio usque à temporibus *Divi Gregorii* ut suprà initium habens, sive quocumque alio modo per eos volita; Adhuc tamen compatibilis est ejus concursus cum subjectione particulari illorum Regularium, qui Ecclesiarum Titularium servitio se addicunt, in iis quæ ipsarum Ecclesiarum cultum & servitium seu exercitium curæ illis annexæ, aut administrationem Sacramentorum in eis faciendam concernunt, Ideoque possunt simul stare, aliquod personarum genus esse universaliter exemptum, atq; habere proprium Superiorem & Prælatum, & tamen in certis casibus seu ad certos effectus Ordinario loci seu alteri Prælato subjacere, Ut generaliter habemus de Regularibus aliisque exemptis exercentibus curam animarum & Sacramenta ministrantibus, quod in istis subjacent Ordinario *ad text in c. per exemptiones de privil in Sexto* cùm ibi notatis, ac aliis ibi plenius deductis *in dicta Faventina dis.* 4. & in aliis, & specialiter habetur *in Lauretana disc præced.* ubi de Canonicis ac Beneficiatis & Clericis Ecclesiæ Cathedralis Lauretanæ generaliter exemptis à jurisdictione Cardinalis Protectoris Almæ Domus, ac habentibus Episcopum in proprium Prælatum & Superiorem, & tamen in iis, quæ concernunt dictæ Almæ Domùs ejusque sacræ Cappellæ servitium subjacent Cardinali Protectori compatibiliter cùm Episcopo.

Ac etiam de ipsismet Regularibus habetur suprà *in Fanen. ac in Surrentina ibidem enunciata, disc.* 30. Et congruunt quæ habentur de duabus Cappellis in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris *discurs. sequenti*, ac firmata *in Cesaraugust. Cathedralitatis* 6. *Martii* 1656. coram Bichio, de qua causa habetur *hoc eod. lib. sub tit. de præeminentiis disc.* 3. *& sequent.* ubi quod stant benè simul Canonicos Ecclesiæ *S. Mariæ del pilar.* esse Regulares, ac omnimodè exemptos ab Archiepiscopo, tanquam Ordinario, cum proprio Prælativo privativè, & tamen eosdem in iis,

quæ

quæ concernunt Ecclesiam Cathedralem ac jura Cathedratica, esse subditos Archiepiscopi ejusque membra, cum similibus.

Et cum hac distinctione dicebam cessare omnes supràdictas quæstiones, super quibus proindè fortè necessarius non videbatur tantus labor hinc indè adhibitus, quoniam stant benè simul, dictos Regulares in Conventu & alibi, atque in concernentibus disciplinam regularem aliasque causas indifferentes esse plenariè exemptos, nullamque subjectionem habere Cardinali Titulari, Et tamen esse subditos in concernentibus servicium & cultum suæ Ecclesiæ, quoniam in istis, ex rationibus, de quibus infrà in proximè sequenti inspectione, omninò implicat Superiorem Regularem habere jurisdictionem privativè ad ipsum Cardinalem, & ab eo independenter.

Demùm quoad quartam & ultimam inspectionem, tria erant Regularium fundamenta, ex quibus credebant eorum jura esse in tuto, Primò per consuetudinem Urbis relatam *in cap. dilectus de capellis Monacorum*. ubi literaliter dicitur, *& generaliter servetur in Vrbe, ut nullum Monasterium titulo sit subjectum*, dum incongruum videtur, ut Regulares sæcularibus supponantur; Secundò in contraria observantia, quæ stante tàm longo temporis decursu dici etiam potest præscriptiva, cùm tamen ea sufficere videretur tanquam interpretativa, dum ex præmissis negari non potest casum saltem esse dubiũ, in quo termini interpretationis intrent; Et clarius stantibus illis verbis literarum Apostolicarum super d. tituli collatione, *prout alii Cardinal. qui pro tempore præfuerunt, eandem Ecclesiam regere & gubernare potuerunt, &c.* Quasi quod Papæ intentio fuerit non alterandi solitũ; Et tertiò quod quicquid esset de aliis Regularibus aliorum Titulorum, attamen respectu istius Ecclesiæ, suffragabantur litteræ *Leonis X.* amplissimè illam concedentes huic Religioni, cum juribus, jurisdictionibus, & pertinentiis universis, & specialiter cum facultate exercendi curam eidem Ecclesiæ annexam per unum Vicarium Regularem ab ipso Regulari Superiore deputandum.

His tamen non obstantibus, reflectendo etiam ad veritatem, mihi videbatur cum dicto compatibili concursu exemptionis, & subjectionis respectivè, dictaque distinctionee retenta, pro Cardinali Titulari probabilius respondendum esse, singula siquidem fundamenta expendendo.

Quatenùs pertinet ad primum deductum ex *dicto cap. 2. de Capellis Monacorum*, ultrà plures responsiones, quæ doctè & elaboratè dantur in utraque disceptatione ipsius Cardinalis in propria causa scribentis, *in prima scilicet ex num. 105. & sequent. & in secunda, in quarta quæst.* Mihi videbatur difficultatem de plano tolli cum dicta conciliatione, quod scilicet jurisdictio non prætendatur in Monasterio, de quo loquitur textus, minusque ea prætendatur in personis Regularium in universum, sed solùm accidentaliter, quatenùs agatur de Ecclesiæ cultu, & exercitio curæ ac administratione Sacramentorum & divinorum in ea facienda, Et sic de illa subjectione, quam famuli alicujus servitio addicti, in concernentibus ipsum famulatum habent erga Dominum, remanentes in reliquis in eorum naturali libertate ac sub jurisdictione & superioritate ejus, qui universi populi Rector est, juxtà casum de quo *in Lauretana dis. præced.* illaque obedientiæ species quæ habentur exemplifica tæsuprà *in Faventina disc. 4.*

Alterum fundamentum observantiæ seu præscriptionis tollitur ex multis responsionibus datis *in dicta prima discept. num. 89. & sequent. & in secunda quæst. 5.* Et quidem stante præsertim incompatibilitate, de qua proximè infrà, atque procedendo cum supradicta conciliativa distinctione, istud motivum mihi videbatur fabulosum, nullo discursu dignum, Potissimè quia in dictis literis collationis Tituli, non dicitur *prout prædecessores Cardinales servarunt*, sed dicitur, *prout illi potuerunt & debuerunt*, undè propterea in his materiis præsertim facultativis, Prædecessorum negligentia, vel conniventia nunquam apta est ad legitimam Præscriptionem in præjudicium successorum jure proprio venientium, non docto maximè de contradictione cum subsequuta patientia, quæ in incorporalibus stat loco possessionis, Et sic ex pluribus istud motivum videbatur contemptibile, de quo etiam habetur infrà.

Aliqua verò consideratione dignum videbatur tertium fundamentum deductum ex literis Leonis, ad quas congregatio deputata in primo congressu, & post datam dictam primam disceptationem restrinxit difficultatem, stante potissimum præservativa juris seu præjudicii tertii contenta *in d. Constitutione 55. Sixt. V.* §. 10. ubi quod *nihil alieni juris detractum aut immutatum exinde censeri debeat*, & quæ præservativa in Papalibus provisionibus censetur semper inesse ob *regulam de jure tertio quæsito non tollendo*, multo magis ubi expressa accedit.

Verùm neque hæc obstare credebam, cum dicta præservativa rectè operativa remaneret in suis casibus, & compatibiliter juxtà dictam distinctionem, cum qua omnia contraria rectè invicem conciliari videntur.

Cùm enim per *dictam Constitutionem Sixtinam* §. 6. expressè inducta sit vera hujusmodi Ecclesiarum vacatio cum vera provisione in titulum, id implicat cum priori statu unionis seu concessionis ejusdem Ecclesiæ, quæ per *Leonem*, immutato priori statu collativo, huic Religioni facta fuit; Retentis enim terminis hujus *Leoninæ* concessionis, vel Ecclesia nullum habet sponsum, & Rectorem, utpotè effecta de dominio Religionis, ejusque prædium, vel ipsius Rector, caput, & sponsus, est ipse Regularis Prælatus pro tempore deputatus; Attenta verò dicta *Constitutione Sixtina*, sine dubio ejusdem Ecclesiæ Rector, sponsus, & caput, est Cardinalis Titularis, Undè propterea duæ manifestæ implicantiæ ita concurrerent, Una dandi veram vocationem, & respectivè provisionem in titulum sæcularem de Ecclesia regulari & subjectivè concessa ipsi Religioni juxtà notas & receptas propositiones beneficiales; Et altera dandi duplicatum monstrum, duorum scilicet capitum in eodem corpore, sed duorum virorum unis mulieris, Sive dare duas in eodem indivisibili subjecto naturas diversas, immò contrarias, sæcularem & Regularem, quæ omnia in jure damnata sunt ac repugnant principiis ex frequenter suprà deductis *in Toletana disc. 1.* & in aliis, ac etiam infrà sub titul. de præeminentiis *in Cesarauguſt. Cathedralitatis dis. 3. cum seqq.* & alibi, cùm sint principia hodie satis vulgaria; Dari enim possunt in una Ecclesia istæ duæ diversæ naturæ in diversis locis, pura in Ecclesia sæculari cappella seu beneficium regulare vel è contrà, seu, ut est in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris plura capita, Archipresbyter nempè in Ecclesia &

duo

duo Protectores in duabus respectivè cappellis cum similibus ut suprà, non autem in uno eodemque corpore individuo quod implicat.

Et ideò per hujus Ecclesiæ erectionem in Titulum Cardinalitium & successivè collativum ac vacationi subjectum, tanquam per antecedens necessarium, supponenda est prioris status incompatibilis omnimoda immutatio *ut dec. 313. & 455. par. 4. recent.* & in aliis, nil obstante utraque juris alieni explicita & implicita præservativa ut suprà.

Quatenùs enim pertinet ad implicitam resultantem à *Regula de jure tertii quæsito non tollen.* receptum est in hujusmodi gratiis seu provisionibus de
23 sui natura præjudicialibus, ac perneccsse importantibus dismembrationem seu innovationem prioris status, necessariam non esse mentionem vel derogationem juris tertii *ad text. in cap. cùm olim de privil.* cum notatis per Canonistas communiter ibidem, *& in c. cum inferior de maioritate & obedientia Gonzal. ad reg. 8. glos. 36. n. 50. Gratian. discept. 458. num. 10. & sequen. dicta decis. 313. nu. 4. & sequen. par. 4. rec. & pasim*, ac habetur *in Messanen. erectionis Collegiatæ* & in aliis *hoc eodem lib. sub tit. de præeminentiis.*

Et quoad explicitam, est pariter receptum, illam intelligendam esse compatibiliter & in aliis quam in expressis, ac iis, quæ de natura actus sunt
24 perneccsse præjudicialia juxtà *cons. Oldrad. 330. in fine Seraph. dec. 1445. cum aliis per Barbos. dict. 157. Adden. ad Buratt. dec. 576. num. 13. & Adden. dec. 2. num. 286. & sequen. par. 3. recent.*

Clarius verò ac ad evidentiamdum in eadem *Sixtina Constitutione* expressè derogatur quibuscumq; in contrarium facientibus, cassando & annullando quascumque concessiones & assignationes, quamvis consistorialiter factas, undè propterea cessare videbatur omnis dubitatio, præsertim quia dicta præservativa generalis ubi intelligenda solùm esset discretivè, & congrua congruis referendo in illis scilicet casibus vel Ecclesiis, in quibus compatibiliter operativa remanere potest absque necessitate, quod in singulis quibusque suam faceret operationem, adhuc aderat in particulari respectu istius Ecclesiæ, Tàm pro domibus, vineis, prædiis & redditibus per *Leonem* concessis remanentibus penes eosdem Regulares, Quam etiam circa necessarium famulatum, quod scilicet Cardinalis Titularis prohibere non posset ipsis Regularibus dictæ Ecclesiæ cultum & servitium, ac etiam curæ exercitium, & Sacramentorum administrationem, neque pro istis inducere posset diversos ministros, tanquam per speciem, ut dictum est, necessarii & privativi famulatus, sed istius terminis retentis, & cum ea subjectione, quam ut suprà, famulus in concernentibus ipsum famulatum pati tenetur erga dominum, cùm alias ex præmissis dicta Ecclesia ita sæcularizata esset, prioremque statum regularem per neccsse immutasset.

Ponderabam ulterius, quod ubi etiam dicta implicita sæcularizatio, sive status, immutatio contioverteretur, adhuc idem resultaret effectus, quinimò Cardinali Titulari magis proficuus & pinguior; Ubi enim Prælatus sæcularis alicui Monasterio seu Ecclesiæ Regulari præficitur, tunc ad e-
25 vitandum dictum monstrum duorum capitum in uno corpore, ille censetur deputatus Abbas & Superior Regularis, ita ut ille qui inter ipsos Regulares de facto est Prior seu Superior cui cæteri obediunt, dicatur d. Prælati Vicarius & minister subordinatus juxtà communem traditionem Canonistarum *in Clement. prima de elect. Lotter. de Benef. lib. primo quæst. 18. num. 4. cum sequent. Cocin. cdecis. 157. & 316. aliàs 69. & 121. par. 1. recent.* Undè propterea dicebam intrare dilemma inevitabile, Aut Ecclesia effecta est sæcularis, & tunc Regulares, in ea considerandi non sunt nisi tanquam nudi famuli & ministri, perneccsse subordinati Rectori tanquam Domino; Aut remanet Ecclesia Regularis, & pariter ac magis intrat subjectio erga Cardinalem Titularem tanquam Abbatem seu Superiorem, cujus vice & nomine, Prior seu alter Superior Regularis tanquam ejus Vicarius administravit, undè ita in radice tollebatur motivum præscriptionis, & multò magis, quia in ipsis literis Apostolicis collationis Tituli Cardinalitii antiquam consuetam formulam habentibus expressè continetur superioritas, etiam cum ipsis Regularibus, ibi *ac Superiori & Conventui dictæ Ecclesiæ, aliisque illius ratione tibi subditis personis, ut tibi pareant & obediant, alioquin sententiam sive pœnam quam ritè tulceris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, &c.* Undè litteraliter supponitur superioritas Cardinalis cum ipsis Religiosis eorumque Superiore, ratione ipsius Ecclesiæ, & sic cum dicta distinctione ita conciliativa seu compatibili concursu, omnis difficultas meo judicio cessare videbatur.

Satis etiam disceptatum fuit super intelligentia *tex. in c. 1. §. in eos autem de privil. in 6.* & an ei derogatum esset per Regularium posteriora privilegia, *ad tot. per scribentes ibidem præsertim Germinian. ibid. & consil. 72. decis. 165. par. 7. recent. Fagnan. in cap. quoniam de privil, ac alios collectos in 2. disceptatione quæst. 2. nu. 5.* Sed meo judicio adhuc frustra, cum ea quæstio percutiat omnimodam subjectionem, donec exempti in eo loco morantur, etiam quoad vitam & mores, aliasque causas indifferentes, de quibus in præsenti non agebatur, cum sola quæstio esset de concernentibus Ecclesiæ famulatum & servitium ut supra, & sic quod aliud est Monasterium propè Ecclesiam, aliud verò est ipsa Ecclesia juxta dictum conciliativum & compatibilem concursum.

In secunda autem Congregatione habita *die 5* 26
Augusti 1668 resolutum fuit, Regulares subdi Cardinali Titulari in concernentibus cultum Ecclesiæ, reservata inspectione circa concernentia curam animarum respectu jurisdictionis Cardinalis Vicarii, ac altera circa consuetudinem.

Quoad primam partem reservatam, jurisdictionis scilicet Cardinalis Vicarii, pro nunc prudens 27
concilium reputatum fuit provinciam non assumere, potissimè, quia ista Cardinalis Vicarii jurisdictio delegata à S.C.T. & Apostolicis Constitutionibus in concernentibus curam animaeum incompatibilis non est cum illa inferioris Prælati in sua Ecclesia, & cum suis subditis, cumulativè non autem privativè, ac diversis respectibus, ut advertitur *in Faventina disc. 4. & in Neapolitana disc. 26.* ac alibi *hoc titulo pluries.*

Circa verò alteram partem prætensæ contrariæ consuetudinis, tam dictus doctus Cardinalis propriam agensc ausam, quam ego, & cæteri pro hac 28
parte scribentes advertebamus, quod licèt canonistæ istis terminis consuetudinis, & præscriptionis promiscuè uti soleant *ad text. in cap. cum dilectus de consuet. Abb. in cap. fin. num. 20. eod. tit. Aretin. cons. 32. nu. 11. Penia decis. 754. num. 9. & 861. num. 1. dec. 479. num 12. par. 3. rec. & in aliis, de quibus infrà*; Attamen ubi agitur de tollendo jus uni, & acquirendo alteri, dicitur præscriptio, non autem con-

consuetudo, nedum ubi contentio est inter privatas, & particulares personas, sed etiam ubi agitur de corporibus polyticis universitatem constituentibus, ut sunt Capitula, Collegia, Civitates, Religiones, cum similibus, quoniam respectu alterius contrà quem prætenditur, ratione usus, quæsitum esse jus vel libertatem, reputatur tanquam privativa, & particularis persona, ideoque intrant termini præscriptionis non autem consuetudinis, benè *Aretin. dicto cons. 23. num. 12. Penia in proximè allegatis decisionibus Add. ad Gregor. dec. 191. & Add. ad decis. 20. lit. A. & lit. C. p. 3. rec.* ubi latè de hac materia, & de differentiis inter consuetudinem & præscriptionem, ac effectibus, ex una, vel altera resultantibus.

His positis, quod scilicet in hac facti specie ageretur de præscriptione, non autem de consuetudine, quæ dicitur jus non scriptum inductum ex tacito usu illorum, qui facultatem habeant condendi legem contra eos, contra quos illa inducitur, *ut dicta decis. 479. num. 3. p. 3. rec. cum aliis plenè collectis per dictos Adden. ad decis. 20. par. 3. rec. lit. D. num. 28. cum seqq.* quod in præsenti nullatenùs dici poterat. 29

Sequebatur exindè, quod opus erat verificari solita, & necessaria requisita præscriptionis in jurisdictionalibus, seu præeminentialibus, aliisque juribus incorporalibus, & facultativis, Primò scilicet benè concludens, & coarctata probatio negativa circa non usum jurium aliàs competentium, Secundò quod ille cui hæc jura competunt, illa exercere voluerit, Tertiò contradictio ejus contrà quem exerceri volebant, & quartò subsequuta patientia cum tempore apto ad præscriptionem, Ac etiam quintò bona fides præscribentis, quoniam cùm in juribus incorporalibus non detur possessio vera, & facti, ista requisita stant loco possessionis, sine qua dari non potest præscriptio ex collectis, per *Gabr. de præscript. concl. 1. Rouit. decis. 97. decis. 213. n 4. par. 4. rec. 226. nu 33. & seqq. part. 7. 254. n. 20. & seqq. p. 10. cum aliis* de quibus proximè infrà, & sæpius, quia sunt juris principia certa, quoties non concurrit immemorabilis, cujus vigore titulus explicitus de mundo melior allegari potest, *ut decis. 101. num. 8. part. 10. rec.* & frequenter. 30

Omnium istorum requisitorum justificatio cessare videbatur, Non probabatur enim primùm negativæ, ut concludenter ab allegante probandum est, excludendo contrariam possibilitatem. *Seraph. dec. 1002. num. 8. Cavaler. decis. 487. num. 2. Otthobon. dec. 185. num. 2. decis. 31. p. 8. rec.* & in aliis, de quibus suprà, Quinimò constabat de contrario ob continuatos actus jurisdictionales, & præeminentiales per Cardinalem Protectorem in ista Ecclesia exercitos erigendo baldacchinum, ibique sedendo sub throno, aliaque similia faciendo, undè ratione causæ universalis, non probata formiter præscriptione actuum particularium, intrat conservatio jurium in totum ex deductis *in Toletana dis. 1. hoc titul.*

Neque justificabantur alia requisita, præsertim contradictionis factæ Cardinali Titulari pro tempore hæc jura exercere volenti cum subsequuta acquiescentia, & patientia; Et quod magis, cùm ex superius dictis, in istis Ecclesiis, Prior seu alter Superior Regularis gerere dicatur vicarias partes ipsius Cardinalis Titularis, qui posita etiam qualitate Ecclesiæ regularis censetur ejus Abbas, & Rector, Hin sequitur, quòd totum precario, seu Vicario nomine dicti Cardinalis pro tempore gestum est, & consequenter impossibile est dare præscriptionem.

Pleraque alia fundamenta idem doctus Cardinalis cumulabat de impræscriptibilitate superioritatis, & de monstro aliàs dando duorum capitum in uno corpore cum similibus, Sed mihi non videbantur necessaria, cum præmissi videantur proprii, & precisi termini materiæ; Dictæ autè disceptationes habentur impressæ infrà in calce post discursus, ubi de resolutione reservatorum ut suprà.

ROMANA CAPPELLÆ SEU PRÆEMINENTIARUM.

PRO

ARCHIPRESBYTERO ET CAPITULO S. MARIÆ MAJORIS.

CUM

CARDINALI PROTECTORE CAPPELLÆ SIXTI, SEU PRÆSEPE.

Casus disputatus in Congregatione particulari, & resolutus cum temperamento, ut infrà.

De jurisdictione Cardinalis Protectoris Cappellæ Sixtinæ in Ecclesia S Mariæ Majoris quid inportet in conursu jurisdictionis competentis Cardinali Archipresbytero esusdem Ecclesiæ, Et an in functionibus, quæ in Càppella fiunt, præeminentiæ jurisdictionales pertineant ad Protectorem vel ad Archipresbyterum.

SVMMARIVM.

1 *FActi series.*
2 *Præeminentia in signum jurisdictionis spectant ad eum qui habet jurisdictionem.*
3 *Præeminentiæ competentes Ordinario etiam in locis exemptis non competunt in territorio separato.*
4 *Decretum loquens de Cardinalibus Titularibus vel Archipresbyteris Basilicarum, non convenit Protectoribus cappellarum.*
5 *Exemptio non facit cessare prærogativã territorii & reverentiam debitam Diœcesano.*
6 *Quæ jura competant Ordinario in Ecclesiis Regularium exemptis.*
7 *De distinctione inter exemptionem datam à Papa, & datam ab Ordinario.*
8 *De Decreto ut inferiores Prælati Regulares non possint exercere Pontificalia nisi certis temporibus.*
9 *De materia territorii separati intellectualis, & per fictionem quid operetur.*
10 *In Privilegiis, tantum concessum, quantum scriptum.*
11 *De circumstantiis excludentibus separationem territorii.*

12 *Vbi*

12 *Vbi agitur de actibus individuis, ad quem ex pluribus possidentibus idem jus pro communi pertineat eos explicare.*

DISC. XXXV.

Sixtus V. Insignem Cappellam à se constructam in Basilica S. Mariæ Majoris, in qua præsepe D. Nostri reposuit, multis ditavit Privilegiis registratis in ejus *Constitutione* 58. præsertim illo amplissimæ exemptionis, tàm ejusdem, quàm omnium eidem inservientium, à cujuscumq; etiam ejusdem Basilicæ Archipresbyteri superioritate, & jurisdictione, privativè istam tribuendo Cardinali ejusdem Cappellæ Protectori, quem esse voluit unum de ejus familia & parentela, & in istius defectum antiquiorem Cardinalem Provinciæ Marchiæ, quo etiam deficiente primum Presbyterum; Cùm autem per Cæremoniale seu per Decretum Sacræ Congregationis Rituum, statutum esset, in Cappellis seu functionibus Cardinalitiis, quæ fierent in Basilicis, vel in Ecclesiis Titularibus, ad Archipresbyterum, vel respectivè Titularem spectare jus eundi obviam Cardinalibus Ecclesiam ingredientibus, illosque associandi ad locum sessionis, idemque faciendi in egressu, ac etiam sedendi in ultimo loco cum diverso habitu, aliaque faciendi ostendentia jurisdictionem & præeminentiam tanquam in propria Ecclesia; Hinc occasione aliquarum functionum, quæ in dicta Cappella fieri solent, præsertim exequiarum *Pii V.* orta est controversia inter Cardinalem Archipresbyterum & Cardinalem Protectorem, ad quem spectaret dictas functiones respectivè peragere; Et deputata particulari Congregatione, unius Cardinalis, & plurium Prælatorum *per Alexandrum VII.* post plures disputationes, nulla publicata fuit resolutio; Licet enim illa pro majori parte votorum, aliis descrepantibus, capta esset pro Cardinali Protectore, Attamen facta relatione dicto Pontifici, hic eam non laudando, mandavit occultam teneri, atque interim abstinerià dictis exequiis aliisque functionibus, ut per plures annos servatum fuit, usquequo sublata est controversiæ occasio cum prudenti temperamento, vel ejusdem Pontificis, vel *Clementis IX.* successoris, quod dictæ exequiæ aliæque functiones Cardinalitiæ fierent in Altari majori, undè punctus remanet indecisus, ut hucusque observantia docet.

In disputationibus desuper habitis, præcipuus punctus erat, An exemptio dictæ Cappellæ esset talis, quod constitueret ejus territorium omnino separatum ab illo Basilicæ, ita ut Protector dici posset Prælatus cum omnimoda, in proprio territorio omninò independenti à territorio Basilicæ, ut prætendebant scribentes pro Protectore, Vel èconverso importaret simplicem exemptionem loci, vel personarum existentium in alieno territorio, vel Diœcesi, juxtà eam generalem exemptionem, quam hodie habent omnia Monasteria seu domus virorum Regularium ac etiam aliqua Monialium.

2 Primo enim casu, ego & cæteri scribentes pro Archipresbytero & Capitulo illi adhærente admittebamus, generaliter & in abstracto veras esse conclusiones, quæ deducebantur per scribentes in contrarium, quod scilicet cùm istæ essent præeminentiæ competentes ratione jurisdictionis & superioritatis, & in ejus signum, spectare debeant ad eum, penès quem talis jurisdictio & superioritas est, tanquam illarum causa ad *notat. in cap. si Papa de privil. in sext.*, Data enim ista qualitate territorii separati, nullatenùs intrant ea, quæ de jure communi statuta habentur super reverentia, seu præeminentia debita Ordinario loci, etiam in loco, & à personis exemptis in signum antiquæ superioritatis, seu etiam illius habitualis jurisdictionis, quam in certis casibus, vel de jure 3 communi, vel ex Sacr. Concilio Tridentino & Apostolicis Constitutionibus habet quoque cum exemptis, saltem de jure legato, cùm hæc omnia cessent dato territorio separato, & qualitate *Nullius*, ubi ipse Prælatus dicitur Ordinarius, ejusque figuram facit ex suprà deductis *in Toletana disc.* 1. ac etiam *disc. præced.* & in aliis frequenter.

Negabamus verò applicationem, seu practicabilitatem, etiamsi admittenda esset illa impropria & intellectualis territorii separatio, quæ loco undique circumdato firmatur in sæpiùs allegata *Montis Casinen. dec.* 373. *par.* 11. *recent.* à qua scribentes in contrarium totum desumebant, Sive juxta casum Almæ Domus de quo suprà *in Lauretana disc.* 33. Tùm quia decretum prædictum loquitur solùm de Cardinalibus Titularibus, extensum deindè ad 4 trium Basilicarum Archipresbyteros ob ipsarum Basilicarum præeminentiam, & consequenter non conveniebat hujusmodi Protectoribus, de quibus non agit, Et ex quo potissimum motivo, ex consilio virorum peritissimorum in cœremoniis & ritibus, Pontifex dictam resolutionem non laudavit; Tùm quia præeminentiæ prædictæ rectè procederent in ipsamet Cappella e usque ambitu, intrà quem restringitur prætensum territorium proprium, & separatum, ideòque practicabile non erat decretum circà occursum Cardinalibus Ecclesiam ingredientibus & respectivè assistationem eorundem usque ad ejusdem Ecclesiæ egressum, cùm ita esset exercere actus jurisdictionales & præeminentiales extrà proprium territorium, & in alieno; Restringere autem dictas functiones, occursus vel associationis dejusdem Cappellæ cancellos, importat nimiam incongruentiam, cùm ita ab ingressu Ecclesiæ usque ad Cappellam, Cardinales remanerent absque hujusmodi honorifico tractatu, & sic revera materia erat impracticabilis, quamvis privilegium importaret dictam qualitatem territorii separati.

Econversò autem ubi ea cessante, importaret solùm exemptionem, firma remanente loci situatione in territorio, tunc certum esse dicebamus, 5 quod præeminentiæ competerent Archipresbytero tanquam Ordinario, quoniam exemptio non immutat loci priorem naturam, neque ille desinit esse de Diœcesi vel territori antiqui Ordinarii, qui per eam, amittit quidem exercitium jurisdictionis, & sic prohibetur exercere falcem judicii, & potestatis, non autem amittit ea quæ concernunt honorem, & prærogativam dignitatis, ideòque non prohibetur exercere falcem devotionis & revereutiæ *ad tex. in Clement. 2. de privil. ubi Bonifacius in tertio notabili* & cæteri de quibus benè *Franch. decis. 711. num. 5. cum sequent. & per totum Buratt. decis. 321. num. 4. & 5. Gratian. discept. 467. nu. 2. cum sequent. Barbos. de Episcopo alleg. 80. num. 17.* apud quos cæteri, quoniam ut suprà dictum est, per exemptionem non dicitur locus extrà territorium, &

extrà jurisdictionem, saltem habitualem Ordinarii, seu Diœcesani *ad text. in cap. cum Episcopus de off. ordinarii in sexto*, *ubi Franch. Gemin. & cæteri*, *Mantic. decis. 263. benè Rota decis. 324. num. 1. & sequent. part. 1. recent.* & habetur satis frequenter in præcedentibus.

Undè propterea quamvis Ecclesiæ Regularium exemptæ sint à jurisdictione Episcopi seu Ordinarii, attamen hic in eis baldacchinum erigere po-
6 test, aliasque præeminentias habet, & ubi est præsens, ad ipsum pertinet benedictionem populo impartiri, aliasque pontificales functiones peragere, atq; actus præeminentiales exercere ex deductis *per Barbos. in summa Apostolicarum decis. verbo* baldacchinum *collectan. 53. Donat. in praxi rerum regul. volum. 1. titul. de exempt. tract. 13. quæst. 74. Ventrigl. de jurisdictione Archiepiscopi cap. 22. num. 6.* Et quamvis Abbates, aliique inferiores Prælati facultatem habeant in eorum Ecclesiis exemptis baldacchinum erigere, & Pontificalia exercere, Nihilominùs non conceditur, ipso Episcopo vel Ordinario præsente, cui cedendus est locus in reverentiam prioris subjectionis, ac etiam ratione illius habitualis jurisdictionis, quam ut suprà in certis casibus habet, exemptione non obstante, *ut decis. 111. num. 15. cum sequent. part. 5. rec. Gratian. discept. 467.* cum aliis de quibus suprà *in Mediolanen. Interdicti disc. 30.*

Et quamvis scribentes in contrarium, juxtà distinctionem, de qua *Achill. decis. 14. de privil. Put.*
7 *decis. 114. lib. 3.* cum aliis plenè deductis *per Barbos. de Episcopo alleg. 89. num. 6.* dicerent præmissa procedere in ea exemptione, quæ ab ipso Ordinario concessa est, secùs autem ubi per Papam, seu aliàs ex legitima præscriptione competit; Nihilominùs istud erat æquivocum clarum, cum dicta distinctio procedat in ordine ad eam reverentiam jurisdictionalem, quæ à personis tanquam subditis debetur, secùs autem quoad reverentiam honorificam & præeminentialem, consistentem præsertim in Pontificalibus functionibus, quæ licet fiant in loco exempto, attamen, ut plurimum, &, ut præsertim est illa impertiendi benedictionem fiunt in Ordine ad populum, ipsi Ordinario, non autem inferiori Prælato subjectum.

8 Insistebant etiam scribentes in contrarium in eo assumpto, tanquam satis proximo ad rem, quod licet Ordinarius in Ecclesia exempta erigere possit baldacchinum, aliasque Pontificales functiones peragere, nihilominùs id non permittatur in illis temporibus, in quibus ipsis Abbatibus seu Prælatis inferioribus id concessum est, juxtà decretum de quo *in dicta Mediolanen. disc. 30.* Sed istud pariter erat æquivocum clarum, quoniam ut ibidem advertitur, decretum prædictum, non prodiit in gratiam & favorem ipsorum Abbatum seu inferiorum Prælatorum, sed in odium & restrictionem, ut scilicet eam facultatem, quam aliàs ex Privilegiis indefinitam habebant, quandocumque exercibilem, non nisi certis temporibus limitatè exercere possent, Econversò autem facultas Ordinariorum resultat de jure ex dispositione *Clement. 2. de privil.* ut plenè colligit *Ventrigl. dicto cap. 22. nu 6.*

Quatenùs igitur pertinet ad dictum punctum
9 territorii separati, quamvis ob amplitudinem verborum dicti privilegii exempivi, illud improprium, ac intellectuale videretur deduci posse juxtà firmata *dicta decis. 373. part. 11. recent.* (super quo reflectendo ad veritatem, remansi indeterminatus) Attamen hæc est quædam separatio impropria, ita dicta, ad explicandam quandam majorem ac ampliorem exemptionem, complexivam etiam illorum casuum, quos aliàs simplex & ordinaria exemptio regulariter non capit, Et sic ut contineat quid plus extraordinarium, & per quandam æquiparationem, Non autem, ut dici possit territorium separatum per veritatem, ita & taliter, quod reputetur Universitas seu corpus stans de per se, tanquam species particularis Diœcesis, omninò distinctum ab alia Universitate seu corpore alterius territorii, quoniam cùm Cappella prædicta sit membrum dictæ Basilicæ indivisibile, ejusque pars dicto majori corpori incorporata; ita ut non possit ad dictam Cappellam haberi ingressus, nisi per Ecclesiam, id non est practicabile, cum sit fictio, quæ supplere nec tollere potest hanc veritatem, ideoque applicari non possunt ea quæ *in Toletana disc. 1. in Asturicen. & Hyspalen. disc. 7. & 8.* & in aliis habentur de territorio verè separato constitutivo de facto unius corporis universalis independentis tanquam unius Diœcesis, quæ *Nullius* dicitur.

Et quamvis in Constitutione *Pauli V.* super Alma Domo Lauretana detur istud territorium separatum & *Nullius* in quadam parte magis indivisibili unius Ecclesiæ ut suprà *in Lauretana disc. 33.* Atque recepta sit propositio, Papam posse fictionem assimilare veritati, ita ut quod est fictum habeatur pro vero, Nihilominus ubi veritas per naturam dari non potest, semper erit fictum, assimulatum solùm verò, ejusque aliquos effectus habens, non autem verum, per naturam, ita ut regulandum sit in omnibus, prout istud regulandum est.

Ut inter plura similia, exemplificari potest in jurepatronatus, quod verè non sit ex causa fundationis & dotationis, sed ex privilegio, per quod disponatur, illud censeri, ac si verè, proprie, realiter, & de facto esset ex fundatione & dotatione, quoniam semper erit ex privilegio, atque qualitas fundationis & dotationis inesse dicitur fictè, & per assimilationem, ita ut operetur aliquem majorem effectum, quam privilegium simplex, non habens dictam amplitudinem, Nunquam verò, ut dicatur quæsitum & competens de justitia ad effectum evitandi reservationes Apostolicas ut in sua materia *sub tit. de jurepatronatus* cum similibus; Multomagis quia in
10 ista Constitutione id non continetur explicitè, ut in præfata *Paul V.* super Domo Lauretana, nam in §. 19. agitur solùm de exemtione & in §. 23. de jurisdictione data Protectori; in privilegiis autem tantum dicitur concessum, quantum in eis reperitur scriptum, & non ultrà, *ut dicta decis. 324. num. 5. part. prima rec.*

Fortius accedentibus pluribus factis circumstantiis, ultrà prædictam inseparabilitatis naturalis, humodi formalem separationem excludentibus, Una
11 scilicet, ob situationem præsepe D. Nostri in ista Cappella; Cùm enim illud principaliter pertineat ad ipsam Basilicam, ab eo aliquando nomen desumentem, & nuncupari solitam S. *Maria ad præsepe*, idcircò prorsùs improprium videtur, ut hæc pars dici valeat, verè, & formaliter separata ab ipsa Ecclesia; Et altera, quod in eadem Cappella asservatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis asservari solitum, Undè propterea, ipsius Basilicæ Capitulum retinet dictæ cappellæ claves pro Sacramento, ministrando, vel ratione curæ ipsi Basilicæ annexæ, vel ea jusdem nomine populo ad eam confluenti, & consequenter impossibile est dare hujusmodi omnimodam separationem.

Et

Et nihilominùs, ubi etiam illa saltem intellectualiter danda esset, Adhuc tamen ad effectum præsentis quæstionis dicebam, pro Archipresbytero probabilius respondendum videri, quoniam hujusmodi functiones, occursus scilicet in ingressu, associationis in egressu, & assistentiæ, sunt indivisibiles & communes pro indiviso inter Ecclesiam & cappellam, Unde posita etiam hujusmodi ideali separatione, quodque Archipresbyter, & Protector essent duo Prælati coæquales; quorum unus nullam dependentiam ab altero haberet, sed quilibet esset cum omnimoda in territorio proprio respectivè, Adhuc tamen in istis functionibus, perneccsse dicendi essent socii, ac facientes actum socialem seu communem pro indiviso, Quo posito sequebatur, talem actum ab Archipresbytero explicandum esse, quoniam in individuis actibus per unum tantum explicandis, quamvis jus habituale resideat penes omnes pro communi possidentes in solidum juxtà ea quæ habentur *in Mutinen. feudorum de Rangonis sub titul. de feudis disc.* 8. & alibi, Nihilominus exercitium esse debet, vel penes eum socium, qui majorem partem habet, vel data æqualitate penes eum, qui ratione ætatis vel alterius circumstantiæ inter eos est dignior, ut habemus de scripturis seu clavibus conservandis per fratrem majorem, De actibus Capitularibus explicandis per primam Dignitatem seu antiquiorē Canonicum, De præeminentiis unicis & individuis competentibus alicui familiæ vel generi personarum practicandis cum seniore, aut eo qui primogenitus seu domus major & caput dicitur, cum similibus, Unde propterea ex hoc saltem motivo, omnium præmissorum conciliativo, dictæque jurisdictionis ac jurium Protectoris præservativo, parum probabilis videbatur dicta resolutio, meritò per *Alexadrum VII.* non approbata; De hujusmodi autem Cappellæ protectione, & cui debeatur, habetur actum hoc eodem libro *in Romana protectionum sub titul. de præeminentiis.*

ANGLONEN. COMPETENTIÆ PRO EPISCOPO, CUM TRIBUNALI NUNTIATURÆ NEAPOLIS.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium, & impliciter decisus pro Episcopo.

De jurisdictione Nuntii Apostolici in Regno Neapolitano cum Regularibus & exemptis tanquam eorum Commissarii Generalis, An ea competat privativè ad Ordinarios locorū in illis casibus, in quibus Ordinarii, exemptione non obstante sunt Regularium & exemptorum judices competentes.

Card. de Luc. de Jurisd. & foro comp.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *In quibus casibus procedat delegata Jurisdictio generalis Nuntii in causis Regularium privativè ad Ordinarios.*
3 *Nulla datur exemptio adversus forum turbatæ jurisdictionis.*
4 *Quando Ordinarii procedant etiam contra Regulares & exemptos.*

DISC. XXXVI.

QUemdam Monachum Ordinis Cistercienſis Monasterii S. Mariæ in 1
sagittario Diœcesis Anglonen. de facto turbantem jurisdictionem Episcopi, lacerando ejus Edicta, aliosque actus absque dubio turbativos faciendo, Episcopus prædictus, de meo consilio carceravit, quamvis non cum ea arcta custodia & asperitate, quam utpotè loco pœnæ in aliorum exemplum, atque ad hujusmodi exemptorum consuetam petulantiam coercendam, ex dicto consilio facere debuisset; Quare ex parte dicti Religiosi seu ejus Abbatis habitus fuit recursus ad Tribunal Nuntiaturæ Neapolis, à quo prodierunt literæ præceptivæ super dicti Religiosi excarceratione, ejusque consignatione subcollectori Diœcesano, sub eo prætextu, quòd ipse Nuntius in toto Regno esset Commissarius, & Delegatus Apostolicus Generalis in omnibus causis Regularium, proindeque ad ejus Tribunal ex inconcussa observantia, etiam cum ipsomet Tribunali Curiæ Archiepiscopalis Neapolis, privativè spectaret cognitio causarum & delictorum, quæ per exemptos & Regulares patrari contingeret, præsertim extrà Claustra; Cùmque Episcopus, neglecta dicti præcepti exequutione, recursum habuisset ad Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium, quæ juxtà stylum audire voluit Nuntium, eidem scribendo pro informatione, cum insertione supplicis libelli ex parte dicti Episcopi porrecti, Nuntius autem visis concludentibus motivis in dicto supplici libello deductis, dignoscendo talem prætensionem non esse substentabilem, prudenter respondisset, sui Tribunalis privativam jurisdictionem cum Regularibus & exemptis, non capere casus particulares, in quibus, vel de jure, vel ex Sac. Concil. Trid. seu Apostolicis Constitutionibus, Ordinariorum jurisdictio etiam cum exemptis præservata est; Idcircò nulla desuper edita resolutione, ob illius ita cessantem necessitatem, Episcopus intentum obtinuit, dictumque Religiosum post talem carcerationem, quam loco pœnæ cedere posse censuit, suâ auctoritate gratiosè dimisit.

Dicebam igitur in dicto supplici libello pro Episcopo concepto, quod quicquid sit de prædicta generali delegata jurisdictione Nuntii circà causas indifferentes, in quibus specialiter à jure vel Sacr. Concil. Trid. aut Apostolicis Constitutionibus provisum non esset, ita ut privativa quam ex observantia dictum Tribunal prætendit, percutiat solùm eam generalem competentiam, quam aliàs locorum Ordinarii, propriis Regularibus superioribus negligentibus haberent, super quo locum veritati relinquebam; Attamen id nullatenùs adaptari potest casibus specialibus, in quibus ita expressè provisum sit, ut erat præsertim casus præsentis controversiæ, in quo agebatur de competentia ratione propriæ offensæ, ac turbatæ jurisd. quæ competentia nullam admittit exemptionē, nullumq; privi-

legium, ex iis, quæ etiam contrà milites Hierosolymitanos habentur superius deducta *in Messanen.* 3 *disc.* 29. & alibi; Undè Regularibus audientibus concessiones, sive prædicantibus, aliaque gerentibus, concernentia administrationem Sacramentorum, vel curam animarum, prorsùs vanum esset asserere, quod hujusmodi delicti cognitio, privativè ad ipsum Ordinarium Diœcesanum, spectare deberet ad Tribunal Nuntiaturæ, idemque in omnibus aliis casibus collectis *per Barbos. de Episcopo alleg.* 105. & alibi hoc *eod. tttul.* pluries, Præsertim verò ubi agitur de parvis Conventibus non habentibus numerum præfinitum in Constitutionibus *Vrbani VIII. & Innocentii X.* per quas Religiosi subijciuntur in omnibus locorum Ordinariis, 4 cum similibus, in quibus tanquam in casibus specialibus dicta generalis & privativa delegatio non intrat, locum habens solùm in causis indifferentibus, vel privativè ad ipsos Superiores Regulares, quoties sunt extrà Claustra, vel etiam privativè ad Ordinarios, circà illam subsidiariam seu suppletivam jurisdictionem & competentiam, quæ aliàs ob negligentiam Superiorum de jure competeret, Undè propterea Sacr. Congregatio nullam desuper habebat difficultatem, prout idemmet Nuntius ut suprà han veritatem agnovit, Et cum hac distinctione credebam ita utramque jurisdictionem præservatam remanere.

MAJORICEN. SYNODVS PRO EPISCOPO

Discursus pro veritate.

An & quando Regulares exempti, eorumque Abbates & Superiores teneantur accedere ad Synodum Diœcesanum, & ad ejusdem Synodus observantiam, ita ut ad id per Episcopum cogi valeant.

SVMMARIVM.

1 *Casus controversia.*
2 *Prælati Regulares habentes curam animarum intervenire debent in Synodo.*
3 *Declaratur, & quando debeat solùm intervenire ille Vicarius, qui deputatus est ad curam exercendam.*
4 *Vbi non concurrit dicta ratio curæ animarum, non tenentur.*
5 *Declaratur ubi agitur de Regularibus Religionis universalis, secus ubi de monasterio singulari non communicante.*
6 *Tenentur accedere ex consuetudine, sed an hæc debeat esse quadragenaria, vel sufficiat decennalis, distinguitur.*
7 *Favorabilis est consuetudo, per quam fit reversio ad jus commue.*
8 *Non est admittenda probatio per testes, ubi habetur per scripturas.*
9 *De probatione interventus in Synodo per testes.*
10 *Quomodo probatio concludere debet.*
11 *Quando testes debent allegare causam scientiæ.*

DISC. XXXVII.

Enuentibus Abbatibus aliisque Prælatis Regularibus *Maioricen.* 1 intervenire in Synodo Diœcesana, ut de præterito interveniſse supponebatur, Episcopus seu ejus Agentes in Curia, consilium pro veritate petierunt, An jus competeret eos cogendi, & quæ probationes ad hunc effectum parandæ essent, quatenùs judiciale experimentum in Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium, vel in alio Tribunali assumendum esse determinaretur.

Distinguendo autem quæsitum in tres inspectiones, Primam scilicet in puncto juris, seu in abstracto; Alteram facti, quæ scilicet consuetudo vel præscriptio requiratur in iis casibus in quibus juris dispositio non assistat; Et tertiam super modo probandi dictam consuetudinem, an fieri possit per testes, ut ex parte dict. Agentium desiderabatur, vel fieri deberet per scripturas.

Quatenùs pertinet ad primam Respondi, distinguendum esse inter Abbates, aliosque Prælatos Ecclesiarum Regularium, quibus cura animarum immineat, & eos, in quibus talis circumstantia non concurrat, Primo casu subdistinguendū esse, an cura 2 principaliter immineat ipsi Ecclesiæ principali, ejusque Abbati seu Prælato, vel potiùs accessoriè & per viam unionis, quia nempè aliqua Ecclesia Parochialis accessoriè unita sit Monasterio, seu quod cura immineat Ecclesiæ alicujus granciæ seu membri, & de mensa Monasterii.

Ubi enim cura imminet ipsis Prælatis, quia ipsæ Ecclesiæ Principales sint Parochiales, Tunc licet in hujusmodi Parochialitatibus annexis alicui dignitati non intret dispositio Sac. Concil. Triden. super provisione per concursum, nedum quia cura stare dicitur accessoriè, sed etiam quia agitur de beneficiis regularibus, de sui natura manualibus, & obedientiariis, non conferendis in titulum perpetuum; Nihilominùs cum tunc considerentur tanquam Parochi, congruum est, ut in Synodo interveniat, ut representare valeant ea, quæ pro sibi commissarum animarum salute credant expedire, Velut ita addiscant, quomodo in earundem animarum cura & Sacramentorum administratione debeant se gerere, ut communiter admittunt, cæteris allegatis *Massobr. de Synodo cap. 3. dubit. 2. Pac. Jordan. de re benef. titul. de Synodo num. 67. Gavant in praxi compend. Synodi par. prima cap. 29. num. .... Barbos. de Episcopo alleg. 74. num. 25. & alleg. 93. num. 5. & in collectan. ad Concilium sess. 24. de Reformat. cap. 2. Fagnan. in cap. quod super his de major. & obed. num. 1. & seq.* & cæteri de materia agentes.

Ubi verò cura non imminet ipsis Prælatis, seu in eorum Ecclesiis principalibus, sed in Ecclesiis unitis, & de mensa, ut suprà, Tunc quamvis mox allegati non descendant ad hos terminos, probabilius 3 dicebam, quoad ipsos Prælatos negativè respondendum videri, cùm cesset ratio, ob quam eis injungitur onus, ad quod aliàs de jure non tenentur, & Regula est, ut Regulares quibus animarum cura non incumbit, non teneantur ex collect. *per Barbos. de Episcopo dict alleg. 93. num. 7.* Solumque tali casu prætendi posse credebam interventum illius Vicarii, seu Prælati localis, granciæ seu membri, cujus Ecclesiæ cura imminet, Atque ita de facto servari videmus, etiam quoad superioritatem Ordinarii loci quoad ea, quæ concernunt curam & administrationem Sacramentorum, quoniam non est

est cum Ecclesia principali, minusque cum ejus Prælato, sed cum ea Ecclesia, in qua dictum exercitium habetur, & cum Vicario seu Superiore ibi deputato; Potissimè quia sæpiùs contingit, Monasterium seu Ecclesiam principalem esse in diversa Diœcesi seu territorio, ab eo in quo est talis grancia seu membrum, ut observat *Fagnan. ubi supran. 7.* quod scilicet accedere tenetur solum ille Vicarius, qui exercet curam.

Cessante autem dicta circumstantia curæ animarum, Regula est negativa pro Regularibus, quoties tamen agitur de illis, qui sunt de Religione
4 *habente* communicationem in universum, vel per totum Orbem, vel saltem per aliquam Regionem seu Provinciam & per speciem Universitatis habentis Generalem, Provinciales & Visitatores, aliosque Superiores, ita ut intrent sine dubio privilegia exemptiva, vel directè, vel per communicationem omnibus Religionibus competentia; Cùm enim hujusmodi Prælati eorumque subditi Regulares ab Episcopi jurisdictione ac lege Diœcesana exempti sint, & successivè ab observantia Constitutionum Synodalium, nulla urget ratio, ob quam ad Synodus celebrationem convocari debeant, ut post *Abb. Felin. & alios Canonistas in cap. quod super de majoritate & obedientia*, a calios habetur apud *Barbos. Massobr. Iordan. & alios supra allegatos, Fagnan. in dicto c. quod super*, & docet, inconcussa observantia generalis, quatenus aliqua particularis consuetudo non obstet.

Verùm si agatur de Monasterio quod non com-
5 municet cum universa Religione, & non subjaceat Generali, aliisque Superioribus, Tunc cessante particulari privilegio exemptivo, regula assistere videtur Episcopo ex deductis per *Barbos. dicta alleg. 93. num. 8. & in collectan. ad Concil. dicta sess. 24. de reformat. c. 2. Fagnan. ubi supra num. 5.* cum aliis suprà *in Colonien. Monasterii S. Cornelii discurs. 28.* quamvis hoc in præsenti examinare opus non fuerit, cùm nullum adesset Monasterium hujusmodi qualitatis.

Quòverò ad alteram inspectionem, super contraria scilicet consuetudine, omnes suprà allegati concordant, eam legitimè inductam attendendam, seu servandam esse; Difficultas verò est in tempore, an scilicet sufficiat decennalis, vel requiratur quadragenaria; Aliqui enim præsertim *Jordan.* credunt sufficere decennalem, quasi quod non sit contrà sed præter jus, Alii verò, ut præsertim *Massobr.* distinguunt, Quod aut agitur de Abbatibus, aliisque Prælatis habentibus sub se populum & Ecclesias vel sæculares, vel etiam Regulares, in quibus cura exerceatur, accessoriè tamen & subjectivè, ita ut in puncto juris ipsi dicendi non sint curati, neque ad Synodum accedere teneantur ut suprà, potiùs ex magis communi & recepta opinione ita distinguente, quàm ex directo jure, Et tunc sufficiat decennalis utpotè potiùs interpretativa quàm præscriptiva, seu in re, magis præter, quàm
7 contrà jus; Aut dicta circumstantia omninò cessat, & tunc quia videtur consuetudo de directo contra jus seu contrà privilegia, requisita videatur quadragenaria.

Mihi placebat hæc distinctio, utpotè rationabilis, Dicebam tamen, eam non videri ita restringendam esse ad solùm casum, in quo adsit populi subjectio, & immineat cura animarum, sed distinguendum quoque esse inter eas Religiones, quæ vitæ contemplativæ tantùm incumbentes, se abstinent ab audiendis confessionibus, aliisque Sacramentis populo ministrandis, & eas, quæ vitæ activæ principaliter incumbunt, cum prædicationibus & confessionibus, aliorumque Sacramentorum & divinorum administratione.

Isto enim secundo casu, observantia non videtur à juris dispositione exorbitans, sed potiùs approximans & conformis, ut scilicet ita dicti Regulares instruantur, quomodo in concionibus habendis, confessionibus audiendis, aliisque Sacramentis, & divinis ministrandis debeant se gerere, undè ratio per antiquos Canones seu Canonistas ponderata, in hujusmodi Religionibus cessare videtur, cùm ea principaliter in eo consistat, quia Monachi antiquitus vitæ contemplativæ solùm incumbentes ab hujusmodi exercitiis abstinebant; Secùs autem hodie quod excepto tempore Paschali, in quo ex præcepto ad Parochiam accedendum est pro Sacramento Evchariſtiæ, magis à Regularibus quàm à Clericis sæcularibus Sacramenta aliaque Divina ministrantur, Undè potiùs congrua, ac juris intentioni adaptata videtur dicta consuetudo, quod ad Synodum accedant saltem Superiores & Prælati, qui alios sibi subditos dicta munia exercentes instruere valeant, Potissimè quia stante antiqua nativa jurisdictione generali Ordinarii loci
71 in Regulares, benigna potiùs & favorabilis censetur ea consuetudo, per quam fiat reversio ad jus commune, ut *sub titulo de successionibus* ad interpretationem statutorum excludentium fœminas, & cognatos, ac alibi frequenter habetur de hac vera & recepta propositione.

Demùm quoad tertiam inspectionem, super modo probandi consuetudinem prædictam, habebam difficultatem, an id fieri posset solùm per testes, ad quos dicti agentes se restringebant, quoniam cum acta Synodalia redigi soleant in scripturam, & in Archivio Episcopali conservari, ex quibus certifi-
8 cari potest interventus affirmativus vel negativus, videbatur intrare propositio, quam frequentem habemus in materia remissoriæ, illam scilicet dandam non esse ad probandum per testes id quod redigi solet in scripturam, & per eam incontinenti justificari potest *Cavaler. decis. 87. Buratt. & add. decis. 180. decis. 252. num. 1. par. 7. recent.* & frequenter.

Verùm difficultas cessare videbatur ob duas spe-
9 ciales decisiones, *in Ampurien. seu Civitaten. convocationis Synodi coram Meltio decis. 103. & 191. part. 9. recent.* in quibus datum fuit mandatum de manutenendo Episcopo in quasi possessione vocandi ad Synodum quoddam Capitulum, quod aliàs de jure prætendebat se non teneri ob diversitatem Diœcesis juxtà casum de quo *in dicta Ampurien. hoc eodem lib. sub titul. de præeminentiis, disc. 7.* nam cum sola depositione testium deponentium de dicti Capituli interventu in Synodo processum fuit, Quod tamen non omninò satisfaciebat, ob nimiam inverisimilitudinem, quod nulla acta synodalia in Archivio haberentur, nisi aliquis casus circà Archivium & scripturas justificaretur.

Et nihilominùs dicebam, hujusmodi probatio-
10 nem facilem esse in possessorio, satis verò difficilem in petitorio ad benè concludendum, cùm dubitari posset, An hujusmodi interventus fuisset facultativus, sive etia consultivus & benevolus, quod scilicet dicti Prælati Regulares ab Episcopo, vel pro consilio, vel pro decore invitati essent, nisi con-

cluderetur de frequentia actuum per tempus notabile & continuatum aliisque circumstantiis, ex quibus iste facultativus & benevolus titulus excluderetur, juxtà ea quæ habentur *in alta Maioricen. celebrationis Missarum 28. junii 1652. Bichio decis. 280. part. 11. & in eadem 24. Januarii 1653. coram eodem*; Potissimè quia supponebatur quod in ea Diœcesi totius Insulæ seu Regni complexiva, Conventus seu Comitia generalia haberi solent per totum Clerum, tàm sæcularem, quam regularem, super concernentibus utriusque Cleri commune interesse pro defensione Ecclesiasticæ immunitatis adversus onera laicalia, ac super aliis, quæ commune interesse concernunt, Atque hoc mihi inferebat non levem difficultatem, quod scilicet occasione convocandi Clerum sæcularem ad Synodum, eodem tempore per diversum actum dictus Conventus seu Congregatio utriusque Cleri habita fuerit, undè propterea interventus prædictus remaneret æquivocus, ac stante defectu scripturæ, satis difficilis probationis per testes, quos non sufficeret deponere per solum sensum corporis de visu, sed oporteret etiam deponere cum judicio intellectus, quo casu etiam non interrogati tenentur assignare certas & concludentes scientiæ causas seu rationes, quod scilicet interventus fuerit coactivus seu subjectivus pro Synodo, non pro aliis actibus.

11 Hæc enim est differentia inter testes deponentes super rebus consistentibus in solo sensu corporis, & consistentibus in judicio intellectus, quod primo casu etiam nulla assignata ratione probant. in secundo autem quamvis non interrogati tenentur certam & benè concludentem scientiæ causam assignare, aliàs nihil probant, *Farinac. de test. quæst. 70 num. 1. & seqq Mantic. decis. 199. nu. 1. Gregor. decis. 17. num. 2. Coccin. decis. 259. num. 5.* & alii passim, quia est receptissima distinctio, incertus autem est causæ eventus vel status.

FERETRANA CATHEDRATICI PRO EPISCOPO, CUM PAROCHO S. JOANNIS DE ANTIQUO.

Casus disputatus coram Vicario Lateranen. & in possessorio resolutus pro Episcopo.

De jurisdictione & respectivè exemptione Capituli Lateranensis, & Ecclesiarum in solo Lateranensi existentium, & quam jurisdictionem in eis habeat loci Ordinarius, præsertim circà concernentia curam animarum.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 De Cathedratico seu Synodatico debito Episcopo.
3 Habens pro se regulam habet, intentionem fundatam, donec probetur limitatio.
4 In jurisdictionalibus sola juris assistentia sufficit,
5 De exemptione Ecclesiarum & Hospitalium existentium in solo Lateranensi.
6 Non procedit in concernentibus curam animarum, & parochialitatem, & de ratione.

DISC. XXXVIII.

CUM Parochus Ecclesiæ S. Joannis de Antiquo Feretranæ Diœcesis, ex eo quod ista Ecclesia sita esset in solo Basilicæ Lateranensis ob exemptionem per Apostolicas Constitutiones præsertim *Bonifacii VIII. & Sixti V.* hujusmodi Ecclesiis concessam ab Ordinariorum jurisdictione, prætenderet se non teneri ad solvendum Episcopo Cathedraticum per Parochos solvi consuetum, proindèque obtinuisset pro observantia privilegiorum inhibitionem ab ejusdem Basilicæ Archipresbytero, seu Vicario; Hinc proinde occasione petendi dictæ inhibitionis moderationem, jam in solo possessorio obtentam, de dictorum privilegiorum relevantia in proposito etiam in bono jure disputatum fuit. 1

Dicebam igitur scribens pro Episcopo, quod cùm in facto non dubitaretur de hujusmodi Ecclesiæ situatione intrà fines suæ Diœcesis, fundata erat ejus intentio in exactione Cathedratici ab omnibus suarum Ecclesiarum, præsertim parochialium Rectoribus *ad text. in c. inter cætera 10. q. 3. cum concord. per Gratian. discept 620. n. 1. Barbos. de Episcopo, alleg. 86. n. 40. cum seqq. & Fagnan. in c. conquærente de off. ordin. ex nu. 44. & in c. venerabili num. 16. de cens.* 2

Ideoque habens pro se regulam, dicitur habere intentionem fundatam, eamque allegare sufficit ad victoriam, donec per allegantem limitationem illa probetur in dubio non præsumenda, *Barbos. axiom. 197. Mantic. decis. 251. num. 4.* præsertim verò in jurisdictionalibus, in quibus speciale est solam juris assistentiam sufficere, donec illa tollatur vel per privilegium clarum in continenti probatum, vel per rem judicatam canonizatam per tres conformes ex deductis suprà *in Toletana discurs. 1.* & in aliis frequenter. 3 4

Nedum autem aliqua dictæ exemptionis justificatio dabatur, sed illa erat omninò improbabilis ex eorundem privilegiorum seu Constitutionum Apostolicarum inspectione, etiamsi in facto tanquam certa supponeretur ipsius Ecclesiæ situatio in solo Lateranensi, de qua justificatione habetur infrà *in Beneventana Ecclesiæ disc. sequent.* Quamvis enim ex plurium Pontificum indultis ultimo loco confirmatis *per Bonifacium IX.* Ecclesiæ, Hospitalia, Oratoria, & alia loca quæcumque sita in solo Lateranensi omnimodam exemptionem habeant ab Ordinariorum jurisdictione & superioritate, ac privativè subjaceant jurisdictioni Archipresbyteri ejusdem Basilicæ, cum facultate etiam competente Capitulo & respectivè Archipresbytero conferendi earundem Ecclesiarum Rectorias & Beneficia, ex iis, quæ habentur *in Montis alti decis. 366. par. 9. rec. & in Surrentina sub tit. de Paroch.* 5

Nihilominus *Pius IV.* omnia hujusmodi indulta revocavit, Reintegrata verò fuerunt per *Constitutionem 19. Sixti V.* per quam dicta exemptio expressè moderatur in concernentibus curam animarum & Parochialitatem, ut particulariter actum habetur *in dicta Surrentina* ubi de puncto, an Parochialis, quæ prætenditur sita in hoc solo Lateranensi conferenda sit nec nè per concursum ad formam Concilii Trid. 6

Cùm

Cum igitur cathedraticum, quod aliàs synodaticum nuncupari solet, nedum ex dispositione sacrorum canonum, sed etiam ad mentem ipsius sacri Concilii Tridentini, per quod non esse sublatum latè probat *Fagnan. ubi supra*, debeatur per Parochos ratione parochialitatis Episcopo tanquam Parocho majori & in signum subjectionis ex superius allegatis; Hinc proindè dicebam, quod admissa etiam dicta situatione, quodque aliàs in concernentibus ipsam Ecclesiam materialem, ejusque bona & jura dicta exemptio suffragaretur, Adhuc tamen ea nullatenus suffragari poterat quoad istam recognitionem, ac alia concernentia curam animarum & Parochialitatem, ex eadem ratione satis frequenter deducta *in dicta Toletana disc.* 1. & aliis occasione privilegiorum exemptivorum competentium Ecclesiis & Monasteriis Regularium, non suffragantium quoad concernentia parochialitatem & curam animarum, Quod scilicet subjectio non provenit ratione Ecclesiæ materialis, seu ratione personatum exemptarum, sed ratione Ecclesiæ formalis ideſt populi, cum quo cura exercetur, qui est Episcopo subjectus, Et ob quam rationem, etiam Abbates aliique Prælati Regulares quantumvis exempti convocari possunt ad Synodum, *ut in Majoricen. Synodus disc. præcedenti*, Multò magis dum iste Parochus erat clericus sæcularis.

Dum igitur istud cathedraticum seu synodaticum dicitur onus accessorium & consequutivum ad convocationem Synodi, exindè de plano resultare dicebam, etiam cum sensu veritatis, exemptionem ad hunc effectum non suffragari, Neque in contrarium deducebatur quid relevans, cum scribentes immorarentur solùm in regulis generalibus, quas habemus in materia exemptionis, non descendentes ad hæc specialia concernentia regulæ exemptivæ limitationem.

BENEVENTANA ECCLESIÆ.

PRO CAPITULO LATERANENSI ET COMMUNITATE TERRACUSII CUM ARCHIEPISCOPO.

Casus decisus per Rotam pro Capitulo & Communitate.

De eadem materia exemptionis à jurisdictione Ordinarii Ecclesiarum sitarum in solo Lateranensi; Et quam jurisdictionem in eis Ordinarius habeat, dicta exemptione non obstante; Et de probatione dominii soli dictæ Ecclesiæ Lateranensis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
De privilegio exemptivo Ecclesiarum & locorum fundatorum in solo Lateranensi.
3 *Non prodest quoad jurisdictionem delegatam à Sac. Concil. Trid.*
4 *Visitationes utpotè referibiles ad dictam jurisdictionem delegatam, non præjudicant dictæ exemptioni.*
5 *Actus contrarii non præjudicant sine scientia & patientia ipsius Capituli Lateranensis.*
6 *De probatione dominii soli remissivè.*
7 *Observantia multum in hoc operatur.*

DISC. XXXIX.

DE anno 1450. quidam Nicolaus Oppidi Terrecusii, donavit Basilicæ Lateranensi ejusque Capitulo quoddam petium terræ positum intra ejusdem loci mœnia, in quo de anno sequenti Capitulum concessit facultatem Communitati ædificandi Ecclesiam sub invocatione S. Mariæ Annuntiatæ, cum Hospitali, communicando omnia ejus privilegia, immunitates, & exemptiones, sub reservatione annui census sex unciarum ceræ albæ in recognitionem dominii; In cujus concessionis exequutionem, Communitas prædicta de anno 1453. Ecclesiam & Hospitale constituxit, apponendo dictæ Basilicæ insignia, tam in janua & campana, quàm in aliis partibus Ecclesiæ, & successivè Capitulum diversis temporibus deputavit Visitatores ad visitandum Ecclesiam & Hospitale; Cumque Archiepiscopi pro tempore voluissent eam visitare, se opposuit Communitas, undè destiterunt à visitando, Solumque post publicationem Sac. Conc. Trident, professi sunt id agere jure delegato; Cumque modernus Archiepiscopus hujusmodi prætensionem excitasset, visitandi scilicèt, aliosque actus jurisdictionales jure Ordinario exercendi, atque ut in hujusmodi prætensione se confoveret, non audito Capitulo Lateranen. obtinuisset quoddam decretum Sacr. Congregationis Episcoporum & Regularium, de anno 1662. Hinc proindè, dicto Capitulo recurrente, remissa fuit causa ad Rotam *coram Taja*, datoque dubio, *An & quale jus Archiepiscopo competat in dicta Ecclesia & Hospitali*, post aliquas propositiones sinè resolutione ob aliquas facti discrepantias *sub die* 20 *Februarii* 1668. prodiit resolutio contrà Archiepiscopum, *nullum scilicèt jus sibi competere in vim Ordinariæ jurisdictionis*, stantibus hujus Basilicæ privilegiis diversorum Pontificum præsertim *Bonifacii IX.* innovatis per *Sixtum V. in ejus Constitutione* 19. 1

In his autem disputationibus nulla cadebat difficultas super exemptione omnimoda Ecclesiarum & Hospitalium sitorum in solo Lateranensi à jurisdictione ordinaria, Tum quia hujus Basilicæ privilegia sunt in viridi & inconcussa observantia notoria ubique; Tum etiam quia sic aliàs declaravit Sacra congregatio Concilii per hæc verba præcisa, *Sac. Congreg. Concilii Tridentini Interpretum aliàs censuit non licere Episcopis & Archiepiscopis visitare Ecclesias in fundo Lateranensi erectas, nisi tanquam Sedis Apostolicæ delegatis*; Eademque privilegia canonizata fuerunt pluries per Rotam, tam circa collationem Beneficiorum, *ut dec.* 369. *par.* 9. *rec.* quàm circa visitationem jure ordinario, aliosque actus ordinariam jurisdictionem concernentes, ut patet ex quatuor decisionibus super consimili controversia editis in una *Cathacen. Ecclesiæ coram B. chio, Cecchino & Roias dec.* 115. 217. 310. & 313. *ead. par.* 9. Atque *in Surrentina parochialis* disputata 2

prius coram Cardinali Arbitro, & deindè in Rota, de qua *sub tit. de Parochis*, Egomet scribens pro Archiepiscopo, posita probatione dominii soli, aliisque requisitis, de quibus *in dicta Constitutione 19. Sixti V.* non negabam hujusmodi exemptionem à jurisdictione ordinaria, præterquàm quoad parochialitatem & concernentia curam animarum & concursum ad formam Concilii, ob ejusdem Constitutionis litteralem exceptuationem.

Prout econversò, Ego scribens pro Capitulo & Communitate in ista causa, ob cessantem verificationem dictæ limitationis circa curam, & parochialitatem, non controvertebam facultatem visitandi jure delegato per Sac. Concilium Tridentinum circa concernentia hospitalitatem & culrum, ac etiam circa alia, quæ sub hujusmodi delegata jurisdictione veniunt, cum sola controversia esset super jurisdictione ordinaria.

Atque ex hac distinctione, de plano cessare dicebam fundamenta Archiepiscopi deducta ex aliquibus visitationibus, aliisque actibus jurisdictionalibus gestis tam per ipsummet; quàm per ejus pro tempore prædecessores, quoniam non constabat, an jure ordinario id sequutum esset, unde propterea actus remanebant æquivoci utpotè referibiles ad jus delegatum, dum omnes erant ab anno 1564. citrà, & sic post publicationem Sac. Conc. Tridentini; Et nihilominùs ubi etiam justificaretur, quod tam visitationes, quàm alii actus jure ordinario gesti essent, id nullatenùs præjudicare dicebam, dum non constabat de scientia & patientia Capituli, cui dictæ Communitatis vel aliorum administratorum negligentia in proposito præjudicare non potuit, ut punctualiter firmatur *in allegatis decisionibus Cathacen. par. 9. recent. dec. 115 217. 310. & 313.*

Tota igitur disputatio fuit super verificatione dominii hujus soli, aliorumque requisitorum, cum quorum præsupposito dicta privilegia irrant, itaut quæstio esset potiùs facti quàm juris, ad causæ patronum magis quàm ad Advocatum pertinens; Benè tamen in facto justificabantur eadem, ac majora requisita, quæ in proposito canonizata fuerunt *in supra allegatis decisionibus Cathacen.* Et quoad ea, quæ juris sunt super modo probandi dominium, ad evitandas inanes allegationes pertransibam cum firmatis in eisdem decisionibus, quæ tanquam speciales ac individuales tollebant necessitatem repetendi regulas & propositiones generales ibidem quoque deductas; quarum consarcinatio, transcriptoris potiùs quam Advocati munus importare videtur, ubi necessitas non exigit.

Ideoque reflectendo etiam ad veritatem, justa, & probabilis videbatur resolutio, stante præsertim continuata observantia prædecessorum Archiepiscoporum, qui acquiescentes oppositionibus circà visitationem jure ordinario, declararunt visitare jure delegato, undè propterea concurrebant, præcedens oppositio, & subsequuta acquiescentia & patientia quæ in incorporalibus stant loco possessionis, itaut concurrente longissimi temporis decursu, intret etiam præscriptio, Multò magis quia in præsenti, observantia capienda erat, potius tanquam interpretativa & adminiculativa aliarum probationum super situatione & dominio soli, Atque istud dicebam esse fortissimum adminiculum suppletivum omnium exceptionum & defectuum, qui adversus probationes dabantur.

FREQVENTINA

JURIS VISITANDI

PRO

COMMUNITATE OPPIDI JESUALDI

CUM EPISCOPO.

Casus disputatus in Sacr. Congregatione Concilii & resolutus ut infrà

De Jurisdictione & facultate Ordinarii super visitatione ac revisione computorum Hospitalis & Montis Pietatis sub administratione laicorum, ac erectorum sub Regia protectione, præsertim ubi administratio est penes ipsam Communitatem fundatricem, An ita verificetur limitatio de fundatore vivente.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio Sacræ Congregationis.*
3 *De regula Episcopo assistente ex Concilio Tridentino visitandi hospitalia & pia loca.*
4 *De limitationibus, ubi sunt sub Regia protectione, & ubi aliter in fundatione cautum est.*
5 *De declarationibus dd. limitationum, & quando procedant.*
6 *Jus visitandi non venit sub generali privilegio exemptionis.*
7 *quando dicatur etiam istud jus explicari per aquipollens.*
8 *Declaratur conclusio de qua n. 6.*
9 *Substantia voluntatis, non formula verborum attendi debet.*
10 *Declaratur conclusio ut leges fundationis debeant habere consensum Ordinarii.*
11 *Quando dictus consensus censeatur præstitus.*
12 *Ordinarius præsumitur informatus de negotiis suæ diœcesis.*
13 *Alia sunt loca pia, alia verò Ecclesiastica.*
14 *De potestate Ordinarii visitandi etiam opera pia laicalia, & an procedat fundatore vivente.*
15 *Datur distinctio inter pia loca, & opera administrata per Communitatem laicorum, sed fundata cum bonis piè disponentium, & fundata cum bonis ipsius Communitatis.*

DISC. XL.

IN Oppido *Gesualdi*, Communitas laicorum ex eius bonis, erexit, ac fundavit Hospitale, & Montem pietatis, sub ea expressa lege, quod sub ipsius, ac laicorum ab ea deputandorum administratione, semper & privativè ad quemcumque esse deberent, quodque ad ipsam spectaret jus recipiendi rationes seu computa Administratorum, & in quocumque casu controversiæ recurri deberet ad superiores & Magistratus sæculares, itaut loci Ordinarius nulla-

tenus posset se ingerere, tanquam sub immediata protectione Regia, sub qua, mediante privilegio, recepta fuerunt, Undè propterea Episcopus illius temporis, diu & ultrà spatium 25. annorum supervivens, quamvis laicis ac Domino temporali, ex aliis causis parum benevolus, nunquam visitare tentavit, seu aliàs se intromisit. Cum autem Episcopus immediatè successor, vir quidem probus & timoratæ conscientiæ, nimiumque benevolus Domini temporalis (cujus ope & auctoritate ad Episcopatum promotus fuerat) nimio tamen zelo abundans, neglectis etiam aliquibus convenientiæ legibus, de facto hujusmodi locorum & Ecclesiæ ibi adiacentis visitationem tentasset, atque se opponente Communitate, ad censuras contrà ejus Administratores, aliosque laicales Magistratus processisset, interposita appellatione ad AC. curavit Episcopus causam reassumi per Sac. Congregationem Concilii, ubi
2 assumpta disputatione, prodiit resolutio ad favorem Episcopi super jure visitandi Ecclesiam ejusque altaria & alia concernentia decentiam cultus, ac implementum onerum celebrationis missarum, dilata in reliquis resolutione, ad quam deventum non est, quoniam quantum memoria suggerit, controversia cum hoc temperamento concorditer finem habuit, ut scilicet Episcopus dicto jure visitandi Ecclesiam ac recognoscendi implementum onerum missarum & anniversariorum contentus esset.

Scribens autem pro Communitate, non negabam regulam assistere Episcopo ex clara dispositione
3 *Sac. Conc. Trid. sess. 22. de reformat. cap. 8. & 9.* Dicebam tamen ex eodem Concilio duplicem resultare limitationem facto applicabilem, unam scilicet ubi agitur de locis existentibus sub immediata protectione Regia, ut ad litteram, ibi, *non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt*; Et alteram, ubi aliàs in fundatione cautum est, ubi, *nisi aliter in fundatione cautum reperiatur*, ut de prima limitatione *plenè Ricc. dec. 209. par. 4. Diana par. 1. resol. 100. Barbos. de Episcopo alleg. 75. num. 16. & in collectan. ad Concilium ibidem num. 2. Roto in Leopolten. administrationis Hospitalis 14. Martii 1645. coram Cerro.*

Et de altera *Ricc. ead. dec. 209. par. 4. Diana par. 1. resolut. 33.* admittitur apud *Greg. dec. 4. & 8. late Pasqualigus resol. moral. centur. 1. cap. 88. & 89. Pater del Bene de immun. Eccl. tom. 2. cap. 10. dub. 6.*
4 *section. 11. nu 5. & seqq* & conferunt quæ generaliter habentur in materia juspatronatus, de attendendis legibus per fundatorem in limine fundationis adjectis, quamvis juri contrariis.

Adversus hujusmodi limitationes duo deducebantur per scribentes in contrarium pro Episcopo, Primò quod in privilegio Regio super receptione hujusmodi locorum sub immediata pro-
5 tectione, non haberetur mentio visitationis, utpotè indigentis nota speciali, idcoque non venientis sub generali privilegio exemptionis, sub quo regulariter non venit jus visitandi diœcesano compe-
6 tens ex deductis *per Lotter. de Benef. lib. 1. q. 25. nu. 25. Barbos. de Episcopo alleg. 74. num. 6. Roias dec. 219.* in his terminis *Pasqualig. alios colligens dicta centur. 1. q. 89. num 5. & 6.* Et secundò quod dicta conclusio de attendendis legibus per fundatorem in limine fundationis adjectis procedit accedente Ordinarii consensu, & non aliàs, ut in dicta sua materia de jurepatronatus, ac etiam non semel in præcedentibus, præsertim *in Beneventana Jurisdictionis & in Maceraten. disc. 6. & 12.*

Verùm reflectendo etiam ad veritatem, oppositiones non videbantur probabiles; Quatenus enim pertinet ad primam, cum tam verba privilegii quàm capitulorum, seu legum fundationis, es-
7 sent amplissima, quemcumque Episcopi interventum omninò excludentia, cum dictione, *tantùm*, adjecta, tam circa administrationem respectu Communitatis, quàm circà recursum ad Magistratus laicos in quocumque casu controversiæ vel malæ administrationis, clara exindè resultare videbatur voluntas includendi etiam istum casum non explicatum ex modestia laicorum, qui ex reverentiæ motivo curant id per æquipollens significare cum dicta restrictiva seu dictione taxativa, quam in proposito ponderant Marta de jurisdictione & alii apud *P. del Bene de immun. loco supra citato*; undè propterea advertebam istud motivum omninò negligendum videri, ne alias daretur occasio in futurum, sæpè etiam istius modestiæ velo id explicandi.

Conclusio autem prædicta, ut sub generali privilegio exempivo non veniat jus visitandi, vel percutit eam visitationem, quæ ex jurisdictione 8
delegata competit in concernentibus curam animarum & administrationem sacramentorum, in quibus terminis loquitur *dicta dec 219. coram Roias*, cum ad hunc effectum non sufficiat exemptio, sed requiratur territorium separatum, ut frequenter in præcedentibus hoc eodem tit. Vel in concernentibus cultum Ecclesiæ, celebratioues missarum, & alia influentia magis in populum ipsi Ordinario subjectum, ex eadem ratione militante in administratione sacramentorum; Vel demum in ea exemptione, quæ est dativa, Ecclesiarum scilicet & locorum, quæ jam ordinariæ jurisdictioni & visitationi subjacebant, quasi quod simplex exemptio à jurisdictione utpote odiosa & privativa juris jam quæsiti, potius restringenda quàm ampliranda, non tollat aliud jus visitandi, ex jurisdictione delegata magis quàm ordinaria competens sine speciali mentione, Atque hujusmodi unos seu alios supradictos terminos, seu casus percutiunt suprà allegatæ auctoritates, & aliæ apud eos; Secùs autem ubi, non per viam exemptionis à jurisdictione jam competente, sed per viam legis, seu conditionis in limine fundationis adjectæ, ita impeditivæ juris quærendi, ac se opponentis principio 9
acquisitionis hujusmodi juridictionis, & superioritatis; Tunc enim cum ex ejusdem Sac. Concilii dispositione ut supra deferendum sit fundatoris voluntati, istius substantia attendenda est, non curata formula, seu figura verborum ex deductis *per Mantic. de conjecturis lib. 3. tit. 3. n. 9. Otthob. dec. 254. in fine & passim.*

Et quoad deficientem consensum seu approbationem Ordinarii alias requisiti in legibus adjectis in limine fundationis, conclusio quam admit-
10 tebam in puncto juris veram, procedit, ubi agitur de beneficiis Ecclesiasticis, quæ cum Ordinarii, vel alterius Superioris auctoritate legitimè erecta, atque ad esse beneficiorum redacta, eo ipso cadunt sub canonum dispositione, ac Diœcesani jurisdictione & superioritate, Undè receptum habemus juspatronatus, & præsentandi competere solùm de mera gratia, ita per canones concessa ad alliciendum benefactores, secùs autem, ubi agitur de cappellaniis manualibus absque Ordinarii, vel alterius superioris auctoritate erectis in beneficium, quoniam remanent in terminis simplicis legati pii non cadentis sub regulis beneficialibus, sivè sub dispositione canonum quoad beneficia & cappellas, itaut etiam

in-

infantes, & mulieres sint capaces, aliæque leges adjectæ per testatores tanquam in simplicibus legatis (quoties juxta generalem legatorum naturam tanquàm turpes vel impossibiles habendæ non sint pro non scriptis) servari debeant, ut de his omnibus in suis materiis *de jurepatronatus, & de beneficiis*, cum sint principia plana, ideoque cum hæc erectio, ex Ordinarii vel alterius superioris Ecclesiastici auctoritate facta non esset, non intrabat conclusio in objectum deducta.

Hic proindè dicebam intrare dilemma clarum, quod
11 aut hujusmodi piorum operum erectio dicenda erat facta cum auctoritate, & approbatione Ordinarii, aut non; Primo casu, stante actus individuitate, dum leges prædictæ in ipsa erectione contemporaneè adjectæ fuerunt, perneceſsè dicendum est eumdem consensum dictis legibus præstitum esse, stante præsertim subsequuta longæva observantia ejusdem Episcopi, sub quo facta fuit dicta erectio, quoniam supervivens per annos 25. & ultrà dictas leges observavit, absque eo quod allegare posset ignoran-
12 tiam, Tùm quia regula est, Ordinarium utpotè singulis annis suam diœcesim visitare & peragrare debentem præsumi informatum de omnibus innovationibus in ea contingentibus, *Mantica decis. 271 Burat. dec. 459. in fine, &, sepius*; Tum etiam quia ex qualitate loci & operum videbatur species notorii, etiam in primo anno vel mense apud quemcumque privatum.

Aut sine tali consensu vel auctoritate erectio facta est, & tunc remanere dicitur opus merè laicale & privatum, ad instar illius privati hominis, qui proprias pecunias indigentibus gratis mutuat, sivè infirmos & peregrinos in propria domo ex charitate suscipit; Licèt enim ratione operum quæ exercentur, ista dicantur loca pia, non tamen dicuntur Ecclesiastica, sed remanent merè laica-
13 lia, cum ad effectum Ecclesiasticæ qualitatis, ultra alia requisita, illud sit præcipuum, erectionis de consensu, & auctoritate Ordinarii, vel alterius legitimi Superioris Ecclesiastici ex deductis *decis. 313. num. 5. p. 10.* & magis ad rem *decis. 248. par. 11. recent.* cum ibi allegatis & habetur *sub tit. de alienationibus, & contractibus* in proposito alienationis bonorum Ecclesiæ.

Majori gitur ac penè tota difficultas residere videbatur in dispositione ejusdem Sac. Concilii Trid. *dicta sess. 22. cap. 9.* ita per Sac. Congregationem ejusdem Concilii interpretato, ut data etiam qualitate laicali ut supra, adhuc Ordinario competat jus
14 visitandi seu revidendi quæcumque opera pietatis, seu loca, in quibus ea exerceantur, ne sub specie charitatis, & pietatis, conventiculæ aliaque mala exerceantur, Quod provenit etiam ex dispositione vel intentione juris communis, ex iis quæ habentur infrà *in Florentina Conservatorii 45.*

Pro ista difficultate removenda, vel temperanda, dicebam, etiam cum aliquo sensu veritatis, procedendum esse cum distinctione, Aut enim agitur de fundatore vivente, dictaque pietatis opera exercente; Aut ubi eo defuncto exerceantur per administratores & executores; Primo casu, salvo jure revidendi, an exerceantur conventicula, & alia mala, ut suprà, super quo admittebam Ordinarii auctoritatem; In reliquis receptum est dictam Conciliarem dispositionem non procedere, cum verè & propriè per cutiat alterum casum, in quo, defuncto pii operis auctore, in Episcopo seu Ordinario verificetur potestas executoris ultimarum voluntatum, ac piarum dispositionum, inspiciendo scilicet, an piæ disponentium voluntates per hæredes, vel executores aliosque administratores adimpleantur, vel respectivè defraudentur, quæ ratio non militat in ipso fundatore vivente, qui potest talia opera non exercere, suaque bona in prophanos immò peccaminosos usus pro libito erogare, ideoque asperitas cum eo exercenda non est, Atque incongruum videtur, ut (excepto jam dicto casu inquirendi an mala & scandala sub hoc pallio fiant,) cogi debeat ille qui liberam suorum bonorum administrationem habet, cum facultate proijciendi in mare, de illis reddere rationem, ut ita distinguendo habetur apud *Ricc. dicta dec. 209. num. fineli Barbos. collectan. ad Conc. eod. cap. 9. num. 8. circa finem.*

In his autem terminis fundatoris viventis esse videbatur, dum scilicet administratio fiebat per eamdem Communitatem fundatricem de bonis suis, quamvis in diligentiis hujus disputationis occasione adhibitis, nulla desuper supperet auctoritas, quæ ad hos terminos speciales descenderet; Ut enim observabam *in Tudertina disc. 42.* & in pluribus similibus controversiis, in quibus satis frequen- 15
ter oretenus consultus sui, Distinguendum est inter ea pietatis opera, quæ ex privatorum piis dispositionibus fundata vel audacta administrantur per ipsam laicorum Communitatem, & illa opera, quæ omninò, ac de ejus bonis fundata sunt, Primò enim casu rectè intrat supradicta Ordinarii potestas revidendi, an piæ defunctorum voluntates adimpleantur vel defraudentur, quod non procedit in altero, dum ipsemet fundator administrat solùm bona sua.

Et quamvis in præsenti non verificetur supervivientia ipsius fundatoris per veritatem & naturam, itaut destinata opera pietatis per administratores adimpleri debeant, nihilominùs fictio ita concurrit in ipso ingressu ac in progressu, & sic tam in fundatione quàm administratione, nam etiam reliqua bona ipsius Communitatis prophanis usibus destinata, tanquam in corpore ficto, & intellectuali, sunt sub Administratoribus, qui tamen proprios habent superiores, & revisores; Undè propterea semper cessat ratio executionis piæ voluntatis morientium, in qua propriè fundatur dicta conciliaris dispositio, ignotum est autem, an super isto casu præciso, quando scilicet agitur de operibus directè, & immediatè fundatis cum bonis ipsius Communitatis administrantis, Sac. Congregatio aliter statuerit.

PAPIEN.

VISITATIONIS HOSPITALIS PRO EPISCOPO, CUM ADMINISTRATORIBUS HOSPITALIS S. MATTHÆI.

Casus disputatus in S. Congregatione Concilii, ubi pendet ut infrà.

De facultate competente Episcopo in vim jurisdictionis sibi delegatæ per *Sac. Conc. Trid. sess. 22. de reform. cap. 8. & 9.* visitandi Hospita-

Hospitalia aliaque pia loca exempta, & revidendi rationes, An procedat quando secus in fundatione cautum sit, & quando dicatur ita cautum ex contractu, magis quàm ex privilegio, Et de differentia inter unum casum & alterum.

SVMMARIVM.

1 *Acti series.*
2 *Eleemosyna & oblationes non faciunt patronum sed benefactorem.*
3. *Ad acquirendum jus patronatus ex dotatione, requiritur dos congrua.*
4 *Ubi Hospitale reperitur fundatum, & dotatum, præsumitur id factum a Patrono qui debebat dotare.*
5 *De differentia ubi exemptio à jurisdictione, & visitatione Ordinarii competit ex privilegio vel ex contractu.*
6 *Princeps non solet derogare pactis, & contractibus, neque tollere jus tertii.*
7 *Patronus in limine fundationis potest adjicere etiam conditiones juri contrarias.*
8 *Qualis dicatur contractus, & quando ille censeatur initus.*
9 *Ex quibus dignoscatur processum esse per viam gratiæ & privilegii, non autem contractus.*
10 *Quando jus patronatus dicatur ex gratia & privilegio, vel ex fundatione & dotatione.*
11 *Ponderatur circumstantia ob quam excluditur jus patronatus ex fundatione & dotatione.*
12 *Satis deferendum est declarationibus editis de tempore proximo publicationi Concilii.*

DISC. XLI.

1 *Nicolaus V.* in literis Apostolicis editis de anno 1449. prævia narrativa, per verba præcisa, *quod nonnulli cives Papienses, qui Confraternitas seu Congregatio S. Matthæi nuncupari desiderant fervore devotionis accensi quoddã solemne hospitale ad instar Florentini, & Senensis in Prioratu ejusdem Sancti Matthæi Ordinis S. Benedicti, qui in ejus structuris & ædificiis plurimum ruinosus existit, loco utique ad id apto, ac certis domibus illi contiguis per eosdem cives ad hoc acquisitis construi & ædificari facere, illudque sufficienter dotare proponant, & intendant si ad id Apostolicæ Sedis suffragetur auctoritas; Dictorum Civium laudabile propositum commendando, ac eorum pium desiderium favoribus oportunis prosequi volendo; Motu proprio non ad alicujus instantiam, stante consensu Rectoris dicti Prioratus, cujus fructus 50. florenorum auri de Camera non excedunt, illum supprimendo dicta Confraternitati seu congregationi pro dicto pio opere concessit & assignavit &c.* cum facultate erogandi proventus in usum pauperum, ac deputandi Rectores, & Cappellanos ac honesta statuta circa regimen faciendi &c.

Deindè verò, per novam periodum, novæ orationis inceptivam, subjunxit etiam per verba præcisa; *Et nihilominus ut Rectores, & aliæ persona dicti Hospitalis obsequiis pauperum & aliis piis operibus quieti intendere valeant, & ut ad tam pium opus perficiendum magis animentur, & promptiores efficiantur, hospitale prædictum cum illius personis, ac bonis & juribus; ab omni jurisdictione, visitatione, superioritate, dominio & potestate Ordinarii, & cujuscumque alterius exemit, & liberavit &c.* Eximendo etiam à gabellis, portione canonica, & aliis oneribus, illudque sub B. Petri, & sedis Apostolicæ protectione recipiendo, aliaque concedendo ad rem non facientia, ac etiam dando quasdam indulgentias benefactoribus, ac eleemosynas & oblationes facientibus.

Sequuta electione prædicta, hæc exemptio suum effectum sortita est usque ad publicationem Sac. Concilii Tridentini, qua sequuta, cum in eo *sess. 22. de reformat. cap. 8. & 9.* cum derogatione quibuscumque privilegiis, statuis, vel consuetudinibus concedatur Ordinariis locorum jure delegato facultas visitandi quæcumque hospitalia & pia loca exempta, Hinc Episcopus prætendere cæpit hujus hospitalis visitationem, Et re delata ad Sac. Congregationem Sacr. Concilii Tridentini interpretum, supponitur quod de anno 1575. favore Episcopi, prodierit resolutio relata *per Fagnan. in cap. de Xenodochiis de religios. domibus num.* 5. quæ declaratio reperitur adnotata manu Cardinalis *Alciati* in quodam libro memorialium, seu ut vulgò dicitur *delli positioni*, cum aliquibus ejus juridicis adnotationibus; In libro autem literarum de eodem anno 1575. sub die 22. Martii reperitur epistola scripta Episcopo Papiensi, ipsum scilicet uti Episcopum Papiensem non posse ex dictis decretis Conciliaribus visitare hoc Hospitale.

De anno 1651. renovatis controversiis decretum fuit à dicta Sacra Congregatione, quod daretur dicta declaratio manu *Alciati* descripta, sed cum ex parte dictorum Administratorum recurrentium impugnaretur illius veritas, Sac. Congregatio sub die 26. Aprilis 1653. mandavit, omnibus suspensis, proponi ex integro dubium, an dicta Conciliaria decreta intrent nec ne, quo proposito sub die 16. Maii 1654. prodiit resolutio ad favorem Episcopi, licere scilicet ad formam dictorum decretorum visitare dictum Hospitale, ac ab Administratoribus rationes exigere jure delegato Sedis Apostolicæ, Obtentoque per Administratores rescripto à Sanctissimo in Signatura gratiæ quod Sac. Congregatio iterum audiret, Atque pluries proposita causa, demum de mense Julii 1666. mandatum fuit, quod strictè informaretur super fundatione & dotatione, super quibus assumpta disputatione de mense Maij 1667. nulla capta fuit resolutio.

In hoc autem causæ statu, Me ex parte Episcopi assumpto, in congressu, juxta laudebilem Curiæ stylum, cum reliquis antiquis defensoribus habito pro causæ defensione, præsupponebatur insistendum esse super non legitima justificatione fundationis, ac sufficientis dotationis in dictis literis Apostolicis narratæ, ex eo quod quamplura bona circa ea tempora huic Hospitali inter vivos vel per ultimam voluntatem à diversis Christi fidelibus elargita, jure singulari, non autem per ipsam Confraternitatem, ac per speciem eleemosinæ piarumque dispositionum magis provenerint, quàm ex jure & titulo dotationis, quæ ab eleemosynis, piisque legatis & dispositionibus resultare non dicitur, quoniam isti dicuntur potius benefactores, quàm dotatores & patroni, ut *dec. 167. n. 2. & 3. par. 2 divers. dec. 630. n. 58. par. 4. rec. tit. 3. Strap. dec. 1103. n. 1.*

decis.

decis.568.num.4.par.4.rec.& sæpius; Ad effectum enim ut quis dici possit fundator ex dotatione, requiritur dotem esse, congruam, & sufficientem ad infirmorum & ministrorum substentationem, ideo- 3
que non sufficit pars dotis, vel ea incongrua, *Abbas consil.106. num.2. lib.2. Mantic. decis.320. numer.3. dicta dec.568.num.2.par.4. rec.* cum aliis deductis per *Barbos.de Episcop. alleg.7. num.10.& Lotter.lib. 2.quæst.8. num.32. & seqq.* ubi quod debet exprimi quod datur pro dote, licèt id etiam conjecturaliter sufficiat.

E converso autem scribentes pro Administratoribus, principaliter insistebant in eo, quod cum Hospitale de facto reperiatur fundatum & dotatum intra breve tempus, præsumptio est, id factum esse ab iis qui facere tenebantur, juxta *consil.54. Abbat.* 4
num.2.& 3.lib.1.Rot.apud Ubald.decis.309. num.4. & 5.apud Burat.decis.702. num.2. decis.545.num.1. par.4.diversf.687.num.2.par.3.recent. & in aliis, Ac ulterius multas dabant justificationes notabilium expensarum circa ea tempora factarum, tam pro emendis domibus adjacentibus, quam pro cementis in Hospitalis constructione ac Prioratus refectione, necnon in expensis pro obtinendis dictis literis Apostolicis, & reficiendis fructibus, quos possessor dicti Prioratus sperare poterat ob consensum suppressioni præstitum, quodque plura bona à diversis particularibus inter vivos data, vel per ultimam voluntatem relicta, ab ipsa Congregatione, seu Confraternitate data dicerentur, dum illi erant Confratres; Atque super hoc tota disputatio circumferebatur, quasi quod causæ punctus penderet à dicta justificatione implementi deducti in contractum inter Papam & fundatorem.

Diversa erat mea sententia, quod scilicet disputatio restringenda non esset ad hunc punctum, neque controversiæ decisio ab eo penderet, sed potius ab altero puncto, an exemptio à visitatione & jurisdictione Ordinarii in vim dictarum literarum Apostolicarum competeret ex gratia & privilegio, vel potius per contractum seu legem & conditionem in limine fundationis ab ipso fundatore adjectam, & à Papa approbatam tanquam per speciem consensus ab Ordinario hujusmodi legibus & conditionibus præstandi, Quando enim restringeretur ad dictum punctum, Ego habebam difficultatem, quoniam licet gratia concessa sub aliqua conditione ut suffragetur, exigat istius verificationem, ut in proximis terminis *Seraphin. decis.952. Rot.dec.636.num 68 & seq.par.4 recent. tom.3.* attamen, subsequuta proxima observantia juncta cum acquiescentia Episcoporum pro tempore à die hujus erectionis usque ad Concilium annorum 115. magnum est argumentum implementi, *ut dec.534. num.2.par.1. diver.* atque eatenus apud *Seraphin. dict.dec.952.* non fuit curata antiquitas temporis, quia alia urgebant, præsertim suspicio potentiæ ut ibi.

Ubi enim importarer gratiam & privilegium, planum remanebat, præfatam Conciliarem dispositionem intrare, cum expresse, ac in verbis derogetur privilegiis, consuetudinibus, & statutis; E converso autem ubi id proveniret per speciem contractus seu conditionis in limine fundationis adjectæ, ut propriè denotant illa Concilii verba cap.9. ibi. *Nisi secus forte in institutione & ordinatione talis Ecclesiæ seu fabricæ expresse cautum sit*, Et tunc licet non desint plures relati *per Pasqualig. resol.88. num.2.* ut adhuc jus visitandi competeret, Nihilominus dicebam verius videri contrarium, Tùm ex magis communi Doctorum opinione, ex collectis ab eodem *Pasqualigo dicto cap. 88. num.3.* ubi referuntur *Garzias, Marta, Diana, Del Bene* & alii, tum ex pluribus declarationibus ejusdem S.Congregationis relatis ab eodem *Pasqualig. cap.89. num.1.* ac etiam dixit *Rota in Leopolien. administrationis hospitalis 14. Martii 1646. coram Cerro*, licet principale illius decisionis fundamentum consistat in ea circumstantia, quod Hospitale fundatum esset sub immediata protectione Regia juxta casum de quo *in Frequentina disc. præcedenti*, Et cum eodem sensu quod in fundatione ita caveatur, pro absoluto proceditur *apud Gregor.decis.4.& 8.* Idque ra- 6
tionabiliter quidem, quoniam de facili derogatur privilegiis & gratiis ab ipso Principe, vel à lege concessis, quoniam tunc Princeps tollit quod est suum, secus autem in contractibus ac iis quæ ex proprio facto propriaque providentia quis sibi comparavit, cum tunc esset formiter tollere jus tertii, quod quilibet Princeps admissa etiam potestate regulariter tollere non solet, multò minus Papa, *ex collectis per Gabr. de jure tertii quæst. non tollen.concl.1. Gomes.in proœm. ad dictam regul. de jure 3. quæsito non tollen.add. ad decis 666.par 4. recent.tom.3. Otthobon.decis115. num.8.& 9. & passim.* Poterat enim fundator ejus bona non dare, atque huic pio operi non appellicare, Ideoque dum id sub hac lege & conditione facere voluit, justum, ac rationabile est id servandum esse, ex regula quod quilibet potest bonis suis legem sibi benè visam adjicere, Quod comprobatur, eò quod idem Sac, Conc. Trident. circa juspatr. ex fundatione & dotatione nihil innovavit, sicuti in illis ex privilegio vel consuetudine.

Undè propterea receptam conclusionem habemus, quod ne dum in fundationibus hospitalium & piorum locorum, sed etiam Ecclesiarum & beneficiorum, in limine fundationis de explicito vel implicito Ordinarii consensu patronus adjicere potest leges & conditiones etiã juri contrarias ex collectis *per Barbos.de Episcopo alleg.60.num.35. Burati. decis.21. num.3.cum seqq.& 223.Roias decis.252.num.3.& decis.294.nu.19.& 20.& sæpius*, ac habetur in sua materia *sub tit. de jurepatronat.* ac etiam in his terminis *in Campanien.disc.27.* & in dicta *Frequentina disc.præcedenti.* 7

Ideoque pro meo judicio quæstio erat potius facti & applicationis, quam juris, circa dictæ exemptionis qualitatem, & naturam, an scilicet illa competeret per viam contractus, ac legis & conditionis per fundatorem adjectæ in limine fundationis, juxta secundam partem dictæ distinctionis, vel per viam gratiæ & privilegii juxta primam, quoniam una vel altera distinctionis parte posita juris theorica videtur plana.

Probabilius autem mihi videbatur, etiam cum sensu veritatis, versari potius in prima, quàm in secunda parte distinctionis, quod scilicet dicta concessio facta esset per viam gratiæ & privilegii, magis quàmper contractum; Siquidem contractus dicitur ille qui ex duorum simultaneo consensu invicem conjuncto perficitur, cum reciproca obligatione seu reciproco implemento de præsenti vel 8
de futuro, ut antiquiorum diversis sententiis relatis benè habetur *apud Mozzium de contract. art.1. num.13.& seqq.& artic.2 num.1.& per tot Mantic.de tacit.lib.1.tit.3.num.1.& per tot.decis.395.nu.2. par.5. rec.* hoc autem tam inspectis verbis & contextu dictarum litterarum Apostolicarum, quàm personarum qualitate, totaque facti serie seu massa

massa verificari non videbatur, sed potius contrarium, quod concessio esset per viam gratiæ & privilegii.

Attentis siquidem verbis, ut patet ex superius regiſtratis, dicti cives Congregationem erigere, ac Hospitale fundare volentes, aliud in conditionem deducere noluerunt nisi accessum Apostolicæ auctoritatis ibi. *Si Apostolica auctoritas accedat*; Reliqua verò omnia subjunguntur per Papam, motu proprio, & non ad alicujus oblatæ petitionis instantiam, Igitur impossibile est dicere, quod id provenerit per viam contractus, licèt enim hæc verba percutiant solum unionem Prioratus, attamen alia videntur consequutiva, eodem orationis themate retento, Vel saltèm hæc est nova periodus, novæ ac diversæ orationis incœptiva, omninò indepenter à præcedentibus. 9

Et clarius ob expresè assignatam rationem, ut *Rectores & aliæ personæ obsequiis pauperum & aliis piis operibus quieti intendere valeant, atque ad tàm pium opus perficiendum magis animentur ac promptiores efficiantur*, nulla penitus mentione facta dotationis factæ vel faciendæ; Igitur nullo pacto dici potest id ità cautum esse per speciem conventionis & contractus correspectivè ad dotationem & fundationem, sed tantum id enunciatur pro causa impulsiva pietatis, deserviente prò justo motivo ad colorandum privilegium, quod aliàs absque causa neque concedi solet.

Illud etiã põderando, quod cum contractus ut suprà dicatur reciproca cõventio super mutuo ac reciproca impleméto hinc indè præstando de præsenti vel de futuro, id exigit conventionem obligatoriam, in certa & determinata re, vel quantitate, vel saltèm ità & taliter, quod si non explicitè, saltem implicitè id contineatur, ac certificari possit, quorum nihil in dictis litteris Apostolicis legitur, quoniam nec explicitè, nec implicitè dicitur, quid & quantum prò dote, vel dotis augmento dari debeat, Atq, in nihilo dicti cives vel Congregatio obligantur, totumque remissum est eorum arbitrio & libertati, enarrando dictam sufficientem dotationem per viam propositi & simplicis intentionis, ibi, *proponant & intendant*.

Item juxtà hodiè receptam distinctionem, quam habemus in materia juris patronatus, ad effectum videndi, an cadat sub revocationibus *Innocentii VIII.* & *Adriani VI.* ac sub regulis Cancellariæ, nec ne, quoties Ecclesia non est omninò depauperata & indotata, sed aliquam habet dotem, conceditur verò per Sedem Apostolicam ejus jus patronatus ob augmentum dotis, tunc si hoc augmentum est inferius, dicitur jus patronatus ex mera gratia & privilegio, non autem ex dotatione & contractu seù causa onerosa, secus autem è converso si id quod datur, præponderet ex deductis *dec.* 58. & 88. *par.* 1. *recent. decis.* 218. *par.* 6. & frequenter in sua materia *sub tit. de jure patronatus* præsertim *in Lucana Prioratus*; Undè cum istud Hospitale ex Papæ munificentia jam dotatum esset cum fructibus & redditibus dicti Prioratus, cujus valor narratus est in 50. florenis auri, qui valor attenta ea temporum conditione est satis notabilis, Idcircò certum ac notabile augmentum, vel per implementum de præsenti, vel per implementum de futuro, in forma tamen obligatoria requirebatur, quia licèt non ageretur ad effectum dictarum Constitutionum revocatariarum, vel regularum Cancellariæ, Attamen eadem ratio satis in proposito influere videtur prò regulanda 10

Card. de Luca de jurisdict. & foro compet.

natura seù qualitate actus, atque indaganda verisimili voluntate Pãpæ.

Ponderando etiam, quod si damus contractum, oportet dare personas contrahentium, quarum una representari dicitur ab ipso Papa, Altera verò ab ipsa Confraternitate seù Congregatione; tamquam Universitate, & corpore polytico seù persona intellectuali; Et tamen ista persona tunc non erat in rerum natura, dum adhuc erecta non erat, sed tunc contextualiter erat erigenda, nihilque possidebat proprium, quod pro hujusmodi dote, vel dotis augmento dare potuisset, Undè propterea rectè ad rem facere observabam firmata *per Rotam in Bononien. juris patronatus* 13. *Maii* 1658. *coram Cerro*, ubi cum ageretur de puncto, an jus patronatus cujusdam Hospitalis quod prætendebatur per ipsam pauperum Universitatem, esset ex fundatione, vel potius ex privilegio & consuetudine, ad excludendam dotationem, ponderatur dicta inverisimilitudo, & de qua causa habetur actum in dicta sua materia *de jurepatronatus pro Marchione Albergato*; Et sic multa concurrebant, quæ insimul & unitim ponderata, cum consueta regula, ut singula quæ non prosunt, &c. excluditur contractus, atque ad titulum gratiæ & privilegii concessio referenda est. 11

Magni facienda quoque videbatur dicta declaratio S. Congregationis, vel saltèm adnotatio *Cardinalis Alciati*, de tempore satis recenti publicationi S. Concilii infrà decennium scilicèt parum plus, Tùm ex recepto & quotidiano axiomate generali, quod observantiæ proximæ nimium deferendum est, Tùm ex illa consideratione speciali sæpius habita in proposito interpretationis S. Concilii, quod scilicèt tunc in S. Congregatione verisimiliter sederent plures ex Cardinalibus, qui interveneruntin eodem Concilio, vel tanquam ejus Præsidentes, vel sub alio titulo, vel tanquam Prælati postmodum ad eam dignitatem promoti, undè verisimiliter erant informati de vero sensu ac intentione ejusdem Concilii; Neque dictæ declarationi adversari videbatur præfata epistola conscripta eodem anno 1575. quoniam in ea misteriosè dicitur, tale jus non competere tanquam Episcopo Papien. dùm tanquam tali obstabat dicta concessio Apostolica, sivè esset ex contractu, sivè ex privilegio; facultas verò competens in vim dictorum decretorum Conciliarium provenit jure delegato Sedis Apostolicæ, & sic jure diverso, undè resolutio & epistola sunt compatibiles seù conciliabiles, Atque propterea, reflectendo etiam ad solam veritatem, mihi videbatur ex his justitiam probabiliter assistere Episcopo juxtà dictam antiquam declarationem anni 1575. & alteram recentiorem anni 1654. Ob varias tamen moras hucusq; causa proposita non est, undè propterea expectabitur dictæ Sacr. Cõgregationis oraculum. 12

Et hæc quoad visitationem juxtà disposita *in cap.* 8. Quo vero ad redditionem rationum juxta *cap.* 9. dicebam omnem cessare difficultatem, quoniam ubi etiam juxtà sensum ac prætensionem Administratorum Hospitalis, dictæ litteræ *Nicolai* emanassent potius per viam contractus, seù cautionis in limine, quàm per viam puræ gratiæ, & privilegii, Adhuc tamen, apud Sac Congregationem, ac apud D. D. receptum est, tam circa visitationem, quàm circa redditionem rationum exigi expressam, ac individuam mentionem, ut clarè probat littera Concilii *dicto capit.* 9. ibi *expresè cautum sit* & firmant communiter DD. collecti per *Delbene dicto* 13

cap.10.dub. 6.sect.11.numer.27. & seqq. & Pasqualig. dicto cap.89.numer.5. & cum eodem præsuppositò proceditur per Rotam apud *Gregor.dec. 4. & 8.& in dicta Leopolien. administrationis Hospitalis coram Cerro*, eumdemque sensum habuit S. Congreg. in *Frequentina disc. præced.* Unde cum in dictis litteris *Nicolai* fieret quidem mentio de visitatione, non autem de redditione rationum, Idcircò iste casus tanquam non cadens sub limitatione, remanere dicitur sub regula ex deduct. apud *Mantic. dec.241.n.4.Barbos.axiom.197.*

Neque ex mentione speciali visitationis inferri potest ad hanc alteram facultatem, cum hæc sint inter se diversa, diversam etiam rationem habentia, dum Concilium magis enixè hunc secundum actum, utpotè magis subjectum fraudibus, & usurpationibus, quàm primum desiderasse videtur, ac propterea ampliorem dedit facultatem, ut in specie advertit *Fagnan.in dict. cap. de Xenodochus numer. 18.* ubi in fine dicit ita fuisse aliàs declaratum à S.Congr.& videtur doctrina vera, & rationabilis.

Adversus hoc fundamentum, Replicabant scribentes pro Administratoribus, præmissa cessare, quando exemptio contineret dictionem *omninò*, seù aliud verbum universale, quod expressæ mentioni æquipolleret, allegando *Del bene loco suprà citato numer.31.& Pasqualig.dict.cap.89.numer.7.& 8.* quos duos ejusdem instituti doctos Morales, in hoc & aliis de quibus suprà pro unica auctoritate computandos esse dicebam, dum circa istam præsertim limitationem seù declarationem loquuntur per verba identifica, quasi quod secundus à primo fideliter mutuaverit.

Verùm, cum sensu etiam veritatis, credebam hanc replicationem non esse relevantem, Tum ex defectu applicationis ad factum, quia in dictis litteris non legitur dictum verbum *omninò*, vel aliud æquipollens; Tum etiam quia doctrina non videtur vera, cum solum innixa sit propositionibus generalibus super significatione dicti verbi seù dictionis *omninò*, & in contrarium urget clara littera Concilii, quod ita expressè cautum esse debeat, quòd mysteriosè illi Patres exprimere voluerunt, cum alias ob amplitudinem verborum, cum qua hujusmodi exemptiva privilegia concipi solent, ipsum decretum remaneret inane, nunquam verificabile.

Non negabam, quod ubi essemus in casu contractus, seù legis adjectæ per fundatorem, si aliundè etiam conjecturaliter, & præsumptivè constaret, talè fuisse ejus voluntatem; ista deberet attendi, quoniam in quæstionibus voluntatis, istius substantia, non autem cortex & figura verborum spectari debet. *Mantic.de conject.lib.3.tit.4.numer.9. Otthobon. dec. 254. num.fin.& frequenter sub tit.de fideicommissis, ac alibi*, Sed nimium difficile est in fundationibus antè Concilium id ad praxim redigere, cum iste casus jurisdictionis non propriæ & ordinariæ, sed delegatæ à Sede Apostolica verisimiliter non potuerit cogitari, neque amplior exemptio ex lege fundationis dari potest illa, de qua *in Neapolitana disc. 26.* & tamen non sufficit.

* * *

TVDERTINA
PRO
CONFRATERNITATE S. MARIÆ CONSOLATIONIS.

Responsum pro veritate.

De eadem materia jurisdictionis Episcopo seù loci Ordinario competentis visitandi Confraternitates laicorum ac Hospitalia, aliaque pia loca & opera per ipsos laicos administrata, cum revisione rationum, ac aliis eamdem administrationem concernentibus; Et aliqua de alienatione bonorum hujusmodi Hospitalium, Confraternitatum, & piorum locorum, an exigant solemnitates requisitas in alienationibus bonorum Ecclesiasticorum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De jure visitandi competente Episcopo hospitalia & pia loca, an suffragetur exemptio.*
3 *De limitationibus Concilii Tridentini super dicto jure remissive.*
4 *Administratio eleemosinarum & oblationum ad quem de jure pertineat.*
5 *Consuetudo an attendatur contrà dictam facultatem competentem Episcopo visitandi & revidendi rationes.*
6 *Non potest Episcopus pro dicta revisione rationum gravare pia loca.*
7 *An Episcopus possit demandare exhibitionem inventarii bonorum & notulas onerum in ejus Cancellaria Episcopali.*
8 *Laici administratores piorum locorum, an possint se ingerere circà modum implendi onera celebrationis missarum.*
9 *An bona Confraternitatum laicalium seù piorum locorum, quæ per laicos administrantur, cadant sub extravaganti* Ambitiosæ.

DISC. XLII.

CUm in honorem, ac majorem venerationem cujusdam devotæ & miraculosæ imaginis B. Virginis *de Consolatione* nuncupatæ, Communitas Tudertinæ Civitatis, Ecclesiam construxisset, & Hospitale cum erectione satis conspicuæ Confraternitatis laicorum pro Ecclesiæ & Hospitalis administratione, aliisque pietatis operibus exercendis, pluribus legibus seù capitulis desuper ordinatis, *Clemens Septimus* de anno 1528. ad ejusdem Communitatis supplicationem, prævia dictæ fundationis & Capitulorum approbatione concessit, ut ipsa Confraternitas, ac laici dumtaxat per eam deputandi, Ecclesiam, & Hospitale, illorumque bona & jura quæcumque, regere & administrare deberent, cum facultate ponendi 1

ponendi & amovendi ad eorum nutum cappellanos alioſque miniſtros, nec non vendendi & alienandi bona etiam ſtabilia à quibuſcumque, ſivè per actus inter vivos, ſivè per ultimam voluntatem obvenientia, eorumque pretium in fabricam, manutentionem, alioſque uſus Eccleſiæ vel Hiſpotalis reſpectivè, ac alia deſuper neceſſaria & oportuna faciendi abſque aliqua licentia vel auctorisate Ordinarii, qui in præmiſſis abſquè ejuſdem Confraternitatis conſenſu ſe intromittere non poſſet, Et juxtà cujus conceſſionis facultatem obſervatum fuit, adminiſtrando, ac decernendo omnia, Eccleſiæ, & Hoſpitalis ſervitium & rectam adminiſtrationem concernentia, præſertim verò de anno 1662. Rectores injunxerunt Sacriſtæ, ut ad dirimendas diſputationum & falſitatum occaſiones, non permitteret quod cappellani ſcriberent in libro Miſſas, niſi ipſamet die, qua celebrantur, ſub pœna privationis cappellaniæ, ac reſpectivè officii.

Cum autem modernus Epiſcopus dictam Eccleſiam viſitando, pro illius decentioti cultu & ornatu plura edidiſſet Decreta, per Rectores non impugnata, & ulterius demandaſſet Rectoribus, ne auderent circà celebrationem miſſarum aliaque divina ſe ingerere, ac deſuper aliquid decernere, ac ſtatuere, quodque ad alienationes bonorum procedere non poſſent inconſulta Sede Apoſtolica, vel de ipſius Epiſcopi & ſucceſſorum licentia, Ac ulterius, quod tradi deberent omnia documenta pro confectione tabellæ onerum miſſarum, pro iſtarum congrua diſtributione ſingulis diebus, quodque iidem Rectores, & adminiſtratores teneantur ipſi Epiſcopo reddere rationes, ac exhibere in cancellaria Epiſcopali inventarium omnium bonorum ſtabilium & mobilium ac nominum debitorum.

Hinc proindè, tam Communitas, quàm Confraternitas ægrè ferentes hujuſmodi decreta, utpotè continentia præjudiciales innovationes, conſilium pro veritate petierunt, ad effectum deliberandi, an & in quo acquieſcere, vel reſpectivè recurſum ad Sac. Congregationem Concilii ſeù Epiſcoporum habere deberent.

Quoad Viſitationem Eccleſiæ & Hoſpitalis in genere, pro Epiſcopo reſpondi, conſulendo acquieſcentiam, quoniam quicquid ſit, an dictum privilegium *Clementis Septimi*, utpotè nullam faciens mentionem ſpecialem viſitationis eam capiat ex deductis *per Mareſcott. lib. 2. var. cap. 15. cum aliis per Rotam in Salisburgen. coram Roias deciſ. 218. ſeù 219. Greg. dec. 8.* cum] iſtud privilegium eſſet conceſſum antè Concilium Tridentinum, per iſtud ceſſat omnis difficultas ſaltem ratione juriſdictionis ab eo delegatæ *Seſſ. 22. de reformat. capit. 8. & 9. Barboſ. de Epiſcopo alleg. 75. & 82. plenè Rota in Calaritana juris viſitandi 21. Maii 1649. Corrado*, ubi in ſpecie viſitationis Hoſpitalium & Confraternitatum laicorum, Potiſſimè quia adaptabilis non erat aliqua ex limitationibus traditis in *Frequentina diſc. 40.* dum fundatio facta non erat per ipſam Communitatem de ejus bonis, ſed omnia obvenerunt ex eleemoſinis & oblationibus factis ſacræ imagini, & ex piis legatis ac diſpoſitionibus, undè Communitas vel Confraternitas partes adminiſtratoris uſque ab initio & in ipſamet fundatione geſſerunt, ſolumque dictum privilegium ſatis operativum remanet quoad adminiſtrationem, quæ aliàs de jure à Parocho vel Epiſcopo prætendi potuiſſet ex deductis in *Lunen. Sarzanen. Card. de Luca de juriſdict. & foro compet. Oblationum coram Merlino inter ſuas dec. 257.* & habetur actum *in Roſanen. ſub tit. de jurepatronatus*; Idemque de plano quoad redditionem rationum juxtà diſpoſitionem ejuſdem *Sac. Concilii dicta Seſſ. 22. capit. 9.* cum nulla ſubeſſe videretur ratio hujuſmodi Conciliarem diſpoſitionem evitandi.

Et quamvis nimium inſiſteretur ſuper retroacta obſervantia, dixi tamen in ea ſolidum fundamentum conſtitui non poſſe, Tum quia iſte dicitur actus facultativus, in quo non data prohibitione cum ſubſequuta acquieſcentia, quæ ſtant loco poſſeſſionis, non datur præſcriptio per ſolum lapſum temporis, præſertim in præjudicium ſucceſſoris venientis jure ſuo independenter à prædeceſſoribus negligentibus uti hoc jure ſeù facultate, Tùm clariùs, quia ubi non agitur de caſu probabiliter dubio, in quo obſervantia attendenda eſſet tanquam interpretativa, ſed de caſu claro, in quo ſolùm intrant termini obſervantiæ præſcriptivæ, iſta non datur adverſus diſpoſita per dictum Concilium propter decretum irritans contentum in Conſtitutione *Pii IV.* edita ſuper ejuſdem Concilii confirmatione & publicatione, cujus decreti virtus & operatio eſt inficere quemcumque titulum & poſſeſſionem, & ſucceſſivè impedire ortum contrariæ præſcriptionis vel conſuetudinis, ut latè *deciſ. 400. par. 9. rec. & deciſ. 35. poſt Bondenum*, in quibus de iſta concluſione, de qua frequenter in præcedentibus, & eſt receptiſſima propoſitio hodiè de plano præſupponenda.

Solumquè dictam obſervantiam conſiderabilem dicebam ad illum effectum, quod cum praxis dictæ Conſiliaris diſpoſitionis, ſaltem de facto contineat innovationem, iſta ſolum ſubſtinenda eſt, ne fiat, cum novo Eccleſiæ vel pii loci gravamine, ut ſcilicèt Epiſcopus non poſſit pro libito deputare ratiocinatorem ſeù reviſorem cum aſſignatione alicujus emolumenti, ut in pleriſque diœceſibus vidi practicatum, (& utinam non eſſet cum abuſu,) quod ratiocinatoribus vel deputatis gratuitò iſtud munus implentibus, emolumentum cederet ad commodum ipſius Epiſcopi, ut de facto practicavi, quod in quadam ampla diœceſi, in qua magnus eſt numerus hujuſmodi Confraternitatum & piorum locorum, quidam ejus Prælatus occaſione petendi reſervationem penſionis ſuper ipſam Eccleſia dimittenda, inter redditus apponebat ſatis notabilem ſummam ſingulis annis ex hujuſmodi emolumentis obvenientem, quod tamen paſſim prohibetur per Sacram Congregationem, quandò habetur recurſus, cum ſit magnus abuſus.

Proùt acquieſcendum cenſui decreto exhibitionis inventarii ſeù notulæ omnium bonorum mobilium & ſtabilium & nominum debitorum, nec non onerum miſſarum & anniverſariorum, cum omnia tenderent ad Eccleſiæ & Hoſpitalis beneficium, melioremque adminiſtrationem, Ac etiam quia conceſſa aliqua re, per neceſſarium antecedens conceſſa cenſentur omnia ea, ſinè quibus illa res perfici ſeù effectum conſequi non poteſt, ideoque cùm Epiſcopo injunctum ſit revidere rationes, ſeù illarum redditioni aſſiſtere ad effectum inſpiciendi, an adminiſtratio benè vel malè fiat, vel an onera impleantur, congruum ac neceſſarium eſt, ut notitiam diſtinctam habeat de bonis, redditibus & reſpectivè oneribus, de quibus ratio reddenda eſt, cum aliàs abſque hujuſmodi notitia id non valeat dignoſci, dummodò tamen ut dictum

est, hujusmodi diligentiæ ordinentur sincerè & bona fide, non autem ad effectum introducendi nova onera & emolumenta pro Cancellaria Episcopali, ut quandòque vidi practicatum.

Gravatorium autem censui decretum prohibens Rectoribus, nè quicquam decernerent circà celebrationem missarum, Non quidem quoad concernentia 8 decentiam cultus ac ritum celebrandi, cum istæ partes, utpotè merè spirituales, & Ecclesiasticæ, rectè pertineant ad Episcopum, privativè ad laicos administratores, sed quoad temporalia, ad quæ referendum esse dicebam dictum decretum editum per Administratores, per quod prohibetur describi in libro missas diversa die, quàm ipsamet in qua sequitur celebratio, pro evitãdis scilicèt fraudibus cappellanorum sibi injuncta onera non benè adimplentium; Cum enim ex dicta Apostolica concessione hujusmodi cappellani, utpotè ad ipsorum administratorum nutum etiam sine causa amovibiles, famulorum jure censendi veniant, Hinc proindè nullam subesse dicebam dubitandi rationem, ob quam Dominus vel administrator, qui famulum ad certum servitium conducit, eidem præscribere non valeat sibi benè visam legem ab honestate non alienam, juxtà quam servitium præstare debeat, præsertim ad consulendum fraudibus, undè in hac parte consului recurrendum esse ad ipsummet Episcopum pro reformatione seù declaratione, ut puto sequutum esse.

Ac etiam gravatorium censui alterum decretum super prohibita alienatione absq; Beneplacito Apostolico vel Episcopi respectivè, Quidquid enim 9 esset de puncto, àn bona hujusmodi Confraternitatum laicalium seù Hospitalium & piorum locorum, quæ per laicos administrantur, cadant sub dispositione *Extravag. ambitiosæ de reb. Ecclesiast. non alien.* in quo distinctio est, àn Confraternitas habeat Ecclesiam campanas, & alia signa, necnon erecta sit cum Ordinarii auctoritate, quo casu dicitur locus Ecclesiasticus, vel potiùs istis requisitis cessantibus dicatur solum locus pius *ex deductis dec. 248. par. 11. rec.* & passim, cum sit distinctio receptissima, qua attenta in hac facti specie in puncto juris locus potius Ecclesiasticus censendus esset; Nihilominùs difficultas cessabat ex dicto indulto Apostolico, per quod derogatum remanebat dispositioni *dictæ extravagantis* aliisque in contrarium facientibus, Sivè ita per dictam Apostolicam concessionem declaratum remanebat, quod non obstante Ecclesia, & erectione facta cum Apostolica auctoritate, Confraternitas, & Hospitale remanerēt in terminis loci pii magis, quàm Ecclesiastici; Et dum non audivi ulteriorem recursum ad Sac. Congregationem, credo quod ipsemet Episcopus dicta prajudicialia decreta reformaverit, cum revera ita justitia exigere videretur.

EVGVBINA VISITATIONIS PRO CIVITATE EUGUBINA SEU ADMINISTRATORIBUS MONTIS PIETATIS.

Responsum pro veritate.

De eadem materia jurisdictionis Episcopi super visitatione, & administratione Montis Pietatis administrati per laicos, in quibus possit se ingerere, & præsertim an possit plures convisitatores assumere.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Qui dicantur convisitatores, & quando plures adhiberi possint, vel debeant.*

3 *De quæstione præcedentiæ inter Canonicos Cathedralis associantes Episcopum in Visitatione, & Capitula Ecclesiarum inferiorum remissivè.*

4 *An Episcopus visitando montem Pietatis possit se ingerere in concernentibus administrationem.*

5 *Non possunt administratores sibi eligere successores.*

6 *In quibus Episcopus visitator possit se ingerere, & in quibus non.*

DISC. XLIII.

QRa controversia inter Episcopum & Civitatem Eugubinam super 1 facultate visitandi Montem pietatis, & revidendi rationes Administratorum, illaque jam determinata per Sac. Cõgregationē pro Episcopo, juxtà dispositionem *Sac. Conc. Trid. sess. 22. de Reformat. cap. 8. & 9.* ac sequuta proindè visitatione; Cum in ea Episcopus aliquos Cathedralis Canonicos in convisitatores secum adhibuisset, & quædam fecisset decreta super celeri exactione, nominum debitorum, & coactione præteritorum administratorum ad solutionem reliquatus, Necnon quod Officiales & administratores pro tempore, deberent suum munus exercere per seipsos, non autem per substitutos, eis etiam prohibendo, ne caperent bona debitorum in solutum, seù adjudicari facerent; Cum hæc Decreta reputarentur præjudicialia, hinc ex parte ejusdem Civitatis pro veritate consultus fui, an ab eis recurrendum esset ad Sac. Congregationem cum probabili spe moderationis.

Ad primum super convisitatoribus adjunctis, Respondi nullum adesse gravamen, ista enim quæ- 2 stio de convisitatoribus ab Episcopo adhibendis percutere solet ipsius Episcopi præjudicium & restrictionem, quoniã verè & propriè convisitatores dicuntur illi, qui jure proprio independenter ab Episcopo cum coæquali jurisdictione, ac voto decisivo visitationis actum exercent, juxtà casum, de quo *in Valentina Iuris visitandi 27. Iunii 1653. coràm Peutingerio*, Sivè casum adjunctorum, quos ad præscriptum *Sac. Conc. Trid sess. 25. de Reformat. capit. 6.* Episcopus adhibere tenetur in visitatione vel correctione exemptorum.

Ubi verò agitur de illis convisitatoribus, quos voluntariè Episcopus adhibet tanquàm socios seù assessores, ad effectum magis congruè, & consultè cum eorum consilio decernendi, tunc non dicitur augeri visitatorum & superiorũ numerus, cujus ratione adesset gravamen super pluralitate superiorum juxtà dispositionem Concilii *d. Sess. 22. c. 9.* dum isti verè non sunt visitatores, neq; visitantis personam, seù votũ augent, sed reputantur meri socii seù ministri, quos ex ejusdē *Sac. Conc. Trid. dispositione Sess. 25. de refor. cap. 25.* Episcopus

scopus generaliter visitando Civitatem vel diœcesim adhibere solet ex Canonicis Cathedralis, Un-
3 dè propterea oriuntur controversiæ præcedentiæ cum Capitulis seù Parochis Ecclesiarum inferiorum juxtà casum, de quo *in Ampurien. seù Civitaten. præcedentiæ* 28. *Novembris* 1659. *&* 19. *Aprilis* 1660. *coram Meltio*, de quo habetur actum hoc eodem libro *sub tit. de præeminentiis disc.* 17. ideoquè nullum videbatur adesse gravamen, præsertim quia agebatur de visitatione in eadem Civitate, undè subesse non poterat suspicio, quod hæc nova introductio tractu temporis causare posset onus vel præjudicium expensarum victus, & viatici.

Quoad secundum, aliqui scribentes de partibus cum copiosis allegationibus deductis *ex Carleval. de*
4 *judiciis, ac Tondut. & Anaichin. in tract. de præventione*, insistebant in probando decreti præjudicialitatem, dum ità Episcopus se ingerere videbatur in ea administratione, quæ Civitati ejusque deputatis incumbit super exigendis nominibus debitorum, & cogendis administratoribus post finitū officium ad reddendas rationes, ac solvendum reliquatum.

Respondi paritèr, nullum adesse gravamen, motivara siquidem procedere dicebam in actibus, seù casibus individuis, in quibus præjudiciale est plures adesse conjudices, seù cumulativam habentes, quia tunc unius præoccupatio, seù præventio in eo casu inducit alterius privativam, atque in his terminis procedunt ea, quæ habentur apud allegatos & alios; Secùs autèm ubi ambo tendunt ad eumdem finem, itaut unus alterum non impediat, neque præventio privativam alterius causet, tunc enim expedit potius Ecclesiæ, seù loco pio plures habere adjutores & cooperatores. Quinimò dicebam ab hoc recursu præsertim omninò abstinendum fore, cum ità potius apud Superiores confirmaretur ea suspicio, quæ de laicis administratoribus haberi solet, quod piorum locorum bona in privatos usus convertant, atque prædecessorum administratorum rationes revidere negligant successores, ut ità
5 unus alterum confoveat, seù cooperiat; Et ex qua etiam ratione per Sac. Congregationem pluries prohibitus est aliquarum Confraternitatum seù piorum locorum abusus, quod administratores expleto tempore suæ administrationis successores eligant, & deputent, cum ità de facili inter aliquos fieri possent collusiones, absque eo, quod usurpationes seù conversiones in usus proprios unquàm discooperiantur, ut Egomet, dum essem Vicarius Generalis in patria expertus sum, quod practicaretur in quadam satis diviti Confraternitate diœcesis, adeout non parvos labores & incommoda subire oportuerit pro hujusmodi abusu tollendo, cogendisque administratoribus plurium annorum ad reddendas rationes ac restituendum reliquatum.

Aliquod gravamen contineri mihi videbatur in illis decretis, per quæ prohibebatur bona debitorum recipi in solutum seù in adjudicationem, ac
6 etiam prohibebatur administratoribus quandoquè deservire per substitutos, Id enim percutit administrationem merè temporalem ex lege erectionis pertinentem ad ipsos laicos, & in qua, cessante abusu ac violatione instituti, non videtur quod Episcopus debeat se ingerere, dum *dicto cap. 8. Sess.* 22. decernitur, quod cognoscere, ac decernere debeat ea, quæ ad Dei cultum, animarum salutem, ac pauperes substentandos pertinebunt, juxtà eorundem piorum locorum institutionem, & sic circà eleemosinarum & subsidiorum congruam distributionem, & ne in pauperum præjudicium, redditus & bona Montis pietatis alienis usibus ab instituto extraneis applicentur, Undè propterea, exercere munus per se ipsum vel per substitutum, pertinet ad deputantes quibus cura habitualis incumbit, atque nil commune habet cum partibus visitatoris; Idemque an capienda sint, nec nè bona debitorum insolutum, nisi in hoc adessent abusus & collusio, verificabilis præsertim in ipsis administratoribus pro eo, in quo essent debitores ex causa reliquatus, quo scilicèt utentes pecuniis Montis in eorum usus, assignarent deindè bona inutilia pro incongruo pretio, Sivè quod receptio hujusmodi bonorum, ità exhauriret Montem pecunia numerata, quod exindè impeditum vel diminutum remaneret ejus institutum mutuandi indigentibus, undè remanebat quæstio potius facti quam juris.

EVGVBINA LEGATI

PRO

ILLIS DE ANDREONIBUS, CUM EPISCOPO.

Casus benevolè disputatus coràm quodam Cardinali à partibus electo.

De jurisdictione Episcopi circa exequutionem piorum legatorum, An spectare solùm dicatur subsidiariè, & in casu negligentiæ, vel directè, & immediatè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De distinctione super potestate Episcopi in exequendis piis legatis.*
3 *Regulariter potestas Episcopi est ad cogendum hæredem ut impleat.*
4 *Hærede negligente jus adimplendi devolvitur ad Episcopum, sed cessante negligentia spectat ad hæredem.*
5 *Quomodò expectari debeat lapsus anni.*
6 *Arbitrium à testatore datum Episcopo, non intelligitur quoad substantiam exequutionis, sed circà qualitates.*

DISC. XLIV.

UM Nicolaus Riceius in ejus testamento mandasset, ex bonis & redditibus ad hunc effectum assignatis, singulis annis dotale subsidium præstandum esse puellæ, quæ habitum in Monasterio Capuccinarum sumere vellet, sin minus alteri puellæ aliud Monasterium ingredi volenti, dummodò esset pauper, ac bonæ vitæ & conditionis arbitrio Episcopi; Hinc orta est controversia, inter dicti testatoris hæredes, & Episcopum super præelectione ex pluribus puellis ad idem subsidium concurrentibus, An scilicèt id spectaret ad hæredes vel ad Episcopum respectivè, unde concorditer se remittentibus partibus declarationi cujusdam Cardinalis; Coram isto scribens pro hæredibus, etiam cum sensu veritatis, dicebam pro ipsis respondendum videri, cum vera videatur distinctio post antiquiores ab eo allegatos tradita *per Barbos. de univers. jur.*

2 *Eccles.lib.3.capit.27. numer.* 30. Quod aliud est agere de jurisdictione & potestate Episcopi quoad cogendos hæredes ad executionem & implementum legatorum ac piarum dispositionum, Aliud verò, ut ad eumdem devolvatur exequutio, cum electione operum vel personarum, privatè ad hæredes vel alios, ad quos ex dispositione legis vel hominis id pertineat.

Ad primum enim effectum, id rectè pertinet ad
3 Episcopum, quoniam, tàm ex dispositione juris communis, quàm ex illa *Sac.Conc.Trid.sess.22.de reformat.capit.8.* ille dicitur exequutor ultimarum voluntatum ex deductis *per Barbos.ubi suprà*, & latius per *Carpium* in ejus tractatu *de exequut.testam.* & cum Episcopis hodiè concurrit fabrica Sancti Petri ejusque commissarius in iis locis, in quibus hoc Tribunal introductum est.

Ad secundum verò effectum secùs, quoniam, excepto legato pro redimendis captivis, seù altero
4 casu incertitudinis vel impossibilitatis, ità ut hæres suam facultatem per seipsum ad exercitium deducere non valeat, sibi assistit regula generalis, ut ad eum pertineat legata & pias dispositiones sui auctoris exequi, quoties alter exequutor per disponentem datus non est, solumque, uno, vel altero per annum negligente, intrat quæstio inter DD. an ad Episcopum devolvatur omnimoda facultas exequendi juxtà unam opinionem, quæ videtur magis communis, vel solùm sibi aperiatur jus cogendi hæredem vel alterum exequutorem ad exequendum juxtà alteram, ut clarè probat *text.in cap.3.de testamentis*, ubi communiter scribentes congesti *per Barbos.in collectan. ad eumdem text.& de jur.Eccles.dicto lib.3.cap.27. num.31. & sequen.ac etiam de potestate Episc.alleg.82. numer. 15.& sequen.latè Carpius*, qui articulum disputat *de exequut.testam.par.3.cap.1.& p.4.c.1.* & sole clarius dicit *Rub.de testam.ad pias causas cap.* 85. *numer.* 33. qui alios cumulat, atque ità servat praxis dicti Tribunalis fabricæ, quia non nisi post annum se ingerit.

Est benè verum, quod potestas Episcopi vel alterius Superioris coarctata non est ad expectandum
5 lapsum anni, ut cogere valeat hæredes, vel eos quibus incumbit, ad exequendas pias dispositiones, quoniam quemadmodum legatarius prophanus, ad summum aliam dilationem pati non tenetur, nisi illam durantis confectionis inventarii, ità multominus eam pati debet causa pia, cujus favore juxtà unam opinionem, quamvis in Curia non de facili receptam, statim currunt interfuria seù usuræ, ex pluries deductis in sua materia *sub tit.de usuris*, sed negligentia prædicta necessaria est ad inducendam in hærede vel alio deputato privationem facultatis sibi aliàs competentis, ejusque translationem ad Episcopum vel alium Superiorem. Cumque hæc sit pœna formalis, qualem continere dicitur quæcumque sui juris privatio *Greg. & adden.dec.225.* neque pœna detur sinè delicto, idcircò negligentia prædicta debet esse talis, quod justa excusatione cessante delicti speciem habeat.

Non negabantur hæc ex parte Episcopi, sed dice-
6 batur, hujusmodi facultatem ab eo non prætendi ex dispositione juris sed ex illa testatoris, ex illis verbis *arbitrio Episcopi* in testamento contentis, Verùm, cum sensu etiam veritatis, dicebam hujusmodi prætensionem esse parum probabilem, qualem credo à Cardinali Arbitro declaratam fuisse, quoniam verba prædicta directa non erant ad exequutionem legati, & electionem puellæ in genere, sed in solo casu subsidiario, in quo nulla existente puella ingredi volente Monasterium Capucinarum ab ipso testatore designatum, deveniendum esset ad electionem alterius puellæ quodcumque Monasterium indefinitè ingredi volentis, tunc enim quia testator in ista adjecit qualitatem primo casu omissam, quod scilicèt esset pauper, ac bonæ vitæ, famæ, & conditionis, idcircò super ista qualitate, ad quam dicta verba directa leguntur, intrat arbitrium refrœnativum libertatis hæredis, eligendi etiam puellam hujusmodi qualitatibus carentem. Unde propterea jus Episcopi restringi videbatur ad inquirendum, an in puellis per hæredem electis concurrerent nec nè qualitates prædictæ, ob quarum defectum electas respuere posset, non autem quoad ipsum jus eligendi & exequendi.

FLORENTINA CONSERVATORII PRO ARCHIEPISCOPO, CUM ADMINISTRATORIBUS SÆCULARIBUS.

Casus disputatus in S.Congregatione Concilii, & resolutus ut infrà.

De jurisdictione & auctoritate Episcopi seù Ordinarii loci super Conservatoriis, Congregationibus, vel Adunantiis mulierum sæcularium insimul viventium sub propria, vel sæcularium administratione.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio Sacræ Congregationis.*
3 *De speciebus mulierum de quibus disponunt Canones earum adunantias prohibentes.*
4 *Mulieres sæculares absque religioso instituto in domo vel conservatorio viventes, an veniant sub dictis juribus, & in quo.*
5 *An Ordinarius habeat jurisdictionem in Conservatoriis mulierum sæcularium & num.8.*
6 *Quomodo procedendum in materia jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ.*
7 *Reprobatur Ciriac.controv.504.& de Iesuitissarum suppressione.*
8 *Declaratur Menoch.cons.948.& de conclusione de quanum.5.*
9 *Referuntur plures declarationes S.Congregationis circa hujusmodi Conservatoria.*
10 *Quomodo in Conservatariorum clausura Ordinarius debeat providere.*
11 *De Monasterio Oblatarum Turris speculorum Urbis.*

DISC. XLV.

CUM in Villa nuncupata *Quietis* propè Florentiam adesset Conservatorium mulierum sæcularium, ad instar Monasterii insimul viventium sub nuncupatione *ancillarum Sanctissimæ Trinitatis*, absque tamen clausura vel regula per Ordinarium probata, sub laicorum administratione, Vicarius Generalis Archiepiscopo absente, forsan in visitatione, judicans ex loci qualitate hujusmodi mulierum statum indecentem esse ac periculosum, ut scandala produceret, decrevit, quod infrà 30. dierum spatium, sub pœna suppressionis & annullationis, illa domo derelicta, ad alteram congruam intùs mœnia dictæ Civitatis dictæ mulieres se conferre deberent, ibique vivere in forma clausuræ, & cum legibus ab ipso vel Archiepiscopo præscribendis; Adversus quod præceptum habito recursu ad Sacram Congregationem Concilii de anno 1662. quamvis per eamdem pro certo haberetur, neglecta prætensione Administratorum, de qua infrà, jurisdictionem & auctoritatem Ordinario competere circa dicti loci visitationem ac moderationem ut infrà, Nihilominùs quia dubium strictè conceptum erat, an dictum præceptum subsistineretur, negativa prodiit resolutio, sub reservatione disputandi & determinandi, an & quæ jurisdictio seù facultas competeret in futurum. Verùm quod sciam, ex prudentialibus temperamentis hinc indè, causa ulterioris disputationis progressum non habuit.

1

2

Duæ igitur fuerunt hujus disputationis inspectiones seù puncti, Primus super dicto dubio, an scilicèt dictum præceptum subsistineretur, nec nè, Et secundò super jurisdictione, & potestate Ordinarii, circà visitationem & correctionem in genere.

Quoad primam, resolutio fuit juxtà votum, mea enim sententia in congressu prò causæ directione habito erat, hujusmodi punctum assumendum non esse, sed potiùs voluntariè illi cedendo, atque habendo præceptum pro infecto, insisti debere super altero puncto principali declarationis, qualem scilicèt jurisdictionem & facultatem Archiepiscopus haberet, & an mutatio loci seù alia congrua provisio demandanda esset, Sed quia diversa fuit aliorum sententia, idcircò majori parti cedere oportuit.

Dicebam enim in congressu prædicto, tale decretum seù præceptum non esse subsistentabile in ordine ad clausuram formalem, quoniam cum istæ essent mulieres merè sæculares, sub nullo religioso instituto in una domo pro majori honestatis conservatione collegialiter viventes, idcircò non erant de illis, de quibus agitur *in Clement. unica de statu Monachorum, & Clem. prima de religiosis domibus, & extravag. unic. eodem titulo*, cum in eis, in littera, vel ratione agatur *de Conversis, Tertiariis, Pinzocheriis, Mantellatis, Corrigiatis, Beguinis, Ursolinis, Oblatis, inclusis, Canonissis, Jesuitissis, Subdiaconissis, Diaconissis, Presbiterissis, &c.* quarum mulierum species diligenter congerit. *Tamburin. de jur. Abbatiss. disput. 7. quæst. 2. cum sequen. usque ad* 11. & quas supponitur sub certo instituto religioso vivere, quod præ suppositum cessat in hujusmodi conservatoriis, seù adunantiis mulierum merè sæcularium, dum dicuntur potiùs Scholæ seù Congregationes, cadentes quidem sub generali dispositione *Sacr. Concilii Tridentini Sess. 22. de Reformat. cap. 8.* Sivè etiam sub generali & lata eorumdem jurium, de quibus supra, ex ratione, & ad effectum visitationis, & alicujus superioritatis, ut consulatur scandalis, quæ aliàs ex hujusmodi adunantiis oriri possunt & solent, non autem ut cogi valeant subire formalem clausuram ac vivere tanquam moniales, dum sunt merè sæculares, admissis solùm prudentibus provisionibus, cuilibet benè ordinatæ & privatæ domui congruis circà commercii libertatem, ex qua scandala resultare possunt.

3

4

Quoverò ad alterum punctum potestatis & jurisdictionis Episcopi, seù Ordinarii in genere in hujusmodi conservatoriis seù adunantiis, scribentes pro administratoribus sæcularibus acriter insistebant in omnimoda incompetentia Archiepiscopi cum hujusmodi mulieribus merè sæcularibus, omnia desumentes ex deductis *per Menoch. cons. 948.* ubi fuso calamo per plura media, more consulentium, probare conatur exclusionem jurisdictionis & auctoritatis Ordinarii cum consimilibus mulieribus *Ursolinis* nuncupatis, Ac etiam se fundantes in deductis *per Ciriac. controv. 504.* qui pariter omnia desumendo *ex Menoch. ubi suprà*, idē probare conatur in mulieribus *Jesuitissis* nuncupatis; Econversò autem cæteri pro Archiepiscopo scribentes insistebant in omnimoda competentia etiam privativa ex dispositione allegatorum jurium *in Clement. unica de statu Monachorum, & Clement. prima de religiosis domibus, & extravag. unic. eodem tit. cum ibi notatis.*

5

Mihi scribenti pro eodem Archiepiscopo, videbatur utramque partem indebitè convolare ad extrema vitiosa, ut frequentissimus & connaturalis est stylus modernorum scribentium, præsertim in hac materia jurisdictionis vel immunitatis Ecclesiasticæ, quoniam Canonistæ, vel Morales nimium unam vel alteram zelantes, nimium se extendere curant, Econversò autem civilistæ seù laici pariter ad indebita laicalem potestatem extendunt, Ecclesiasticam restringentes, Undè propterea tot inconvenientia indies resultant, cum utriusque jurisdictionis præjudicio, cui consultum esset, si ex solo amore veritatis, cum congruis distinctionibus, & concillationibus procederetur.

6

Neglectis igitur deductis per *Ciriac.* quamvis aliàs doctum ac eximium I. C. in eo casu prorsùs malè loquentem, cum agat de *Jesuitissis*, & sic de mulieribus sub religioso formali instituto viventibus, de quibus propriè agunt allegata jura, ut postmodum expressè declaravit *Constitutio Urbani VIII.* super hujusmodi *Jesuitissarum* suppressione. Quatenùs pertinet ad auctoritatem *Menochius dicto consil. 948.* mihi videbatur, illum benè loqui in ea parte, in qua negat hujusmodi mulieres comprehendi sub directa & præcisa dispositione dd. Constitutionum *Bonifacii VIII. Clementis V. & Joannis XXII.* ac benè firmare jurisdictionem & competentiam Magistratus sæcularis cum dictis mulieribus, eorumque bonis in causis prophanis ac indifferentibus, cum revera sint mulieres sæculares, sub nullo religioso instituto ita per quamdam adunantiam insimul jure cujusdá societatis seù communionis vitæ pro tutiori honestate ac respectivè meliori educatione viventes, itaut dd. Constitutionum dispositio directè & propriè, nec in verbis, nec in ratione conveniat.

7

8

Malè autem eumdem loqui, quatenùs in Ordinario neget jurisdictionem sibi competentem, vel ex dicta dispositione *Sac. Conc. Trid. Sess. 22. de reformat. cap. 8.* per quam subjiciuntur Ordinariorū visitationi, jurisdictioni, & correctioni quæcunque laicorum Confraternitates, Adunantiæ, vel Scholæ, sub qua dispositione si veniunt Adunantiæ virorum, multo magis illæ mulierum, quibus, si non directè & propriè, remotè autem & à simili convenit, vel ratio, vel dispositio dd.

Constitutionum ratione majoris periculi, & scandalorum, Ideoque utriusque jurisdictionis Ecclesiasticæ & laicalis concursus rectè est compatibilis, eodem modo quo in Confraternitatibus laicorum diversis respectibus, laicalis scilicèt quoad causas prophanas & indifferentes, Ecclesiasticæ verò quoad modum vivendi, & ut scandalis & inconvenientibus aliàs ex hujusmodi Adunantiis in Christiana Republica contingere solitis occurratur, & sic circà materias Ecclesiasticas ipsum corpus universale concernentes.

Ad quod comprobandum deducebam inconcussam observantiam utriusque Sac. Congregationis E-
9 piscoporum & Regularium & Concilii, à quibus semper injunctum fuit Ordinariis locorum, ut hujusmodi Conservatoria seù Adunantias mulierum visitarent, corrigerent, reformarent, ac etiam ubi ratio exigeret, supprimerent juxta singulorum casuum circumstantias, ut præsertim *in una Comen. 23. Februarii* 1647. *Sacr. Congregatio Concilii* id injunxit illi Ordinario in individuo quoad puellas *Vrsolinas*, de quibus agit *Menoch.* Et in una *Mediolanen. 16. Aprilis 1653.* injungitur Ordinario per Congregationem Episcoporum & Regularium, ut hujusmodi puellarum Adunantias visitet, recognoscat, & pro ejus arbitrio prohibeat & dissolvat, remittendo puellas ad proprias domos parentum vel conjunctorum; Quod etiam demandatum fuit *in una Cusentina 27. Novembris ejusdem anni 1653.* Et in individuo hujus Civitatis, Florentinæ eadem Congregatio Episcoporum & Regularium *sub die 22. Augusti 1636.* demandavit Archiepiscopo suppressionem cujusdam Conservatorii existentis intùs eamdem Civitatem.

Et sic laudabilis mihi videbatur provisio, quatenùs iste locus esset apertus, & parùm congruus, quod
10 dictæ puellæ reducerentur ad domum intra Civitatem, Proùt commendabiles fuissent provisiones circà moderatum ipsarum egressum à loco, & conversationem per domos privatas, vel econversò circa sæcularium introdictionem in ipsam domum seù Conservatorium; Improbabile autem ab initio visum fuit decretum formalis clausuræ ad formam *Sac. Concilii Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 5.* sivè *Constitut. 8. Pii V.* quia hæc procedunt in monialibus votum Religionis formiter profitentibus, quale etiam profitentur Tertiariæ, de quibus agit extensio *Greg. XIII.* non autem de hujusmodi mulieribus, quamvis oblatis & sub certo instituto viventibus per quamdam voti imaginem, donec ibi existunt, formalem etiam obedientiam promittentibus, quia in effectu sunt personæ sæculares, ut occasione Monasterii Oblatarum
11 Turris speculorum Urbis *Navarr. cons. 81. & 82. lib. 3. de Regular. Tamburin. de jur. Abbatiss. disput. 18. quæst. 5. numer. 4.* & de quo agunt etiam *Menoch.* & *Ciriac.* locis citatis.

BOVINEN.

PRO

EPISCOPO

Responsum prò veritate.

An Episcopus exercerè possit jurisdictionem Ecclesiasticam etiam per censuras contrà laicos prò exigendis vectigalibus aliisque juribus per Principem sæcularem sibi concessis.

Civitas vel Dominus temporalis, àn concedere possit forensibus civilitatem, qua mediante obtineant exemptionem ab oneribus & contributionibus, quæ per Episcopum à forensibus, non autem à civibus exiguntur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*

2 *Ecclesia vel Clericus actor tenetur convenire laicum in suo foro laicali, & de limitationibus.*

3 *Non dicitur impugnare vel turbare, qui allegat non comprehensionem.*

4 *Quando consuetudo tribuat Episcopo jurisdictionem in laicum.*

5 *Consuetudo particularis prævalet generali.*

6 *Consuetudo non extenditur de casu ad casum.*

7 *Negans solvere dicitur spoliare creditorem qui est in possessione.*

8 *An Episcopus sit judex in causa mensæ remissivè.*

9 *Quando ad censuras procedi possit pro re pecuniaria non præviis diligentiis à Sac. Conc. Trid. demandatis.*

10 *An civilitas concessa per Civitatem & per Dominum inferiorem attendatur in præjudicium tertii.*

DISC. XLVI.

FRequens est in Regno Neapolitano quoddam vestigal sivè onus vulgò nuncupatum *Piazza*, solvi consue- 1
tum per forenses in loco mercantes, quod in plerisque locis, ex Regum, vel antiquorum Principum concessionibus, per Ecclesias possidetur, ut præsertim contingit in hac Civitate, cujus Cathedrali pro ejus dote Princeps Robertus Palatinus Lorotelli Comes plura concessit bona, istud præsertim ibi nuncupatum *mezza piazza*, ad cujus solutionem evitandam, aliqui forenses ibi mercari soliti, civilitatem à Domino temporali, vel à Communitate obtinere curarunt; Cumque Episcopus per censuras eos solvere recusantes compellere vellet, se opponentibus Magistratibus laicis, super tribus consilium petiit pro veritate; Primò an cum propria jurisdictione & auctoritate laicos ad id cogere posset; Secundò an deveniri posset ad censuras non præcedentibus diligentiis à Sac. Conc. Trid. demandatis; Et tertiò àn civilitas concessa per Baronem vel Communitatem ei præjudicaret.

Quoad primum respondi, regulam esse negati- 2
vam, ex clara dispositione textus *in cap. si Clericus laicum de foro compet.* ubi ad litteram disponitur, Ecclesiam actricem, laicum in suo foro convenire debere, potissimè verò ubi non agitur de exigendo jure Ecclesiastico & spirituali, ut sunt decimæ, quæ Episcopo ratione sacramentorum & divinorum solvuntur, sed de jure merè temporali ex concessione Principis laici, quem ità repræsentare dicitur.

Et quamvis ex eodem textu duæ resultent limitationes

ones ad rem facientes, Una scilicèt ubi agitur contrà laicos occupatores bonorum & jurium Ecclesiæ, ut *per Innoc. Abb. Felin. & alios ibidem*, & alibi ex deductis *per Scacc. de Iudiciis lib. primo cap. 11. num. 50. Cacheran. decis. 32. num. 3. & 6. Bellet. disquis. Clerical. tit. de favore Clericorum reali §. 5. num. 2. cum sequen. Sperell. dec. 98. num. 2* Et alteram ubi accedit consuetudo, ut ex eisdem Canonistis, de quibus *Bellet. ubi suprà num. 4. & Sperell. dicta dec. 98. num. 33. & sequen.* Nihilominus utramque limitationem dixi, vel periculosam, vel difficilem ut ad praxim reduceretur, Tum quia non de facili sæculares Magistratus id permittunt, cum prætendant etiam eam jurisdictionem, quæ de jure Episcopo conceditur cum laicis in casibus mixti fori, ibi non esse exercibilem, ut habetur *in pragm. tertia de jurisdictione invicem non turban.* cum ibi notatis.

Tùm etiam quia jus Episcopi seù alterius Prælati possidentis & turbati in possessione vel perceptione fructuum bonorum Ecclesiæ, procedendi contrà perturbatores ad censuras, aliaque Ecclesiastica remedia, procedit quandò per viam usurpationis & turbationis de facto id contingit, juxtà casum, de quo in *Cotronen. disc. sequenti & in Cusentina alio disc. proxs. sequenti*, cum similibus, & sic ubi alter Ecclesiam prohiberet, vel impediret, ne hujusmodi vectigal seù jus exigeret & possideret, secùs ubi nemine in hujusmodi juris possessione turbante, sola contentio est in non comprehensione eorum, qui ad illud obligati sunt, quoniam contravenire non dicitur neque turbare, qui non comprehensionem allegat, negando in seipso eam
3 qualitatem, quæ est causa obligationis, *decis. 166. in fine, & 211. numer. 2. & 3. par. 7. recent.* cum hujusmodi laici quatenùs essent forenses non controvertetent hujusmodi solutionem, quam negabant ob supervenientem civilitatem, cujus punctus, an scilicèt illa suffragaretur nec nè, & an potestas Domini temporalis vel Communitas ad id se extenderet, est merè laicalis, per Principem vel majorem Magistratum laicum decidendus, præsertim quia ut dictum est, non agitur de jure Ecclesiastico seù spirituali, sed de onere merè laicali possesso ex concessione Principis laici, qui illud imponere noluit habentibus civilitatis loci prærogativam, ideoque ad eum pertinere videtur declarare quinam sint illi civos, quos ipse eximere voluit & non gravare.

Et licèt generaliter & abstractè, præsuppositâ legitima consuetudine, contrarium verius dicendum esset,
4 quoniam cum Episcopus seù Prælatus Ecclesiasticus non sit omninò incompetens judex laici, cum quo actualem habet jurisdictionem in causis spiritualibus, in prophanis verò habet habitualem, sine dubio ex consensu prorogabilem, idcircò veriissima videtur dicta Canonistarum traditio, cum consuetudo tacitum populi consensum prorogativum ità induxisse videatur, non obstante dicta contraria consuetudine etiam in fortioribus casibus mixti fori, ex vera & recepta propositione deducta *ex Gloss. finali in cap. super eo* verbo *vicinis de censibus, & Bart. in l. 2. sub numer. 41. Cod. quæ sit longa consuetudo*, cum quibus cæteri per-
5 transeunt, ut consuetudo particularis prævaleat generali; Quod etiam habemus quotidianum in materia Statutorum, ut particulare loci subditi prævaleat generali loci dominantis.

Attamen advertebam punctum difficultatis esse in hujusmodi consuetudinis legitima & sufficienti probatione cum suis requisitis, illo præsertim scientiæ &
6 patientiæ laicalium Magistratuum, de quorum præjudicio agitur, ac etiam quod probaretur in casu individuo, in quo peculiaris consuetudinis natura est eam justificari debere, cum non detur extensio de casu ad casum *juxtà cons. 237. num. 3. Oldradi, Greg. & add. decis. 45. & 162. Mantic. dec. 357.* cum aliis copiosè deductis *in Majoricen. Canonicatus decis. 56. post Tondut. de pension. dec. 34. & 37. post Zuff. de legit. proces.* & alibi; Atque in hoc mihi videbatur adesse majorem difficultatem, quoniam probabile credebam, consuetum esse compellere renitentes absque dubio forenses & quorum certa est obligatio, itaut negando solutionem, spoliare Ecclesiam dicerentur ex frequenti propositione, quod negans solvere id quod est soli- 7
tum & possidetur, dicatur turbare & spoliare *dec. 99. num. 3. par. 1. diverse. Cavaler. decis. 501. n. 3.* & passim, secùs autem ubi non negatur solutio debita, sed prætenditur eam non deberi ob cessantem qualitatem, quæ est causa obligationis.

Alia etiam difficultate concurrente, quod cum non ageretur de substinendis censuris jam promulgatis, 8
sed ageretur de puncto in genere, & super controversiis in futurum occurrentibus, de plano intrare videbantur ea, quæ habentur infrà *in Cotron. disc. sequenti*, de recusatione Episcopi in causa mensæ ob mixturam proprii interesse, dum non agebatur de casu, in quo extrajudicialiter, & per viam defensionis procedendum esset, ut est in casu turbatæ possessionis de facto, sed perneccsse procedendum erat in forma judiciali pro decidendo puncto, an civilitas ex privilegio seù aggregatione ad id sufficeret nec ne juxtà distinctionem Canonistarum, de qua *in eadem Cotronen.*

Hinc proindè superflua remanebat secunda inspectio, an scilicèt posita competentia procedi posset ad 9
censuras non præviis diligentiis à Sac. Concilio demandatis, undè respondi hunc secundum punctum dependentiam habere à primo; Si enim essemus in casu formalis perturbationis juxtà deducta *in dicta Cotronen.* non intraret necessitas diligentiarum, quoniam tunc ad censuras procedi non dicitur in forma judiciali, & tanquam per judicem, sed potiùs in forma extrajudiciali, vel tanquam per præconem, & denunciatorem illarum censurarum, quæ à jure illatæ sunt, vel tanquam per partem, se defendendo cum armis Ecclesiæ, atque cum illis vim vi repellendo, potissimè quia cum laicales Magistratus non de facili permittant ibi Episcopis exercitium gladii temporalis cum laicis, impracticabiles remanent diligentiæ à Sac. Conc. desideratæ, undè cessat ratio, qua cessante cessare etiam debet dispositio, ut in his terminis, licèt ad aliud propositum, habetur apud *Otthob. dec. 75. in fine.*

Demùm quoad tertium quæsitum, procedebam cum distinctione, de qua etiam infrà *hoc eodem lib. sub tit. de præeminentiis in Romana protectionum disc.* 13. quod aut in hujusmodi forensibus concurrit qualitas inductiva civilitatis de jure, puta quia ibi uxorem duxerint, & bona quæsierint, seù aliàs domicilium legitimè contraxerint, & tunc habendi sunt in omnibus pro civibus, juxtà ea quæ antiquioribus allegatis habentur apud *Cephal. cons. 451 num. 18. & sequen. Paris. cons. 71. lib. 1. Menoch. lib. 6. præsumpt. 30. numer. 2. & cum sequen. Muta ad consuetud. Panormi cap. 30. nu. 19. & sequen. & cap. 86. num. 30. & sequen. Nepita ad consuetud. Catanien. tit. 2. Rovit. pragm. 1. de immunit. Neap. & alios*, itaut si Dominus temporalis vel Communitas laicorum desuper aliquod expediat privilegium, illud in effectu non sit tale, sed potiùs contineat administrationè justitiæ, & explicationem ejus quod est de jure.

Aut hujusmodi qualitatibus cessantibus, agitur de civilitate ficta & merè privilegiativa, & tunc secùs, ex

recepta

re cepta distinctione *Bart. in l. si Maritus 15. §. leg. Iuliæ in fine ff. ad leg. Iuliam de adulteriis*, quod scilicèt Civitas concedere potest dictam civilitatem in sui præjudicium suorumque subditorum, & in iis quæ ab ipsa dependent. Idemque quoad Baronem seù Dominum temporalem, cùm aliàs concedere generaliter veram civilitatem sit de Regalibus, ac pertineat ad supremam Principis potestatem, & sequuntur cæteri collecti per *Roland. cons. 79. numer. 16. lib. 2. Menoch. dicta præsumpt. 30. numer. 22. Sessa decis. 90. num. 3. & 4.* Et in terminis proximis civilitatis concessæ per Civitatem, non suffragantis adversus Episcopum utpotè ipsi Civitati non subjectum ad effectum gaudendi concordia Revenaten. habetur apud *Beroum cons. 104. num. 6. & 8. lib. 1.* & conferunt quæ im materia adoptionis, seù allectionis in familiam distinguendo habentur *in dicta Romana protectionum sub tit. de præeminentiis hoc tit. disc. 13.*

COTRONEN.

CENSURARUM

PRO EPISCOPO,

CUM

BARONE INSULÆ.

Casus decisus per Rotam ut infrà.

An, & quandò Episcopus vel alter Prælatus sit Judex in causa propriæ mensæ, Et ubi agitur de bonis vel juribus Ecclesiæ, quorum fructus, & emolumenta ad ejus commodum cedant.

Et an & quando procedere possit ad censuras aliosque actus jurisdictionales contrà non subditos, vel quia non diœcesani, vel quia exempti præsertim ex causa defensionis bonorum Ecclesiæ, adversus usurpantes, vel impedientes.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Absolutio non est neganda ubi censuræ sunt dubiæ.*
3 *Ordinarius procedere potest ad declarationem censurarum latarum à jure etiam contrà exemptos & non subditos.*
4 *An & quando Episcopus vel Prælatus gladium spiritualem censurarum exercere possit cum non subditis ob injuriam seù violentiam sibi in persona vel bonis illatam.*
5 *An Episcopus procedat in causa suæ Ecclesiæ vel mensæ.*
6 *Distinguuntur plures casus, & primò non procedit in causa suorum bonorum privatorum.*
7 *An sit Iudex in causa jurisdictionali cum alio Prælato, quod declaratur.*
8 *Est competens in causis juris patronatus seù libertatis beneficiorum.*
9 *Non est competens in causis mensæ, ubi scilicet principalis contentio est, an bona ad unam vel alteram mensam pertineant sine præjudicio Ecclesiæ.*
10 *Quid in causis super bonis Ecclesiæ cum tertio, quorum fructus sit ipsius Episcopi vel Prælati.*
11 *Quod in his causis Episcopus non sit recusabilis.*
12 *Contrarium verius, ut possit recusari.*
13 *Sed sine recusatione validè procedit.*
14 *Quomodo intelligenda propositio quod Episcopus non potest esse Iudex in causa mensæ.*
15 *Quando dicatur causa propria, in qua non licet judicare.*
16 *Interesse secundarium non facit causam propriam.*
17 *Ubi Episcopus est recusabilis, rectè judicat de consensu.*
18 *Observantia potest tribuere jurisdictionem aliàs incompetentem.*
19 *Observantia est, quod Episcopi cognoscunt has causas.*
20 *De inconvenientibus aliàs resultantibus.*
21 *Episcopus etiam recusatus procedere potest ad censuras contra eum turbantes in sua possessione, & de ratione.*
22 *Et an etiam contrà non subditos, Et quid differat esse subditum nec ne.*
23 *Conclusio de qua numer. præced. procedit dummodo Episcopus vel Ecclesia sit in possessione.*
24 *Item quod procedat judicialiter, non extrajudicialiter.*
25 *Ecclesia non tenetur probare se esse in possessione libertatis & exemptionis à solutione onerum laicalium, quia dicitur probatum eo ipso, quod non probatur contrarium.*
26 *Quando dicatur procedi judicialiter, vel extrajudicialiter.*
27 *Refertur alter casus similis controversiæ.*

DISC. XLVII.

POssidente Ecclesia Cathedrali Cotronen. quamdam tenutam nuncupatam *Bucciafaro* in territorio Civitatis Insulæ, istius Baro prætendens habere jus exigendi quoddam onus *fida* nuncupatum, ab exteris cum eorum animalibus in eo territorio depascentibus, de facto, & laicali auctoritate ab affictuariis, seù affidatis dictæ tenutæ exegit ducatos 80. pro fida duorum annorum. Undè propterea Vicarius Generalis, prævia citatione, in contumaciam, tam Barorem, quàm ejus ministros declaravit incursos in censuras illatas per Sac. Canones, Conc. Trid. & Bullam Cœnæ contra occupantes bona Ecclesiæ, seù ab ea exigentes onera laicalia, à qua declaratione interposita appellatione, & commissa causa in Rota coràm *Carpinea* cum clausula *restitutis pecuniis & satisfacta Ecclesia*, datoque dubio, *an sit locus revocationi censurarum*, sub die 4. *Martii* 1667. affirmativa prodiit resolutio Baroni favorabilis, facto tamen depositio pecuniæ exactæ; Cujus resolutionis fundamentum fuit duplex nullitas per scribentes pro Barone deducta, Primò quia Episcopus vel ejus Vicarius non poterat esse judex in causa ejus mensæ ratione proprii interesse, Et secundò quod carebat jurisdictione cum dictis Barone, & Ministris, utpotè non subditis, nec ratione originis, nec domicilii, nec delicti, vel rei sitæ, cum essent de diœcesi Insulana, in qua etiam sita est tenuta, & sequuta fuit exactio. Re-

Repropoſita verò cauſa ſub die *16. Novembris* ejuſdem anni, cum vota non eſſent concordia, prodiit reſolutio, quod ſuſpenſis firmatis in dicta prima deciſione quoad dictas nullitates, concederetur interim abſolutio, quæ deneganda non eſt petenti, quoties
2 validitas cenſurarum in dubium revocatur ad, *text. in cap ſolet, & cap. Venerabilis § porrò de ſentent. excomm. in 6. Franch. in dicto cap. ſolet numer. 1. 6. 8. & 9. Abb. in cap per tuas num. 9. & 10. ubi Butr. n. 26. eodem tit.* cum aliis allegatis *in 2. deciſione in fine*, in qua ad formam diſcurſus, plenè, & elaboratè deducendo multa hincindè facientia, oſtenditur utrumque articulum, judicandi ſcilicèt in cauſa propriæ Eccleſiæ, vel menſæ, & cenſurandi non ſubditos, eſſe nimis dubium & involutum.

Verùm reflectendo etiam ad veritatem, mihi videbatur tale dubium non adeſſe, quodque ſtantibus facti circumſtantiis, caſus pro meo judicio eſſet planus pro ſubſiſtentia cenſuratum, quoniam omnia tàm in prima, quàm in hac ſecunda latiori deciſione deducta, percutiunt caſum cenſurarum latarum ab homine, ubi ſcilicèt Epiſcopus, vel ejus Vicarius, ex propria auctoritate & juriſdictione illas proferat contrà non ſubditos, ſivè in cauſa propria, quod in præſenti non cadebat, dum ſolùm agebatur de declaratione ſuper incurſu in cenſuras latas à lege, per ſacros ſcilicèt Canones, Conc. Trid. & Bullam cœnæ contrà occupatores bonorum Eccleſiæ, & ab eadem ſeù Eccleſiaſticis exigentes tributa, vectigalia, aliaque onera laicalia.

Hoc autem fieri poteſt etiam cùm non ſubditis & exemptis, quorum aliàs Epiſcopus ſeù Prælatus eſſet
3 judex incompetens, quinimò etiamſi expreſsè haberent privilegium, ne ab Ordinario cenſurari poſſent, quoniam non eſt facere partes judicis, ſed ſimplicis denunciatoris, neque proferre cenſuras, ſed declarare eas à lege prolatas *juxta tex clar. in Clement. prima de privil. in princip. ubi Abb. num. 22. Zabarell. n. 24. Felin. in cap. non poteſt de ſent. & re judicata nu. 3. ibique Fagnan. n. 16. & 23.* & cæteri de quibus *Campanill. in diverſor. jur. can. rubr. 12. cap. 16. num. 42. Prax. Archiep. Neap. cap. 59. n. primo.*

Et quamvis non deſint dubitantes ex motivatis per *Fagnan. ubi ſuprà*, ex ea ratione, quod licèt Prælatus aliàs incompetens non judicet ſuper ipſarum cenſurarum prolatione auctoritate ſua, attamen judicare dicitur cum non ſubdito ſuper facto, ejuſque declaratione, declarando ſcilicèt illum geſſiſſe tale factum, ob quod intrent cenſuræ à lege illatæ; Nihilominùs ubi factum eſt certum, habens ſpeciem notorii, ſeù aliàs non controvertatur, ita ut illius verificatio, ut eſt in delicto dubio & negato, non requirat proceſſum formalem, ac judicialem cognitionem, omnes Sac. Congregationes, tàm Concilii, quàm Immunitatis, & Epiſcoporum retinent hac opinionem, ex iis, quæ cum acerrima diſputatione habentur firmata ſuprà *in Meſſanen. hoc eodem tit. diſc. 29.* ubi de cenſuris ab Ordinario validè declaratis ob violationem Eccleſiaſticæ immunitatis contra Equites Hieroſolymitanos abſquè dubio exemptos, & habentes expreſſum privilegium, nè à quocumque Ordinario excommunicari, aliiſque cenſuris innodari poſſint, cum aliis ibi deductis; Undè cum factum in præſenti eſſet certum & incontrovertibile, quia cenſurati non negabant exactiones dictæ fidei, quod eſt onus laicale, atque clarum ſit jus præſertim Bullæ cœnæ ſuper cenſuris contra laicos hujuſmodi onera ab Eccleſiis & Eccleſiaſticis exigentes, videbamur de plano verſari in caſu *dictæ Clementinæ*, undè propterea dicebam inanem remanere diſputationem ſuper dictis articulis, utpotè extrà caſum, cum percutiant cenſuras latas ab ipſo Prælato aliàs incompetente, ex auctoritate, & juriſdictione ſua.

Cæterum, quatenùs ad præfatos articulos pertinet, adhuc, cum ſenſu etiam veritatis, dicebam prætenſas nullitates nullam habere ſubſiſtentiam, atque auctoritates deſuper deductas, cum aliquo forſan æquivoco, non benè applicari ad factum, illos ſiquidem diſtinguendo.

Quo ad illum, an Epiſcopus vel Prælatus cenſuras proferre poſſit contra eum, qui ſibi in perſona vel bonis injuriam ſeù violentiam faciat juxtà diſpo- 4
ſitionem textus *in cap. dilecto de ſentent. excomm. in 6.* ubi eſt ſedes materiæ, quamvis *Innoc.* originatius auctor limitationis ibidem *num. 2.* dicat, *dummodò tamen ſpiritualis gladius non exerceatur, nec pro ſua nec pro aliena injuria niſi contrà homines ſuæ juriſdictionis, naturalis tamen defenſio pro ſe & aliis benè poteſt exerceri etiam in homines cujuſcumque juriſdictionis;* Atque cum dicta Innocentii traditione tanquam ſimplices relatores, ea ulterius non examinata, pertranſeant ibidem *Ancharan. numer. 1. Ioan. Andr. num. 2. Gemin. num. 10. & ſequen.* & cæteri incidenter, & ad aliud propoſitum relati per *Borgnin. Cavalcan. dec. 28. par. 1. num. 39.*

Nihilominùs obſervabam, textum prædictum in littera loqui de injuria, quæ Prælato in perſona & bonis ſuis fieret, non explicando, an intelligatur de bonis Eccleſiæ, & ratione Prælaturæ, nulluſque ex dictis Canoniſtis deſcendit ad hanc ſpeciem, an ſcilicèt dictus gladius ſpiritualis exerceri valeat contrà non ſubditos turbatores ſeù uſurpatores bonorum Eccleſiæ, quo caſu dicebam firmam remanere opinionem, *Ricciul. de jure perſonarum lib. 4. cap. 61. num. 36. cum ſequen. ubi præſertim num. 39.* ſatis congruam & convincentem aſſignat rationem, quod facilius Eccleſia ejuſque Prælatus ſubjectus eſt injuriis & violentiis non ſubditorum, minorem timorem, minoremque reverentiam habentium, idcircò ubi major eſt timor ſeù violentia, ibi magis prompta & facilis debet eſſe defenſio; Atque Innocentii limitatio, rectè adaptabilis videtur illi injuriæ, quæ ipſius Prælati perſonæ vel bonis propriis fieret, quia non ſubditi ad nullam reverentiæ legem cum eo obligati, jure merè privato agere dicuntur, Undè propterea non benè infertur ad injurias & violentias ratione Eccleſiæ, & Prælaturæ, cum tunc, quamvis non ſubditus efficiatur talis ratione injuriæ, ſeù turbationis, ex iis, quæ habentur deducta *in dicta Meſſanen.* Ponderata etiam ratione clari inconvenientis, quod ita ſcilicèt eſſet aperire latam januam forenſibus ſeù exemptis uſurpandi bona Eccleſiarum, vel Epiſcopos & Prælatos injuriandi, & malè tractandi, quo nil abſurdius, ut etiam habetur *diſc. ſeq.*

Quoverò ad alteram quæſtionem, An ſcilicèt & quando Epiſcopus validè procedat in cauſa ſuæ Eccle- 5
ſiæ vel menſæ, & an ſubſiſtat differentia inter cauſas Eccleſiæ, & cauſas menſæ, ut ſcilicèt in primis procedere poſſet, quamvis recuſabilis, non autem in aliis, ex deductis per *Abb. & Butr. in cap. cum veniſſent de Iudicis cum aliis per Natt. conſ. 174. num. 7. Alex. conſ. 79. nu. 2. lib. 1. Surd. conſ. 50. n. 11.* & cæteri de quibus in utraque deciſione.

Dicebam fortè procedi cum aliquo æquivoco, pro quo dilucidando, dictiſque & ſimilibus doctrinis congruè applicandis, procedendum eſt cum diſtinc- 6
tione ſex caſuum, Quorum primus eſt, ubi agitur de cauſa in bonis propriis & particularibus ipſius Epiſcopi ſeù Prælati, & tunc rectè dicitur eum, nedum eſſe recuſabilem, ſed etiam omninò incompetentem, ita ut,

itaut, etiam nulla recusatione accedente, gesta dicantur invalida ex juris dispositione *in rubro & nigro Cod. Ne quis in sua causa*, quoniam ita verè & propriè est judicare in causa propria & privata, quem casum examinare non oportebat, cum in eo non versaremur,

Alter casus est, ubi agitur de injuria facta personæ ipsius Prælati vel suis, & tunc distinguitur an id se-
7 quatur ratione personæ & jure privato, vel ratione Prælaturæ, ut in primo casu non sit competens, in secundo autem ad effectum recusationis distinguitur inter notorium, & non notorium, ut secundo casu sit recusabilis, non autem in primo *ad notat. per legistas in l. unica Cod Ne quis in sua causa, & Canonistas in cap. si quis erga 2. q. 7. & cap. ex parte de verb. signif. de quibus Trentacinq. lib. 2. var. tit. de judiciis resol. 5. num. 6. Barbos. in d. l. unica num. 11. & 12. Foller. in praxi criminal. verb. Item quod est notorius delinquens*, & aliis, quod etiam obiter insinuabatur, dum causæ necessitas non exigebat.

Tertius casus est, ubi agitur de causa Ecclesiæ cum non subdito, seù eo qui se prætendit non esse talem, itaut controversia sit super jure coæquali, de cujus
8 pertinentia agatur, undè Ecclesia ejusque Prælatus gerant figuram partis formalis, ut, e.g. sunt jurisdictionales controversiæ, quæ habentur cum alio Episcopo super territorio & finibus diœcesis, sivè cum Prælato inferiori super territorio separato cum similibus, juxtà casus, de quibus suprà *in Toletana disc. 1.* & tot aliis frequenter, & in hoc pariter dicebam, Episcopum esse, vel incompetentem, vel absque dubio recusabilem, cum in effectu facere diceretur causam propriam, nisi cum iis, qui se prætendunt exempros & non subditos esset in jurisdictionis & superioritatis quasi possessione, quam illi de facto intervertere vellent juxtà casum text. *in cap. venerabili de censibus, & capit. procurationes eod. tit.* cum ibi notatis, sed hæc etiam obiter utpotè extrà casum controversiæ.

Quartus est, ubi agitur de causa, in qua, tàm Ecclesia, quàm ipse Prælatus habere quidem dicuntur in-
9 teresse, quod tamen est modicum & valdè remotum, ut, e.g. sunt causæ super statu Beneficiorum, an scilicèt essent de jurepatronatus, nec ne, interest enim Ecclesiæ & Episcopi beneficia esse liberæ collationis, tàm ob favorem libertatis, & exclusionem servitutis ipsius Ecclesiæ, quàm etiam ob aliquod commodum ipsius Prælati, qui ita facilius suis benevolis ac benemerentibus gratificari potest; Verùm hoc dicitur interesse, vel satis modicum, vel remotum, quod non solùm non causat incompetentiam ad effectum validitatis actorum, ubi nulla concurrit recusatio, sed etiam ad istam impediendam, cum hæc non videatur causa sufficiens, ut quotidiana inconcussa praxis docet, quidquid parùm digestè in his terminis dicatur quoad recusationem *apud Coccin. dec. 79.* Sed pariter de hoc incidenter non examinata formiter veritate articuli utpotè extrà casum controversiæ.

Quintus est, ubi Ecclesia non est in causa, nullumque præjudicium ex lite sibi resultat, quia nempe,
10 nulla existente controversia super ipsorum bonorum vel jurium dominio & possessione penès Ecclesiam, sola contentio sit super pertinentia fruitionis & commoditatis inter ejusdem Ecclesiæ ministros, puta inter Episcopum, & Capitulum, sivè Abbatem & Conventum, aut inter eumdem Prælatum & fabricerios cum similibus, an scilicèt illorum bonorum vel jurium fructus, essent de mensa unius, vel alterius, & hic videtur propriè casus, de quo loquuntur allegati canonistæ in ordine ad omnimodam incompetentiam influentem in invaliditatem actorum, etiam sine recusatione ex dicta dispositione juris *in rubro & nigro Cod. Ne quis in sua causa, &c.* cum tunc propriè agi dicatur de causa propriæ mensæ discretivè ad alios ministros, vel usus, absque aliquo præjudicio Ecclesiæ saltèm directo & principali, quia ejus non interest, an firma remanente substantia dominii, possessionis, & libertatis bonorum penès ipsam, eorum fructus, vel commoditas, uni vel alteri ex ejus Ministris applicetur, Solùmque potest adesse præjudicium secundarium & consequutivum non ita considerabile, Neque ex deducendis in casu sequenti alio modo intelligi possunt dicti Canonistæ, quandò dicunt, quod Episcopus non potest esse judex in causa suæ mensæ, capiendo hanc negativam tanquàm omnimodam in ordine ad annullationem actorum etiam sinè recusatione.

Sextus demùm est casus præcisus præsentis controversiæ, ubi scilicèt agatur de dominio, & possessione, vel libertate bonorum ipsius Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ, &c. cum tertio, ita ut litis eventus perpe- 11
tuum commodum vel respectivè damnum percutiat principaliter ipsius Ecclesiæ, quæ ita ea bona in controversia existentia acquirat, vel respectivè amittat, aut alicui oneri & servituti obnoxia habere cogatur, exindè verò accessoriè & consequutivè resultet damnum vel respectivè commodum Episcopi vel Prælati, cujus (juxtà generalem naturam omnium Ecclesiarum & Beneficiorum) sunt fructus & emolumenta obvenientia ex bonis, & juribus Ecclesiæ, quæ supportatis ejusdem Ecclesiæ oneribus cultum & rectam administrationem concernentibus exuberant, ut regulariter, non constito de particulari applicatione ad certum usum, sunt bona & jura Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium Ecclesiarum, sivè etiam Abbatialium, & Collegiatarum habentium proprium Prælatum cum jurisdictione.

Et isto casu duæ intrant quæstiones, Una ubi res est in fieri, & causa non instructa, atque altera pars Episcopum seù Prælatum ob hujusmodi proprium interesse recuset suspectum, an scilicèt non probata alia legitima suspicionis causa, regulariter necessaria in rectsatione judicis ordinarii, ista sola sit sufficiens; Et altera ubi agitur de causa jam sopita, ad effectum validitatis sententiæ, & actorum in contumaciam, seù aliàs nulla accedente recusatione.

Ubi agitur de prima qræstione, adhuc contentio est inter scribentes, siquidem civilistæ, antesignanum habentes *Baldum in dicta l. unica Cod. ne quis in sua* 12
causa, tenent negativam, adhibentes idem exemplum positum per *Bald.* de causa devolutionis molendini, & bonorum Episcopatus seù Ecclesiæ Cathedralis Perusii, ut post *Salicet. in eadem l. unica num. 6.* & alios *Redoan. de reb. Eccles. non alien. quæst. 78. capit. 8. num. 4. & 5. Mar. Antonin. lib. 1. variar. cap. 48. Bellet. disquis. Clerical. tit. de exempt. Clericorum à statutis §. 1. num. 36. & 37.* cum quibus inclinare videtur *Sperell. decis. 39.* apud quos aliqui habentur etiam Canonistæ hanc opinionem sequentes.

Admittebam tamen in contrarium esse magis communem, præsertim Canonistarum, ut possit recusari, quodque ista dicatur causa sufficiens, atque hanc se- 13
quitur Rota utpotè æquiorem, *ut apud Coccin. dicta dec 79. Cæs. de Graff. dec. 4. de except. Otthob. dec. 52. dec. 36. numer. 15. par. 10. rec.* & in aliis; Et in his terminis loquuntur superius allegati, præsertim *Alex. cons. 79. lib. 1. numer. 2. Natta cons. 174. numer. 7. Surd. cons. 50. numer. 11. ex Abb. Butr. Dec. & aliis in dicto cap. cum venissent.*

Et sic exemplificando, juxtà praxim Curiæ, Quan-

dò intentante Promotore fiscali causam devolutionis aliquorum bonorum seù pertinentiæ decimarum aut aliorum jurium coràm ipso Episcopo vel Prælato, altera pars eum recusaret, ac adiret A C. vel Metropolitanum seù alium superiorem, undè disputari contingeret in Signatura, an causa ad hùc integra & indecisa remittenda esset necnè ad Ordinarium in prima instantia juxtà dispositionem *Sac. Conc. Trid. Sess. 24. de reformat. cap. 20. Causæ omnes, &c.* atque istos terminos verè percutiunt proximè allegati auctores, in quibus decisiones se fundant.

Secùs autem ad secundum effectum, ubi scilicèt agitur de nullitate gestorum etiam sine recusatione ex defectu jurisdictionis, deducto ex eo quod ageretur de causa suæ mensæ, tunc enim videtur assumptum omninò erroneum nullo auctoritatis, vel rationis fun-
14 damento munitum ut *ultrà Butr. & Abb. in dicto cap. cum veniissent de judiciis, & Felin. ibidem num. 7. & in cap. insinuante nu. 3. de off. legati Ostien. in cap. ex parte num. 5. & 6. de verb signif. ac Bald. Salicet. & alios in dicta l. unica C. ne quis in sua causa* firmant *Lap. alleg. 37.* ubi de Prælato volente exigere Canones, livellos, & alios redditus, *Oldrad. cons. 156. num. 1. & Calderin. cons. 6. de judiciis,* apud quos de causis, quarum accessoria seù consecutiva utilitas erat Prælati, de quo etiam *Capic. dec. 137. & Boer. dec. 136.* ubi de Episcopo volente exigere subsidium charitativum, cum aliis *per Laurent. in tract. de Judice suspecto cap. 5. num. 26.* ubi explicitè de causis mensæ, eosdemque terminos percutiunt supra allegatæ decisiones *Cæs. de Graff. Otthob.* & aliæ, super causis scilicèt bonorum Ecclesiæ Cathedralis, quorum devolutorum seù recuperatorum fructus Episcopatus redditus impinguarent, & successivè in ipsius Episcopi commodum & utilitatem cederent.

Et tamen nemo ex dictis dubitat de competentia, & de validitate actorum, quodque ex consensu implicito vel explicito, talis Prælatus possit esse judex, solaque difficultas est in ordine ad recusationem, & in hoc versatur æquivocum clarum circà malam intelligentiam dictorum Canonistarum, quandò di-
15 cunt, quod Episcopus non potest esse judex in causa suæ mensæ, quoniam, vel intelligendi sunt juxtà quintum proximè præcedentem casum, ubi scilicèt causa principaliter vertitur super pertinentia fructuum & commoditatis ad unam vel alteram mensam absque alio Ecclesiæ præjudicio, vel ad effectum recusabilitatis, Ideòque, aliud est dicere, quod non potest esse judex altera parte invita, quia nempè possit recusari, aliud verò quoad omnimodam impotentiam, seù negationem jurisdictionis, undè resultet nullitas.

Evidenter id comprobat viva & convincens ratio, quæ deficientibus etiam auctoritatibus, sufficere deberet, quoniam causa propria dicitur illa, cujus
16 commodum & incommodum principaliter pertinet ad eum, qui judicis partes assumere autumat *Bald. in d. l. unica Cod. nè quis in sua causa num. 3. Salicet. ibidem num. 6. Barbos. in l. si. quis ex aliena num. 114. ff. de judiciis. Marta voto seu dec. 57. nu. 22. & 23.* Quæ ratio adaptari non potest Episcopo seù Prælato, quoties causa est cum tertio, super perpetuo puncto dominii vel libertatis bonorum Ecclesiæ, dum victoria, vel succumbentia respicit in substantia perpetuum commodum vel damnum ipsius Ecclesiæ, quæ ita magis ditata vel depauperata remanebit, damnum verò vel commodum Prælati est accessorium & consequutivum in solo fructu, ac etiam temporaneum & accidentale, quod cessare potest etiam antè causam finitam per ejus cessum vel decessum, Ac etiam quia Episcopus, vel alter Prælatus non est Dominus, sed administrator, atque bona non sunt sua, ideòque non videtur quale fundamentum, nec legale, nec naturale habeat hæc opinio.

Neque omne interesse facit causam propriam, sed 17
solùm illud, quod est totale, & principale, non autem accessorium & consequutivum, nam aliàs ubi, e.g. judex participat de confiscationibus seù incamerationibus, ut est in aliquibus Tribunalibus Urbis ex deductis infrà in *Romana decimæ disc. 85.* quod judex participat de quarta parte, seù alia quota, deberet esse incompetens, cum similibus, Undè propterea dicta magis communis, & per Rotam recepta opinio, quod Episcopus, vel Prælatus in hujusmodi causis ratione dicti proprii interesse accessorii & consecutivi, sit recusabilis, magis procedit de quadam æquitate, quam sequuntur Canonistæ & Rota, quoniam de stricto jure, magis juridica est opinio *Bald.* aliorumque civilistarum.

Alia etiam accedente ratione ad effectum validitatis gestorum, quod scilicèt Episcopus, quamvis recusabilis, de consensu partis rectè judicat, ut *ex Hostiens.* 18
& aliis Fagnan. in cap. procurationes num. 47. & 48. de censibus, & cæteri, undè propterea, parte citata, & non recusante, concurrere dicitur consensus in jurisdictione, vel explicitus si comparet, vel implicitus, qui in contumace inesse dicitur, cum iste sit unus de effectibus contumaciæ.

Idem quoque clarè comprobat communis & inconcussa totius Orbis Catholici observantia, quæ apta est inducere competentiam, etiam ubi de jure non
adesset, ut ex *Hostien.* benè *Felin. in dicto cap. cum veniissent num. 7. de Judiciis,* Plurium enim Cathedralium & Metropolitanarum redditus in Italia, ferè omnes consistunt in Canonibus, livellis, & laudemiis bonorum emphyteuticorum, seù feudalium, ut sunt præsertim Ecclesiæ Ravennaten. Mediolanen. Florentin. Bononien, Mantuana, & similes, ac Abbatiæ Nonantulan. & Farfen. atque in Hispannia tàm magni illarum 20
Ecclesiarum redditus consistunt in decimis & primitiis; Et tamen causæ super obligatione vel respectivè exemptione decimarum, sivè super devolutione bonorum feudalium, vel emphyteuticorum, aut super solutionibus Canonum & laudemiorum, in prima instantia fiunt coràm ipsis Ordinariis, eorumque curiis, & officialibus.

Quod observabam ad litteram probari per text. *in cap. venerabili, & capit. procurationes de censibus,* in quibus supponitur Episcopi competentia super jure visitandi Monasteria, etiam extrà diœcesim, & exigendi procurationem, quæ cedit ad ipsius Episcopi pro tempore commodum, non indè tamen dicitur causa propria, quia ejus substantia, & perpetua pertinentia est Ecclesiæ.

Idem quoque nimis clarè comprobante ratione inconvenientium, & absurdorum, quod scilicet Episcopi, pro exigendis eorum redditibus, ac percipiendis fructibus bonorum à colonis & remdentibus, 21
proptiam jurisdictionem exercere impediti, cogerentur Metropolitanos, vel alios superiones & judices adire, quo nil absurdius, Unde propterea, loquendo cum solo sensu veritatis, dicebam dictas propositiones in contrarium ponderatas videri nimium perniciosas, ac Episcoporum & Prælatorum jurisdictioni & existimationi præjudiciales, nam ita quilibet posset eos contemnere, ac bonis & redditibus Ecclesiæ spoliare.

Cæterùm, quatenùs pertinet ad præsentem casum particularem, cum Baro laicus cum ejus laicali auc- 22
toritate quamdam violentiam Ecclesiæ ac Episcopo

intulisset, exigendo de facto ex fructibus suorum bonorum onus laicale, Tunc non solùm, ubi nulla accessit recusatio, sed ea etiam accedente & spreta, ad censuras procedi potuisset, quamvis hominis & non legis, ex ratione superius insinuata, quod tunc Episcopus procedere dicitur, potius tanquam pars se defendendo, ac vim vi repellendo cum armis Ecclesiasticis, quàm tanquã judex, juxtà magistralem traditionem *Innocentii in dicto cap. venerabili de censibus nu. 5. circà finem*, idemque per eadem verba reassumit *Hostiens. in dicto cap. procurationes eodem tit. nu. 7.* & sequuntur *Turrecrem. & Præposit. in cap. si quis erga 2. quæstion. 7. in fine Butr. & Abb. in dicto cap. cum venissent de judiciis numer. 10. Lap. dicta alleg. 37. Caldrin. dicto cons. 6. de judiciis, Riccull. de jur. personarum dicto lib. 4. cap. 61. num. 2. cum sequen. Fagnan. in cap. nosti de electione n. 20. & dicto cap. procurationes n. 28. cum sequent.*

Idque, sivè cum subdito, sivè cum non subdito, quoniam ut suprà insinuatum est, defensio adhibenda est cum omnibus, ac magis cum non subditis utpotè minùs reverentibus, ac facilioribus ad hujusmodi
23 violentias & perturbationes inferendas. Consideratio autem, an agatur de subditis, vel non subditis, percutere solùm videtur effectum facilioris probationis & possessionis, in qua Episcopus perturbetur, quoniam certum est id procedere cum præsuppositio, quod sit in possessione, in qua molestias recipiat, cum hoc defensionis remedium concedatur ad se tuendum in pos-
24 sessione, quæ obtinetur, non ad recuperandam eam, quæ non habetur, juxtà communem sensum Canonistarum, de quibus suprà, & aliorum; Undè quoties præsertim agitur de possessione jurisdictionis vel alterius juris incorporalis, juxtà casum textus in *dicto cap. venerabili de censibus*, quia nempè agatur de jure visitandi Ecclesiam seù personas in diœcesi, cum jure exigendi procurationem, suffragatur respectu juris assistentiæ in isto casu militantis, non autem in altero ubi extra diœcesim, & cum non subditis, ut ex eodem *Iunoc. & aliis Fagnan. in dicto cap. procurationes nu. 39.* Et sic ad effectum facilioris, vel difficilioris probationis possessionis, de qua tuenda agatur.

Adversus istud fundamentum, duo motivantur in secunda decisione, seù verius discursu 16. *Novembris 1667.* Primò quod id procedat cum dicto præsuppositio possessionis, de qua non videbatur constare, Et secundò quod intelligatur, quatenùs procedatur extrajudicialiter, secùs autem in forma judiciali
25 juxtà communem sensum eorumdem Canonistarum, de quibus suprà, Et de utroque dubitari videtur, dum exactio facta non erat ab ipsa Ecclesia vel Episcopo, sed ab affictuariis seù affidatis introductoribus animalium in eo territorio ad pascendum, Atque processum videbatur in forma judiciali, quoniam prævia instantia Promotoris fiscalis, Vicarius Generalis, cum præcedenti justificatione de non tuto accessu, per edictum citaverat Baronem, ejusque Ministros, & Officiales, ad dicendum intrà certum terminum causam quarè non deberent declarari excommunicati, &c.

Utraque tamen difficultas patùm subsistens videbatur, non ex jure sed ex facto; Non negabam enim veritatem utriusque præsuppositi juris, quod scilicèt Episcopus debeat esse in possessione, quodque ipse, vel ejus Vicarius, unum & idem Tribunal constituens, in forma extrajudiciali potiùs procedat, quoties præsertim agitur de substinendo actu, recusatione non obstante, negabam verò applicationem ad factum.

Quatenùs enim pertinet ad primam difficultatem, prorsùs absonum videtur, Ecclesiam, quam non dubitatur aliquod prædium seu rem in dominio & possessione habere, teneri justificare possessionem suæ exemptionis, & libertatis ab oneribus laicalibus, quo-
26 niam ista probatio adesse dicitur per speciem notorii juris, donec per laicum prætendentem contrarium id probetur cum illis requisitis, de quibus in celebri *Brundusina gabellæ coram Penia* inter suas *dec. 1079.* & in alia magis celebri *Alben. gabellæ coram Merlino* inter suas *dec 902.* de quibus *in Hydruntina*, & in *Mediolanen. Imbottatus*, & in aliis *sub tit. de Regalibus ad materiam Vectigalium & gabellarum*; Quod scilicèt esset onus merè reale, fixum, & invariabile transiens cum ipsa re ad quoscumque possessores et-
27 iam exemptos, Sivè quod idem jus competat ratione dominii directi, quia dominium possessoris esset subalternum ad quasdam fructuum species tantùm restrictum juxtà casum, de quo infrà in *Tarentina disc. 66.* habetur etiam in dicta *Hydruntina*; Sed quia hoc non præsumitur, atque Ecclesiæ assistit certa regula generalis super libertate & exemptione, limitanda solùm in dictis casibus; Idcircò incongruum est dicere, ut qui habet fundatam intentionem in regula, teneatur probare non limitationem, cum de jure propositio sit in contrarium ex deductis per *Mantic. dec. 251. num. 4. Barbos. axiom. 197.* & passim; Atque esset assumptum Ecclesiasticæ immunitati nimis præjudiciale; Nil obstante quod exactio facta esset à laicis introductoribus animalium, quoniam cum isti pro hujusmodi pascuis de certa pensione seu fida convenissent, absque eo quod ad aliud teneri deberent, nil eorum intererat quantitatem ex dicta causa solvendam, uni magis, quàm alteri præstari, Unde propterea exactio directè, & immediatè petcutiebat ipsam Ecclesiam, ita suportantem onus laicale, ac patientem diminutionem fructuum ejus bonorum; Dicta enim consideratio exactionis onerum à colonis laicis, procedit, ubi agitur de illis oneribus, quæ exiguntur à personis subditis ratione personarum, sivè etiam ratione bonorum jam effectorum de proprio dominio, & cum eorum patrimonio incorporatorum, quamvis inspecta causa seù origine obveniant à portione colonica bonorum Ecclesiæ, juxtà ea quæ plu-
ries habentur deducta in dicta sua materia gabellarum & vectigalium *sub titulo de Regalibus præsertim disc. 53.*

Et quoad processum judicialem, adhuc factum non assistebat, quoniam licèt potuisset Episcopus vel Vicarius æquali more, vim vi repellendo procedere de facto per censuras, eodem modo quo de fa-
28 cto laicus processerat ad exactionem, nihilominùs urbanius facere videtur, si citationem adhibet, ne de nimia properantia redarguatur, ut post antiquiores *Riccuill dicto cap. 61. num. 2. & Fagnan. dicto cap. procurationes*, Unde incongruum est retorquere in odium id quod in gratiam alterius partis & cum majori æquitate ac urbanitate gestum est; Unde propterea, mihi videbatur ex multis istum casum non esse capacem tot difficultatum, præsertim circa defectum jurisdictionis, quia in causa menstæ; Non improbabilem tamen postea expertus sum aliam difficultatem super defectu jurisdictionis cum non subditis, & pro bonis extrà territorium proprium, ut in *Cusentina juris pascendi*, de qua hoc eodem tit. *disc. seq.* ubi videndum de dicto puncto.

CUSEN-

CVSENTINA
PRÆTENSI JURIS PASCENDI.

PRO

MENSA ARCHIEPISCOPALI

CVM

COMMUNITATE,

Ac aliquibus particularibus Terrænovæ.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Immunitatis.

De eadem materia disc. præcedentis, An scilicet & quandò Episcopus, vel alter Prælatus pro defensione bonorum Ecclesiæ, quemvis extrà suum territorium seù diœcesim existentium, procedere valeat ad censuras contrà non subditos in possessione dictorum bonorum Ecclesiam turbantes.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An Episcopus sit Judex in causa suæ mensæ.*
3 *An Communitates habeant juris assistentiam in re pascendi, vel potius id competat Baronibus remissivè.*
4 *Declaratur quando hæc assistentia procedat, & de materia servitutis juris pascendi.*
5 *Expenduntur sententiæ & probationes dicti juris pascendi.*
6 *Episcopus potest procedere ad censuras contra turbantes in possessione.*
7 *Etiamsi turbantes haberent aliquas probabiles prætensiones.*
8 *Quod id non possit fieri cum non subditis.*
9 *Contrarium verius, & de rationibus.*
10 *Expenditur tex in c. dilecto de sentent. excomm. in 6. quod loquatur de turbatione in bonis propriis Prælati.*
11 *Verbum, suum, denotat dominium & proprietatem.*
12 *Prælatus neque in possessorio præjudicare potest Ecclesiæ quæ obtinet reintegrationem, vel etiam manutentionem non obstante facto Prælati.*
13 *De differentia quando turbatio est in bonis propriis Prælati, & quando est in bonis Ecclesiæ, ut procedatur contra non subditum, & de prorogatione jurisdictionis ob offensam judicis majestatem.*
14 *De differentia temporis antiqui & moderni in hac materia.*
15 *Delegatus non benè procedit non insertis litteris delegationis, quod declaratur.*
16 *Quando male excommunicatus, adhuc non debeat audiri, atque pro excommunicato haberi.*
17 *Malè carceratus bene retinetur.*
18 *Sententia nulla sed injusta unico contextu infirmatur, sed confirmatur ex integro.*
Card. de Luca de jurisdict. & foro compet.

DISC. XLVIII.

IUXTA seriem, de qua in hac eadem causa *sub tit. de feudis disc. 34.* Cum Ecclesia Metropolitana Cusentina 1
ex antiqua concessione Principum Normandorum, confirmata deinde per Reges pariter Normandos, possideret in allodium Oppidum *S. Lucidi*, Rex autem *Alphonsus II.* illud cuperet sub ejus pleno dominio, quia non expedit Regis desiderio se opponere, quoties præsertim Ecclesiæ indemnitati consultum remanet, Idcircò de anno 1494. cum beneplacito Apostolico in forma *si in evidentem*, illud permutatum fuit cum tribus tenutis, vulgò in regione *cursus* nuncupatis, sitis in diœcesi Rossanensi, quæ priùs de dominio Principipis Bisiniani, tunc possidebantur per Regem ex causa publicationis bonorum dicti Principis imputati de crimine læsæ majestatis; Cum autem cives & incolæ Oppidi Terrænovæ, in cujus territorio sita est una ex dictis tenutis nuncupata *Sajetta*, prætenderent in ea habere jus pascendi cum eorum animalibus, Archiepiscopi pro tempore, quia per Regem dictæ tenutæ concessæ fuerant franchæ & liberæ ab omni onere & servitute, curarunt se tueri in hujusmodi libertatis ac pleni dominii possessione, cum majus earumdem tenutarum emolumentum consistat in venditione pascuorum hyemalium, quorum valor ferè in totum pendet à jure privativo, seù prohibendi, ne alii animalia immittere possent; Cumq; modernus Archiepiscopus suspicaretur, præfatos cives & incolas, ipsa Communitate assistente, velle de facto dictam eorum antiquam prætensionem suscitare, atque in ea se confovere, curavit obtinere ab *Alexandro VII.* facultatem per litteras Apostolicas in forma Brevis, procedendi ad censuras aliaque necessaria & oportuna etiam contrà non subditos, Ecclesiam seù mensam Archiepiscopalem in hujusmodi tenutis, aliisque bonis perturbantes; Quarè sequuto de facto suspicionis casu, quia dicti Oppidani animalia immiserunt, conductores ac affidatos perturbando, Hinc propterea Archiepiscopus seù ejus Vicarius, ipsos declaravit incursos in censuras per sacros Canones & Apostolicas Constitutiones inflictas contrà occupatores & perturbatores bonorum Ecclesiæ: Censurati autem duas diversas vias eodem tempore tenuerunt, Unam recursus ad Regia Tribunalia, sub prætextu cujusdam litis pendentiæ in eis, sive quod hujusmodi tenutæ prætenderentur feudales, Alteram verò appellationis ad A.C. Adversùs quam secundam viam recurrente Archiepiscopo ad Sacram Congregationem Immunitatis pro reassumptione causæ, assumptaque proindè disputatione, an dictæ censuræ per ipsam Sacram Congregationem, & cum ejus auctoritate substineri deberent.

Ex parte Censuratorum & Communitatis eis adhærentis, pro earum infirmatione tria opponebantur, Primò quod cum hujusmodi tenutæ essent feudales, cognitio istius controversiæ spectaret ad Regem ejusque Tribunalia juxtà dispositionem textus *in cap. ex transmissa & cap. sequen. de foro competenti*, undè propterea licitus fuerat recursus; Secundò deducebant nullitatem ex eo jurisdictionis defectu, quod Archiepiscopus non poterat esse Judex in causa propriæ mensæ *ut toto titulo in rubro & nigro Codicis, ne quis in sua causa, &c.* Fundamentum constituendo in iis, quæ punctualiter consimili casu de recenti firmaverat Rota *in Cotronen. censurarum 4. Maii & 16. Novembris 1667. coram Carpinea, ut habetur disc. præc.* Et 2

tertiò demùm ex altero defectu jurisdictionis, de quo pariter in eadem *Cotronen.* quod scilicèt bona essent extrà diœcesim, ac etiam personæ essent non subditæ, & de aliena diœcesi, ideoque nullum jus dictus Archiepiscopus habebat procedendi ad hujusmodi censuras.

Primum objectum, quamvis primo aspectu aliquam faceret impressionem, attamen Me pro Archiepiscopo scribente, de facili superatum fuit, quoniam revera qualitas feudalis non adest, neque agebatur de controversia feudi, quo solùm casu dictorum canonum dispositio procedit ex iis, quæ super hac eadem causa habentur in propria sede *sub titulo de feudis dicto disc.* 34. Alterum verò super defectu jurisdictionis ex eo quod ageretur de bonis mensæ, omninò neglectum fuit, dum nulla concurrebat recusatio, undè unanimi consensu reputatum disputatione indignum ex eisdem rationibus & fundamentis, quæ super hoc puncto habentur *in dicta Cotronen. disc. præcedenti*, quæ pariter deducebam in ista causa, sed modicum, ac ferè nullum desuper pati oportuit laborem, eum per omnes haberetur pro casu indubitato.

Quarè tota disputatio fuit super tertio motivo, in quo magna habita fuit difficultas, adeò ut pluries proposita causa, nulla capta fuerit resolutio, ex quibusdam tamen prudentialibus motivis potiùs dilata, cum aliàs Sacra Congregatio, saltèm pro majori parte inclinaret pro nullitate ex dicto defectu jurisdictionis, Sed Me & aliis pro hac parte scribentibus in ultima disputatione convincenter probantibus, & inculcantibus, quod posita pacificâ Ecclesiæ possessione, ejusque perturbatione de facto, reverà dictum objectum non subsisteret atque econverso cum per alteram partem mordicùs insisteretur in negatione hujusmodi circumstantiæ, quod scilicèt ageretur de usurpatione seù perturbatione de facto, Idcircò prudenter in dicta ultima disputatione ad hoc restricta fuit difficultas, ut scilicèt hujusmodi pacificæ possessionis justificationes darentur, atque in hoc statu causa reperitur, Undè cum ex parte agentium pro mensa Archiepiscopali præsupponatur, talem esse certam veritatem, quodque iidem Oppidani, ipsaque Communitas quandòq; dicta pascua & tenutas conduxerint more forensium & pro eodem consueto pretio, Hinc proindè mihi videbatur, reflectendo etiam ad solam veritatem, ista facti circumstantia retenta, pro hac parte dictarumque censurarum subsistentia probabilius respondendum videri.

Duæ igitùr fuerunt hujusmodi disputationum inspectiones, Una facti super dicto jure pascendi, quod per præfatos Oppidanos prætenditur, Et altera juris, an scilicèt posita dicta usurpatione seù perturbatione de facto, potuerit Archiepiscopus contrà non diœcesanos & non subditos, ac pro bonis extrà ejus diœcesim existentibus, ad dictas censuras devenire.

Quatenus pertinet ad primum, scribentes pro Communitate, ejusque Oppidanis, tria constituebant fundamenta pro hujus prætensi juris pascendi ejusque possessionis justificatione ad dictum effectum excludendi turbationem de facto, Primò in assistentia juris, quam dicebant Communitates & cives habere in 3
pascuis bonorum existentium in earum territorio, ex iis quæ in hac materia juris pascendi habentur pluries deducta *sub titulo de servitutibus*, præsertim *in Spoletana discursu 41. & in aliis sequentibus* quod primo aspectu magnam fecit impressionem.

Verùm id continebat æquivocum clarum, in sequentibus disputationibus rectè agnitum, ideoque de hoc motivo nulla ratio habita fuit; Dicebam enim id rectè procedere in pascuis, forestarum, montium, aliorumque bonorum campestrium, communi seù publico pascuorum usui destinatorum seù deservientium in ea parte, in qua excedit civium & incolarum usum, Tunc etènim intrat quæstio, an illa in dubio præsumantur Baronis seù Domini loci, vel Communitatis, & quisnam eorum habeat juris assistentiam, plerisque ut supra tenentibus partes Communitatis, aliis verò tenentibus partes Domini, ex iis quæ prò utraque sententia habentur insinuata *in Comaclen. vallium sub tit. de feudis disc.* 2. ac etiam *in Amerina disc. 36. & in aliis sub dicto tit. de servitutibus ad hanc materiam juris pascendi*, Secùs autem quoad tenutas & prædia privatorum, quoniam juris regula est, ex 4
pluribus litteralibus juribus comprobata, quod herba, quæ in meo nascitur, mea est, neque alter me invito, & non soluto pretio depasci potest, nisi juris pascendi servitus ex titulo explicito, vel ex implicito resultante à præscriptione competat, ut plenè firmatur *in Narnien. juris pascendi coram Verospio dec. 300. & 347. par. 9. rec.* ubi quod juxtà magis communem opinionem, quam Rota & Curia sequitur, cum agatur de præscriptione habente causam discontinuam, requiritur tempus immemorabile, ac habetur pluries actum in sua materia *sub tit. de servitutibus* ad materiam pascuorum, præsertim *in Nepesina collecta*, & *in Portuen. juris pascendi.* Solùmque, reflectendo ad veritatem, considerabam, quod quando de aliqua recenti, & actuali possessione constaret, tunc ad excludendam usurpationem seu probationem, super qua erat punctus quæstionis, intraret quædam juris assistentia, non pro Communitate juxtà dictas auctoritates viversam quæstionem ut suprè percutientes, sed pro ipsis civibus & incolis in ordine ad illam consuetudinem, quæ juri seù usui naturali quodammodo innixa, illis tribuit facultatem depascendi in tenutis & fundis apertis, quæ sepium vel murorum recinctum non habeant, quoties segetibus vel culturæ præjudicium seù impedimentum non resultet, quodam jure civico, & naturali, atq; jure cõsuetudinis potiùs quàm præscriptionis, ut pluries advertitur in dicto *tit. de servitutibus* in allegatis causis & aliis ad hanc materiam pascuorum.

Secundò, ad præfati prætensi juris pascendi probationem adducebantur duæ antiquæ sententiæ, una de anno 1518. altera de anno 1542. in quibus, præsertim secunda id præsuppositivè enunciatur, atque in 5
hac specie probationis magnum constituebatur fundamentum, Sed revereà, inspecta etiam veritate, nullius momenti erat, quoties non concurreret recens & actualis possessio, quo casu hujusmodi sententiæ rectè deservirent, ac operativæ remanerent pro dicta possessionis adminiculo, eodem modo quo suprà de consuetudine dictum est, De reliquo enim illæ ad nihil in proposito deserviebant, Nedùm quia judicis laici contrà Ecclesiam non citatam nec auditam, undè duplex jurisdictionis ac citationis substantialis nullitas concurrebat, Sed etiam quia id enunciativè seù præsuppositivè asserebatur, undè intrant vulgaria recepta axiomata, quod verba præsuppositiva non inducunt dispositionem, neque enunciativæ aliquam constituunt probationis speciem, ubi de enunciato principaliter disputatur; Alia etiam manifesta dictæ secundæ sententiæ nullitate concurrente, cum lata esset per quemdam judicem ad supplicationem dicti Principis Bisiniani in gratiam restituti, delegatum à Rege pro eo reintegrando adversus spoliatores ad bona de facto occupata, sub expressa restrictiva ad spolia sequuta ab annis 30. citrà, & dummodò non ageretur de alienationibus Regio assensu vallatis, quo-

rum

rum utrumque deficiebat, cum Ecclesia possideret has tenutas ab annis 50. circiter, & ex titulo habito ab eodem Rege immediatè ut supra.

Tertium fundamentum constituebatur in quibusdam testibus parte non citata, atque, ut vulgò dicitur, ad perpetuam rei memoriam examinatis, Sed pariter excluså observantiâ seù actuali possessione, cum contraria longissima possessione Ecclesiæ juris prohibendi, ubi etiam dicti testes essent formiter examinati, nil in proposito concludebant, utpotè deponentes de fama & antiquis traditionibus super hoc jure pascendi, Ideoque hæc omnia, ut dicebam, deservire poterant ad probandum, quod ista non esset prætensio nova sed antiqua.

Posita verò pacifica possessione Ecclesiæ de tempore controversiæ de plano intrabat turbatio, cujus ratione Episcopus vel Prælatus procedere potest ad censuras per quamdam speciem defensionis juxtà magistralem doctrinam *Innoc. in cap. Venerabili de censibus num. 5. circà finem*, quam communiter sequuntur cæteri, de quibus *in Cotronen. disc. præced.* Ideoque prudenter ac meritò causa restricta fuit ad hunc punctum ultimi status seù actualis possessionis, Non enim ex eo quod aliquis, etiam probabilem, beneque fundatam prætensionem habeat ad bona per alium possessa, sequitur quod ei licentia tribuenda sit, de facto ac propria auctoritate se intrudere, ac pacificum possessorem perturbare, nam debet ser. ser. coram possessoris judice competente ejus jura experiri, aliàs semper erit spolium & illicita turbatio.

Ideoque ubi turbatores essent subditi & diœcesani, præsuppositâ hac facti circumstantia, nulla videbatur esse difficultas super dictarum censurarum validitate, Unde totus punctus restringebatur ad defectum jurisdictionis, quia cum non subditis & pro bonis extrà territorium; Dubitandi autem fomentum præbebat originalis auctoritas *Innocentii in cap. dilecto de sent. excommun. in 6. n. 2.* ubi profert hæc verba, *dummodo tamen spiritualis gladius non exerceatur, nec pro sua nec pro aliena injuria, nisi contrà homines suæ jurisdictionis, naturalis tamen defensio pro se & aliis bene potest exerceri etiam in homines cujuscumque jurisdictionis*, & cum eo, simpliciter, ac non examinato articulo pertranseunt *Ioannes Andr. Ancharan. & Geminian.* ibidem ac alii relati *per Cavalcan. dec. 82. par. 1. num. 39. Riccitull. de jure personarum lib. 4. cap. 61. n. 35. & per Rotam in dicta Cotronen. censurarum 4. Martii & 16. Novembris 1667. coram Carpinea.*

Cum eodem tamen sensu veritatis, cum quo *disc. præcedenti* loquebar in dicta alia consimili quæstione *Cotronen.* Mihi videbatur hujusmodi nullitatem, verè non habere subsistentiam ex duplici fundamento, Primò quia posita dicta usurpatione seù turbatione de facto, opus non est ut Episcopus adhibeat spiritualem gladium censurarum auctoritate sua, ut erat de temporibus, in quibus scripserunt *Innoc. Gemin. Ancharan.* & cæteri, dum hodiè per Sac. Conc. Trid. ac Bullam Cœnæ, aliasque Apostolicas Constitutiones, censuræ inflictæ sunt ipso jure, undè Episcopus seù alter Prælatus eas non profert auctoritate sua, sed solùm publicat, & denunciat incursum censuratum jam à lege inflictarum, quod etiam cum exemptis & non subditis rectè fieri potest, etiamsi expressum privilegium habeant, ne ab Episcopo vel altero Prælato excommunicari possint, ut habetur *dicto disc. præcedenti*, & ex professo particulariter agitur *in Messanen. hoc eod. tit. disc. 29.* ideòque cessabat applicatio quæstionis percutientis censuras latas ab homine auctoritate sua, quasi quod ad hunc effectum jurisdictio cum censurandis requiratur.

Et secundò, quia, cum isto casu agatur de censuris, in forma extrajudiciali magis quàm judiciali & de facto, tanquam per speciem defensionis, juxtà deducta *dicto disc. præced.* Idcircò omninò probabilis, beneque fundata videtur doctrina *Riccitulli*, qui refert ita decisum per Sac. Congregationem de anno 1619. *dicto cap. 61. ex num. 36. ad 45.* ubi satis bona deducit fundamenta, illud præsertim, ut *dicto disc. præcedenti*, nimium convincens, quod ubi major est offensionis facilitas, ibi magis prompta esse debent arma defensionis, & ideo cum sinè dubio, facilius exteri, & non subditi audeant ad hujusmodi turbationes & intrusiones procedere, quia minus timent eum quem non agnoscunt in Superiorem, Hinc de consequenti resultat, dictum gladium spiritualem ita magis exercibilem esse debere, nam aliàs esset de plano exponere Episcopos aliosque Prælatos hujusmodi usurpationibus, ac turbationibus de facto, ut latius in præcedenti.

Ponderabam præterea occasione hujus disputationis, quod nullibi expressè in jure statuta reperitur hæc distinctio, an facultas, quæ Episcopo vel Prælato conceditur adhibendi istum gladium spiritualem pro defensione adversùs turbationes & violentias, restricta sit ad solos subditos nec nè, Desumitur enim dicta facultas ex *text. in dicto cap. dilecto de sent. excomm. in 6.* ubi de Decano, & sic Prælato inferiori se tuente adversus quemdam Bajulivum, qui injuriosè eum bonis suis mundanis spoliare præsumpserat, cujus textus dispositione retenta *Innocentius* in ejus commentar. adhibet distinctionem ut suprà registratam. Sed neque textus, neque *Innocentius* explicant, an illa bona essent Ecclesiæ, vel essent propria ipsius Decani, Atque probabilius verba textus in illis verbis, *cum bonis suis mundanis spoliare, &c.* denotare videtur, agi potiùs de bonis propriis & privatis, Tùm ex illo verbo, *suis*, quod dominium & proprietatem denotat *ad text. in l. scribit Quintus 36. ff. de auro, & argento legatis* cum concord. *per Surd. dec 142. numer. 6. & 9. Barbos. dict. 397. num. 1. Greg. dec. 115. num. 6. Rota dec. 326. num. 32. & 33. par. 11. rec.* Quod convenire non potest in bonis Ecclesiæ, quorum nec dominium nec proprietatem Prælatus vel Rector habet, sed solùm administrationem, adeoùt neque in possessorio Ecclesiæ præjudicare valeat, Undè propterea receptam ac frequentem conclusionem habemus, quod ipso Prælato alienante, vel aliàs bona in alium transferente, non benè servatâ formâ, præscripta per *extravag. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* Prælatus successor, quinimò & ipsemet alienans nomine Ecclesiæ, nedum possessorium remedium reintegrandæ, sed etiam illud retinendæ intentate potest, ut *dec. 11. 215. & 518. apud Postium de manut. dec. 94. & 191 p. 7. rec. cum concord. collect. per Postium eod. tract. obser. 57. & passim*, Ergò impropria esset loquutio textus, dicendo de bonis, *suis*, si illa essent Ecclesiæ.

Tum etiam, quia adjicit illud verbum, *mundanis*, quod potissimè adjectum dicto altero verbo, *suis*, ad oculum id demonstrare videtur, quoniam bona Ecclesiæ dicuntur Ecclesiastica, non autem mundana, utpotè patrimonium Christi & pauperum, Unde propterea nostri dicere solent, quod bona Ecclesiæ elargita, ita effici dicuntur *Sancta Sanctorum*, ut habetur *in Lucana Iurisdictionis seu Imperii sub tit. de feudis disc. 60.* Quamvis enim quandoque Canones agendo etiam de bonis Ecclesiæ adhibere soleant hunc terminum, vocando ea temporalia seù mundana, attamè id sequitur,

tur, ubi ratio recti sermonis ita exigat, ad ea contradistinguenda à spiritualibus, quod hujus textus dispositioni non congruit.

Idemque ad evidentiam comprobari videtur ex eisdem verbis *Innocentii* suprà registratis, ibi, *nec pro sua nec pro aliena injuria*, & sic pro offensa vel turbatione personali & propria, non autem ratione Ecclesiæ vel Prælaturæ.

Magna verò differentia videtur inter unum casum & alterum, Ubi enim offensa vel turbatio est in perso-
13 na vel bonis propriis, tunc ille subditus, ita etiam proprium Superiorem spernere videtur, eique non servare illam reverentiam, quam generaliter etiam in rebus propriis vel indifferentibus subditus Superiori, seù diœcesanus proprio Episcopo debet, ac propterea eumdem gladium spiritualem exercere conceditur; Sed ubi fit à non subdito, tunc cessat hæc ratio, quoties offensa vel turbatio est privata, secùs autem ubi est publica ratione Ecclesiæ & Prælaturæ, quoniam tunc intrat illa jurisdictionis prorogatio, quæ resultat ob offensas aures seù turbatam jurisdictionem, undè non subditi, seù aliàs quantumvis exempti, fiant subditi, ita ut excepto casu incapacitatis magistratuum sæcularium cum clericis (quod neque sæculares ita pacificum relinquunt,) non detur exemptio quantumvis ampla & privilegiata, quæ isto casu suffragetur, ad notata per *Canonistas in cap. 1. de off. de legati*, & *civilistas in l. addictos Cod. de Sacrosanct. Eccles. cum concord. per Farin. q. 114. num. 67. cum sequen. & cons. 134. lib. 2. ac habetur in dicta Messanen. disc. 29.* ac etiam *in Anglonen. disc. 36.* Potissimè quia neque textus prædictus distinguit, an ille Bajulivus esset subditus Decani necnè.

Ideoque pro meo judicio hæc difficultas non videbatur adeò magna, qualem *in dicta Cotronen.* & in ista sum expertus, quoties agitur de violenta turbatione vel usurpatione bonorum ipsius Ecclesiæ, quoniam prorsùs incongruum videtur, ut Episcopus, qui jam habet in manibus istum gladium spiritualem, ita cogendus esset, dum laditur, retinere gladium proprium in vagina, atque patiendo injuriam, quam alias ita in continenti propulsare posset, alterius opem implorare, ut ille cum suo gladio eum tueatur, dum idem est utriusque gladii effectus; Ac etiam quia in sensu antiquorum Canonistarum istæ non dicuntur censuræ judiciales & in ratione jurisdictionali, sed extrajudiciales, & in ratione defensionis de facto; Clarius
14 verò stante superius insinuata circumstantia per antiquos Canonistas non ponderata, quod scilicèt hodie ob hujusmodi causam opus non est devenire ad censuras hominis, dum habemus censuras legis, quodque Episcopus, vel alter Prælatus non excommunicat jure & auctoritate sua, ut tunc supponunt *Innoc.* & cæteri faciendum esse, sed solùm denunciat, & publicat censuras jam à lege illatas.

Demùm in hac facti specie ponderabam, omnem difficultatem cessare ex dictis litteris Apostolicis præventivè ad hujusmodi dubium evitandum obtentis,
15 per quas expressè conceditur facultas procedendi ad censuras, etiam contrà non diœcesanos & non subditos; Et quamvis istud motivum non haberet plausum, ex eo quod delegatus, ubi non agitur de actu gesto in faciem delegantis, ipsoque præsente, ut validè procedat, insinuare tenetur citato suam facultatem, inserendo in ipsa prima citatione tenorem delegationis, ad communiter notata *in cap. cum in jure de off. delegati*, Nihilominùs mihi videbatur hanc non esse difficultatem considerabilem; Procedit enim quando ille delegatus respectu partium, cum quibus delegatam jurisdictionem exercere debet, nullam penitùs haberet jurisdictionem, idque esset omninò certum & clarum, ita ut rationabiliter citatus, eum tanquàm quoad se merè privatum spernere valeat; Secùs autem isto casu, in quo ex præmissis, tam ob auctoritates Doctorum, quàm fortius ex vivis & solidis rationibus, probabilius dici potest hanc facultatem etiam cum non diœcesanis exercibilem esse, vel saltèm quod id sit probabiliter dubium, ut dictæ litteræ Apostolicæ non dicerentur continere puram & simplicem delegationem ei, qui nullam aliàs jurisdictionem haberet, sed potiùs quamdam juris dubii declarationem, dictarumque difficultatum remotionem, quodque propterea non versaremur in casu præciso, in quo dictam cautelam insertionis delegationis adhibere oporteat.

Observabam demùm, quod ubi etiam censuræ prolatæ per Archiepiscopum dictos defectus pati possent, Adhuc tamen, retento dicto facti præsupposito, 16
à quo totum pendebat, ultimi scilicèt status possessionis Ecclesiæ, undè resultabat usurpatio seù turbatio de facto, quod adhuc eædem censuræ substineri deberent, sivè dicti turbatores declarari censurati à lege potiùs quàm ab homine ut suprà, dum non agebatur de censuris pro delicto facti transeuntis, sed pro illo facti permanentis, quia turbatores continuabant in turbatione, ac usurpatione mediante immissione animalium de facto, ideoque quotidianus erat novus incursus censurarum; Dando in hoc practicum exemplum, Si enim judex laicus carceraret clericum, vel aliquem extraheret ab Ecclesia, pro quo actu ab Episcopo non diœcesano, vel à diœcesano cum processu omninò inordinato excommunicaretur, ita ut de stricta juris censura ille processus esset invalidus, Si tamen dictus judex recurrendo ad Sac. Congregationem, vel alterum Superiorem, non resipisceret, sed continuaret in retentione carcerati, utique exaudiendus non esset, sed habendus pro censurato, ob notorium incursum censurarum illatarum à jure ob perseverantiam in delicto.

Ad quod probandum deducebam ea, quæ habemus de malè carcerato, quod benè detinetur si constet incontinenti de delicto, pro quo si non esset car-
ceratus, deberet carcerari de novo ex deductis per 17
Farin. quæst. 27. numer. 151. & sequen. ubi num. 153. testatur de praxi; Et de sententia nulliter lata per judicem à quo, quod si constat in continenti de justitia, illa confirmatur ex integro juxtà decisionem *Putei 72. lib. 3. Seraph. decis. 857 in fine, & 878. per totum Greg. dec. 131. numer. 1. & sæpius*; Et de immisso in possessionem cum processu nullo, quod constito de ejus bono jure, ad evitandum inanem circuitum, quoties non obstat positivum delictum attentatorum, vel spolii violenti, datur retentio *ex deductis per Seraph. dicta decis. 878. Surd. decis. 46. cum similibus*, quoniam iste actus perseverantiæ in delicto cessare facit omnes regulas, nam aliàs esset delinquentem notoriè censuratum ita confovere, Ideoque concludendo, unica difficultas restringebatur ad factum dictæ possessionis, ex qua resultabat usurpatio seù turbatio ut suprà, qua posita omninò insubsistentem credebam dictam prætensam nullitatem.

***

ALGA-

ALGAREN.
JURISDICTIONIS
PRO
COLLEGIO SOCIETATIS JESU,
CUM
JUDICE APPELLATIONUM SARDINEÆ.

Casus decisus per Sac. Congregationem Concilii pro Iudice.

An & quandò à Conservatoribus privilegiorum detur appellatio ad solitos Judices appellationis, & præsertim ad Judicem appellationum Sardineæ, Et quatenus detur, An retardet, & operetur effectum suspensivum, Et an sperni possint inhibitiones.

SVMMARIVM.

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *A Conservatoribus privilegiorum non appellatur, nisi ad Papam, neque ad Legatos de latere.*
3 *Delegatio strictè ad limites verborum intelligenda est.*
4 *Conservatores non sunt Iudices.*
5 *Sed potius viri potentes, & auxiliatores.*
6 *Non debent servare ordinem judiciarium.*
7 *Conservator privilegiorum Societatis Iesu est etiam Iudex, & quando utramque vel unam tantùm personam gerere dicatur.*
8 *Laudatur resolutio unius puncti, ut etiam à Conservatoribus appelletur ad Iudicem generalem appellationum.*
9 *Quod Conservatores veniant etiam sub nomine Iudicum.*
10 *Ponderatur auctoritas* Fagnani *super hoc Iudice Sardiniæ, ac Iudice Cruciatæ.*
11 *Quod Conservator possit spernere inhibitionem alterius Iudicis, & quando liceat spernere inhibitionem.*
12 *Quando à Conservatoribus detur appellatio suspensiva necnè.*
13 *An violetur Ecclesiastica immunitas exigendo onera à colonis Ecclesiarum.*
14 *Privilegia exemptiva decimarum non suffraganter colonis.*
15 *Immunitas non competit pro oneribus merè realibus, & infixis rei.*
16 *In possessoria retinendæ non quæritur de justitia vel injustitia, sed attenditur nudum factum.*
17 *In materia immunitatis Ecclesiasticæ Iudices Ordinarii appellationis non possunt inhibere.*
18 *An conservatores debeant obedire inhibitionibus Iudicis appellationis, & abstinere.*

DISC. XLIX.

A Temporibus *Pii II.* ob navigationis difficultatem, ac periculum, ab Insula Sardineæ ad Urbem, ut illorum Insulanorum gravaminibus consuleretur, consuevit Sedes Apostolica, ad quinquennium, seù aliud sibi placitum tempus, aliquem Canonicum Cathedralis, vel Metropolitanæ, seù aliam personam in Ecclesiastica Dignitate constitutam deputare in judicem generalem per verba præcisa, *appellationum in causis omnibus Ecclesiasticis, super quibusvis diffinitivis, & interlocutoriis sententiis, & gravaminibus, ab Ordinariis, & Delegatis, ac Iudicibus quibuscumque.* 1

Cum autem in hac diœcesi Algaren. Insulæ prædictæ consuetudo esset, quod domini non privilegiati terratum, eas propria manu vel sumptu colentes, ex tritico aliisque frugibus decimam solverent, pro medietate Episcopo, & pro medietate Comiti de Sedillo hoc jus obtinenti ex concessione Regis *Alphonsi Primi* (id forsan ex Apostolica concessione obtinentis,) Ubi verò dantur aliis colendæ, ipsorum colonorum onus est, ultra portionem dominicalem, seù verius pensionem in certa frumenti aliarumque frugum quota vel quantitate domino præstandam, quæ ibi vulgò *terraticum* dicitur, solvere etiam dictam decimam utrique decimatori respectivè; Cumque ab annis 70. circiter in d. Civitate fundatum esset Collegium Societatis Jesu, cui tam in ipso limine fundationis ab ipsomet Comite de Sedillo & aliis, quàm successivis temporibus, ex piis dispositionibus, seù aliis titulis, plures terrutæ, seù terrarum petia obvenerunt, Observantia dedit, stantibus privilegiis Apostolicis huic Societati concessis, de quibus *dec. tol. par. 10. rec.* & frequenter in aliis, super exemptione à solutione decimarum, quod quando Collegium propria manu, vel sumptu hujusmodi terras excoluit, nullam decimam persolvit, quando verò aliis colendas tradidit, exigere consuevit à colonis ad proprium commodum, tàm solitam pensionem seù terraticum, quàm decimam prædictam.

Nuper autem quidam ministet dicti Comitis de Sedillo, ad dictæ decimæ exactionem in ista diœcesi deputatus, cum brachio etiam & auctoritate cujusdam Magistratus sæcularis, de facto in area exegit à dicti Collegii colonis dictam mediam decimam seù vigesimam. Quare ejusdem Collegii Procuratore recurrente ad Archipresbyterum Ecclesiæ Cathedralis, suorum privilegiorum Conservatorem jam legitimè, & ad formam *Constitutionis 9. Gregorii XV.* deputatum, Hic prævia monitione intrà aliquarum horarum spatium facta dicto ministro ad restituendum frumentum, ac aliàs dicendum causam quarè declarari non deberet incursus in censuras contentas in sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicis Constitutionibus, præsertim Bullæ cœnæ, contrà usurpatores bonorum Ecclesiasticorum, sivè exigentes ab Ecclesiis & Ecclesiasticis onera laicalia, eum non comparentem, & contumacem declaravit incursum, Et interposita per istum appellatione ad Sanctissimum, aliosque legitimos superiores, Conservator prædictus illam admisit ad devolutivum tantùm, Obtentisque per appellantem litteris inhibitorialibus à præfato judice generali appellationum, sub pœnali comminatione ad ulteriora non procedendi, Conservator prætendens inhibentem in hujusmodi causis non esse

competentem, nullamque habere jurisdictionem, non solùm inhibitioni parere neglexit, proceedendo ad censuratum publicationem, & cedulorum affixionem, sed etiam eumdem citavit tanquam suæ jurisdictionis perturbatorem, undè propterea hincindè unus alterum excommunicavit, ac in alias pœnas incursum declaravit, Atque utroque Curiam adeunte, cum per Sanctissimum negotium remissum fuisset Sacr. Congregationi Conc. Trid. Interpretum, per istam duo data fuerunt dubia, Primum generale, *An à sententiis, aliisque gestis per Conservatores privilegiorum appellari posset ad dictum delegatum Apostolicum ad universitatem appellationum in ea Insula.*

Et alterum particulare, *An dictus Conservator benè vel malè processerit*, & utroque propositio *sub die 24. Martii 1668.* prodiit resolutio dicto Judici generali favorabilis, declarando scilicèt quoad primum dubium generale etiam à sententiis, aliisque gestis per Conservatores privilegiorum appellari posse ad istum delegatum, eumque in hujusmodi quoque casis esse competentem, cum distinctione tamen, quod in casu manifestæ injuriæ appellatio devolutiva solùm intraret, non autem suspensiva.

Et quoad secundum dubium particulare, quod Conservator non benè processisset in spretum inhibitionis ad censuratum publicationem, stante quod non agebatur de casu manifestæ injuriæ seù violentiæ, in quo tantùm Conservatoribus conceditur facultas ita procedendi, quia tunc appellatio non suspendit.

In ista igitur controversia Ego scribens pro Collegio, & consequenter etiam pro Conservatore, Tanquam Advocatus, quoad dictum primum dubium generale, dicebam hujusmodi delegationem non comprehendere Conservatores privilegiorum, ex duplici fundamento, Primò quia juxtà magis communem & receptam opinionem, à Conservatoribus non
2 appellatur, nisi ad Papam, ita ut neque ad Legatum de Latere detur appellatio, quia dicuntur delegati ipsius Papæ, à quibus proindè non nisi ad delegantem appellare licet. *Ancharan. cons. 132. Ruin. cons. 3 lib. 4. Moneta de Conservator. cap. 9. num. 84. & 185. & conferunt dictam eodem tractatu cap. 8. num. 166. & 169. Barbos. de potestate Episcopi alleg. 106. nu. 4. Pasqualig. ad Lauret. de Frauch. tit. de Conservator. qu. 6. nu. 842. & sequen. & cæteri.*

Et secundò, quod delegatio de sui natura strictè, & ad verborum limites intelligenda est, ita ut tantum censeatur concessum, quantum in ipsa legitur,
3 *c. significavit, & cap. fin. de rescript. cap. cum P. & G. de off. deleg. Gloss. in cap. 1. cap. dispendia, & cap. statutum de rescript. in 6. Greg. decis. 34. numer. 2. & 3. decis. 85. num. 1. & 4. par. 6. rec. & omnes*, Undè cum litteræ Apostolicæ delegationis loquantur *de appellationibus à sententiis & gravaminibus ab Ordinariis, & delegatis, ac judicibus quibuscumque*, & sic de judicibus, Dicebam proindè, sub hoc nomine non venire Conservatores privilegiorum, quando præsertim non profitentur in vim particularium facultatum sibi com-
4 petentium assumere partes judicis, sed remanent in puris terminis Conservatorum, quoniam istis *in cap. 1. & finali §. ut autem de officio delegati in 6.* expressè inhibetur assumere partes judicum, ac se ingerere in iis, quæ judicialem exigunt indaginem, eorum potestate restricta ad compescendas solùm manifestas injurias, & violentias, quæ contrà formam privilegiorum Religiosis fierent, & cum eodem sensu proceditur *per Sac. Conc. Tridentinum Sess. 14. de refor. cap. 5.* ac habetur per Rotam *in Cracovien. decis. 184. par. 11. rec. nu. 20. & seqq. & alibi*, Undè propterea eis prohibitum est habere Tribunal erectum ex supra deductis *in Faventina disc. 4.* ita ut tali casu, verè & propriè Conservator dici non diebat judex, sed potiùs vir potens, & auxiliator, cum majoribus armis assistens parti, ut se tueatur ab injuriis, & violentiis, juxtà terminos *textus in l. ut vim ff. de justitia & jure.* 5

Ad quod comprobandum deducebam ea, quæ *ex Canonistis in cap. venerabili, & cap. procurationes de censibus, & cap. dilecto de sent. excommunicationis in 6.* ac alibi habentur plenè deducta *in Cotronen. censurarum, & in Cusentina disc. 47. & 48. hoc eod. tit.* quod scilicèt in casu violentiæ, & perturbationis, licitum est ipsimet Prælato, qui videtur in hoc pars, extrajudicialiter procedere ad censuras, tanquam per speciem defensionis cum armis Ecclesiasticis, unde distinguitur casus, in quo procedat tanquam judex, & in quo tanquàm pars extrajudicialiter, & in his ultimis terminis esse dicitur Conservator, quando tale officium nudum, & separatum ab illo judicis gerit.

Undè propterea cum scribentes in contrarium exagerarent de præcipitantia paucarum horarum; ac 6
penitùs inordinato processu, nulla tela judiciaria servata, Dicebam, etiam cum sensu veritatis, quod posita circumstantia violentiæ & injuriæ manifestæ, prudenter ita gestum esset, quodque potius fuisset error procedendi cum tela judiciaria, ut benè advertit *Innoc. in dicto cap. venerabili*, & sequuntur cæteri, de quibus *in d. Cotron. disc. 47.* ac etiam Rota in secunda illius causæ decisione, ita ut ex ibidem notatis, urbanitas fuerit transmittere, quamvis cum brevi termino, citationem, quæ potius suspicionem inducere potest processus judicialis, & successivè influere in nullitatem.

Et quamvis scribentes in contrarium objicerent de eodem hujus Societatis privilegio contento *in dicta Constitutione prima Gregorii XIII.* per quod Conservatoribus conceditur etiam facultas assumendi par- 7
tes judicis, & cognoscendi causas judicialem indaginem exigentes, quod etiam per argumentum à contrario supponitur per *Constitutionem 9. Gregorii XV.* per quam consimilia privilegia moderantur in illis casibus in quibus Regulares sunt actores; Dicebam tamen, ac etiam in hac parte cum sensu veritatis, nullam adesse implicantiam, quin in eadem persona materiali, duæ concurrant personæ formales, Una nudi & simplicis Conservatoris, extrajudicialiter, & de facto procedentis ut suprà, potiùs tanquàm pars seù partis assistens & auxiliator ad defensam, vim vi repellendo, Et altera judicis ex facultatibus particularibus, contrà vel præter juris dispositionem competentibus ex privilegio juxtà *cons. Corn. 15. lib. 3. pertot.* cum aliis, de quibus benè *apud Ubald. decis. 239. num. 2.* alias *616. par. 2. rec.* ubi de hac personarum contradistinctione, Ideoque dicebam dictam delegationem generalem loquentem de judicibus, complecti quidem Conservatores, quandò induunt personam judicis, atque judicialiter procedunt; secus autem, quandò procedendo potiùs ut pars, nomen judicis eis non convenit, quia tunc neque conveniunt dictæ delegationis verba, ad quorum limites illa attendenda est ut supra.

Verùm reflectendo ad veritatem, præmissis non 8
obstantibus, quoad hunc punctum generalem, justa & probabilis visa est resolutio, quoniam aut standum est in rigore & formalitate verborum, quod semper

ego

ego censui damnabile, aut in substantia verisimilis voluntatis Papæ delegantis, ut verius videtur, ex iis, quæ in aliis materiis ambiguæ voluntatis desumendæ, præsertim verò & frequentius habentur *sub tit. de fideicommissis*, Primo casu, quamvis ex præmissis in stricta juris ratione, non sint judices, quâdo hujusmodi Conservatores propriam ac nudam Conservatoris personâ gerunt in casu manifestæ injuriæ seù violentiæ, juxta præcisos terminos *c. primi & final. de offic. delegati in 6.* Attamen per *Sac. Conc. Trid. dicta Sess. 14. de refor. cap. 5.* ac etiam per *dictam Constitutionem 9. Gregorii XV.* & alias Apostolicas Constitutiones, adhuc in verbis appellantur *judices conservatores*, undè propterea, stante amplitudine verborum dictæ delegationis, dum 9
post expressos ordinatios & delegatos cum dictione copulativa denotante ampliationem, additur, *ac judicibus quibuscumque*, ita videtur complecti omnes, qui aliàs in stricta censura sub præcedentibus vocabulis *judicum, ordinariorum, & delegatorum*, non venirent, cum aliàs dicta verba ampliativa inepta & otiosa essent, quod in litteris Apostolicis regulariter admittendum non est.

Idem quoque comprobante rationis identitate, quod scilicèt, ob navigationis difficultates, & pericula, à gravaminibus appellari vel recursus haberi non potest ad ipsum Papam, unde propterea deputatur in ipsa Insula dictus judex Papæ in hac parte Vicarius Generalis. Ac etiam quia prorsùs absonum & irrationabile videtur, ut ille qui est judex à sententiis Episcoporum & Archiepiscoporum, aliorumque majorum Prælatorum, non possit esse judex à gestis per hujusmodi Conservatores, qui ut plurimum sunt viri privati; Ac aliàs, si in verborum rigore standum esset, neque hic esset judex appellationis vel recursuum à gestis per Episcopos alioque Prælatos extrajudicialiter, quandò in propriorum bonorum vel jurium possessione ac fructuum perceptione turbantur, quia tunc non dicuntur gerere personam judicis sed partis se defendentis ut in allegatis *Cotronen. & Cusentin. hoc. tit. disc. 47. & 48.* & tamen fabulæ species esset id prætendere vel asserere.

Considerabant aliqui ex Cardinalibus Congregata *per Fagnan. in cap. studuisti de off. legati ex num. 28. ad finem*, ubi tractando quæstionem in proposito Commissarii Cruciatæ, *num. 48.* supponit judicis Sardiniæ auctoritatem etiam suprà Conservatores; Et quamvis id asserat incidenter, & præsuppositivè, atque diversæ rationes & circumstantiæ concurrant in dicto casu per eum disputato, ita ut reverà dici 10
non possit auctoritas decidens casum, attamen rationes in dicto casu ibi ponderatæ satis influunt, Ac etiam Ego ponderabam satis considelabile videri prædictum, licèt incidens præsuppositum Viri cum tam diuturna praxi adeò versati in Sacris Congregationibus Episcoporum, & Concilii, quarum antè luminum privationem Secretarius fuit, ac etiam successivè in gravioribus Curiæ & Sedis Apostolicæ negotiis; Item quia admissa etiam dicta distinctione, quam Ego, & cæteri pro hac partes scribentes deducebamus, duplicis personæ formalis in eadem persona materiali concurrentis, judicis scilicèt, & Conservatoris, adhuc admittenda est jurisdictio hujus delegati, ut videat, an juxtà primam, vel secundam personam processum esset, dum juxtà primam ejus jurisdictio intrabat, Ideoque meritò & cum justitiæ fundamento ita resolutum fuit, atque quoad hunc primum punctum concors fuit omnium Patrum sententia.

Quoverò ad alium punctum particularem, An scilicèt iste Conservator, benè vel malè processisset, iste punctus tres habebat partes, Unam, an esset competens in ipso negotio principali, qui controversiæ occasionem dedit, citando dictum ministrum Comitis exactorem decimæ, alioque in idem cooperantes, eosque declarando incursos in censuras; Alteram circà processum ad ulteriora, non obstante appellatione, Et tertiam circà processum contrà ipsummet judicem appellationis inhibentem.

Ista tertia pars non metebatur discursum, ad effectum substinendi gesta, licèt enim Ego scribens tanquam Advocatus, posita, juxtà præmissa, non comprehensione casus sub delegatione, dicerem ita istum 11
delegatum remanere virum merè privatum adhærentem perturbatoribus, eosque confoventem, & consequenter cadere sub eadem jurisdictione Conservatoris, ut in terminis Conservatoris, ac liciti spretus inhibitionis habetur *decis. 109. & 184. p. 11. rèc.* Nihilominùs reverà hæc erat subdilitas Advocatorum, quoniam esse non debet in facultate inferioris interpretandi potestatem superioris inhibentis spernendo inhibitionem, quæ sivè justa, sivè injusta, est timenda, nisi quando defectus jurisdictionis esset notorius & indubitatus, in quibus terminis procedunt *d. dec. 109. & 184. p. 11. cum similibus*, secus ista circumstantia cessante, quia tunc spectat ad superiorem declarare *ut dec. 275. & 292. ead. par. 11.* & sæpius, Multò minus assumendo partes judicis contrà ipsummet Superiorem & inhibentem, illum excommunicando, ac ad alias pœnas condemnando; Unde propterea considerabam supetius deducta super non comprehensione casus sub dicta delegatione, solùm suffragari debere ad inducendam quamdam probabilem credulitatem, excusantem à temeritate redolente delictum positivum & punibile.

Quoverò ad alias duas partes, illarum determinatio pendebat ab eodem principio, An scilicèt per dictum ministrum Comitis illata esset violentia & injuria manifesta, quo posito, concors pariter erat Patrum 12
sententia, appellationem ad dictum judicem dari ad solum effectum devolutivum, non suspensa executione, Tum quia ita exigit subjecta materia processus, magis extrajudicialis quàm judicialis, Tum etiam quia in hujus societatis privilegio registrato in *dicta Constitutione prima Gregorii XIII.* expresè disponitur, hujusmodi Conservatores ad executionem, appellatione postposita, procedere posse, Secùs autem ubi non essemus in dicto casu injuriæ seù violentiæ manifestæ, quoniam tunc, licèt ex eadem Constitutione, tanquam ex particulari privilegio, hujusmodi Conservatores procedere possint tanquam judices, nihilominùs in proposito duplex obstabat defectus inevitabilis, unus præcipitantiæ seù omninò inordinati processus tali casu necessarii, & alter, quia hujusmodi judicum facultates moderatæ sunt per dictam *Constitutionem 9. Gregorii XV.* quandò Regulares sunt actores, firmis solùm remanentibus eorum facultatibus in iis casibus, in quibus sunt rei.

Super dicto igitur puncto, an scilicèt essemus necne in casu injuriæ, & violentiæ manifestæ, satis variæ fuerunt vota, major tamen pars prævaluit pro negativa, ex eo fundamento, quod hujusmodi decimæ ex- 13
actio facta non esset ab ipsis Regularibus privilegiatis, sed à colonis sæcularibus, undè propterea, neque Ecclesiasticæ immunitatis, neque privilegiorum violatio aliqua adesse dicebatur, cum illud remotum seù indirectum præjudicium quod ex colonorum oneribus, vel respectivè exemptione resultat ob invitationem

nem ad conducendum pro majori pensione per Ecclesiasticos considerari solitum, etiam in Curia per doctos, & judicios Prælatos & Cardinales non habeatur in consideratione, ex iis quæ habentur frequenter *sub tit. de regalibus* ad materiam vectigalium, eorumque exemptionis, præsertim *in Mantuana disc. 53.*

Contrarium verò in hac facti specie ad effectum de quo agebatur, mihi videbatur probabilius, undè propterea, resolutio in hac parte non placuit, non quidem ex defectu dicti assumpti in genere, sed ex defectu applicationis ad factum, Quoniam juxtà facti seriem initio insinuatam, nil colonorum interest hanc decimam potius ipsi Collegio domino terrarum quàm præfato decimatori solvi & è contrà, cum ipsi, sivè uni sivè alteri eam solvere debeant, unde propterea exactio prædicta facta per dictum decimatorem, directè & immediatè percutit interesse Ecclesiæ, ac diminutionem consuetæ perceptionis fructuum ex ejus bonis, ita ut propriè intrare videatur exemplum traditum *per Innoc. in cap. venerabili de censibus* reassumptum *per Hostien. Fagnan. & alios in cap. procurationes extrà eodem*, cum in aliis *in dicta Coronen.* ubi scilicet Prælatus impeditur in ea perceptione fructuum vel jurium, in cujus possessione reperitur.

Licet enim ex quodam usu loquendi in regione, Collegium præstationem à colonis sub duplici titulo seù vocabulo exigere dicatur, uno scilicèt *terratici*, id est pensionis, cæteris omnibus dominis non privilegiatis solvi consuetæ, & altero decimæ, utpotè loco illius decimæ, quam aliàs coloni non privilegiatorum solvunt utrique decimatori ut suprà. Attamen verè, & in effectu, tota est unica major pensio, ita per cessationem alterius oneris decimatorii adaucta, & sic principaliter, directè, & immediatè est exigere, non à colonis, sed ab ipso Collegio privilegiato, cum laicali auctoritate & de facto.

Adversus hæc, duplex intrabat ratio dubitandi, Una quod si ista est decima spiritualis, regulariter Parocho debita, ita ex privilegiis vel antiqua consuetudine transfusa in Episcopum & Comitem, tunc privilegia Apostolica exemptiva suffragantur solùm Religiosis privilegiatis, quandò sua manu & sumptu eorum bona colunt, secùs quandò aliis locant, seù colenda tradunt, quoniam ptivilegia non suffragantur affictuariis seù colonis, ut est certum ac receptum principium de quo hodiè non dubitatur, ut pluries in sua materia *sub tit. de decimis*, potissimè quia iidem coloni seù affictuarii illam de facto solvunt, unde privilegia utporè concedentia solam exemptionem passivam, non extendenda sunt ad jus activum exigendi decimam ab aliis, Adinstar eorum, quæ supra *hoc eodem titulo* frequenter habentur de privilegiis exemptivis à jurisdictione passiva, non tribuentibus jurisdictionem activam. 14

Altera verò dubitandi ratio erat, quod si istud onus non proveniret ratione decimæ spiritualis ut supra, sed esset laicale ex auctoritate Regis (cujus tamen contrarium probabilius videbatur ob præsumptionem regulariter in contrarium militantem, ut scilicèt in dubio decimæ præsumantur potiùs spirituales, etiam ob participationem Episcopi,) adhuc tamen tanquàm onus merè reale ratione dominii ipsis bonis infixum, & invariabile transit in quemcumque possessorem quamvis privilegiatum & Ecclesiam, unde propterea, nec immunitatis, nec privilegiorum violatio adesse dicitur, juxtà celebres decisiones *in Brunduſi, na gabella coram Penia inter suas dec. 1079. & Alben. gabella coram Merlino inter suas dec. 902.* cum aliis, de quibus *in Hydruntina exemptionis seù onerum, & in Mediolanen. Imbottatus sub tit. de Regalibus ad materiam Vectigalium disc. 50. & 51.* 15

Neutra tamen difficultas in proposito, & ad effectum de quo agabatur obstabat, quoniam quicquid esset de una vel altera in peritorio super pertinentia hujusmodi juris decimandi, Attamen certum erat, per tempus notabile, Collegium reperiri in hac possessione, in qua etiam alios Religiosos & Ecclesiasticos reperiri supponebatur, unde propterea non poterat de facto in ea perturbari, vel auctoritate propria, vel deterius cum illa magistratus sæcularis.

In possessorio enim non quæritur de justitia vel injustitia tituli seù negotii principalis, sed attenditur nudum factum possessionis, in qua possessor est manutenendus, donec ser. servandis per judicem possessoris competentem, cum re judicata vel tribus conformibus, defectus tituli seù petitorii detegatur, seù terminetur, potissimè verò ubi possessio est temporis considerabilis, quo casu ea est manutenibilis etiam in materiis habentibus juris resistentiam, neque unquàm exceptio boni juris attenditur, nisi ubi est certum, & indubitatum per rem judicatam vel confessionem, ita ut certa sit negativa contrariæ possibilitatis seù probationis in judicio ordinario petitorii juxtà propositiones hodiè planas & in foro quotidianas, & quæ possibilitas in præsenti videbatur satis verisimilis ex eo quod supponebatur ejusdem Comitis ascendentem fuisse unum ex fundatoribus seù benefactoribus, unde potuit hoc jus in limine fundationis concedi, satis id comprobante observantia; Et nihilominùs ubi etiam certum esset dicti Collegii malum jus, ita ut injustus possessor dicendus esset, ac prædonis jure censendus, adhuc tamen non poterat de facto & laicali auctoritate in ejus possessione turbari, illaque spoliari, sed id faciendum erat ser. ser. coram Judice Ecclesiastico competenti, unde propterea requisitum manifestæ injuriæ & violentiæ, quinimò & illud evidentis violationis Ecclesiasticæ immunitatis sinè dubio verificari videbatur. 16

Et ex qua ultima circumstantia, violationis scilicèt immunitatis Ecclesiasticæ, observabam in isto casu particulariter dicti judicis appellationum inhibitionem sperni potuisse, illumque carere jurisdictione, quoniam post erectionem Sac. Congregationis Immunitatis Ecclesiasticæ, sivè ex decretis Apostolicis, sivè ex illis ejusdem Congregationis, aut ex inconcussa observantia, certum est, in his materiis, Metropolitanos, aliosque judices appellationis se non ingerere, sed gravaminum cognitionem privativè spectare ad ipsam Sac. Congregationem, licèt de hoc dubitari posset, an procedat extrà Italiam. Unde ex pluribus dicta resolutio quoad secundam partem super isto casu particulari & in ordine ad gesta per Conservatorem contrà dictum laicum exactorem & perturbatorem, reflectendo ad veritatem, non placuit; Nimium tamen indiscretus modus Conservatoris non solùm procedendo ad publicationem censurarum inhibitione non obstante, sed etiam excommunicando, atque ad aliarum pœnarū condemnando dictum Judicem appellationum, ac superiorem inhibentem satis, nocuit; Illud tamen firmatum fuit, quod ubi agitur de violentiis, & injuriis manifestis, ita ut Conservator privilegiorum verè & propriè procedat tanquam talis, non detur appellatio suspensiva, secus autem ubi aliam induendo personam, procedit tanquam judex. 17

Verùm observabam id rectè procedere ad excu-

sau-

sandum ab attentatis vel nullitate exequutionem, quæ antè inhibitionem infra tempus datum ad appel-
18 landum, vel etiam post interpositam appellationem facta esset, illamque subsistendam, secus autem quoad facultatem inhibendi, ac obligationem parendi inhibitioni, & abstinendi ab ulteriori exequutione, donec per eumdem inhibentem, vel alterum superiorem dicta inhibitio moderetur, ut docet praxis quotidiana, etiam in processibus executivis obligationis cameralis, vel litterarum Apostolicarum, aut possessorii summariissimi manutentionis, cum similibus in, quibus appellatio suspensiva sit regulariter prohibita, ex duplici clara ratione. Una quia inhibitio sive justa, sive injusta est timenda, neque in libito subditi, & inhibiti positum esse debet eam interpretari, aut alias judicare ut supra, & altera, quia sæpius, etiam in his judiciis & processibus executivis, juxtà quotidianam praxim utriusque signaturæ, gratiæ, & justitiæ, & Cameræ admittitur appellatio etiam suspensiva ratione injustitiæ, seù ex alio motivo, igitur expectandum est judicium inhibentis vel alterius superioris, & interim abstinendum, Atque in hac specie ad superiorem pertinet inspicere an intrarent necnè termini manifestæ injuriæ, & violentiæ, ita ut ille qui sub nomine Conservatoris processerat, personam judicis potius, quam veri & proprii Conservatoris, ex negotii qualitate gereret, ideoque difficile est judicium superioris in hoc effugere.

TERRACINEN.

JURISDICTIONIS

PRO

CURIA EPISCOPALI

CUM

TRIBUNALI VICARII URBIS

Casus disputatus in signatura Iustitiæ, & credo resolutus pro Curia Episcopali.

De jurisdictione Vicarii Urbis intrà districtum, etiam in causis primæ instantiæ in concursu Ordinarii loci, & de præventione inter eos.

Et quid si ipsa Ecclesia Cathedralis sit extrà districtum, intrà quem tamen sit locus diœcesis, ubi patratum est delictum, seù aliàs causa tractetur, An scilicèt qualitas districtualis, & distantia, regulanda sit ab ipso loco particulari, vel potius ab ipsa Cathedrali.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Per citationem inducitur præventio.*
3 *Quis præferatur, ubi unus procedit per accusationem, alter per inquisitionem.*
4 *An loci existentes intrà districtum sub Cathedrali, quæ sit extrà illum, cadant sub jurisdictione Vicarii.*
5 *Oppidum Sermonetæ est intrà districtum, & quid de illo Setiæ.*
6 *A finibus spiritualibus non infertur ad temporales, & econtrà.*
7 *Vicinitas regulatur ab ipsa Ecclesia Cathedrali, cujus situatio attendenda est.*
8 *Quomodò consideretur Vicarius Urbis, & in quo fundetur ejus jurisdictio intrà districtum.*
9 *An jurisdictio Vicarii correcta sit per Concilium Tridentinum.*

DISC. L.

PAtrato delicto in Oppido Sermonetæ hujus Terracinen. Diœcesis, Curia Episcopalis per inquisitionem processum formavit contrà 1
prætensos delinquentes, quos partes offensæ quærelarunt in Tribunali Vicarii Urbis, à quo pariter effortmatus fuit processus, Ortaque controversia super causæ cognitione in Signatura justitiæ, credo eam fuisse remissam Ordinario, ex fundamento præventionis, cui, data etiam cumulativa à dicto Tribunali prætensa intrà to- 2
tum districtum, locus est; Curia enim Episcopalis processerat ad citationem, per quam receptum est præventionem induci. *Farinac. q. 7. nu. 56. Carleval. de judiciis tom. 1. disput. 2. nu. 879. Greg. dec. 27. & 94. Buratt. & adden. dec. 109.*

Et quamvis ex parte dicti Tribunalis diceretur sibi magis cognitionem competere stante accusatione partis offensæ, nihilominùs ubi res non est integra, quo solo casu intrat quæstio prælationis inter accusa- 3
tionem & inquisitionem, quia processum sit ad citationem, cessat omnis difficultas ex plenè deductis *per Tondut. de prævent. par. 2. cap. 50. nu. 9. cum sequen.* & ita passim servat praxis Urbis, in qua multa adsunt Tribunalia hujusmodi cumulativam habentia, quod ubi concurrit citatio realis, seù verbalis, casus remanet extrà difficultatem, potissimè ex eo quod, quicquid de stricto jure statutum sit, de consuetudine tamen in omni ferè delicto proceditur per inquisitionem ex deductis *per Farinac. q. 1. n. 10.*

In hac autem disputatione actum quoque fuit de puncto, per Signaturam tamen non determinato, ut- 4
potè extrà causæ necessitatem, dum ex dicta præventione cessabat difficultas, An scilicèt dicta cumulativa quæ intrà districtum Urbis competit Tribunali Vicarii, in concursu Ordinariorum, aliorumque Judicum primæ instantiæ non obstante dispositione *Sac. Conc. Tridentini Sess. 24. de reformat. cap. 20.* locum haberet in isto casu, in quo agebatur de delicto commisso in dicto oppido Sermonetæ, quod est intrà districtum, dum illud est diœcesis Terracinen. cujus Cathedralis est absque dubio ultrà 40. milliaria, & sic qualis locus attendi debeat ad effectum inspiciendi, an versaremur intrà vel extrà districtum.

Et in hoc scribentes, pro dicto Tribunali Vicarii deducebant firmata in specie *in Terracinen. fideicommissi decis. 1. Otthoboni*, ubi occasione statutorum de 5
filiis in conditione positis firmatur tanquàm certa hujus Oppidi situatio intrà districtum, ut in effectu est, Tùm à notorio itineris experimento, Tum etiam quia etiam de Terra *Sezia*, quæ per plura milliaria magis distat, est sub dubio, apud *Buratt. dec. 326. num. 5.* & fortè probabilior est affirmativa, cum me dubitante illa Communitas ita aestimaretur, ita etiam docente praxi Tribunalis Capitolii seù Senatoris, unde

undè inferebant casum esse extra quæstionem.

6 Contrarium, etiam cum sensu veritatis, dicebam probabilius, quoniam à territorio temporali non benè infertur ad spirituale vel econtra, ut suprà frequenter *in Toletana disc.1.* & in aliis habetur; Unde stant stmul, istum locum quoad fines temporales reputari de districtu, tam ad effectum statutorum Urbis, quam etiam successivè jurisdictionis Senatoris & Capitolii cum similibus, & tamen diversum esse quoad fines spirituales, metiendos ex situatione ipsius Ecclesiæ Cathedralis, cujus diœcesis dicitur territorium constituens corpus individuum, quod diverso Jure censeri non debet, unde propterea magna differentia est inter unam, & alteram jurisdictionis speciem.

7 Quod clarè comprobari observabam ex dispositione *Sac.Conc.Trid.Sess.24.de reformat.cap.9.* occasione jurisdictionis, quæ delegatur in locis *Nullius* Episcopo viciniori, quia vicinitas ex Concilii contextu regulatur ab ipsa Ecclesia Cathedrali, non autem à loco, in quo casus contingat, firmant *Barbos. in collectan.ibidem num.4.* & *Fagnan.in cap.nullus de Parochiis num.25.* ubi testatur ita decisum per Sac. Congregationem, atque ita passim servat usus.

8 Dicebam ulterius, Vicarium Urbis non considerari tanquam Vicarium Papæ uti Papæ & Episcopi Ecclesiæ universalis, sed solùm tanquam Episcopi Urbis, ita contradistincti, juxtà ea quæ de hac distinctione habentur firmata *in Romana hæreditatis 28. Aprilis 1659.coram Meltio dec.62.post collectationes* Bondeni, de qua habetur actum pro illis de Rochis *sub tit. de fideicommissis*, & habetur magis ex professo tractatum infrà *sub tit. de præeminentiis in Urbinaten. Juris metropolitici, disc.1.* ubi quod hic districtus reputatur tanquam species diœcesis hujus Episcopatus, quem incongruum videtur esse sine diœcesi, atque habere fines adeò restrictos intrà agrum Romanum, ita ut Episcopi intrà hujusmodi ambitum existentes, speciem habere videantur Coadjutorum & Vicariorum subordinatorum, absque eo quod intret incompatibilitas seù monstrum, de quo *in cap.quoniam in plerisque §.prohibemus de off.ordinarii*, dandi scilicèt duos Episcopos in eodem territorio, ne detur monstrum duorum capitum in uno corpore, Cum id procedat, quandò ambo prætenderent jus coæquale, & omninò independens, ita ut quilibet capitis figuram gerere velit in eodem corpore, secùs autem compatibiliter & subordinatè, ut frequenter *hoc tit.* Quæ ratio adaptabilis non est, ubi Cathedralis est extrà hujusmodi districtum seù ambitum, & consequenter intrat dicta incompatibilitas seù monstrum.

Motivabam quoque de incompetentia hujusmodi cumulativæ etiam intrà districtum, quasi quod illa proveniret *ex Constitutione 36.Pauli III.* cui proindè derogatum fuit per generalem omnium obstantiarum derogationem contentam *in Sac. Conc. Trid.Sess.24.de Reformat.cap.20.* ut causæ omnes in prima instantia per locorum Ordinarios cognosci debeant, & cum quo præsuppositio processit Signatura *in una Farfen.de mense Novembris 1646.proponente Dondino*; Verùm, reflectendo ad veritatem, istud motivum non videbatur tutum, quoniam dicta cumulativa non videtur resultare ab aliquo particulari privilegio, sed à dicta ratione juris diœcesani, quod fortè prætendi posset protrahi etiam ad centum miliaria, quantum importabat antiquus Urbis districtus, *ut in dicta Urbinaten.disc.1. sub tit. de præeminentiis*, quasi quod moderna restrictio ad 40. utpotè facta per Statutum circà temporalia, attendi non debeat quoad spiritualia, super quibus Senator & Populus non poterant se ingerere, sed quia observantia est in contrarium, undè tacita Papæ voluntas & approbatio exindè resultasse videtur, idcircò illa dividenda non est, firmo tamen remanente dicto antiquo ambitu, seù districtu, saltèm in ordine ad territorium provinciale seù metropoliticum, ne scilicèt intrà illud alter Metropolitanus existat juxtà ea, quæ habentur *in dicta Urbinaten.juris Metropolitici*: Unde propterea credebam, rectè subsistere istam cumulativam intrà modernum districtum, respectu tamen illarum diœcesum, quarum Cathedrales intrà illum sitæ sunt, ita ut earum Episcopis congruat dicta ratio subordinationis, qua posita dari etiam potest cognitio causarum ultrà dictum ambitum respectu locorum diœcesis, qui magis distarent, & sic ista restrictio, ita se habet ad lucrum, ac damnum respectivè, quæ omnia discursivè deducebantur, & in ratione motivandi; Hucusque tamen occasio non dedit id formiter disputandi, ac maturum judicium desuper efformandi.

BONONIEN. CENSVS

PRO

LUDOVICO DE MARTELLIS

CVM

ALBERTO ET FULVIO DE GRASSIS.

Casus disputatus in signatura Iustitiæ, quoad hunc punctum non resolutus.

De jurisdictione Cardinalis Legati in prima instantia quandò intret, Et àn etiam in casibus, ad quos ejus facultates non extenduntur, sit prorogabilis de partium consensu in præjudicium Ordinarii; Et de materia prorogationis jurisdictionis judicis aliàs incompetentis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Causæ in prima instantia cognoscenda coram locorum Ordinariis.*

3 *Bononiæ adest provisio particularis favore Archiepiscopi.*

4 *Subditus non potest prorogare jurisdictionem judicis incompetentis in præjudicium sui superioris.*

5 *Baro petit remissionem Vasalli quamvis in aliam Curiam consentientis.*

6 *Declaratur conclusio, de qua num.4. cum distinctione casuum.*

7 *De differentia in hoc inter jus civile, & Canonicum.*

8 *Etiam in casu, in quo subditus non potest prorogare jurisdictionem incompetentis, actu subsistenetur in ejus præjudicium.*

9 *Legatus est judex competens clericorum, & concurrit cum quolibet Ordinario.*

10 *Observantia quandò & ad quem effectum sit considerabilis.*

DISC. LI.

CUM Martellus pulsasset coram Legato Bononiæ, seu ejus Officialibus illos de Grassis tantanquam hæredes debitoris census ad solutionem fructuum, atque reis conventis in jurisdictionem consentientibus, per Auditorem Generalem ab eodem Legato deputatum, relaxatum esset mandatum exequutivum, interposita appellatione, & assumpta disputatione in Signatura Justitiæ super modo illam committendi, An scilicet cum clausula *sine præjudicio executionis*, ut in exequutivis, & de sui natura suspensivam appellationem non admittentibus rescribi solet, Vel potiùs cum clausula suspensiva seu ttanslativa executionis, ut etiam in exequutivis, & privilegiatis ratione nullitatis, vel injustitiæ rescribi solet, & super quo rescribendi modo pro impedienda executione, ferè omnes hujus Tribunalis disputationes habentur; Inter cæteras nullitates, quæ ex parte appellantium deducebantur pro obtinendo rescripto, etiam ad effectum suspensivum, erat illa defectus jurisdictionis, quoniam cum ipsi essent clerici, non poterat causa coram alio judice in prima instantia tractari quàm coram Arciepiscopo tanquam loci Ordinario ex dispositione *Sac. Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 20.* ubi in specie inhibetur Legatis, ne se ingerant in causis primæ instantiæ, illas cognituri in gradu appellationis.

Clarius verò dicebatur id procedere in hac diœcesi Bononien. ob speciales litteras *Gregorii XV.* de super providentes, ne Legatus in causis fori Ecclesiastici primæ instantiæ se ingerat, præterquam in illis criminibus, pro quibus imponenda veniret pœna ultimi supplicii cum traditione curiæ sæculari, quo casu disponitur esse locum prævention; Cumque tam Concilium, seu Constitutio *Pii IV.* super ejus confirmatione, & publicatione, quàm dictæ litteræ *Gaegorii* contineant decretum irritans, quod inficit quamcumque contrariam possessionem, exinde inferebatur de qualibet diversa observantia curandum non esse.

Neque attendendum esse dicebant scribentes pro appellantibus istorum consensum, quoniam non potest subditus in præjudicium sui superioris, absque istius licentia, vel consensu prorogare jurisdictionem judicis aliàs incompetentis *ad text. in cap. significasti de foro competenti*, ubi scribentes, cum ea sit tedes materiæ, de quibus *Carolus de Grassis effectu cleric. p. num. 53. Barbos. in Collectan. super eodem canone Carleval de judiciis tom. 1. disput. 2. num. 1075.* deducendo in idem ea, quæ *ex Capic. decis. 9.* & aliis habentur apud *eundem Carleval. dicta disput. 2. num. 808. & 859.* de Barone petente remissionem vasallorum ad suum forum, non obstante eorum consensu in jurisdictionem M. Curiæ Vicariæ, seu alterius Regii Tribunalis; Et in specialibus terminis dicti Conciliaris decreti in *cap. causa omnes*, quod scilicet causæ in prima instantia cognosci non possint in Tribunali superiori, consentiente subdito, sed dissentiente Ordinario, vel econversò *Barbos. ad collectan. ad idem Concil. ubi supra num. 2.*

Causa erat ex aliis motivis nimium turbida, undè propterea, absque necessitate examinandi istum articulum, qui remansit indecisus, commissa fuit in Rota cum clausula translativa executionis, ut Egomet scribens pro appellato ab initio dubitabam ex aliis motivis, facti potius quàm juris, undè resolutio visa est probabilis, & juxta votum.

Quatenus verò pertinet ad hunc articulum super dicta materia *textus in cap. significasti de foro competenti*, quandò scilicet jurisdictio judicis aliàs incompetentis sit prorogabilis, seu prorogata sufficiat nec ne ad substinendum actum, cum scribentes in contrarium multa in confuso cumularent, Dicebam ad tollenda æquivoca, procedendum esse cum distinctione conciliativa auctoritatum, quæ invicem pugnantes videntur.

Aut enim agitur de judice penitùs & omninò incompetente, qui nullam nec actu nec habitu habeat jurisdictionem, cujus sit incapax, ut est judex laicus cum clerico seu in causis merè spiritualibus, & tunc rectè procedat dictum assumptum scribentium in contrarium super gestorum invaliditate quocumque consensu seu prorogatione non obstante, ob omnimodam incapacitatem, quam partium consensus tollere non potest *ad text. in dicto cap. significasti, & cap. dilectus eodem titulo cum ibi notatis.*

Aut agitur de incompetente, sed non incapaci, ut est, e. g. Episcopus alterius diœcesis, qui cessante subjectione originis, domicilii, beneficii, contractus, vel rei sitæ, sit incompetens in causis clericorum vel aliorum non diœcesanorum, non est tamen omninò incapax tanquam Ecclesiasticus; Et tunc de jure civili ex partium consensu redditur competens, *ad text. in l. si convenerit ff. de jurisdictione omnium judicum*, de jure autem canonico clericis est prohibitum absque proprii Ordinarii vel Superioris licentia *ad text. dicto cap. significasti, cum ibi notatis Barbos. ibidem Carol. de Grass. dicto effectu primo numer. 53. Carleval. dicta disputat. 2. num. 1075.*

Quod tamen rectè procedere videtur, vel ad effectum ut ipse superior petere valeat avacationem seu remissionem causæ, vel ad effectum, ut subditus prorogans alienam jurisdictionem in præjudicium sui superioris, possit ab isto puniri, non autem ad effectum nullitatis gestorum ad commodum & favorem ipsius consentientis seu prorogantis, qui sibi imputare debet, neque admittendus est ad allegandam invaliditatem facti proprii, cum ita ex proprio delicto, in præjudicium alterius partis non delinquentis lucrum & commodum reportare diceretur, ut *ex Turrecremata in cap. non liceat 3. quæst. 6. & aliis Carol. de Grass. dicto effectu primo n. 59 cum sequentibus.*

Aut demùm agitur de judice habente jurisdictionem, & competentiam habitualem, ita & taliter, quod mero jure dici valeat competens, quamvis mediante declinatoria & ope exceptionis, sive de jure communi, sive speciali recusabilis, (qualis erat casus præcisus hujus controversiæ,) ac etiam est casus, quem frequenter tractant Regnicolæ ut suprà de recusatione magnæ Curiæ Vicariæ aliorumque Regiorum Tribunalium in causis vasallorum Baronum cum similibus, & tunc, Aut agitur de puncto remissionis causæ adhuc indecisæ, & rectè procedit eadem propositio, ut consensus subditi non artendatur in præjudicium Baronis seu alterius judicis, cui illius causæ cognitio prius competit, sicuti econverso consensus ipsius Baronis propriæ jurisdictioni & privilegio renunciantis aptus non est præjudicare vasallo, eique impedire declinatoriam; Aut verò agitur de causa finita, & de substinendis jam gestis in præ-

judicium ipsius prorogantis, & tunc dispositio *dicti textus in cap. significasti*, non intrat, quoniam verè & propriè non est prorogare jurisdictionem judicis merè incompetentis, qui eam ex sola prorogatione obtinere dicatur, sed est renunciare exceptioni declinatoriæ, ac nolle uti privilegio seu jure aliàs competenti, itaut ille judex vel superior rectè procedat jure suo, & ex propria nativa jurisdictione, tanquam per remotionem obstaculi, ut benè *Abb. cons. 25. lib. primo*, quem cæteri sequuntur collecti per *Carol. de Grass. dicto effectu primo num. 63. Carleval. dicta disput. 2. num. 1086.*

Quinimò etiam ubi ageretur, juxta casum præcedentem, de judice omninò incompetente, non tamen incapaciter supra dictum est, attamen conclusio procedit, Vel ad effectum ut proprio Superiori, non obstante subditi consensu, detur jus avocandi causas, seu petendi rescissionem gestorum, quæ sibi suæque jurisdictioni præjudicium parere possent, Vel ad effectum puniendi subditum ita malè agentem, non autem ut ipsemet ad proprium commodum, gestorum nullitatem allegare possit, ut ultra deducta per *Carol. de Grass. dicto num. 63.* ita distinguendo benè habetur apud *Surdum cons. 47. num. 36. circa finem*, cum quo pertransit *Rota decis. 306. num. 8. & 14. par. 7. rec.* Atque ita probat recepta praxis totius Orbis, præsertim Curiæ Romanæ, quoniam A. C. extra Curiam non est competens in causis primæ instantiæ, itaut gesta ex defectu jurisdictionis remaneant invalida, ut *dec. 150. par. 4. rec. tom. 2. & sæpius*, & tamen quotidie partibus consentientibus, seu non recusantibus, hujusmodi causæ validè tractantur.

In tertio autem & ultimo casu nos versabamur, quoniam Legatus in ejus provincia dicitur 9 judex competens omnium clericorum, habens cum eis, tam habitualem quàm actualem jurisdictionem, sicuti Ordinarius cum quo concurrit, eoque majorem habet jurisdictionem & prærogativam *Hostien.* & cæteri communiter *in cap. 1. de officio Legati, Speculator. tit. de Legat. §. superst. Gundizal. de Legato quæst. 8. num. 3. Boer. de potestate Legati in principio num. 20.* ac præsupponitur in eodem decreto Concilii *dicto cap. 20.* & in ipsismet litteris *Gregor. XV.* in quibus præsupponitur judex appellationum & recursuum, ac etiam in certis casibus ei datur cognitio in prima instantia ut suprà.

Eoque magis hæc prætensa nullitas, reflectendo etiam ad veritatem, omninò cessabat, quia sup- 10 ponebatur talem esse usum & praxim, quem usum non considerabam tanquam inductivum novæ consuetudinis exorbitantis & correctoriæ dictæ Conciliaris dispositionis seu litterarum *Gregorii*, sed tanquam inductivum consensus & patientiæ ipsius Ordinarii, de cujus præjudicio agebatur, unde propterea clarius & absq; dubio ista nullitas non erat allegabilis ad regulam *text. in l. Barbarius ff. de off. Prætoris*, quo casu non intrat infectio decreti irritantis, quia non agitur de impugnatione, sed de non comprehensione, seu non usu privilegii particularis, non autem legis universalis juxta distinctionem de qua *Otthobon. dec. 175. num. 16.* & in aliis frequenter.

* * *
* *
*

PRAGEN.

PRO

ARCHIEPISCOPO.

CUM

EPISCOPO LITHOMARICEN.

Discursus pro veritate extra Curiam.

Clericus qui proprio diœcesano destitutus est, quia nempè ejus diœcesis ab infidelibus vel hæreticis occupata sit, transiens ad partes Catholicorum, cujus diœcesani subditus fiat, ad effectum præsertim collationis ordinum.

De pœna Episcopi conferentis ordines clerico alieno sine proprii diœcesani licentia; Et an Metropolitanus procedere possit ad censuras contra Episcopum Suffraganeum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Clericus diœcesis ab infidelibus, vel hæreticis occupatæ sit diœcesanus & subditus illius diœcesis, ad quam confugit.*
3 *Subditus ratione domicilii potest ordinari.*
4 *Domicilium quando contrahi dicatur.*
5 *An contribuentes in substentatione seminarii inde aliquod jus habeant.*
6. *Archiepiscopus Pragen. dicitur Legatus natus.*
7 *Licentia denegata per Superiorem non potest concedi per inferiorem.*
8 *In quibus deferendum non sit Theologis.*
9 *An bona fides & credulitas excuset Episcopum ordinantem alienum clericum.*
10 *An Metropolitanus possit excommunicare aliasve censuras proferre contra Suffraganeos inconsulto Pontifice.*

DISC. LII.

Uidam Clericus Diœcesis *Alberstadien.* ab hæreticis occupatæ, in *Pragæ* Seminarium receptus, post 1 aliquorum annorum decursum, in quibus sufficienter in litteratura profecerat, quatuor minoribus ordinibus ab Archiepiscopo seu ejus Vicario in spiritualibus (*Suffraganeo* nuncupato) susceptis, ejusdem Seminarii exonerandi causa, per illius Rectorem commendatus fuit cuidam Parocho diœcesis *Lithomaricen.* ut cum prædicationis exercitio, aliisque honestis occupationibus victum sibi procuraret, donec deveniret ad ætatem habilem pro suscipiendo presbyteratu; Cum autem apud dictum Parochum moraretur, pluries Archiepiscopum deprecatus est pro concessione dimissorialium pro sacris ordinibus suscipiendis cum ætatis dispensatione, quod semper denegatum fuit,

Deinde

Deinde verò eosdem ordines ab Episcopo dictæ Diœcesis suscepit, de quo habita per Archiepiscopum notitia hic satis humanè per litteras dictum Episcopum monuit ad eum certiorandum de causis, & titulis, ex quibus in clieni clerici ordinatione absque proprii Ordinarii licentia se ingessisset, & quomodo se excusaret à censuris & pœnis contentis *in cap. 2. de temporibus ordinationum in 6. & in Sacri Concilii Tridentini sess. 23. de reformat. cap. 8.*

Dicto autem Episcopo, non absque aliqua temeritate respondente, Archiepiscopus, servatis servandis, eum in dictas censuras & pœnas incursum declaravit; Verùm petulantior effectus, curavit cum pluribus Theologorum votis ac responsis I. Consultorum, etiam hujus Romanæ Curiæ, se publicare inculpabilem, atque injustè in hujusmodi pœnas incursum denunciatum; Quapropter Archiepiscopus, potius ut juxta morem regionis, vulgo satisfaceret, quam quod juris ordo ita exigeret, curavit plurium aliorum Theologorum vota & juris Consultorum responsa, præsertim verò ejusdem Curiæ Romanæ obtinere pro veritate super dictarum censurarum justificatione; Cumque inter alios ego assumptus essem, visis dictis votis & responsis pro Episcopo editis.

Respondi, quoad conclusiones & principia juris, dictos hujus Curiæ I. C. & Advocatos benè respondisse, atque propositiones per eos deductas esse veras, fallaciam verò consistere in applicatione ad factum, cujus proindemagis quàm iuris quæstio esse videbatur, ob ejusdem facti seriem alteratè ac minùs fideliter ex parte dicti Episcopi præsuppositam, & à qua congrua juris applicatio pendebat, ut frequentior hodie videtur omnium forensium controversiarum natura.

Juris enim, verum, ac receptum principium est per dictos I. C. deductum, & à me admissum, clericum carentem proprio Catholico Episcopo ob diœcesis ab infidelibus vel hæreticis occupationem, effici subditum & diœcesanum illius Episcopi, ad cujus Ecclesiam seu diœcesim migravit, ejusque domiciliarius effectus est, *ad text. in cap. clericus 71. distinct. & cap. finali de Parochis*, ubi quod propria Civitate occupata, proprius Parochus efficitur ille, ad cujus limites & territorium populus confugit, ex quorum jurium dispositione ad istum præcipum effectum collationis ordinum, ut clericus efficiatur subditus & domiciliarius illius diœcesis, ad quam à propria ab hæreticis vel infidelibus occupata confugiens se recepit, firmant *Joan. Andr. Franch. Gemin. & ceteri communiter in eodem cap. 2. de temporibus ordinationum in 6.*

Quatheorica sic stante, totus punctus erat in applicatione ad factum, cujus serie attenta, etiam juxta illam quæ in dictis responsis pro Episcopo editis præsupponebatur, quamvis cum aliqua alteratione, contra eumdem Episcopum, reflectendo ad solam veritatem, respondendum censui, Quoniam in facto non dubitabatur, dictum clericum confugientem à propria diœcesi ab hæreticis occupata, se contulisse ad Civitatem *Pragen.* ibique in Seminario receptum, commoratum esse spatio annorum quatuor & ultra, & quod magis est, positivè agnovisse dictum Archiepiscopum in proprium diœcesanum & Pastorem, dum ab eo quatuor ordines minores susceperat.

Non negabant scribentes pro Episcopo prædicto, quod pro tempore dictæ moræ in Seminario, clericus præfatus esset illius Archiepiscopi subditus & diœcesanus, Insistebant autem in eo quod deinde dicto primævo domicilio derelicto, alterum de novo in hac diœcesi contraxisset, ideoque tanquam domiciliarius istius diœcesis, ab ejus Episcopo ad ordines promoveri potuerit ex collectis *per Barbos. de Episcopo alleg. 4.* ubi latè de hac materia domicilii ad istum effectum collationis ordinum; Verùm in hoc facti præsuppositio consistebat fallacia, ob quam de facili corruebant omnia juris præsuppositia, alioquin in suo casu vera, quoniam quicquid sit de quæstione, an ad effectum contrahendi domicilium requiratur nec ne lapsus decennii vel alterius temporis *ad notat. per D D. in l. Cives Cod. de Incolis lib.* 10. & alibi ex deductis *per Menoch. de arbitrar. casu 36. Barbos. dicta alleg. 4. num. 26. & sequen. Buratt. & Adden. decis.* 244. & habetur actum *in Reggien. consortii sub tit. de Canonicis &c.* Admissa etiam opinione domiciliario, seu huic Episcopo favorabiliori, ut etiam absque temporis lapsu, solus animus sufficeret, expressè declaratus, atque ab aliis facti circumstantiis adminiculatus, itaut ex adminiculis tolleretur sinistra suspicio, quod verbalis declaratio esset affectata, & in fraudem, Adhuc tamen sine dubio de dicto animo ita declarato & adminiculato constare debet, cujus contrarium potius patebat, Tum attenta causa moræ in hac diœcesi, quæ propterea tamquam causativa seu occasionalis ad verum domicilium ac civilitatem non erat sufficiens ex deductis *in Firmana Codicillorum coram Otthobono inter suas dec.* 145. *num.* 30. *& seqq.* & pluries ad materiam civilitatis *hoc eodem libro sub tit. de præeminentiis*; Tum etiam clarius stante ejusdem animi perseverantia retinendi primum domicilium, dum existens in hac diœcesi pluries petierat ab Archiepiscopo tanquam à proprio diœcesano litteras dimissoriales, quibus denegatis, alium non proprium Episcopum adierat, qui est proprius & præcisus casus textus in dicto cap. 2. de temporibus ordinationum in *6.*

Dicebatur etiam ex parte dicti Episcopi, clericum prædictum se non recepisse in Civitate *Pragen.* ut ejus civis seu incola fieret, sed ut reciperetur in Seminario auctoritate Sedis Apostolicæ ibi erecto pro hujusmodi Catholicis adolescentibus ab hæreticorum potestate confugientibus, unde cùm dictum Seminarium commune esset toti Regno, seu Provinciæ Bohemiæ, cujus Episcopi omnes pariformiter cum ipso Archiepiscopo, juxta proportionabiles vires, ad ejus substentationem contribuebant, exinde inferebatur, quod hujus Seminarii alumni dici possent totius Regni domiciliarii, & successivè æqualiter subditi omnium Episcoporum suffraganeorum, ex dicta ratione in eodem Seminario coæquale jus habentium; Verùm hoc motivum nulli penitùs juris vel facti fundamento innixum erat, quoniam non ex eo quod Parochi aliique beneficiati contribuunt pro substentatione Seminarii erecti pro beneficio totius Diœcesis, sequitur illos habere jurisdictionem vel coæquale jus cum Episcopo in ipsius Seminarii alumnis, ita à pari & fortius, Licèt enim hoc Seminarium erectum sit pro totius Regni seu Provinciæ beneficio, fideique Catholicæ propagatione & conservatione, unde meritò universa Provincia contribuit in ejus substentatione, Attamen cum situm sit in una Civitate vel diœcesi, nullatenus dici potest, Episcopum non diœcesanum ex dicta ratione contributionis in eum legem diœcesanam habere.

Clarius verò in hac facti ſpecie,& ad effectum, de quo erat quæſtio , ex duplici circumſtantia ; Primò ſcilicet quod litteræ Apoſtolicæ *Vrbani Octavi*, in quibus hujuſmodi contributionis mentio habetur, ſolum Archiepiſcopum dicti Seminarii, ejuſque alumnorum Ordinarium declarant ; Et ſecundò quod poſita etiam dicta cumulativa ſeu coæquali jure omnium Epiſcoporum Provincialium ex dicta contributione reſultante , Adhuc tamen, cum Archiepiſcopus eſſet Metropolitanus
6 & Superior, & quem etiam in eo Regno eſſe legatum natum dicit *Bald.conſ.337.lib.4.* exinde reſultat concluſio , quod licentia denegata per ſuperiorem, concedi non poteſt per inferiorem, quamvis alias
7 illam concedendi facultatem haberet ad *text.in cap. ut debitus, & cap.ut noſtrum de appellat. Seraph.dec. 1328. num.2.*

Theologi in votis pro eodem Epiſcopo editis, credebant ex præmiſſis illum dici poſſe in bona
8 fide, ac juſta credulitate à cenſuris & pœnis excuſante ; Meritò autem hujuſmodi motivum neglectum fuit ab ipſiſmet I.C. pro eodem reſpondentibus , quoniam ut præſertim habetur in materia nautici fœnoris ac pluries *ſub tit.de uſuris* & alibi, Theologis nimium deferendum eſt in quæſtionibus & articulis fidei, quoverò ad moralia , deferendum pariter eſt quoad concernentia forum internum , in quo animus & propoſitum totum faciunt, rectéque verificari poſſunt illæ intellectuales diſtinctiones intentionis, ſeu diverſæ operationes intellectus , quæ per eos conſiderantur; Secus autem quoad forum externum, in quo revera non ſunt eorum partes cum dictis diſtinctionibus judicandi ac reſpondendi , quoniam Eccleſia non judicat de internis,atq; aliàs omnium jurium diſpoſitio ſemper eluſa remanere poſſet,cum ferè nullus reperiatur quamvis ſceleſtiſſimus delinquens , qui juxta ſuam , quam narrat hiſtoriam , innocens & fortè præmio magis quàm pœna dignus reputari non debeat.

Quod in his terminis individualibus prævi-
9 det ac optimè decidit idem text. *in dicto cap.2. de temporibus ordinationum in 6.* ibi, *Epiſcopi alienos clericos ordinantes vel affectatam ignorantiam allegare , vel figmenta componere ſolent* ; Unde propterea eatenus excuſatio intrat , quatenus in ipſomet foro externo tales juſtificentur circumſtantiæ, quæ verè bonam fidem ac juſtam credulitatem inducant.

Demùm , tam Theologi, quam I. C. ſatis evagabantur ſuper quæſtione agitata per canoniſtas
10 *in cap.primo §. finali de offic. Ordinarii in 6. & cap. Venerabili de ſenten. excommunicationis* , de qua *Genuen. in praxi Archiepiſcopal. capit.88. num. 6. Quaranta in ſumma Bullar.verbo Archiepiſcopi auctoritas num.8. Barboſ.de Epiſcopo par. prima tit.4. num.15. Ventrigl. de Juriſdictione Archiepiſcopi cap. 147.& cæteri*, An ſcilicet Archiepiſcopus inconſulto Pontifice per cenſuras contra Epiſcopos ſuffraganeos proc d ere valeat; Verùm quamvis ex allegatis pateat, magis communem eſſe affirmativam, Nihilominus dicebam hunc eſſe inanem laborem, ac ſuperfluam evagationem , cum hujuſmodi quæſtio intret in cenſuris latis ab homine , & quas Metropolitanus auctoritate ſua contra ſuffraganeos promulgaret , in quibus terminis non verſabamur, cum ageretur de cenſuris latis à jure, quarum declaratio ſeu denunciatio conceditur etiam adverſus eos,qui ſint exempti , quinimò ſpecialiter privilegiati , ne excommunicari aliiſque cenſuris innodari valeant , juxta ea quæ habentur *hoc eod. tit.* deducta *in Meſſanen.Cotronen, & Cuſentin. diſcur. 29. 47. & 48.* & in aliis.

VITERBIEN.
JURISDICTIONIS
PRO
CURIA EPISCOPALI
CUM
TRIBUNALI A.C.

Caſus diſputatus coram Præfecto Signaturæ Juſtitiæ, credo reſolutus pro Curia Epiſcopali.

De cumulativa juriſdictione quam A.C. habere prætendit cum Baronibus Status Eccleſiaſtici , etiam in prima inſtantia , ſaltem per viamrecurſus vaſallorum, An procedat in ſpiritualibus, & cum Epiſcopis non obſtante Concilio Tridentino in *cap. Cauſæ omnes.*

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *De voto Robuſterii circa recurſum ad A.C.*
3 *Conſuetudo non extenditur de caſu ad caſum.*
4 *De differentiis inter Barones & Magiſtratus ſæculares, & Epiſcopos vel ordinarios Eccleſiaſticos.*
5 *Quando ceſſet decretum Concilii per non uſum non obſtante decreto irritanti.*
6 *Papa poteſt ſed non ſolet avocare ad ſe cauſas in prima inſtantia.*
7 *In Baronibus ſæcularibus intrat præſumptio concuſſionis ſubditorum.*
8 *A. C. in prima inſtantia extra Curiam non eſt competens.*

DISC. LIII.

Uidam Diœceſanus Viterbien. ad quærelam partis offenſæ pro delicto proceſſatus & carceratus, recurſum habuit ad A.C. qui cau- 1
ſam aſſumendo , inhibuit in ea conſueta formula , cum qua Tribunal inhibere ſolet curiis Baronalibus Status Eccleſiaſtici , ratione recurſus habiti per ſubditos adverſus Barones , eorumque officiales , Unde propterea aſſumpta diſputatione pro hujuſmodi inhibitionis moderatione coram Præfecto Signaturæ Juſtitiæ ex diſpoſitione *Sac.Concil.Trid.Seſſ.24. de Reformat.cap.20* ubi expreſsè diſponitur,quoſcumque ſuperiores etiam de latere Legatos non poſſe in præjudicium Ordinariorum ſe ingerere in cauſis primæ inſtantiæ ab ipſis Ordinariis cognoſcendis; Excipiebat Procurator Fiſcalis Urbis de voto *Robuſterii* impreſſ.*poſt 2.vol.conſ. Farin. dec 27.* ex quo ſeu verius annotatione ibi contenta, per ora curialium pragmaticorum volitat aſſumptum, quod per viam 2
recurſus

recursus possit A.C. etiam in prima instantia causas reassumere & cognoscere, Quare desuper de meo sensu interrogatus per Cardinalem *Brancaccium* tunc Episcopum *Viterbiensem*.

Respondi, quod ubi etiam præsens quæstio esset cum aliquo Barone ejusque curia adhuc votum prædictum, in suo casu verum, malè applicaretur, quoniam illud, ut ex ejus contextu patet, loquitur, & benè, decausis secundæ instantiæ in gradu appellationis vel recursus, in quibus hujus Tribunalis jurisdictio firmatur in præjudicium Metropolitanorum, Præsidum, Legatorum, & aliorum, ad quos aliàs à judicibus primæ instantiæ juxta ordinem à jure præscriptum appellandum esset, itaut illa apppellatio vel recursus, qui de jure datur ad ipsum Papam omisso medio, detur ad hoc Tribunal tanquam ad ejus Auditorem, sivè Auditorem Camerarii, per quem Papa causas ad eum devolutas cognoscere solebat, & in hoc admittebam votum esse juridicum beneque fundatum. Dicterium autem per ora pragmaticorum volitare solitum super recursu ad hoc Tribunal etiam in prima instantia, provenit à quadam annotatione post idem votum, non quidem ipsius doctissimi *Farinacii* sed alterius ejus forte amanuensis vel substituti, dum eumdem *Farin.* ibidem allegat, atque *suum Dominum* appellat.

Verùm quicquid esset de veritate ac subsistentia dictæ annotationis, quando etiam illa recepta esset ex stylo seu consuetudine, cum loquatur de recursibus etiam in prima instantia habendis per subditos Baronum & Domicellorum, exindè inferri
3 non potest ad subditos Episcoporum, aliorumque Ordinariorum Ecclesiasticorum quoniam stylus seu consuetudo attendenda est in casu præciso & individuo, & non extenditur etiam ex rationis identitate de casu ad casum, seu de persona ad personã ex deductis *per Greg. & Adden. dec. 45. & 162. Burat. dec. 373. & 570. late in Major. Canonicatus 27. Martij 1656. & 25. Junij 1657. Meltio, & in eadem 24. Junii 1658. Cerro quarum secunda & tertia sunt post Zuff. de legitim. proceff. dec. 34. & 37.*

Clarius verò, ac extrà omnem dubitationem, concurrente rationis diversitate multipliciter, Primò, quia jurisdictioni Baronum & Domicellorum, aliorumque Magistratuum sæcularium non assistit dicta expressa dispositio *Sacr. Concil. Tridentin. 24. de reformat. cap. 20.* ut assistit Episcopis &
4 Ordinariis locorum, potissimè stante Decreto irritanti contento in *Constitutione Pii IV.* super ejusdem Concilii confirmatione, & publicatione edita, per quod, *ut pluries hoc tit. habetur*, inficitur quæcumque consuetudo vel præscriptio, quæ ita impedita remanet in ejus initio, & ne unquam nascatur.

Et quamvis ubi agitur de observantia seu consuetudine Romanæ Curiæ in materiis verisimiliter Papæ cognitis, ob istius scientiam & toleran-
5 tiam videatur hujusmodi conclusionis rigorem cessare, quasiquod ita Papa implicit dictæ obstantiæ derogare videatur, ex iis quæ habentur benè deducta *in decis. 194. num. 15. & sequen. par. 4. rec. tom. 2.* Non tamen videbatur justificari talem observantiam, ex qua ad hujusmodi scientiam & tolerantiam inferri posset respectu Episcoporum, & Ordinariorum, cum quibus rari sunt casus, magis de facto & ex tolerantia sequuti.

Altera differentiæ ratio est ex eo quod Barones aliique Domicelli hujusmodi jurisdictionem obtinent ex gratia & privilegio ejusdem Papæ, qui eis nullam injuriam facere dicitur, exaudiendo etiam in prima instantia illos, qui sunt ejus subditi nativi, & qui ipsis Baronibus & Domicellis, tanquam ipsius Locumtenentibus & Vicariis regimini, & jurisdictioni commissi sunt, Quod dicendum non est in Episcopis aliisque Ordinariis habentibus jurisdictionem nativam, & de jure communi, non autem dativam & ex gratia seu privilegio, quamvis illa subordinata sit Papæ tanquam Episcopo Ecclesiæ universalis, & Ordinario Ordinariotum, quia potest quidem, ut in eodem Concilio loco citato supponitur, etiam ab Ordinariis aliquas primæ instantiæ causas ad se avocare, aliisquæ cognoscendas & decidendas committere, sed non solet nisi rarò, & ex aliqua particulari circumstantia, rationabiliter hujusmodi supremæ potestatis exercitium suadente, ut insinuatur in eodem *Concilii* contextu cum aliis congestis per *Marchef. de commiff. avocationis causarum*; Quod etiam habemus in materia beneficiali ex deductis *in Cesaraugustana Canonicatus sub titul. de Canonicis*, quod idem Papa tanquam Ordinarius Ordinariorum etiam in mensibus ordinariis concurrere potest cum quolibet Ordinario collatore, sed non solet nisi rarò & ex causa, cum similibus.

Tertia differentia est, quod in Baronibus & Domicellis sæcularibus, de facili intrat suspicio 7
concussionis subditorum, Unde propterea facilis debet esse recursus, cujus ratione in hoc Principatu non adeò intrat illa mala præsumptio, quæ in aliorum Principatuum Baronibus & Domicellis magis intrat, sed adhuc admittitur, itaut sola differentia sit circa magis & minus, ex iis, quæ habentur *in Sabinen. Status Montis Libretti sub titul. de feudis disc. 65* occasione angariarum, ac etiam *eodem tit.* occasione juris prohibendi accessum ad aliena molendina, vel furnos cum similibus, quæ mala præsumptio non de facili admittitur in Episcopis & Prælatis Ecclesiasticis, juxta ea quæ habemus in materia juris patronatus potentium, habentium jurisdictionem temporalem, quod Concilium certam formam regorosam præscripsit, non procedentem cum Episcopis aliisque Prælatis Ecclesiasticis, quamvis eamdem temporalem jurisdictionem habentibus, ut in sua materia *sub tit. de Jure patronatus*, cum similibus, Undè propterea mihi videbatur 8
generaliter recipiendam esse propositionem sæpius receptam per *Rotam dec. 49. & 54. apud Post de subhast. dec. 150. par. 4. rec. tom. 2. & in alijs*, quod Auditor Cameræ extra Curiam non est judex in causis primæ instantiæ, atque in eis nulliter procedit, Et ita credo resolutum, Quinimò audio deindè idem judicatum fuisse per Signaturam quoad Barones in prima instantia, quod tamen mihi non est omninò notum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

BARCHIONEN.

SEU NULLIUS DEPUTATIONIS VICARII

PRO

MONASTERIO S. CUCUPHATIS.

Discursus pro veritate.

An Jurisdictio Episcopalis & facultas deputandi Vicarium Sede vacante de jure, & ex Sac. Concilio Tridentino competens Capitulo Cathedralis vel Collegiatæ locum habeat sede plena, sed Episcopo seu Prælato impedito.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*

2 *Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Nullius succedit in jurisdictione Prælati Sede vacante ad instar capituli Cathedralis.*

3 *De ratione, ob quam idem procedit in istis Ecclesiis.*

4 *Quid ubi non agitur de vacatione sed de alio Prælati impedimento.*

5 *Quid ubi vacant Abbatiæ seu Prælaturæ Ecclesiæ inferioris exemptæ intra Diœcesim.*

6 *Mulier habens virum inutilem censetur vidua.*

7 *Absente Episcopo, si moriatur, vel sit impeditus Vicarius, Capitulum providet.*

8 *Declarantur tenentes contrarium de Capitulo non administrante invito Episcopo absente.*

9 *Episcopus non tenetur habere Vicarium.*

10 *An Vicarius à Capitulo Sede vacante vel impedita deputatus possit se ingerere non expeditis litteris suæ deputationis.*

DISC. LIV.

1 IMpedito ex prudentialibus motivis possessore Abbatiæ S. Cucuphatis *nullius seu Barchionen.* Diœcesis, ne in dicta Abbatia residere ac jurisdictionem ordinariam & quasi Episcopalem, quam cum territotio separato, & *Nullius* habet, ac etiam temporalem in quibusdam castris & locis per se vel suum Vicarium exercere posset; Hinc exorta est difficultas, ad quem spectare deberet dictæ jurisdictionis exercitium cum deputatione Vicarii, saltem donec Sedes Apostolica desuper consulta aliàs provideret, Undè desuper pro veritate consultus, quidquid esset de justitia vel injustitia impedimenti, super quo nullas pates adhibere volui, illo præsuppositio, itaut hujusmodi Abbatia de facto careret præsentia & regimine sui Prælati.

Pro Conventu seu Capitulo ipsius Monasterii censui respondendum, quoniam dispositio *Sacr.*
2 *Concilii Trid. Sess. 24. de reformat. cap. 16.* per quam, innovata juris communis dispositione præscribitur forma deputationis Vicarii faciendæ per Capitulum Sede vacante, ita procedit in Cathadralibus & Metropolitanis, ac in inferioribus Ecclesiis exemptis, quarum Prælatus habeat jurisdictionem ordinariam cum territorio separato & *Nullius*, quoniam eadem est proportio, ut patet ex verbis Concilii, ibi *etsi Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta Capitulumque negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana & propinquior in exempta œconomum, & Vicarium &c.*

Quod etiam comprobatur ex declararione Sacr. Congregationis registrata apud *Garz. de Benef. par. 5. cap. 7. num. 20. Barbos. in Collectan. ad idem Concil. dicto cap. 16. num. 30.* & docet inconcussa observantia, ob quam, disputata quæstione ad partes, idem firmat ac recipiendum dicit *Fagnan in cap. His quæ de majoritate & obedientia num. 48.* & supponitur absolutum per *Rot. dec. 346. par. 1. rec.* Et meritò, quoniam licet de jure communi apud scribentes deductos *per Fagnan. ubi supra* id esset in quæstione; Attamen ista sopita videtur per dictum Conciliare decretum, per quod ita præsuppositivè canonizata remansit ea opinio, quæ etiam in puncto juris verior censenda esset.

Cum enim juxtà ea quæ habentur *in Toletan. disc. 1.* & in aliis frequenter hoc tit. hujusmodi Prælati cum territorio separato & *Nullius*, per 3
veritatem, & de facto, non autem fictè, & intellectualiter, habentes quamdam speciem diœcesis cum clero, & populo à quacumque alia diœcesi independentis, exceptis iis, quæ sunt ordinis Episcopalis, in exercitio, non autem in habitu, in omnibus jure Episcoporum censcantur, itaut etiam quoad jurisdictionem à Concilio Tridentino & Apostolicis Constitutionibus delegatam, sub Ordinariorum nomine veniant, proindeque hujusmodi corporis caput constituatur ex ipsa Ecclesia Collegiata, ejusque Prælato & Capitulo, Exinde sequitur quod Prælato defecto, ex eadem ratione cujusdam juris non decrescendi, ob quam in Capitulo Cathedralis, tanquam ejusdem corporis constitutivo remanet Ecclesiæ administratio, Idem in omnibus in hujusmodi Ecclesiarum Capitulis dicendum venit, cum nulla dignosci videatur ratio differentiæ, Unde propterea quando ageretur de casu formalis vacationis Ecclesiæ per mortem, vel translationem Abbatis, sivè etiam per alios casus expressos *in cap. 3. de supplenda negligentia Prælatorum*, qui morti æquiparantur, dicebam casum videri omninò planum, & habetur apud elaboratum, ac diligentem amicum meum *Pellegrin. in ejus praxi Vicariorum p. 1. sect. 4. sub sect. 5. n. 3. fol. 92.*

Difficultas autem resultabat ex eo, quod in nullo ex dictis casibus versaremur sed in alio per canones omisso, in quo occasione impedimenti resul- 4
tantis ex censuris Archipresbyteri *Altamura Nullius Provinciæ Baren. Fagnanus in cap. quia diversitatem de concess. prahendæ ex num. 16. cum sequen. ad finem*, disputata quæstione ad partes concludit tanquam in casu omisso non intrare jurisdictionem Capituli, sed potius jurisdictionem devolvi ad sedem Apostolicam.

Quidquid autem in eo casu esset de unius vel alterius opinionis veritate, quam examinare neglexi, utpote extrà quæsitum, Quæstio ibi agitata percutit terminos, in quibus Sedes Apostolica de impedimento consulta, Vicarium aliosque officiales, & administratores deputare velit, se oponente Capi-

Capitulo, An scilicet id citrà ejus injuriam, ac violationem sui juris fieri valeat, Sed non erat iste casus quæsiti, cùm solùm ageretur de eo intermedio tempore, donec scilicet Sedes Apostolica de hujusmodi impedimento consulta provideret, qui casus videbatur indubitatus, nè interim ille Clerus & populus remaneret acephalus, ac sine Rectore & Superiore.

5 Undè propterea dicebam in hac materia procedi cum aliquo æquivoco, adhibendo his terminis ea quæ per Canonistas disputantur de Monasteriis, & Ecclesiis Regularium seu aliàs exemptis proprio Abbate seu Prælato carentibus, aut illum impeditum habentibus, An scilicet jurisdictio devolvatur ad Capitulum Monasterii, vel potius ad loci Ordinarium.

Isto enim casu supponitur agi de Ecclesia, vel Monasterio simpliciter exempto intrà alieni Ordinarii Diœcesim existente, quodq; proindè non agatur de jurisdictione & administratione corporis stantis de per se independenter, & habentis territoriũ separatum, ac *Nullius*, tanquam species diœcesis, sed de administratione Ecclesiæ, vel Monasterii sub Episc. vel Ordinario, qui cessante privilegiativa exemptione, nativam ac habitualem jurisdictionem ibi habeat, tanquam in casu omisso in privilegiis, competentem de jure, & per quamdam speciem remotionis obstaculi privilegiorum, ac reversionis ad primævum statum, sive cessatio Prælati proveniat per veram vacationem, sive per æquipollentem rationẽ accidentalis impedimenti; Undè propterea termini videntur omninò diversi, neque ab unis ad alios arguere, vel inferre licet ob satis disparem rationem, quoniam ubi agitur de Ecclesia exempta intrà limites alicujus Diœcesis, cessat inconveniens, quod illud corpus remaneat acephalum, ac sine Rectore & Superiore, dum Episcopus seu Ordinarius loci benè istas partes explicare potest, ac supplere, quod practicabile non est in hujusmodi Ecclesiis habentibus territorium separatum cum Clero & populo cum qualitate *Nullius*, & à quocumque alio Ordinario, & territorio independenter, quia remanent sine Superiore & Rectore, undè viget eadem ratio, quæ in Cathedralibus.

Ecclesia enim, ita dicitur Rectore, ac sponso viduata, quando illo omninò caret, sicuti quando eum habet inutilem, ut ad litteram disponit *textus in cap. inter corporalia §. sed neque de tranlatione Episcoporum*, Undè propterea occasione privilegiorum de jure competentium viduis præsertim ex *lege* 6 *unica Cod. quando Imperator inter viduas & pupillos &c.* magis communiter receptum est mulierem nuptam habentem virum inutilem, jure viduæ censendam esse ex collectis *per Novar. in tract. de elect. & variatione fori sect. 2. quæst. 7. Ridolphin. in praxi part. 3. cap. 4. num.* 105. apud quos cæteri.

Adeò ut, etiamsi Ecclesia habeat Episcopum vel Prælatum viventem, & non impeditum, sed absentem, undè contingat casus mortis, vel alterius impedimenti Vicarii Generalis, quem ipse pro tem- 7 pore absentiæ deputavit, adhuc interim, donec Prælatus certioretur, ac provideat, certum videtur ob dictum inconveniens, nè Clerus, & populus remaneat acephalus, & sine superiore, jurisdictionem devolvi ad Capitulum, ut tanquam absolutum supponitur per Rotam *in Burgen. juris visitandi 10. Martii 1597. coram Orano*, atque *ex Quarantain summa bullar. Ventriglia, Barbosa, Justiniano & aliis*, benè firmat dictus amicus meus *Pellegrinus de Vicario par. 1. sect. 4. sub sect. 5. num. 1. pag.* 86. ita à pari & fortius, cùm solùm ageretur de hoc medio tempore provisionali, donec scilicet consulta Sedes Apostolica provideret.

Et quamvis *Berous cons.* 23. *à num. 4. ad finem lib.* 8 *1.* firmet, quod Capitulum non potest absente Episcopo à Diœcesi deputare Vicarium, seu aliàs in jurisdictione, & administratione Ecclesiæ se ingerere, Et cum eo, more transcriptoris, simpliciter pertranseat *Sbrozz. de Vic. lib. 1. qu. 59.* Nihilominùs id præmissis non obstat, cùm *Berous* præsupponat quæstionem tractari cum ipso Episcopo reluctante, qui velit etiam absens per seipsum Ecclesiam administrare, cùm de jure non teneatur invitus deputare Vicarium ex firmatis *per Cavaler. decis.* 418. *num.* 10. *&* 11. *ac habetur in Acernen. in* 9 *Tiraqonen. disc.* 22. *&* 24. *& in aliis hoc titul.* Undè quidquid sit de isto casu, cujus disputationem adhuc occasio non dedit, An scilicet Episcopus absens à Diœcesi, possit ibi causas cognoscere, atque subditos extrà eam evocare; Id longè distat à casu, in quo Episcopo absente, ac Vicarium seu alium administratorem relinquente, sequatur istius mors vel aliud impedimentum, quoniam tunc non est se ingerere in jurisdictione Episcopali, & administratione Ecclesiæ invito, & reluctante Episcopo juxtà casum *Beroi*, sed ex verisimili ejusdem Episcopi voluntate, à jure suppleta, seu præsumpta, est supplere ejus vices & partes, ejusque nomine administrare, donec ipse certioratus de casu per eum non prævisо posset providere.

In proposito item jurisdictionis Capituli Sede vacante, in una *Matheranen.* disputata in Sacra Congregatione Episcoporum, de qua *sub titul. de* 10 *elect.* (dum ejus principalis quæstio erat super validitate electionis Vicarii, & an votum electi computandum esset ad constituendam majorem partem) disputavi, An electus, qui se ingesserat in administratione officii, adhuc non expeditis litteris patentibus per Capitulum concedi solitis juxtà formulam traditam per *Qurant. in summa Bullar. verb. Capitulum Sede vacante, & Barbos. de Canonicis quæst. ultima in fine* cecidisset à jure suo juxtà terminos *cap. avaritiæ de præbendis in 6.* ut supponebatur ex parte illorum Capitularium, qui dictæ electioni non adhæserant; Et cum sensu etiam veritatis, prorsùs vanam & improbabilem dicebam hujusmodi oppositionem, quoniam mandatum, quod alicui Vicario conceditur, sive per Episcopum, sive per Capitulum, non exigit perneccssè scripturam, dum etiam oretenus dari potest, *Sbrozz. de Vic. lib. 1. quæst.* 64. Termini autem *textus in dicto cap. avaritiæ* procedunt, ubi agitur de formali electione, quæ indigeat confirmatione Sedis Apostolicæ nè scilicet istâ neglectâ, liceat electo se ingerere, juxtà ea, quæ habentur *in Monasterien. Coadjutoriæ eodem titul. de electione*; Secùs autem ubi agitur de illo actu, qui eodem tempore importat electionem & collationem, undè confirmationem, vel alium actum ad sui perfectionem non exspectat ex deductis per *Garz. de Benef. part. 1. cap. 6. num.* 23. *cum sequent.* & ita censuit Sacr. Congregatio absque difficultate.

NERITONENS. IURISDICTIONIS PRO EPISCOPO CUM LÆLIO DE ACTIS.

Casus decisus per Rotam pro Episcopo.

An Clericus in minoribus effugere valeat jurisdictionem sui Ordinarii, ex eo quod habitum & tonsuram non deferat, neque Ecclesiæ inserviat, undè cessent requisita Sacri Concil. Tridentini; Et quid ubi expressè & formiter renunciavit Clericatui, An hoc non obstante subjectus remaneat foro Ecclesiastico pro delictis, & causis antè dimissionem, Et quid pro illis post dimissionem Clericatus.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *De requisitis Sacri Conc. Tridentini, ut Clericus in minoribus gaudeat foro, fortius in Clericis conjugatis.*
3 *Clericus de delictis in clericatu punitur ab Ecclesiastico, etiam post dimissum clericatum.*
4 *Non è contra, quia etiam pro delictis commissis ante clericatum non punitur a laico.*
5 *Clericus non incedens in habitu vel dimittens clericatum, an hoc non obstante subjaceat Episcopo.*
6 *Et de ratione.*
7 *Suscipiens Clericatum quasi contrahit.*
8 *An Argumentum correlativorum semper procedat inter Episcopum, & Clericum.*
9 *Clericus qui post dimissum habitum illum suscipit, gaudet privilegio fori etiamsi sine licentia Episcopi.*
10 *Decisio Sacræ Coongregationis, quod etiam non incedendo in habitu subjacet Episcopo.*

DISC. LV.

1 INquisitus & carceratus Lælius clericus conjugatus per curiam sæcularem terræ Galatonæ ejus patriæ pro aliquibus delictis, obtinuit remitti Episcopo *Neritonen.* ejus Ordinario, quo volente in causa procedere, cum tractu temporis, ob rerum statum immutatum, agnosceret sibi magis expedire habere Judicem laicum, quàm Ecclesiaticum; Hinc facta renunciatione Clericatus coram publico Notario, recusare cœpit Curiam Episcopalem, qua procedente ad quamdam condemnationem, appellavit, atque post gesta coram quodam alio Judice appellationis in partibus, introductâ causâ in Rota coram *Bevillaqua*, datum fuit dubium, *an constet de Lælii Clericatu, ita ut sit subjectus jurisd. Episcopi*, quo proposito *sub die* 19. *Februarii* 1666. affirmativa prodiit resolutio ad favorem Episcopi solùm informantis, sed Lælius acquievit, dum causa, quod ulteriorem progressum non habuit; Et licet Ego scriberem pro Episcopo, adhuc tamen reflectendo ad solam veritatem, omninò justa, & probabilis visa est resolutio, cùm revera hujusmodi prætensio istius, qui pro libito, modò Clericum modò laicum, juxtà temporum oportunitates facere se volebat, nullam haberet subsistentiam.

Duo etenim erant ejus fundamenta, Unum quod in eo non concurrerent requisita per *S. Conc. Trid. sess.* 23. *de reformat. c.* 6. incessus scilicet in habitu & tonsura, & servitium Ecclesiæ, cui de mandato Episcopi esset adscriptus, quæ requisita, magis strictè & rigorosè in praxi desiderantur in Clerico conjugato, qui statui laicali magis approximat, ut in specie, Clericorum conjugatorum habetur *apud Marin. resol.* 48. *& seq. lib.* 1. ubi cæteri cumulantur; Et secundò, quod expressè renunciasset Clericatui coram publico Notario & testibus.

Utrumque fundamentum de plano cessabat ex facto, quoniam non agebatur de cognitione delictorum, quæ commissa prætenderentur post dictam, sive expressam dimissionem, sive tacitam habitus & tonsuræ, quo solùm casu intraret disputatio, sed de commissis tempore Clericatus jam ipsomet Clerico instante vel ratum habente canonizati per dictam remissionem à Judice laico factam Episcopo tanquam competenti, quo casu res nullam habet difficultatem, ob jus Episcopo jam quæsitum, quod ex facto ipsius Clerici tolli non potest, *Gramat. dec.* 10. *& cæteri collecti per Graff. de effect. clericat.* 1. *num.* 647. *& sequen. Squillant. de privilegiis Clericorum c.* 7. *nu.* 109. *de Marin. resol.* 48. *num.* 1. *lib.* 1. *& omnes*, quia est propositio plana. 2

Et quamvis id non procedat in casu converso, quia si laicus post delictum efficiatur Clericus, non cognoscitur, neque punitur à Judice laico *Franch. dec.* 209. *&* 384. cum aliis *per Marin. dicta resol.* 48. & admittunt omnes etiam laici quoad personam, cùm sola quæstio sit quoad bona, ubi sunt prærenta ex deductis *per Carleval. de judic disp.* 11. *nu.* 477. *& seqq. Sanfelic. decis.* 2. Nihilominùs quicquid sit de veritate hujusmodi distinctionis inter personam & bona, casus non est æqualis ob longè diversam rationem, quoniam in Episcopo seu alio Judice Ecclesiastico non concurrit illa omnimoda incapacitas cognoscendi, & puniendi laicos, cum quibus etiam in causis spiritualibus, quinimò & temporalibus mixti fori jurisdictionem habet, quæ è converso in laico concurrit pro regula, limitanda solùm in illis casibus in quibus ita per sacros Canones, à quibus magis quandam delegatam jurisdictionem mutuare dicitur, statutum est. 4

Verùm ubi etiam ageretur de delictis commissis post hujusmodi explicitam vel implicitam Clericatus dimissionem, Adhuc tamen, ex abundanti & præter causæ necessitatem, dicebam pro Episcopo responderi debuisse, Distinguendo siquidem unam dimissionis speciem ab altera, quatenùs pertinet ad implicitam resultantem à defectu requisitorum de quibus in dicto decreto S. Concilii Tridentini, illa rectè procedit in odium ipsius Clerici, dicta requisita non adimplentis, ne scilicet forum laicalem declinare possit, & quibusdam aliis Privilegiis Clericatus potiri, non autem ad ejus favorem, atque ut ita sibi liceat declinare sui Ordinarii jurisdictionem, ejusque non subditum se facere, quoniam si id sequi non potest per dimissionem expressam, eatenùs operativâ, quatenùs ser. serv. illa per ipsum Ordinarium

dinarium vel alium Superiorem admissa sit, multòminùs id facere potest per dimissionem implicitam, cum non possit esse majoris operationis tacitum quàm expressum, seu fictum quàm verum.

Ut super utraque specie dimissionis, prævia matura discussione de anno 1638. declaravit S. Congr. Concilii *in una Leodien.* quæ declaratio approbata etiam per *Vrbanum VIII.* & inferius registranda, circumfertur tanquam magistralis, ac passim recepta est per Sac. Congregationem Concilii.

Quod duplicem habet claram rationem coinci-
6 dentem in idem, Unam quod Clericatus dicitur militia cœlestis, cui illum suscipiens se adscribere dicitur in favorabilibus & privilegiativis jure militiæ terrestris regulandis, Undè quemadmodum miles non potest militiam deserere sine licentia & consensu Ducis, ac aliàs tanquam desertor punitur, patiendo solùm privationem privilegiorum, ita quoque de hujusmodi militibus spiritualibus dicendum venit.

Et altera, quia inter suscipientem Clericatum,
7 & Superiorem conferentem iniri dicitur quidam quasi contractus, eodem modo quo sequi dicitur ex collatione & respectivè acceptatione beneficii Ecclesiastici inter beneficiatum & Ecclesiam, seu collatorem, ex deductis per *Barbos. de jure Eccles. lib. 3. cap. 15. nu. 14. & 15.* & pluries in sua materia *sub tit. de beneficiis*, occasione resignationis non operativæ, usquequo per Superiorem non admittatur, idcircò in distractu intervenire debet idem mutuus consensus, cum quo contractus initus fuit, ex regula, quod unumquodque dissolvendum est cum eodem vinculo, cum quo est ligatum.

8 Et quidem Superior & subditus sunt correlativi, & non debent ad imparia judicari, quinimò si quæ inæqualitas danda est, illa potiùs procederet pro Superiore & contrà subditum, non autem è converso, undè quemadmodum Episcopus sine consensu Clerici, vel saltem eo dissentiente sine justa causa & ser. ser. non potest eum privare Clericatu, ita è converso non debet esse in subditi placito sine Superioris consensu à suscepta obligatione se eximere.

Et quamvis revera in hoc proposito hujusmodi argumentum correlativorum ita strictè non procedat ob rationis diversitatem, quoniam quando subditus dimittit beneficium vel Clericatum, dicitur solùm renunciare favori & privilegio, quod non confertur in invitum. Econversò autem privatio, quæ per Superiorem fieret, importat pœnam formalem, undè propterea termini non sunt æquales, Ac etiam quia esset quodammodò reddere irretractabilem statum Clericalem in minoribus, qui de sui natura est retractabilis, Nihilominus adhuc dicta ratio quasi contractus seu correlativorum considerabilis remanet in ordine ad expetendum superioris consensum, qui ab eo sine causa denegatus, suppleri potest per alterum Superiorem, ita ut dictum assumptum moraliter & sano modo intelligendum veniat, nè scilicet in libito subditi repositum sit, spreto Superiore se facere subditum & non subditum juxtà temporum & casuum oportunitatem.

Potissimè quia juxtà magis commuem & receptam opinionem pluries canonizatam per S. Congregationem, Clericus qui post legitimè dimissum Clericatum, de facto, etiam sine consensu Episcopi vel sui Ordinarii, quinimò eo dissentiente, habitum & tonsuram suscipiat, atque in divinis inserviat, seu inservire sit promptus, quamvis à Superiore impeditus, potitur privilegio fori, aliisque clericalibus privilegiis & favoribus, quoties non præcessisset formalis privatio Clericatus, causa cognita, & ser. ser. ex aliquo delicto vel alia justa causa, ex deductis per *Marin. resolut. 49. 50. & 58. lib. 1.* ubi allegatur *Reccius Squillante*, & cæteri de materia agentes

Tenor autem dictæ declarationis Sa. Congregationis Concilii est, videlicet

IN CAVSA LEODIEN.

DIE 12. Novembris 1630. facta relatione Sanctissimo D. Nostro in causa Leodien. 9. eiusdem in Sacra Congregatione Concilii præposita & resoluta, Sua Sanctitas approbavit opinionem, ut Clerici etiam non habentes requisita cap. 6 sess. 23. de Reformat. *Licet ipsi tanquam contravenientes ordinationi S. Concilii, non possint pro se allegare privilegium fori, nihilominus subsint jurisdictioni Episcoporum, seu Ordinariorum & illorum cognitioni, nedum in causis, in quibus non prævenerunt, sed illos è manibus Iudicis laici repetent, quando iidem Clerici adhuc Clerici permaneant, videlicet, si neque à jure, neque ab homine per declarationem ser. ser. factam privilegiis Clericalibus denudati seu privati sint.*

JO. Baptista Cardinalis Pamphilius.

BENEVENTANA SYNODVS,

AD PETITIONEM CAPITULI METROPOLITANÆ.

Consilium pro veritate.

De jurisdictione seu facultate Episcopi circà Synodum, an scilicet Constitutiones synodales facere valeat, sine consensu, vel consiliũ Capituli; Et quatenùs solum consilio requiratur, an capitulariter petendum sit, vel potiùs sufficiat, si à singulis, & an illud sit sequendum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Constitutiones Synodales faciendæ sunt de consilio Capituli.*
3 *An consilium prædictum sit de necessitate sequendum.*
4 *Non dicitur actus capitularis gestus à singulis Canonicis extra Capitulum.*
5 *In quo differant Constitutiones synodales ab aliis decretis & provisionibus Episcopi.*
6 *An Episcopus duarum Cathedralium insimul unitarum possit facere unam Synodum, vel debeat facere duas distinctas, & de effectibus.*

DIS-

DISC. LVI.

CUM Archiepiscopus Beneventanus, extrà Synodum formiter congregatam, sine interventu & consensu Capituli capitulariter congregati, aliquas edidisset Constitutiones, quas Synodales nuncupavit, easque curasset acceptari à singulis Canonicis Metropolitanæ pro majori parte, Consultus fui pro veritate ex parte ejusdem Capituli, an hujusmodi Constitutiones essent validæ & obligatoriæ, stante præsertim quod ejusdem Archiepiscopi auctoritas, dum hæc gesta fuerunt, restricta, seu diminuta erat ob assistentiam Vicarii, qui licet ex prudentialibus motivis Generalis non autem Apostolici nuncupationem haberet, cum deputatione facta ab ipso Archiepiscopo, attamen in effectu erat Apostolicus, utpotè deputatus per Sac. Congregationem de cujus mandato, non nisi per dictum Vicarium causas cognoscere, aliaque gerere poterat. 1

Respondi, quod si dictæ Constitutiones editæ fuissent per solum Archiepiscopum, absque consensu, nulloque ex petito consilio Capituli non merentur Synodalium nomen, ideoque multominùs haberent earum operationem, sed essent invalidæ per textus expressos *in cap. novit, cap. quanto, & cap. finali, de his quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli Abb. in dicto c. quanto num.* 4. & cæteri communiter, de quibus *Ciarlin. controv. 61. n.* 11. 2

Quæstio enim inter Doctores est, an consilium à præfatis Canonibus requisitum, de necessitate sequendum sit, ita ut sonet in consensum, vel potiùs sufficiat solum illud petere. In quo licèt *gloss. Io. Andr. Innoc. Imol. & alii in dicto cap. novit. Ancharan. in cap.* 1. *num.* 96. *de constit.* & cæteri teneant pro necessitate; Contrarium tamen, quod scilicet verbum consilii de quo in dictis Decretalibus stet in suis puris terminis, undè propterea sufficiat petere absque necessitate insequendi tenent, *Abb. in dicto c. quanto n.* 5. & cæteri magis communiter, eamque esse veriorem testatur *Rota apud Achill. decis.* 2. *de off. ordinarii, Put. decis.* 92. *lib.* 3. eamque sæpius fuisse tentam à Sac. Congregatione testantur *Lotter. de benef. lib.* 1. *quæst.* 21. *num.* 110. *Fagnan. in c. & sine litera de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*, ubi de materia interventus Capitulorum Cathedralium in Synodo Provinciali.

Ubi verò tenenda etiam esset hæc secunda opinio, quam præsertim ex auctoritate Sac. Congregationis & Rotæ sequendam esse credebam, Adhuc tamen pro invaliditate respondi, dum ob litteralem dictorum Canonum dispositionem, omnes concordant, consilium saltem petendum esse, quod sequutum non fuerat, non obstante acceptatione Canonicorum pro majori parte, quoniam id gestum fuerat à singulis extrà Congregationem capitularem, undè propterea dici non poterat actus capitularis, quamvis à majori parte quinimò ab omnibus, singulariter tamen gestus esset *Innoc. in cap. eam te de rescriptis num.* 9. *Feder. de Senis cons.* 61. *num.* 9. *Cavaler. decis.* 193. *num.* 5. & habetur pluries in sua materia *sub titul. de Canonicis & Capitulo.* 4

Ipsum enim nomen seu vocabulum *Synodus*, utpotè significans Congregationem, denotat hujusmodi actus capitulariter seu collegiatim explicandos esse, ut etiam clarè comprobat Sac. Concil. Tridentinum *sess.* 24. *de reformat. cap.* 2. ubi renovando dispositionem *c. quoniam* 18. *distinct.* præcipitur Episcopis, ut singulis annis synodum convocent, undè habemus, quod morientibus examinatoribus synodalibus infra annum, non possunt alii in eorum locum subrogari per solum Episcopum sine consilio Capituli ex deductis apud *Burat. dec.* 362. & 479. & in sua materia *sub tit. de Parochis*, Et sic perneccsse requiritur Congregatio Capitularis, ut nomen & effectus Constitutionum synodalium habeant, cum operatione non competente aliis decretis & statutis solius Episcopi, quod hæc durant durante ejus vita seu Præsulatu, Constitutiones verò synodales tanquam leges sunt perpetuæ, & obligant semper, donec revocentur. 3

Verùm quia idem Archiepiscopus adhuc vivebat, dixi inanem videri hanc inspectionem, quoniam ubi etiam non subsisterent tanquam Constitutiones synodales, adhuc afficerent, & servari deberent tanquam decreta seu ordinationes ipsius Archiepiscopi, cujus Præsulatu durante, effectus videtur idem, ideoque punctus consistebat in earundem Constitutionum justitia & probabilitate, quoniam ubi essent injustæ seu exorbitantes haberi posset recursus ad Sacram Congregationem Concilii, vel Episcoporum pro reformatione, passim fieri solita, etiam ubi agitur de Constitutionibus editis in Synodo formiter congregato, & è converso si validæ & justæ, servari debent tanquam simplices ordinationes Episcopi ut suprà.

Nullius verò momenti dictum credidi motivum moderatæ auctoritatis, quoniam in effectu hæc non aderat, cùm solùm provisio Sacræ Congregationis concerneret necessitatem adhibendi, magis unum ministrum, quàm alterum, cum prohibitione illum removendi, seu causas aliis delegandi, non autem percuteret ipsam Episcopalem auctoritatem, potissimè quia dicta provisio erat circà cognitionem causarum, ac ea, quæ pertinent ad munus Vicarii, undè percutere non videbatur materiam Constitutionum Synodalium, in quibus Vicarius nil agere habet.

In proposito autem Constitutionum synodalium, in congressu Advocatorum tento prodirectione causæ in pluribus controversiis vertentibus inter Diœceses *Ampurien. & Civitaten.* insimul unitas, tam super deputatione Vicarii sede vacante, quàm super præcedentia, ac etiam jure convocandi ad Synodum juxtà decisiones, quæ pro majori parte habentur impressæ *inter recent. part.* 9 quamvis omnium controversiarum decisio penderet ab eodem principio unionis, an scilicet illa esset æquè principaliter, ita ut utraque Ecclesia vel Diœcesis conservaretur in suo primævo statu, vel è converso esset accessoria & subjectiva ex iis, quæ habentur *in eadem Ampurien. & Civitaten. hoc libro sub titul. de præmidentiis disc.* 7. Nihilominùs in proposito convocationis ad Synodum, dicebam hujusmodi inspectionem parùm prodesse, etiam ubi super dicto puncto principali ex parte Diœcesis *Civitaten.* obtineretur intentum, quod scilicet unio canonizaretur, quod esset æquè principalis, ut probabilius credebam. 6

Licet enim quando sunt duæ Ecclesiæ sub uno Episcopo æquè principaliter insimul unitæ, reputentur in omnibus distinctæ, etiam cum separata Synodo, adeòut concursus habitus in Parochiali unius Diœcesis coram examinatoribus deputatis in Synodo altetius, reputatus fuerit nullus per Rotam *in Frequentina nullitatis concursus* 13. *Iunii* 1635. *coram Coccino*; Nihilominùs id procedit quando Episco-

piscopus duarum Ecclesiarum ita unitarum, duas separatas synodos celebrat, si verò unam pro utraque convocare aut celebrare velit, non videtur id prohibendum, Quemadmodum enim deputare potest unum Vicarium generalem pro utraque, atque residendo in una, ibi subditos alterius convocare, tribunal habere, & causas cognoscere, quia quoad ipsum ambo habentur pro una, *ut apud Cavaler. dec. 418. cum aliis supra in Tiraqonen. jurisdictionis dis. 22. & in Marianen. & Accien. benef. sub tit. de benef.* ita à pari idem dicendum videtur in convocatione synodus, cum eadem militet ratio, neque aliqua dignosci videatur differentia.

ANGLONEN.
REMISSIONIS CAVSÆ PRO EPISCOPO, CUM ARCHIEPISCOPO MATERANEN. SEU ACHERUNTIN.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Episcoporum, sed non resolutus.

De concursu seu quæstione jurisdictionali inter duos Episcopos vel Ordinarios super cognitione ejusdem causæ seu personæ, quæ uni subjecta sit ratione originis vel domicilii, & alteri ratione delicti, qualis forus reputetur potentior. Et de præventione quando intret ac sequuta dicatur, Et quid ubi concurrit mixtura pluriũ delinquentium diversi fori.

An personis privilegiatis competat electio fori Metropolitani in prima instantia.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De quæstione super majori competentia inter forum delicti, & forum originis vel domicilii.*
3 *Distinguuntur plures casus pro dictæ quæstionis ac auctoritatum dilucidatione.*
4 *Quando res respectu utriusque est integra, potentior est forus loci delicti.*
5 *Quando etiam in casu præventionis per alterum, adhuc potentior sit forus delicti.*
6 *Spontanea præsentatio non causat præventionem,*
7 *Quando pro præveniente sit respondendum.*
8 *Confessus non est remittendus.*
9 *Præventio realis vincit verbalem.*
10 *Negligentia fori potentioris ei præjudicat.*
11 *De materia connexionis, & ne continentia causæ dividatur, an forus dignior trahat omnes.*
12 *Quando dicatur non adesse vera continentia.*
13 *Quando ille qui reperitur cum delinquente, non reputetur talis, & non sit punibilis.*
14 *De privilegio electionis fori an competat inter duos Judices æquales.*
15 *Et an detur electio fori Metropolitani in prima instantia.*

DISC. LVII.

IN Oppido *Pisticcij* Matheranen. seu Acheruntin. Diœcesis cum quidam Clerici Diœcesis Anglonen. de nocte amicitiæ causa associati à Clerico ejusdem loci, homicidium patrassent, porrecta contrà eos quærela ex parte Uxoris viduæ & filiorum pupillorum in curia Episcopali Anglonen. curavit ista diligenter habere à curia sæculari processum super corpore delicti & inditiis, deindeq; processit ad citationem contra quærelatos, ex quibus aliqui non comparentes reputati fuerunt contumaces, atque ad pœnas contumaciales condemnati, alii verò comparuerunt, & constituti, confessi sunt homicidium casuale, juxtà eamdem facti seriem ab ipsomet occiso coram Judice sæculari in actu recognitionis corporis delicti enarratam; Et è converso Vicarius foraneus dicti loci delicti, processum formavit contrà solùm proprium Diœcesanum, ad cujus carcerationem processit. Post notabilem verò plurium dierum decursum, Curia Archiepisc. novum processum contrà omnes formavit, ac successivè prætendens à dicta Curia Episcopali sibi tanquam Judici magis competenti remitti debere acta & carceratos, eidem tanquam suffraganeæ & subditæ in forma auctoritativa & præceptiva id demandavit, Replicantibus autem Officialibus Curiæ Episc. parere non teneri, cùm in hoc ipsa Curia Archiepiscopalis non gereret partes Metropolitani cum Suffraganeo, exercibiles tantum in secunda instantia, & in gradu appellationis & gravaminis, sed ageretur inter duos Judices coæquales, de jurisdictione seu fori competentia quæstionem habentes à communi Superiore decidendam; Hinc proindè recurrente dicta Curia Archiepiscopali pro hujusmodi decisione ad Sacram Congregationem Episcoporum, assumptaque desuper disputatione ob aliquam facti diversitatem inter causæ patronos, nulla la capta fuit resolutio, sed juxtà laudabilem stylum, demandatum fuit concordari factum coram ponente, sed Curia Archiepiscopali negligente cœptum opus prosequi, ita Curia Episcopalis absque decisione victoriam reportavit, atque ad causæ expeditionem processit. 1

In hac igitur unica disputatione habita in Sacr. Congreg. scribentes pro Curia Archiepiscopali, cum copiosis allegationibus desumptis *ex Farin. quæst. 7. & Carleval. de judiciis tom. primo disput. 2. ex num. 801.* nimium se diffundebant in quæstione tractata per civilistas *in l. prima Cod. ubi de crimine agi oporteat*, & per Canonistas *in cap. postulasti de foro competent*, super majori competentia fori ratione delicti quàm originis vel domicilii, ita cum auctoritatum cumulo probare curando veriorem esse opinionem assistentem foro delicti utpotè digniori & magis privliegiato. 2

Scribens pro Curia Episcopali dicebam non benè hujusmodi quæstionem ita genericè & in abstracto tractari, ut cum aliquo æquivoco faciunt nonnulli moderni, sed procedendum esse cum casuum distinctione, qua mediante veritas melius indagatur, ac rectè conciliari possunt plures auctoritates, quæ invicem pugnantes videntur in confuso cumulatæ. 3

Primus antem casus est, ubi Judex originis vel domicilii, sciens per eius subditum patratum esse delictum extrà propriam ditionem & in alieno territorio, illum quem habet in posse punire intendit,

dit, ita ut quæstio non sit inter duos Judices in eadem causa procedere volentes, ac de maiori compentia contendentes juxtà casum præsentis controversiæ, sed sit cum ipso reo allegante defectum potestatis Judicis procedere volentis, quod scilicet ad eum non pertineat inquirere de gestis extrà proprium territorium, suamque ditionem; Et de hoc agunt scribentes collecti per *Farin. dicta quæst. 7. nu. 19. & sequen.* receptaque videtur distinctio, an procedatur per viam accusationis, vel inquisitionis, ut primo casu ex magis communi possit secùs autem in secundo, cujus tamen quæstionis veritas maturè examinata non fuit, utpotè extrà casum controversiæ, proindèque dicebam, auctoritates istam quæstionem percutientes ponendas esse ad partes, ac malè deduci tanquàm extraneas.

Alter casus est, ubi delinquens patrato delicto in alieno territorio, revertitur ad domicilium proprium, undè judex loci delicti, fabricato processu, requirat judicem domicilii pro carceratione & consignatione delinquentis; Et tunc aut agitur inter judices diversorum Principatuum seu ditionum, & intrat nodosissima quæstio, super qua scribentes adeò certant, cùm ferè omnes, præsertim verò moderniores, ad affectionem partium potiùs, quàm ad veritatem scripsisse videantur; Verùm & hujus quæstionis veritatem pariter examinare extraneum erat, utpotè extrà casum, ideoque ponendæ etiam ad partes erant plures auctoritates in confuso coacervatæ, istum casum percutientes tanquam extraneæ à casu controversiæ.

Aut verò agitur inter Judices ejusdem ditionis vel Principatus, ita tamen quod solum ille loci delicti processum efformaverit, Et tunc admittebam, planum ac receptum esse, Judicem domicilii dictum alterum Judicem eum requirentem coadjuvare teneri, atque delinquentem carcerare & remittere, sed pariter iste casus remanebat extraneus à quæstione, undè ad rem non faciebant multæ auctoritates ex *Farinac. & Carleval. ubi supra* collectæ istum percutientes.

Tertiùs demum est casus præcisus quæstionis, ubi uterque Judex processum formavit, atque actus cognitionem causæ importantes gessit, undè oritur quæstio coram utriusque Superiore super fori potentioris competentia; Et tunc, quidquid sit inter Barones, vel alios, in quibus ratione Privilegiorum vel jurium municipalium, aliarumque circumstantiarum à juris regulis generalibus deviandum esset, seu etiam ex dispositione Juris civilis; Quatenùs pertinet ad istos terminos præcisos duorum Episcoporum seu Ordinariorum Ecclesiasticorum contendentium de remissione Clerici delinquentis, qui sit subditus unius ratione originis vel domicilii, alterius verò ex sola ratione loci delicti.

4 Aut nemo prævenit, sed delinquens cum processu est penes Judicem sæcularem seu alium, à quo uterque remissionem petat juxtà casum, de quo punctualiter agit *Franch. dec. 37.* & tunc juxtà ibid. deducta, potior videtur forus loci delicti, pro quo stat regula.

Aut Judex domicilii prævenit, & habet reum in manibus, undè Judex loci delicti illum ab eo vendicare, sibique remitti contendat; & tunc quicquid sit de Jure civili, juxtà cujus terminos loquuntur agentes de controversiis inter Barones aliosque Judices sæculares; De Jure Canonico, &
5 Ecclesiastico, distinguendum etiam est, quod aut Judex loci delicti de nulla negligentia imputari potest, prævention verò alterius Judicis est potiùs affectata ex parte deliquentis, & tunc pro dicto primo Judice loci delicti respondendum est, eique reus remittendus venit juxtà casum decisum per Sacram Congregationem *in una Neapolitana seu Aversana de Anno 1643.* Cùm enim quidam Clericus Aversanus, patrato delicto in Civitate Neapolis, illico fugam arripiendo, ob magnam vicinitatem se contulisset ad locum domicilii, atque sperando habere magis benevolum proprium Ordinarium, coram isto sponte se præsentasset, Curia verò Archiepiscopalis Neapolis cum omni dili- 6
gentia processum formasset, reumque perquirere curasset, Idcircò justè per Sacram Congregationem dicta remissio decreta fuit ad favorem Curiæ Neapolitanæ, cùm hic Judex fori potentioris de nulla negligentia redargui posset, Et quod magis est, prævention carcerationis erat collusiva & affectata sine processu, quinimò etiam sine notitia delicti per delinquentis spontaneam comparitionem, quæ prævention non causat ex deductis per *Farin. dicta q. 7. sub. num. 53.*

Ubi verò Judex domicilii, bona fide & absque collusione, formato processu, ac ser. serv. prævenit in citatione verbali, fortius verò in reali, Et 7
tunc dicebam probabilius pro præveniente respondendum esse, ut auctoritate *Mariani, Soccini dicto cap. postulasti de foro competenti num. 14.* & aliorum habetur apud *Franch. dicta dec. 34. num. 3. Sperell. dec. 17. num. 37.* Et hanc distinctionem firmant etiam *Abb. cons. 24. nu. 2. & per tot. lib. 1. Tobias Nonius cons. 98. num. 5.* latè contrariis respondendo *Beccius cons. 93. num. 10. & 16. lib. 1. Magon. decis. Lucen. 70. num. 3. Fachin. lib. 9. controv. 21. Guazzin. ad defensam. cap. 17. num. 32. Decian. tract. criminal. lib. 4. cap. 19. num. 14.* & cum hac distinctione solita fuit procedere Sacra Congregatio, præsertim *in una Salernitana 28. januarii, 4. Martii, 8. Aprilis & 27. Maii. 1603.*

Fortius in hac facti specie, ex duplici circum- 8
stantia, una quod rei erant partim carcerati & confessi, ideoque confessi remissio facienda non est, *ut per Guazz. d. c. 17. nu. 32.* ac etiam quia prævention realis vincit verbalem ex deductis *per Vermigiol. cons. 212.* multòmagis ubi adest prævention in utra- 9
que specie reali & verbali quoad comparentem, & quoad non comparentes adest condemnatio contumacialis habens speciem fictæ confessionis & realitatis.

Et altera, quia Judex loci delicti de magna neg- 10
ligentia redargui poterat, dum agebatur de prævention per dies 20. quo casu magis de plano pro altero Judice præveniente respondendum venit *Farinacc. dicta quæst 7. num. 23. Sanfelic. dec. 68. Tondut. de prævent. tom. 2. cap. 21. num. 14.* Neque cum ignorantia excusari poterat, Tùm quia Ordinarius tenetur scire & inquirere ea quæ in sua Diœcesi contingunt, *Burat. decis. 459. num. 8.* Tùm etiam quia per processum & carcerationem dicti proprii Diœcesani, jam notitiam delicti habebat, undè cum tanta negligentia respectu aliorum non Diœcesanorum videbatur eorum punitionem neglexisse. 11

Magnum fundamentum constituebant scribentes pro curia Archiepiscopali in prævention sequuta, cum dicto Clerico proprio Diœcesano, undè propterea ratione connexionis, & nè continentia causæ dividatur, inferebatur etiam quoad alios socios criminis quamvis ab alio prævento, sibi cognitionem

nitionem competere, atque istud motivum mihi inferebat difficultatem, præsertim quia hujusmodi remissio sociorum criminis non fundabatur in sola ratione connexionis, ita ut aliàs esset incompotens, sed etiam in potentiori competentia ratione loci delicti, pro quo stat regula, undè præventio dicti socii criminis influere videbatur ad totam causam, ac ad excludendam negligentiam, de qua iste judex excusari poterat respectu non diœcesanorum illicò ab ejus diœcesi discedentium, undè ex hoc motivo valdè timebam.

Respondebam verò scribens tanquàm Advocatus, quod licèt in puncto juris, & de stricta ejus censura, ratione connexionis, & ob regulam, ne continentia causæ dividatur, forus dignior trahat totam causam etiam quoad correos aliàs ejus non subditos, Nihilominùs hujusmodi regula in praxi locum habere solùm videtur in civilibus, non autem in criminalibus, in quibus de consuetudine & praxi, quilibet cognoscit suum, atque præventio quoad proprium subditum, operativa non est quoad alios à proprio Superiore præventos, *Cravett. cons. 32. num. 1. 5. & per tot. Revit. pragmat. prima, ubi de delictonum. 42.* atque ita istius causæ occasione adhibitis diligentiis comperii practicari per Sacr. Consultam, ac etiam aliquando practicatum esse per Signaturam Justitiæ.

Præsertim verò, ac extrà difficultatem, ubi connexio non est omnimoda, & quodammodò necessaria, quia nempè ageretur de eodem puncto pariformiter omnes absque differentia percutiente, quo casu
12 magis rigorosè intrat regula de continentia causæ non dividenda, ob inconveniens contrarietatis determinationum, quod scilicèt incompatibiliter unus judex absolvat, alter condemnet; Secùs autem ubi personarum ac circumstantiarum diversitas est talis, quod compatibiliter, unus potest à suo judice absolvi, alter à suo condemnari, sivè unus mitius, alter verò gravius puniri, ut observat *Cancer. lib. 3. variarum cap. 10 num. 100.*

Et hic erat casus præsentis controversiæ, quoniam ex confessione ejusdem occisi ut suprà quæ conformis erat confessioni delinquentium, homicidium quamvis non appensatum sed casuale, patratum fuerat per clericos Anglonenses, qui sclopos emiserant, clericus verò loci erat sinè armis, & casualiter ibi reperiebatur associando dictos exteros, amicitiæ & benevolentiæ gratia, undè propterea dici non poterat reus
13 exdeductis *per Grammat. dec. 25. numer. finali & per totum Clar. in praxi criminal. § finali qu. 90. num. 8. Farin. quæst. 96. num. 18.* ideòque benè & compatibiliter poterant simul stare, unum esse absolvendum, alios verò condemnandos, sivè unum mitius, alios gravius puniendos esse.

Dicebam quoque, in omnem eventum difficultatem tolli ob electionem fori, quam vidua & pupilli ex privilegio *legis unicæ Cod. quando Imperator, &c.* fe-
14 cerant de ista Curia Episcopali Anglonen, dictum enim privilegium locum sibi vendicare etiam inter duos judices æquales probabam auctoritate *Thori in compend. decisionum par. 3.* verbo *remissio causæ Inquisitionis fol. 79.*

Adversùs hoc motivum scribentes pro Curia Archiepiscopali deducebant resolutionem Sac. Congregationis Concilii *in una Baren. de mense Apr. 1628.* per quam firmatur hujusmodi privilegio locum non esse inter forum Ordinarii & Metropolitani; Verùm facilis erat responsio ex defectu applicationis, quoniam tàm de jure communi, quàm clarius ex dispositione *Sac. Conc. Trid. Sess. 24. de Reformat. cap. 20.* Metropolitanus non est judex competens, nullamque habet jurisdictionem in causis primæ instantiæ, sed solùm in gradu appellationis, quæ neque à quacumque provisione admittenda est, sed solùm à diffinitiva, seù diffinitivæ vim habente juxtà declarationes generales ejusdem Sac. Congregationis Concilii registratas apud *Quarantam in Summa Bullarii* verbo *Archiepiscopi auctoritas*, Undè propterea rectè dictum fuit dictum privilegium non intrare, cum illud procedat inter plures judices æquè competentes in eadem instantia, vel quia sint plures eamdem cumulativam habentes cum præventione, vel quia unus ex una ratione, alter ex altera, ut in præsenti, vel quia sit forus Principis, qui habeat etiam facultatem procedendi in prima instantia, & concurrendi cum Ordinario; Super præmissis tamen omnibus nullum maturum ac determinatum judicium pro veritate effoRmari potuit, dum causa ulteriorem disputationis progressum ut supra non habuit.

FIRMANA MOLENDINI *PRO* FRANCISCO STUCCIO *CUM* PETRO MAZZOLENO

Casus disputatus in Sac. Congregatione Immunitatis & resolutus pro Stuccio.

Clericus, qui tanquàm actor obtinuit rem contrà laicum à manibus judicis laici, an possit coram eodem conveniri pro ejusdem rei dimissione, vel potiùs sit conveniendus coràm suo judice Ecclesiastico, Et distinguuntur plures casus clerici habentis bona auctoritate judicis laici, an coram eo conveniatur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*

2 *Clericus obtinens rem à judice laico, an coram eodem conveniatur ad eam dimittendam.*

3 *Distinguuntur plures casus.*

4 *De ratione, ob quam clericis expedit retineri opinionem civilistarum pro jurisdictione laicorum.*

5 *Etiam in casu quo cognitio causæ contrà clericum pertinet ad judicem laicum, executio non ad ipsum sed ad Ecclesiasticum pertinet.*

6 *An & quando Ecclesiasticus obtinens hæreditatem vel alia bona à manibus judicis laici, coram isto super eisdem conveniatur, præsertim qui adivit hæreditatem & fuit immissus ad bona hæreditaria.*

***

DISC. LVIII.

SUbhastato ad instantiam Communitatis *Massæ*, pro quodam credito per ipsam prætenso à Francisco Stuccio, quodam istius molendino, eoque deliberato Petro Mazzoleno clerico, tanquam ultimo & majori oblatori, interposita per Stuccium appellatione, obtinuit à judice secundæ instantiæ manutentionem ratione nullitatis vel notoriæ injustitiæ dictæ exequutionis, & respectivè subhastationis, cujus manutentionis exequutioni se opponente Mazzoleno deliberatario & possessore ex defectu jurisdictionis dicti judicis secundæ instantiæ sæcularis cum isto tanquam clerico; Atque introducta causa in Sac. Congregatione immuniratis, prævia bina acri disputatione, pro dicti mandati de manutenendo executione responsum fuit, opposita fori incompetentia non obstante, Atque mihi pro dicto Stuccio scribenti reflectendo etiam ad solam veritatem, justa, & probabilis visa est resolutio. 1

In hujusmodi autem disputationibus, scribentes pro clerico defori incompetentia opponente cum copiosis allegationibus probare conabantur, quod quicquid al qui in contrarium dixerint, nedum apud Canonistas & Morales, sed etiam apud legistas, & sæculares, magis communiter recepta est opinio clerico favorabilis, quod scilicèt quamvis à manu judicis laici adversus laicum rem obtinuerit, Attamen si tanquam reus pro ejusdem rei dimissione conveniatur, coram suo judice Ecclesiastico & competenti conveniri debeat, *ad notat. per Canonistas in cap. finali de judicis, Marta de jurisdictione par. 4. casu 159.* & ultrà modernos canonistas & morales, id communi ore firmantes, dicebant admitti etiam per ipsos civilistas seù laicos, præsertim *Carleval. de judiciis tom. 1. disput. 2. n. 961. Salgad. in labyrint. par. 2. c. 6. nu. 43. & sequen. Sanfelic. dec. 2. Rovit. dec. 44. Capyc. Latr. dec. 123. n. 7. de Marin. resol. 206. lib. 1.* 2

Scribens in contrarium, non negabam præmissa in casu suo, dicebam verò æquivocari in applicatione, pro qua congruè facienda, procedendum esse dicebam cum distinctione casuum. Quorum primus est, ubi clericus ex aliquo interdicto possessorio adipiscendæ, seù ex alio remedio, possessionem à judice laico obtinuit, absq; aliqua reservatione vel conditione ad bona vacantia, seù etiam ad plena, quorum possessor non appellando acquiverit, ita ut illud judicium jam terminatum sit; Deindè verò alter interessatus, credens habere meliora jura, super eisdem bonis novum judicium avocatorium instituat; Et tunc licèt non desint volentes, clericum posse etiam conveniri coram eodem judice laico, à quo dicta bona obtinuit, Admittebam tamen veriorem, ac magis communem esse in contrarium, juxtà præmissas auctoritates, ex ea convincenti ratione, quod primum judicium omninò finitum & effectuatum fuit, istud verò dicitur omninò novum, in quo clericus veram personam rei gerat, & consequenter conveniendus est in foro suo. 3

Alter casus est, ubi clericus à judice laico immissus est in possessionem, non purè, & simpliciter, sed cum clausulis præservativis juris alterius, puta *sinè præjudicio habentium meliora & potiora jura, &c.* pariter autem non veniat ipse principalis possessor, contrà quem immissio data est, sed vel eo acquiescente, vel quia possessio esset vacua, post consummatam executionem veniat tertius; Et tunc non levis est controversia, quoniam *Marta dicto casu 159. ex Zuccardo in l. finali Cod. de Edict. Div. Adr. nu. 308.* acriter substinet isto casu procedere idem quod in præcedenti, ac intrare eamdem traditionem canonistarum *in dicto cap. finali*, eamdemq; rationem, quod scilicèt primum judicium sit finitum, istud verò sit omninò novum, in quo clericus gerat personam rei conventi; Et cum eo per transeunt communiter moderni Canonistæ & Morales.

Contrarium verò, quod scilicèt judex laicus, adhuc remaneat competens, ex quo clericus, ita conditionaliter possessionem ab eo obtinuit, ut ad ejusdem nutum sit eam dimissurus; Seù verius, quod judex prædictus eam penès se retinuisse dicatur, dando solùm clerico petenti simplicem tenutam ad ejus nutum revocabilem *ex Peregr. de fideic. art. 48. num. 63. & sequen.* plenè cæteris allegatis substinent *Carol. de Graff. de effectu clericat. 1. num. 447. Christophor. de Pazz. de tenuta cap. 64. num. 13. Carleval. de judiciis dicta disput. 2. num. 950. & 952. cum sequen. Larrea decis. 6. Capyc. Latr. d. dec. 123. n. 8. Salgad. in labyrint. d. par. 2. cap. 6. n. 51. cum sequen.*

Quia verò iste non erat casus controversiæ, atque laudabilis Curiæ stylus prohibet evagationes in superfluis, idcircò, integrum locum veritati relinquendo, istam opinionum varietatem obiter solùm insinuabam, ad convincendum æquivocum scribentium circà allegationem plurium ex præmissis auctoritatibus de hoc secundo vel primo casu loquentibus, in quorum neutro versabamur; Incidenter tamen dicebam, quod quidquid sit in urbe & Statu Ecclesiastico, in aliis tamen Principatibus hæc secunda opinio in praxi, & de facto magis recepta est; Neque mihià probabilitate aliena videbatur, præsertim ubi agitur de possessione vacua, nullum tamen desuper præbendo determinatum judicium, dum causæ necessitas, utpotè extrà casum controversiæ non exigebat formalem articuli discussionem.

Tertius demum, omissis aliis ad rem non facientibus, est casus præsenti controversiæ adaptabilis, ubi scilicèt judice laico nulliter vel injustè spoliante laicum possessorem sua possessione, quam transferat in clericum, primus possessor non acquiescat, sed vel per viam appellationis ad superiorem, vel per viam nullitatis coràm eodem, animo retinendo suam antiquam possessionem saltèm civilem, petat ad naturalem manutentionem, vel reintegrationem; Et tunc, cum sensu etiam veritatis, qualem etiam habuit ipsa Sacra Congregatio ut suprà, dicebam omninò verius esse, ac extrà omnem dubitationem, quod idem judex laicus, vel ejus superior sit competens, quoniam tunc dicitur esse idem judicium, quod ita continuat, undè propterea cessat ratio terminationis prioris judicii, & institutionis novi, in qua fundatur opinio clerico favorabilis in primo & secundo casu prædictis, Atque clericus adhuc gerere dicitur personam actoris, laicus verò primus possessor illam rei, obtinentis solùm remotionem obstaculi, sivè impedimenti in sua possessione ab ipso judice malè præstiti, ut benè *Carleval. d. disput. 2. num. 447. & seqq.* & videtur ratio convincentissima.

Alia etiam clara ratione ponderata, quod si tenenda esset contraria opinio, illa non esset clericis, & Ecclesiasticis favorabilis, sed potiùs odiosa, & præjudicialis, quoniam ubi essent creditores, seù aliàs ex successionibus vel fideicommissis sibi apertis, competerent remedia possessoria, seù aliàs privilegiata, & executiva ad bona sub potestate judicis laici existentia, ita nunquam obtinerent, undè eorum conditio deterior efficeretur, ac etiam aliqua involutio negotiorum 4

seque-

sequeretur, præsertim in concursibus creditorum, aliisque judiciis universalibus, quæ ratio percutere etiam videtur secundum casum præcedentem, cujus tamen disputatio in Curia, & causis status Ecclesiastici, & Urbis nunquam vel rarò contingibilis est ob utramque potestatem, quæ penès A. C. aliaque majora Tribunalia residet, quia Papa est Episcopus, & Rex.

Est benè verum, quod ubi executio eorum, quæ per judicem laicum ut suprà demandata sunt, exigeret aliquem actum districtionis clerici in persona & bonis propriis, tunc iste actus ab ipso laico exerceri
5 non poterit, sed spectat ad Ecclesiasticum, prævia solùm ea summaria cognitione, quæ executori juris conceditur, ut habetur in materia rei litigiosæ in clericum alienatæ, sivè in gabella per clericum mercatorem solvenda, vel in restitutione pecuniæ habitæ in concursu creditorum ex bonis communis debitoris cum obligatione de restituendo, vel in clerico suscipiente administrationem à judice laico cum permissione eidem reddendi rationes, de quibus casibus agitur respectivè per *Sperell. dec. 7. de Marin resol. 53. lib. 1. & resol. 177. num. 8. & seqq. lib. 2. Capyc. latr. consult. 103.* cum similibus, undè oporteat devenire ad districtionem personalem sivè in bonis propriis; Et hoc est quod propriè volunt Ecclesiastici & Morales, licèt plerique non benè casus distinguendo, confundant istum casum districtionis cum altero cognitionis causæ; Secùs autem ubi absque districtione reali vel personali in bonis propriis, priori possessori conceditur manutentio vel reintegratio ad suam primævam possessionem, quoniam tunc est solùm continuare, seù removere obstaculum, ac impedimentum ab ipsomet judice laico præstitum, laicus autem primus possessor non avocet possessionem, neque illam obtinet jure novæ adeptionis, sed jure continuationis.

In proposito autem clèrici obtinentis bona à manibus judicis laici, an super eis coram eodem judice laico conveniri valeat. Habui in praxi alium casum *in*
6 *una Neapolitana*, Cum enim clericus, cui delata erat quædam testamentaria successio unius ex parentibus fecisset in illa Mi C. V. solitum præambulum, atque obtinuisset decretum immissionis ad possessionem bonorum cum clausula ibi apponi solita *salvo jure, &c.* quæ idem importat, ac clausula apponi solita in Curia *sine præjudicio habentium meliora, & potiora jura, &c.* post plurium annorum pacificam possessionem, unus ex legatariis eumdem clericum convenit coram quodam magno, & supremo judice laico in eadem Civitate, à quo denegata fuit remissio petita per clericum reum conventum ad suum judicem Ecclesiasticum, ex dicto fundamento, quod cùm ipse clericus habuisset bona hæreditaria, ad quæ agebatur à manibus judicis laici, ita præventa erant bona, neque ipse poterat refricare quæstionem potestatis illi, à quo ipse causam habebat, dicendo constanter talem esse notoriam, & inconcussam praxim illorum tribunalium, Unde desuper à dicto clerico in Urbe moram trahente consultus.

Respondi pro meo judicio à dicto judice procedi cum æquivoco claro, Quidquid enim sit de subsistentia praxis, de qua ipse loquebatur, & super quo relinquebam integrum locum veritati, Illa etiam sine veri præjudicio præsuppositа, adhuc juxtà sensum eorumdem Regnicolarum de ipsa attestantium procedit in uno ex duobus casibus, vel scilicèt ubi ageretur de jus habente in ipsa hæreditate, vel successione privativè in toto vel in parte clerici, ad cujus favorem confectum est præambulum, atque concessa est immissio cum dicta clausula, quasi quod alio interessato comparente actus prædicti, tanquam conditionales, purificata conditione resolvantur, & habeantur, ac si facti non essent, ex iis, quæ in terminis dictæ clausulæ *sine præjudicio* habentur apud *Adden. ad Gregor. decis. 332.* & per Rotam frequenter, præsertim *in Perusina fideicommissi 13 Junii 1668. coram Cerro*, de qua causa in proposito in sua materia *sub tit. de fideicommissis*, ubi declaratur, Et hic est casus, de quo agit *Capyc. Latr. decis. 123. num. 8. & 9.* quia alter postea comparens impugnabat ipsum jus hæreditarium in bonis antiquis in vim consuetudinis.

Vel in ordine ad creditores hæreditarios ex causa æris alieni, seù ex causa legati, ut erat propriè casus, quando isti ab eodem clerico citantur, seù provocantur coram ipso judice laico, coram quo isti sic provocati eum tunc reconveniunt, quia nempe clericus, vel singulariter, vel generaliter, & per edictum seù proclama, citaverit creditores, & legatarios pro conficiendo solemniter, & legitimè inventarium, & in his terminis procedit dicta praxis, de qua testantur Regnicolæ, præsertim *Hodiern. ad Surd. dec. 26. n. 15. & in fin. post nu. 26.* licet enim de stricto jure dictæ reconventioni locus esse non debeat, quoniam hoc non dicitur judicium necessarium ex plenè deductis *per eumdem Hodiernam ubi supra n. 13. & 14.* Nihilominus dici potest adesse quemdam colorem, cui dicta praxis reconventionis provocato competentis innixa esse possit.

Sed ubi clericus, præambulum, ac inventarium perfecit, ita ut hoc voluntarium judicium omninò perfectum, & absolutum sit, ipseque est pacificus possessor hæreditatis, in qua nullum habeat contradictorem, solumq; agatur de creditoribus quantitatis, quibus judicium merè reale rei vendicationis non competat, Tunc omninò improbam nullique fundamento innixam dicebā hanc praxim, quoniam ita est de directò exercere jurisdictionem cum ipso clerico ejusque persona, cum principalis actio sit personalis, cujus pedisequa, & accessoria est hypothecaria, seù alia rei persecutoria competens creditori quantitatis; Atque aliàs actum jam esset de exemptione clericorum à foro laicali in bonis patrimonialibus, cum exceptis illis quæ ab ipsomet clerico acquiruntur, reliqua omnia utpotè ex parentum, aliorumque conjunctorum successione obvenientia, ita obtineri soleant mediante aditione hæreditatis, quæ in regione *præambulum* dici solet; Idemque sequeretur in Ecclesiis, & piis locis ex piis testantium dispositionibus, hæreditates, & successiones obtinentibus, idque sive mediatè, sive immediatè, ex regula, quod hæres hæredis, &c. ac etiā ex assūpto, quod ipsa bona sunt affecta, quo nil absurdius, cum verè dicta clausula *salvo jure* percutiat jus & interesse illorum, qui habent jus privativum ad eum, cui concessa est immissio sub tali conditione, ob cujus purificationem actus resolvatur, ac evanescat, perindè, ac si gestus non esset, dum clerico imputari potest cur talem judicem adierit, atque ab eo immissionem sub tali conditione acceptaverit, ita dictam conditionem resolutivam acceptando, Sed ubi jus hæreditarium remanet firmum, tunc casus videtur indubitatus, quoniam cessat dicta ratio resolutionis actus, cui unicè ista praxis innixa esse potest: atque juxta ubique receptam opinionem clericus successor laici, cum quo non sit cæptum judicium, conveniendus ist in foro suo Ecclesiastico ut latè *Carleval. ubi supra numer. 302. & 304. cum seqq.* Multò magis in legato quantitatis, cujus laicus defunctus nunquam fuit debitor, sed debitum oritur cum clerico hærede.

MEDIOLANEN.

FIDEICOMMISSI

PRO

PRINCIPE TRIVULTIO,

CUM

CONVENTU CARMELITARUM SANCTI JACOBI IN COMA.

Discursus in congressu pro directione causæ.

An clerici & Ecclesiastici possidentes bona spectantia ad aliquod fideicommissum seù majoratum, evocari possint ad forum sæcularem, & conveniri coram eo judice, coram quo pendet judicium universale, super ipsius fideicommissi canonizatione, & pertinentia.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*

2 *De quæstione majoris competentiæ inter plures foros ejusdem generis, & unione causarum in uno remissivè.*

3 *Quid ubi quæstio est inter foros diversi generis, puta Ecclesiasticum, & sæcularem, an clericus trahatur ad forum sæculare, in quo tractetur causa universalis hæreditatis, vel fideicommissi, refertur opinio affirmativa Baldi, contrarium num. 7. & 11.*

4 *De rationibus dictæ opinionis.*

5 *De foro digniore trahente.*

6 *De concordatis Mediolani inter utrumque forum, & num. 14.*

7 *Reprobatur opinio Baldi, de qua n. 3.*

8 *Clericus qui habuit rem à manu judicis laici, an coram eodem conveniatur super ejus restitutione.*

9 *Declaratur conclusio connexionis,* & l. Nulli.

10 *Quando clericus evocetur in concursu creditorum, vel alio judicio universali coram laico.*

11 *De alia declaratione doctrinæ* Baldi, *de qua num. 3.*

12 *Quod canonizatio judicii universalis coram laico afficiat clericos, & Ecclesiasticos.*

13 *Canonizatio fideicommissi cum hærede gravato afficit tertios possessores bonorum.*

14 *De concordatis Mediolani, de quibus num. 6.*

15 *De alienatione rei litigiosæ in clericum, an judicium prosequi possit cum laico.*

***

DISC. LIX.

VSque ab anno 1601. in Senatu Mediolani aliqui Trivultii judicium instituerunt contrà alios etiam Trivultios super purificatione, & pertinentia fideicommissi ordinati per olim Jacobum Trivultium vulgò nuncupatum *il Grande*, obtentaque desuper per Principem Trivultium dictorum actorum successorem de anno 1654. sententia in dicto judicio universali super fideicommissi purificatione, & pertinentia, in ejus executionem, in eodem Senatu judicium particulare instituit contrà Conventum S. Jacobi in Coma Ordinis Carmelitarum pro relaxatione cujusdam domus ad dictum fideicommissum pertinentis; Dicto autem Conventu declinante jurisdictionem, atque obtinente inhibitionem ab A.C. pro observantia Bullæ Cænæ prohibentis trahi clericos, & Religiosos ad forum sæcularem, Trivultio verò cupiente, quod instaretur in Signatura Justitiæ pro dictæ inhibitionis moderatione, eo modo quo in consimili casu per eumdem obtentum fuerat contrà Pirovanos possessores quorumdam bonorum ad idem fideicommissum pertinentium, dicti Senatus jurisdictionem pariter declinantium, cum per causæ patronum punctus reputaretur difficilis; Hinc proindè juxtà laudabilem stylum convocatus fuit Advocatorum congressus, in quo eisdem difficultatibus habitis, pro majori parte concluſum fuit quod magis timendum quàm sperandum esset; Verùm quia aliqui ejusdem Trivultii ministri in Curia existentes inculcabant, quod Advocati & sapientes de partibus reputabant hunc punctum planum, Ideircò mihi præ cæteris fortiter dubitanti, injunctum fuit desuper edere discursum ad eos transmittendum, ut difficultatibus responderent, quæ tamen responsiones nunquam visæ sunt, incertusque remanet controversiæ exitus, vel quia causa mutaverit defensores, vel quia concordata fuerit, seù aliàs actor acquiescat. 1

Dicebam igitur, quod quidquid sit de alia quæstione concursus inter plures foros ejusdem generis vel speciei, quia nempè omnes habitualiter sint competentes utpotè omnes æque laici, seù respectivè Ecclesiastici, ita ut sola controversia sit super majori competentia, ut exindè tanquàm in causa universali ab omnibus aliis avocatio seù unio respectivè prærendi valeat, vel ad effectum validitatis gestorum in eo foro, qui esset regulariter incompetens & recusabilis, non tamen ex omnimoda incompetentia & inhabilitate, quæ in foro laicali respectu clericorum urget, & de qua quæstione habetur infrà *in Montis alti seu Maceraten. fideicommissi, ac etiam in Urbevetana fideicommissi disc. 74. & 87.* 2

Quatenùs pertinet ad præcisos terminos quæstionis, ubi scilicèt agitur inter foros omninò diversi generis, ut sunt Ecclesiasticus & sæcularis; Primo aspectu videbatur pro moderatione respondendum, ex punctuali traditione *Baldi in l. finali Cod. de Edict. Div. Adr. tollen. n. 54.* Ubi ponendo casum de pluribus possessoribus bonorum ad eamdem hæreditatem seù universitatem spectantium quærit, an singuli libelli coram propriis judicibus offerendi sint, vel potius omnes ad unum judicem trahi valeant, & concludit juxtà hanc secundam partem, etiamsi aliquis eorum esset clericus, quoniam litis natura & res ipsa trahit personam, licèt exemptam, dictamque Baldi doctrinam sequitur *Peregr. de fideicomm. art 38. n. 68.* 3

Dupli-

Duplicem rationem habet hoc assumptum, unam connexionis seù continentiæ non dividendæ, & nè
4 contingat super eodem puncto per diversos judices diversas vel contrarias proferri sententias ex collectis *per Salgad. in labyrint. par. 1. cap. 4.* ubi ad satietatem concordantes, Et altera, quia nimis durum & incongruum esset, ut hæres vel fideicommissarius, pro eodem titulo hæreditario vel fideicommissario canonizando, sivè pro recuperandis bonis ad eamdem Universitatem spectantibus, atque penès plures possessores existentibus, teneatur tot lites substinere, ac judicia peragere, quot sunt possessores, Ut in terminis judicii adipiscendæ ad bona ad eamdem hæreditatem vel fideicommissum spectantia cæteris collectis *Menoch. de adipiscen. remed. 4. num. 473. & sequen.* Et in terminis judicii universalis concursus creditorum coràm judice laico, ut etiam clerici trahantur *Salgad. dicto c. 6.* ubi latè concordantes.

Potissimè verò, quia rationabiliter usque ab anno 1601. judicium universale institutum fuit in dicto Senatu, tanquam judice magis competente eorum, penès quos erat major pars bonorum, seù ut Hispani dicunt, erat caput hæreditatis vel fideicommissi, juxtà ea quæ ex theorica *Bart. in eadem l. finali* habentur infrà in dicta Montis alti *dicto disc. 87.* Et fortius cum jam usque ab anno 1654. sequuta esset sententia fideicommissi canonizatoria, unde propterea res non erat integra, quo casu intrare posset difficultas, de qua *Gratian. discept. 641. Salgad. dicto cap.*
5 *4. numer 12.* & cæteri communiter, quod scilicèt forus dignior traheret totam causam, qualis in pari concursu reputatur forus Ecclesiasticus contrà sæcularem.

Ac etiam stantibus concordatis Civitatis Mediolanen. Inter Curias Ecclesiasticum & sæcularem, Apostolica, & Regia auctoritate munitis, in quibus *cap.*
6 8. statuitur, ut in omnibus causis illud observandum sit, quod judicium semper in eo foro finem accipiat, in quo cœptum fuerat, Concurrente etiam dicto exemplo Signaturæ in hac eadem causa cum Pirovanis ut suprà.

His tamen non obstantibus, contrarium dicebam videri probabilius, quoniam dictum assumptum *Baldi*, ut qualitas rei trahat ad se personam, privile-
7 gio clericali non obstante, volitare quidem solet per ora aliquorum legistarum, & in aliquibus Tribunalibus laicalibus, Verùm nedum communi omnium canonistarum & moralium voto, sed etiam ex magis communi eorumdem legistarum sensu, excepta causa feudi, reprobatum est; Atque adeò id verum est, ut quamvis bona obvenerint in clericum è manu Judicis laici, si tamen ipse conveniendus est tanquam reus ad illorum dimissionem, non coràm laico sed coram Ecclesiastico conveniri debet, cum declarationibus tamen, de quibus suprà *in Firmana disc. præced.* ubi habentur tractantes hujusmodi quæstionem, multo magis in præsenti.

Neque supra dictæ rationes in contrarium ponderatæ urgere videntur, Regula enim connexionis de-
9 ducta ex *text. in l. nulli Cod. de judiciis cum concord.* procedit inter plures foros ejusdem generis, quorum quilibet esset habitualiter competens, quamvis per aliquam exceptionem recusabilis, Puta quia essent omnes fori laicales plurium possessorum æque laicorum competentes, vel econverso, juxtà casus, de quibus in allegatis *Urbevetana & Montis alti disc. 74. & 87.* cum similibus; Secus autem ubi agitur de foris omninò diversis, & in quibus respectivè obstat omnimoda, & habitualis incompetentia, ut est forus laicalis respectu clericorum, juxtà communem distinctionem canonistarum *in cap. finali de judiciis*, quos congerit *Carleval. de judiciis tom. 1. disput. 2. numer. 955. & sequen. & tom. 2. disput. 2. numer. 13.* & benè explicat *Trentacinque lib. 2. var. cap. 3. numer. 8.*

Ea verò, quæ plenè deducuntur per *Salgad. in labyrint. dicto cap. 4. par. 1.* de evocandis clericis & Ec-
10 clesiis ad forum sæcularem in judicio universali concursus, juxtà ea, quæ habentur *disc. sequenti*, percutiunt casum, in quo clerici, non arctativè, & tanquam rei necessarii aliàs condemnandi evocentur, ut erat casus præsentis quæstionis, sed quandò solùm invitantur, atque ex urbana monitione favorabiliter excitantur tanquàm actores voluntarii in causa benè introducta in foro debitoris laici, super cujus bonis, vel ad creditorum instantiam efformatur concursus, cum revera ipse debitor laicus sit reus, cujus forum clericus actor sequi debet juxtà dispositionem textus *in cap. si clericus laicum de foro competenti*; Proindeque dicebam *dictam Baldi* doctrinam ita intelligendam esse, quandò scilicèt clericus non
11 possessor, pro ejus jure & interesse invitatur tanquam actor vel respectivè defensor voluntarius, juxtà casum, de quo *in alia Mediolanen. disc. sequen.* secùs autem ubi possidet, & vocatur tanquam reus necessarius, ad effectum condemnationis ad dimittendum, ut declarat *Zuccard. in ead. l. finali numer. 307.* quem referunt & sequuntur *Menoch. de adipisc. dicto remed. 4. num. 75. & Gratian. discept. 238. numer. 94.*

Magis autem urgere videbatur dictum inconveniens, nedùm scriptæ, sed etiam humanæ legi contrarium, quod scilicet idem hæres vel fideicommissarius
12 cogeretur, cum insupportabilibus expensis & incommodis, super ejusdem tituli canonizatione, tot judicia ex integro substinere, quot sint possessores bonorum & jurium ad eamdem Universitatem pertinentium, Cum alio etiam inconvenienti, ut super ejusdem tituli canonizatione plures diversæ, vel contrariæ prodire possint sententiæ, quia unus judex canonizet, alter reprobet; Verùm id non videbatur sufficiens motivum, ob quod clericus à laico condemnari, atque ad dimittendum bona directè urgeri valeat, quoniam aliud est canonizari titulum universalem, ac firmari statum, aliud verò cogi singulos possessores ad dimittenda bona, quæ prætendatur spectare ad ipsam Universitatem, cujus pertinentia per judicem competentem cum legitimo contradictore, cujus primaria defensio sit, firmata esset.

Et sic stant benè simul, fideicommissi existentiam & pertinentiam canonizatam esse coram judice laico, qui vel ratione majoris partis bonorum, vel ratione capitis ipsius fideicommissi seù majoratus, aut alio respectu sit magis competens juxtà distinctiones, de quibus infrà *dicto disc. 87.* Et tamen quod clericus possessor aliquorum bonorum pertinentium ad idem fideicommissum, præsuppositio isto titulo, utpotè jam canonizato coram suo judice competente, conveniri debeat coram suo judice Ecclesiastico non ad effectum ut denuò de ejusdem tituli existentia & pertinentia ex integro disputandum sit, sed ad effectum eum audiendi in aliis exceptionibus, quæ posita etiam dicta canonizatione tituli universalis, possunt particulariter competere, quia nempè illa res non spectaret ad fideicommittentem, sivè quia ratione detractionum rectè distracta sit, cum similibus, relevato solùm fideicommissario actore ab onere ex integro in hoc particulari judicio assumendi ejus tituli univer-

Card. de Luca de jurisdict. & foro compet.

universalis canonizationem ita præsupponendam, dummodò coràm judice competenti, & cum legitimis contradictoribus, quorum primaria causa defensionis esset, id sequutum sit, bona fide, & absque fraude vel collusione juxtà doctrinam *Bart. in ead. l. finali Cod. de edict. Diu, Adr. numer. 13. Peregr. de fideicomm. art. 53. in principio* cum aliis *in dicto disc. 87.* & habetur *in Bononien. fideicomm. de Pancaldis 4. Feb. 1654. coram Bevilaqua*, ubi quod canonizatio fideicommissi cum hæredibus gravatis tanquàm legitimis contradictoribus, & in causa status, facit jus, & præsupponenda est cum tertiis possessoribus singulorum bonorum ad idem fideicommissum spectantium, quos proindè tanquam habentes interesse consecutivum, non autem jus principale & coæquale, talis canonizatio afficit.

Concordata Mediolani nihil ad rem facere videbantur, cum solùm percutiant causas, in quibus clerici actores agerent contrà laicos, quos ex particulari consuetudine ad suum forum trahere velint, ut clarè probat eorumdem concordatorum rubrica seù inscriptio ibi, *Concordia inter forum super controversia exorta occasione consuetudinis trahendi laicos ad forum Ecclesiasticum*, Atque in nigro *à Capitulo primo usque ad octavum* semper agitur de eodem, de clericis scilicet actoribus contrà laicos, qui in utroque foro conveniri possint, ut ille semel electus variari non possit, Nullatenùs autem de casu converso, ut clericus per laicum in foro sæculari conveniri valeat.

Pariter ad rem facere non videbatur exemplum Signaturæ cum Pirovanis ut suprà, Tum quia supponebatur in illis bonis concurrere qualitatem feudalem, unde ratione feudi forus laicalis Domini reputatur etiam competens cum clerico ex claris juribus, *in cap. 6. & 7. de foro competenti*; Tum etiam quia supponebatur agi de bonis de tempore moti decti judicii in Senatu possessis per laicum reum conventum, & quæ litigiosi vitio jam affecta, à dicto laico reo convento & possessore transierant in dictos Pirovanos clericos, unde propterea non improbabiliter, juxtà magis æquam & rationabilem opinionem, causa remissa fuit ad eumdem judicem, coram quo cœpta erat, ab eo terminanda, dummodo tamen judicati executio, non ipsius, sed Ecclesiastici judicis auctoritate fieret, Non quidem ex novo judicio rescissorio, ut aliquorum est sententia, sed solùm cum ea summaria cognitione, quæ exequutori juris conceditur, ex iis quæ habentur apud *Sperell. decis. 7.*

Hæc autem circumstantia in hac facti specie non concurrebat, dum iste Conventus prætendebat non habere causam ab hæredibus gravatis, imò negabat pertinentiam bonorum ad fideicommittentem, und propterea ejus jus non erat accessorium & consequutivum, ut est illorum particularium possessorum, quos constat à gravato causam habere, atque ex his in forma discursiva ad effectum indagandi veritatem concludebam fundatas esse difficultates habitas in congressu.

***

MEDIOLANEN.

BONORUM.

PRO

CONFRATERNITATE. SEU SCHOLA S. MARIÆ AD S. SATIRUM.

CVM

COLLEGIO BARNABITARUM

Casus decisus per Rotam pro Confraternitate.

Confraternitates vel adunantiæ laicorum sub aliquo pio instituto, An gaudeant exemptione fori laicalis, quando, & quomodo.

Clericus, seù aliàs exemptus à foro laicali, An ad illum evocari possit tanquam actor voluntarius, & cum clausula, *quatenus putaverit sua interesse, &c.* Et quatenus evocetur, An tanquam auctor laudatus, seù necessarius defensor, aut aliàs mediatum habens interesse, declinare valeat talem forum, ut causam traheret ad suum Ecclesiasticum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *De exclusione Religiosorum à fideicommissaria successione ex voluntate testatoris remissive.*

3 *An piæ Confraternitates laicorum dicantur Ecclesiasticæ tàm quoad exemptionem à foro laicali, quam circa alienationem bonorum.*

4 *Cui potius imputanda sit neglecta fori declinatoria.*

5 *An clericus auctor laudatus & necessarius defensor declinet forum.*

6 *Quid in materia Egidiana an cesset ratione qualitatis actoris laudati Ecclesiastici.*

7 *Ubi constat de justitia evictionis, non attenditur omissio denunciationis facienda venditori.*

8 *An denunciatio facta coram Judice incompetenti sufficiat.*

9 *An clericus citari possit per Judicem laicum tanquam defensor voluntarius, si sua putaverit interesse.*

10 *In concursu creditorum vel alio judicio universali spectatur persona debitoris laici, unde possunt evocari Ecclesiastici tanquam actores voluntarii.*

DISC. LX.

1 B evictionem à dicta Congregat. seù Schola passam aliquorum bonorum jure fideicommissi vindicatorum, egit illa in judicio Salviani contrà dictum Collegium Barnabitarum, tanquam auctorem, & de evictione obligatum, & introducta per appellationem causa in Rota coràm *Bichio*, duæ prodierunt resolutiones ad favorem actricis sub diebus 26. *Iunii* 1647. & 18. *Maii* 1648. ad quarum normam expedita sententia, & commissa per appellationem causa in eadem Rota *coram Corrado* prævia decisione 21. *Maii* 1649. emanavit sententia confirmatoria, idemque sequutum in tertia instantia coràm *Albergato*, cum unica etiam decisione 21. *Iunii* 1652. quæ decisiones nempè prima, tertia, & quarta sunt *163. & 313. par.* 10. & 278. *par.* 11. *rec.*

In hujusmodi disputationibus punctus fuit, an evictio ad quam agebatur, justè, vel potius ex injuria sequuta esset, prætendente Collegio reo convento, illam injustè sequutam esse ob adhuc non purificatum fideicommissum ad favorem evincentium, utpotè remotiorum de genere vocato, ob superexistentiam proximiorum, quamvis Religiosorum de Religione capaci in communi, Deducendo etiam nullitatem processus & actorum, ex culpa ejusdem Confraternitatis non declinantis forum laicalem, à quo scribentes in contrarium dicebant eam esse exemptam; Ac etiam quod malè facta esset ipsi Collegio litis denunciatio omninò necessaria, ut ad evictionem agi posset, utpotè facta coràm eodem judice laico, coràm quo ipsum Collegium indubitate Ecclesiasticum, & constitutum ex sacerdotibus & clericis regularibus professis, citari non poterat ratione omnimodæ incompetentiæ & incapacitatis dicti judicis seù fori laicalis; Et sic tres fuerunt inspectiones seù puncti, Unus in meritis negotii principalis, & circà evictionis justitiam pendentem ab existentia & pertinentia fideicommissi; Alter circà competentiam fori dictæ Confraternitatis, an scilicèt conveniri & condemnari potuerit in foro laicali; Et tertius circà denunciationem factam in eodem foro laicali dicto Collegio auctori laudato seù necessario defensori.

Super primo, cum ad causæ defensionem evocatus essem in secunda instantia circa initia professionis in locum unius ex Advocatis defecti, qui jam in imminenti disputatione coràm *Corrado* scripserat super dicto puncto firmato etiam in duabus præcedentis
2 instantiæ decisionibus coràm *Bichio*, modicæ ac peaè nullæ fuerunt meæ partes, undè propterea de eo non agitur in sua materia sub titulo de fideicommissis, sunt autem decisiones notabiles super puncto exclusionis Religiosorum, quamvis de Religione capaci, nedum ob expressam, sed etiam ob conjecturatam voluntatem testatoris, de quo non semel actum habetur *in dicto titul. de fideicommissis*, præsertim in *Romana fideicommissi de Cupis*, & *in Bonon. fideicommissi de Bonfiolis pro Monasterio S. Michaelis*, atque reflectendo etiam ad veritatem, justæ & probabiles visæ sunt, ex fundamentis in dictis decisionibus contentis.

Quatenùs verò pertinet ad secundum punctum circa defectum jurisdictionis seù incompetentia fori laicalis cum dicta Confraternitate; Cum sensu etiam veritatis, dicebam indebitam esse oppositionem, cum
3 non constaret hujusmodi Confraternitatem habere requisita necessaria ad eam faciendam verè Ecclesiasticam, tàm ad effectum fori, quam etiam ut ejus bona dicerentur Ecclesiastica, & cadentia sub dispositione *Extravag. ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan.* quod scilicet Ordinarii vel alterius Ecclesiastici Superioris auctoritate formiter erecta esset, cum Ecclesia, seù Oratorio, campana, & aliis loci Ecclesiastici requisitis, quæ in præsenti cessabant; Nil obstante quod multa exercerentur opera pietatis, quodque ad limites Sac. Conc. Trid. ab Ordinario visitaretur, atque reviderentur rationes, quoniam recepta distinctio est, de qua non semel *hoc tit.* ac etiam sub altero *de alienat. & contract.* ad materiam dictæ *extravag. ambitiosæ*, quod aliud est esse locum Ecclesiasticum, aliud verò esse pium, undè posita prima qualitate, inesse dicitur secunda, non autem econtrà, quia stant benè simul, locum esse pium, & tanquam talem subjacere Visitationi Ordinarii, vel alterius Superioris Ecclesiastici, tàm circà institutum, & opera, quàm circà administrationem bonorum, ac redditionem rationum, Et tamen remanere adunantiam laicorum, quoad bona tēporalia subjectam foro laicali, ac etiā non subjectam prohibitioni alienationis bonorum Ecclesiasticorum, ex iis, quæ habentur collecta *per Carol. de Grass. de effectibus Clericatus eff. primo num.* 122. *& sequen. Barbos. de Episcopo alleg.* 75. cum aliis, quæ juxtà stylum habentur fuso calamo deducta in tertia decisione coram *Corrado dec.* 313. *par.* 10. ac etiam eadem *die* 21. *Maii* 1649. firmatum fuit *in Calaritana juris visitandi coram eodem*, & deindeè *in Melevitana bonorum* 10. *Februarii* 1651. *&* 10. *Maii* 1652. *coram Meltio*, quarum secunda est *dec.* 148. *par.* 11. *rec.* & in aliis; quoniam est distinctio recepta.

Et nihilominùs, ubi etiam in hac facti specie contrarium probabilius prætendi potuisset, quod scilicèt iste dicendus esset locus Ecclesiasticus privativè subjectus foro Ecclesiastico, atque exemptus à laicali, 4
Adhuc tamen dicebam, neglectam fori declinatoriam, potius ipsi Collegio imputandam esse, dum lis ei denunciata fuerat, ejusque certam scientiam habuisse etiam antè denunciationem, ex pluribus facti circumstantiis constabat, Ex ea clara & convincenti ratione, quod cum hujusmodi materia satis controversa esset inter Ecclesiasticos & laicos, atque apud istos sit nimium delicata, idcircò prorsùs irrationabile videbatur imputare istius Confraternitatis Rectoribus & administratoribus omnibus laicis, (stante præsertim retroacta observantia) cur non tentaverint adeò periculosum & sibi in persona ac bonis præjudicialem punctum, quem magis tutè tentare poterant ipsi Clerici Regulares & indubitatè Ecclesiastici, Magistratuum sæcularium indignationem non timentes.

Cumque inter scribentes pro dicto Collegio adessent *Moneta & Bossius*, docti & celebres morales, ut eorum opera docent, hujus Religionis Professores, qui cum copiosissimis allegationibus deducebant opiniones Ecclesiasticæ jurisdictione favorabiliores, quas morales præsertim tueri ac ampliare profitentur, Dicebam ejusdem Collegii, ipsorumque Religiosorum culpam ita augeri, quoniam juxtà opinionem, quam ipsi aliique Ecclesiastici profitentur ex collectis 5
per Bellett. disquis. clerical. par. prima de favore Clericorum reali §. 3. *num.* 19. *Carol. de Grass. dicto effectu primo num.* 261. *& sequen.* clericus auctor laudatus seù necessarius defensor declinat forum laicalem, & trahit causam ad forum suum, ideoque ipsis magis imputandum erat, cur id non egerint.

Quamvis reverà hæc opinio sit minùs vera, mi-

nusque recepta, quoniam attenditur interesse immediatum non autem mediatum, atque actori sufficit causam agere cum possessore bonorum, ad quæ dirigitur actio ad communiter notata per scribentes *in l. venditor ff de judiciis Covarr. practicarum quæst. cap. 8. sub num. 3. Mangil. de evict. quæst. 6. num. 1. Capic. Latr. consul. 65. num. 20. Carleval. de judic. par. 1. disput. 2. num. 665.* apud quos cæteri, & hanc tanquam veriorem tenuit *Rota in Perusina Salviani 15. Maii 1654. coram Peuting.* & inconcussè servat praxis ferè omnium Tribunalium Europæ, præsertim extrà temporalem ditionem Ecclesiæ, in qua, ut sæpiùs in aliis dictum est, cum unus & idem sit utriusque fori Princeps & caput, non adeò mordicus super hujusmodi distinctionibus insistitur; Licèt quoad punctum Egidianæ, cujus occasione de hoc articulo agitur *per Rotam in dicta Perusina coram Peutingerio*, haberem 6 difficultatem ex iis, quæ habentur infrà *in Albanen. seu Pedemont. hoc eod. tit. disc. 63.* ubi de eodem articulo clerici auctoris laudati.

Demùm quoad tertiam inspectionem, seù punctum denunciationis, quam dictum Collegium prætendebat sibi illegitimè factam esse coram judice sæculari omninò incompetenti, inanis labor videbatur super ea immorari ex recepta conclusione, de qua in hujus causæ decisionibus, & in sua materia *sub tit. de emptione & venditione*, quod scilicèt constito de justitia 7 evictionis, ex æquitate illa præstanda est, quamvis neglecta esset illa denuntiationis formalitas, quæ destricta juris censura requiritur, cum aliàs esset species pœnæ, quæ hodie ex Canonica æquitate in utroque foro recepta non exigitur ultrà interesse, quod proindè spectatur dicendo auctori opponenti de non denuntiatione, quod deducat quid deducturus fuisset, si ei formalis denunciatio facta esset, nam aliàs imputanda non est omissio illarum diligentiarum, quas constat non fuisse profuturas juxta vulgaria & recepta axiomata.

Multòmagis, dum in isto necessario defensore concurrebat certa litis ac imminentis evictionis scientia, ex pluribus circumstantiis, & ex ipsamet denunciatione facta per ipsum judicem, coràm quo causa pendebat, Quamvis dicta citatio tanquàm facta per incompetentem non esset arctativa, ad effectum, ut non subditus citatus contumax reputari potuerit, seù directè condemnari; Nihilominùs saltèm tanquam actus extrajudicialis, per tale organum factus ab ipsa parte, indubitatè sufficere videbatur loco protestationis, & pro scientia inducenda.

Quoties enim citatio non est arctativa seù coactiva, sed solùm monitiva, seù denunciativa, *quate-* 9 *nus sua putaverit interesse*, Tunc ubi præsertim nihil directè contrà ipsum clericum gestum est, neque in sententia nominatur, nullum adesse dicitur Ecclesiasticæ jurisdictionis præjudicium seù violatio, dum est urbana denunciatio, quæ omitti etiam poterat, & per quam, ut denunciato favorem & rem gratam judex faciat, eum monet de iis, quæ coram ipso geruntur, & ex quibus, deindè sibi præjudicium resultare potest, & sic invitatur tanquam actor & voluntarius defensor juxtà theoricam *Bart. in l. jurisperito §. finali ff. de excusat. tutor Felin. in cap. cum inter sub numer. 10. de sentent. & re judicata. Gabr. cons. 56. n. 16. & sequentib. 1. dec. 451. n. 7. par. 2. rec. cum concord. præsertim in dec. 21. Maii 1649. coram Corrado 313. p. 10. &c.* dum in ea instantia super hoc puncto actior fuit disputatio, & habetur etiam plenè deductum apud *Salgad.* post hujusmodi disputationem editum *in labyrint. creditorum par. prima cap. 6.* occasione convocandi etiam clericos & Ecclesiasticos ad concursum, qui per debitorem laicum coram suo proprio judice efformatur, sivè etiam eo invito per alios creditores, dum in proposito spectatur persona ipsius debitoris, qui in 10 effectu, sivè provocet, sivè provocetur est reus, creditores autem quamvis provocati sunt semper quoad substantiam actores juxta ea, quæ in simili habemus de provocatis ex remedio *l. diffamari, & l. si contendat, &c. ut habetur disc. præced.*

TRANEN.

PRO

FRANCISCO GALIBERTO

CVM

THOMA LOPEZ

ET

CONSORTIBUS.

Casus disputatus in Signatura Justitiæ & resolutus pro Galiberto.

An gesta per Iudicem laicum contrà clericum non opponentem de clericatu, & tanquam contrà laicum substineantur, vel potius infirmanda sint; Et quatenus veniant infirmanda, num clericus teneatur collitiganti reficere expensas in tali judicio factas.

Executio infrà tempus ad appellandum, vel post interpositam appellationem in vim Egidianæ contrà clericum reputatum laicum non opponentem de clericatu, an remaneat valida, vel potius dicatur attentata.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Executio facta in vim Egidianæ contrà non opponentem de clericatu substinetur.*
3 *Clericus bona fide reputatus laicus & non opponens de clericatu tenetur ad expensas judicii.*
4 *De conclusione, de qua num. 2.*
5 *Et de altera, de qua numer. 3. qua declaratur.*
6 *Alia declaratio ejusdem conclusionis.*
7 *Imputandum est actori, cur qualitatem rei non inquisierit, an esset Ecclesiasticus vel laicus.*
8 *Quæ expensæ per clericum reficiendæ debeant.*

DISC. LXI.

CONtrà Franciscum absentem Lucia creditrix, in vim litterarum exequutorialium in contumaciam obtentarum à Regia Audientia Tranen. curavit exequi & subhastari quædam bona deliberata Thomæ & aliis oblatoribus. Cumque Franciscus habita de his notitia, in eorumdem bonorum possessione se tueretur 1

retur cum inhibitionibus A. C. ratione sui clericatus, hinc proindè occasione moderationis dictarum inhibitionum introducta causa in Signatura, Dicebant scribentes pro dictis deliberatariis, quod gesta ut suprà coram judice sæculari substineri deberent tanquam contrà eum, qui laicus credebatur, ob non oppositum ab ipso clericatum in minoribus, qui ex facti circumstantiis dici non poterat notorius, sed potiùs notabiliter ignoratus.

Ad quod probandum deducebant receptam Curiæ praxim, quod licèt Egidiana non comprehendat
2 bona possessa per clericos, sivè de directo dominio Ecclesiarum, quamvis contentio esset inter laicos, quia reputatur constitutio laicalis nullam recipiens alterationem à confirmatione & extensione Summi Pontificis, utpotè id facientis ex persona Principis magis quàm Pontificis juxtà firmata *in Roman. de Scappuccciis 9. Januarii 1611. Coccino, quæ reputatur magistralis dec. 472 p. 2. rec. 441. num. 2. & 3. p. 9. rec. add. ad Greg. dec. 581. Rom. vineæ 17. Iunii 1658. Bevilaq. & passim.*

Nihilominùs si infrà tempus datum ad appellandum, vel postinterpositam appellationem processum est ad exequutionem bona fide quia, scilicèt in actis oppositum non esset de clericatu, sivè de directo dominio Ecclesiæ, talis executio non reputatur attentata juxta decisionem *in Æsina bonorum 10. Junii 1633. Verospio Viterbien. fideicommissi 16. Iunii 1642. Cerro.*

Et in omnem eventum dicebant, dictum Franciscum ob non oppositum clericatum, & successivè fori declinatoriam, saltèm teneri ad refectionem expensarum, & damnorum ex hujusmodi actis ab
3 actrice & deliberatariis passorum, ne ejus contumacia vel negligentia in aliorum bona fide procedentium damnum redundet, *ad text. in cap. exceptionem de except. ubi Canonistæ præsertim Felin. Dec. cons. 241. Natta cons. 495. nu. 18. Covarr. practicarum cap. 33. post. num. 2. Farinacc. quæst. 8. numer. 16. Carol. de Grass. de effect. Clericat. 1. num. 180. Bellett. disquis. Clerical. tit. de favore Clericorum personal. §. 2. num. 14. cum sequen.*

Pro Galiberto scribens, cum sensu etiam veritatis, dicebam quod quidquid sit de dicta praxi Tribunalis
4 A. C. vel Rotæ circà substinendam executionem factam in vim Egidianæ contrà laicos putativos de clericatu non opponentes, cujus contrarium tamen videtur magis receptum, *ut in ead. Viterbien. coram Cerro dec. 283. p. 9. rec.* ubi receditur à dicta alia præcedenti, *& in dicta Romana vineæ 17. junii 1658. Bevilaqua*, dum dicto casu fortè substentabilis videtur prima opinio ob cessantem omnimodam incompetentiam & inhabilitatem, ex quo hujusmodi Tribunalia Urbis habitualem habent jurisdictionem cognoscendi, & tractandi causas utriusque fori.

Receptissima tamen est Canonistarum opinio in
5 Romana Curia attendenda, ut gesta per judicem verè laicum contrà clericum quamvis laicum reputatum, & de fori declinatoria non opponentem, sint invalida, & clericum non afficiant, ad *textum in cap. adversus §. quia verò de Immunit. Ecclesiastica cap. sæculares de foro competenti in 6. Abb. Felin. & cæteri in dicto cap. exceptionem de except. Covarr. d. cap. 33. num. 2. & cæteri plenè collecti per Farinacc. d. quæst. 8. nu. 15. Bellett. ubi suprà nu. 13.* Undè propterea super hoc puncto nulla habita fuit difficultas, iidemque scribentes in contrarium cedebant.

Difficultas verò erat circà alterum punctum refectionis expensarum, circà quem, licèt contrariam opinionem excusantem clericum ab huju modi refectione simpliciter, & indeterminatè cæteris allegatis
6 plenè tueatur *Marta de jurisdictione par. 4. casu 102. num. 14. cum sequen.* Agnoscebam tamen, contrariam esse magis communem, & rationabilem in casu suo, de quo loquuntur *text. & DD. in dicto cap. Exceptionem*; Negabam verò applicationem ad casum, cum dicta conclusio verè, & propriè procedat, quandò clericus malitiosè, seù aliàs culposè distulit opponere de clericatu ut collitigantem expensis, & laboribus defatigaret, dum *text.* considerat malitiam, cum cujus præsuppositio procedunt *Abb. Felin.* & cæteri, Quæ circumstantia in præsenti cessabat, dum agebatur de judicio contumaciali ex contumacia ficta resultante à citationibus factis domi de tempore, quo Franciscus erat absens, undè nulla sibi poterat malitia vel negligentia imputari, dum statim habita de præmissis notitia, cum clericatu dictisque inhibitionibus se tueri curavit.

Ex alia etiam circumstantia dicebam dictum Franciscum ab hujusmodi refectione excusari, ex eo quod dicti possessores neglexerunt parere dictis inhibitionibus A. C. sed adhuc continuarunt in possessione
7 obtenta à manu judicis laici, quæ perseverantia indicium dabat, quod si ab initio fuisset oppositum de clericatu, non destitissent, ut dictam conclusionem limitat *Dec. dicto cons. 241.* cum quo pertransit *Marcabrun. cons. 44. num. 14. cum sequen.* refert & sequitur *Carol. de Grass. d. effectu 1. n. 883.*

Ista limitatio mihi videbatur parùm tuta in ordine ad applicationem ad factum, cum recipienda videatur quando possessor inhibitus, & de clericatu certioratus, declarat perseverantem animum se confovendi in possessione bonorum cum eadem auctoritate laicali, spreta inhibitione, seù præcepto judicis Ecclesiastici, in quibus terminis dicta limitatio mihi videbatur vera; Secùs autem ubi inhibitus non spernit judicem Ecclesiasticum, sed comparens coram eo prætendit de jure substineri gesta contrà clericum bona fide reputatum laicum, vel opponit de retentione pro refectione expensarum, & damnorum ut suprà, se in utroque ejusdem judicis Ecclesiastici judicio subjiciendo, illudque expectando, cum tunc non videatur exindè resultare depravatus animus redolens delictum, ex quo oriatur pœna privationis juris aliàs sibi competentis.

Solidius autem reputatum fuit primum motivum, quod scilicèt clericus de nulla culpa, vel negligentia redargui posset, ideoque imputandum erat actrici, cur
8 non inquisierit conditionem sui debitoris, contra quem judicium instituere intendebat, & ex hoc motivo ita judicatum fuit, condemnando dictum Franciscum ad solam refectionem illarum expensarum quas actrix & deliberatarii respectivè passi fuerant postquam in ejusdem Franciscum contumaciam idem A. C. moderatus fuerat inhibitiones posteà reintegratas, cum isto medio tempore justè dicendus esset culposus, & econversò dicti collitigantes in statu bonæ fidei.

* * *
* *

NEAPO-

NEAPOLITANA DONATIONIS PRO ANTONIO FRANCONO, CVM CAROLO FRATRE.

Casus disputatus in Signatura Iustitiæ, & resolutus pro Antonio.

Clericus infringere volens donationem factam laico, in quo foro hujusmodi judicium tractare debeat, an scilicèt in Ecclesiastico & proprio, vel in illo laici donatarii; Et successivè an intentans remedium *l. diffamari* dicatur actor vel reus. Et aliqua de competentia fori ratione rei sitæ.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De prima instantia cognoscenda coram Ordinario, & A.C. in ea quando procedat.*
3 *De dispositione Sac. Conc. Trid.* in cap. causæ omnes, *in quibus causis procedat.*
4 *Clericus actor tenetur convenire laicum reum in foro laicali rei conventi.*
5 *Intentans remedium* l. diffamari, *an dicatur actor vel reus.*
6 *Quandò donator adversus donatarium dicatur actor vel reus.*
7 *Clausula constituti operatur traditionem, & transfert possessionem.*
8 *Item reservatio usus fructus favore donatoris.*
9 *Quandò attendi debeat forus rei sitæ.*
10 *De natura locorum mortuum, & quandò ab uno in alium transferri dicantur.*
11 *Iudicium super rescissione donationis plurium bonorum dicitur universale, & ubi tractandum sit.*
12 *De minori ætate in Regno Neapolis, & an constitutio* minorum jura *locum habeat in clericis.*
13 *De historia legali, & quale esset jus commune in Regno Neapolis remissivè.*

DISC. LXII.

[1] CArolus clericus major 18. minor verò 25. annis, Antonio fratri, in Civitate Neapolitana communi patria, donationem inter vivos irrevocabilem, reservato usufructu, & cum clausula constituti, fecit de omnibus ejus bonis, tàm in eadem Civitate, quàm in Urbe & alibi existentibus; Deindè verò pœnitentia ductus, volens dictam donationem infringere, judicium instituit ex remedio *l. diffamari* in Tribunali A.C. undè Antonio laico petente causam remitti ad forum suum competentem in dicta Civitate, tàm ratione originis, quam domicilii, judice verò hujusmodi remissionem denegante, Ex parte dicti Antonii rei conventi habitus fuit recursus ad Signaturam Justitiæ, à qua, partibus acerrimè informantibus, prodiit resolutio eidem Antonio favorabilis pro remissione ad partes, quod rescriptum totalem finem hujusmodi liti imposuit.

In hac igitur disputatione, scribens pro Antonio, more Advocati plura cumulando motiva, etiam parùm solida, quæ pro ingeniorum varietate frequenter, magis quàm tuta & solida, resolutiones causare solent, deducebam in primis quotidiè in hoc Tribunali decantatam dispositionem *Sac. Conc. Trid. Sess.* [2] *24. de reformat. cap.* 20. ut causæ omnes in prima instantia coràm locorum Ordinariis cognosci debeant; Unde propterea receptum est, A.C. esse Judicem primæ instantiæ in Curia, in causis verò extrà Curiam, non dato utriusque partis consensu suæ jurisdictionis prorogativo esse solùm judicem appellationis, ideoque in prima instantia nulliter procedit, *ut decis. 150. numer. 1. par. 4. rec. tom. 2. dec. 49. & 54. apud Post. de subhast. disc. 181. numer. 14. par. 10.* & habetur in aliis hoc eod. tit. frequenter; cumulando etiam regulam textus *in cap. si Clericus laicum de foro competenti*, ut clericus actor laicum reum in suo foro laicali convenire debeat.

Verùm hæc, ut dictum est, concernebant consueta ornamenta Advocatorum plura motiva cumulanti- [3] um, quoniam quicquid sit, an dicta Conciliaris dispositio locum habeat in causis merè prophanis, ad forum Ecclesiasticum præcisè non spectantibus, in quo probabilior videtur opinio negativa, quamvis vulgus curiale contrarium credat, ex iis, quæ habentur *in Bovon.* & in aliis *hoc eod. tit.* Punctus erat, an clericus donator, qui judicium ex remedio *l. diffamari* seù *l. si contendat*, instituerat, super contractus à se initi infirmatione, ac bonorum à se donatorum libertate & pertinentia, dicendus esset actor vel reus; [4] Si enim esset actor, de plano intrabat dicta regula textus *in cap. si clericus laicum*, nulloque pacto dictum donatarium sæcularem in aliena ditione morientem ad suum forum trahere poterat, secus autem econversò, si ipse potius reus dicendus esset, cum tunc ejus tanquam clerici & curialis absque dubio forus competens etiam in prima instantia fuisset dictus AC.

In hac autem quæstione apud antiquiores nimium controversa, num scilicèt intentans hoc remedium [5] *l. diffamari*; seù *l. si contendat.* dicendus esset actor vel reus, hodiè ex magis communi, & recepta sententia, præsertim in Rota & Curia, plana videtur resolutio pendens à distinctione, an hujusmodi judicium intentetur per possidentem contrà non possidentem, vel econtrà, Ut primo casu quamvis quoad ordinem seù introductionem videatur actor, attamen in substantia sit reus, Oppositum verò in altero, ut semper dicatur actor, ut relatis invicem pugnantibus opinionibus, quæ tribuuntur *Afflicto dec. 268.* & *Capit. dec. 18.* quorum primus vult indefinitè eum esse actorem, alter verò indefinitè esse reum, habetur apud *Cacheran. dec. 151. Muscatell. in praxi par. 1. Gloss. reus numer. 13. ubi latè Adden.* & cum hujusmodi distinctione semper processit *Rota*, præsertim *apud Cavaler. dec. 586. dec. 417. apud Post. di manut. dec. 500. nu. 12. par. 5. rec. 102. nu. finali par. 6. 57. num. 31. & sequen. & 94. nu. 29. par. 7. Firmana Beneficii 28. Aprilis 1659. Cerro* & habetur in *Romana legati sub tit. de feud. disc. 33.*

Ubi

Ubi enim quis est possessor timens molestias super re possessa, sivè timens jactatas molestias contrà ejus personam pro aliquo credito vel alia prætensione, dicitur solùm ita occurrere futuro judicio contrà eum intentando, quod in suo foro tanquàm contrà reum intentandum esset juxtà receptam sententiam *Abbatis in cap. si quis contra numer. 2. de foro competenti.*

Quarè applicando ad rem, quandò actus remaneret in terminis promissionis seù etiam perfectæ donationis absq; traditione, ita ut possessio adhuc remaneret penès donatorem à donatario conveniendum prò
6 traditione, seù donationis observantia, & tunc rectè in foro suo, provocando actorem, hujusmodi judicium intentasset, Sed factum erat in oppositum, quoniam licèt ipse haberet detentationem de facto ratione sibi reservati ususfructus, attamen tàm dominium quàm possessio erant penès donatarium, tam in vim clausulæ constituti inducentis fictam traditionem operativam etiam ad possessorium retinendæ, seù manutentionis ex collectis apud *Post. de manut. obser. 20. numer. 5. cum sequen.* Et in specialibus terminis donationis *Anna singular. 156. Rota in Bononien. de Felicinis* 10. *Januarii & 10. Junii* 1650. *Bichio, Ariminen. donationis* 18. *Martii* 1654. *Dunozetto* inter suas *dec. 951. n. 1. & in aliis.*

Quàm fortius ratione reservationis ususfructus, ob quam dominium & possessio, juris ministerio transferri dicuntur in donatarium ratione incompati-
8 bilitatis, quoniam cum ususfructus sit servitus, quæ non datur in re propria, sed per necessè danda sit in re aliena, idcircò dicta operatio admittenda est *Ann. dicto singular. 156. Adden. ad Magon. dec. Lucen.* 138. *littera A. Capic. Latr. consult. 16. numer. finali* Rota *dec.* 208. *post Zacch. de oblig. & in allegatis Bononien.*

Agnoscentes donatoris defensores motivum remanere inevitabile, restringebant cognitionem causæ in Curia, saltèm respectu locorum montium in Urbe existentium, tanquam in foro rei sitæ, sed leve videbatur fundamentum, Tum quia iste forus ut efficiatur competens, exigitur juxtà unam opinionem, quod
9 reus & possessor sit præsens & conveniatur in loco ex deductis *per Surd. cons. 168. num. 54. Carleval. de de judiciis tom. 1. disput. 2. q. 3. num. 149.* (quod tamen ita indefinitè dictum non est tutum, cum in plerisque casibus forus rei sitæ dicatur competens etiam contrà possessorem absentem,) Tum clarius quia non agebatur de actione merè reali, sed de judicio intentato super distractu & rescissione donationis, ex quo accessoriè realitas resultat; Ubi autem non agitur de judicio merè reali, sed principaliter personali, quamvis accessoriè reali, tunc forus rei sitæ non intrat ex deductis *per Surd. dicto cons. 168. numer. 53. Carleval. ubi supra numer. 151.* Et in specialibus terminis judicii intentati coram AC. contrà forensem super locis montium Urbis habetur *decis. 305. num. 4. & 5. par. 7. rec.*

Non tangebant verò difficultatem, quæ respectu hujusmodi locorum montium me torquebat; quod
10 scilicèt in eis rectè favore donatoris intraret distinctio, ob quam ipse utpote adhùc dominus & possessor dicendus esset in substantia reus, nil obstantibus clausula constituti & reservatione ususfructus, rectè ut suprà operativis in aliis bonis indifferentibus, & in libera partium dispositione existentibus, quorum dominium & possessio ex privata conventione de uno in alterum transferri possunt; Secùs autem in hujusmodi locis montium, quæ tanquam jura cum Principe sunt species Regalium, & quoad substantiam ex privatis conventionibus nec in dominio nec in possessione de uno in alterum transferuntur sine consensu ipsius Principis vel officialis per eum ad id deputati, ità ut semper esse dicantur quoad substantiam in dominio, & possessione ejus, qui in ipsius Principis libris descriptus reperitur, partium verò conventiones operantur promissionem de faciendo, productivam actionis personalis ac interesse pro implemento, non autem translationem dominii, & possessionis, ut pluries in sua materia locorum montium *sub tit. de Regalibus.*

Quandò istud motivum deductum esset, cogitabam, etiam in sensu veritatis, illud videri evitabile, ex
11 eo quod ista esset species judicii universalis, cum donatio complecteretur omnia bona, & jura existentia, tàm in Urbe quàm in Civitate Neapolis & alibi, undè propterea tota causa tanquàm connexa & pendens ab uno eodemque puncto individuo in uno foro tractanda erat, Quo posito considerabam, forum dignior & magis competentem omninò esse illum donatarii, Tum quia ibi initus erat contractus; Tum etiam quia ibi erat major pars bonorum, atque ut Hyspani dicunt, caput assis hæreditarii majorum, cujus portionem unus frater alteri donaverat, ex iis, quæ in proposito judicii universalis super hæreditate vel fideicommisso habentur infrà *in Montis alii seù Maceraten. fideicommissi disc. 87.* & in aliis. Quare omnia insimul combinando, quod scilicet ibi esset major pars bonorum, quod esset communis patria, quod esset locus contractus, quodq; reus ibi haberet domicilium, reflectendo ad solam veritatem, ista mihi videbatur esse juxtà id quod resolutum fuit.

Potissimè, quoniam ista quæstio fori seù ordinis, principaliter influebat ad justitiam & merita negotii principalis; Potissimum enim fundamentum donatoris consistebat in minori ætate, circà quam, agi causam in uno foro vel in altero, est toto cælo diversifica-
12 re, cum in Tribunalibus laicalibus Regni, excedens ætatem annorum 18. per Constitutionem Regni incipien. *minorum jura*, reputetur in omnibus major indefinitè, nulla data personarum discretione, In Tribunalibus verò Urbis proceditur cum opinione, quod dicta Constitutio tanquam laicalis non comprehendat clericos & Ecclesiasticos, utpotè illi non subditos, & consequenter quod ætas sit annorum 25. Quod tamen alia occasione mihi videbatur minus probabile, ac pendens potiùs à leguleica simplicitate, quoniam ut advertitur *in Romana dotis de Caffarellis sub tit. de dote disc. 1. vel seq.* & alibi, de tempore quo prodiit dicta Constitutio, in ea regione fortè adhuc cognitum non erat jus commune Romanorum, tunc moderno tempore inventum, vel si cognitum, non receptum, cum tunc jus commune esset illud Longobardorum juxtà historiam, de qua *in Neapolitana ædificii sub tit. de servitutibus. disc. 1.* Unde pro-
13 pterea taxa minoris ætatis fuit potiùs ampliatio quam restrictio, dum, attento jure Longobardorum seù altero, quo tunc vivebatur, dicebatur major etiam in ætate 14. vel 16. annorum, *ut in dicta Romana dotis* Cumque jus civile Romanorum habeamus potiùs ex usus receptione, quàm in ratione auctoritativa ex deductis in *dicta Neapolitana*, dici non potest ita quoad exemptos remanere incorrectum dictũ jus cõmune, quod ibi in hac parte nunquam extitit nec receptum fuit.

Et quamvis ratione juramenti per dispositionem textus *in auth. Sacramenta puberũ cum concord.* minor ætas à juramento suppleta sit, nihilominùs satis ex-

pedit

pedit minorem ætatem adesse vel non adesse, quoniam ea concurrente de facili ratione læsionis subvenitur cum remedio restitutionis in integrum, ut in sua materia *sub tit. de contractibus*.

ALBANEN.

SEU PEDAMONTANA BONORUM

PRO

DOMO PROFESSA SOCIETATIS JESU

CUM

PETRINO DE PONTE

Casus disputatus in signatura Justitiæ, & resolutus ut infrà.

Clericus auctor laùdatus seu defensor necessarius, An ex propria persona ratione sui mediati interesse communicet ejus exemptionem & privilegia laico possessori immediato, tàm quoad forum, quàm etiam quoad exemptionem ab Ægidiana aliosque similes effectus; Et aliqua de Ægidiana etiam inter laicos, àn intret ubi unus eorum est forensis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Clericus auctor laudatus, seu defensor necessarius an communicet privilegium sua exemptionis laico quoad forum.*
3 *Quid in ordine ad impediendam Ægidianam.*
4 *An semper paria sint forum sortiri & legibus ligari, & an liceat arguere, &c.*
5 *De differentia inter subjectionem fori & Ægidianæ.*
6 *Aliud est agere de Ægidiana re integra pro admittenda appellatione, & aliud ad effectum excusandi executionem jam factam ab attentatis.*
7 *Ægidiana regulanda est jure statuti.*
8 *Forensi an suffragetur Ægidiana.*
9 *Non suffragatur clerico litiganti cum laico.*
10 *Non subditus litigans in aliquo foro, fit ejus subditus quoad concernentia judicialia.*
11 *De alia ratione, ob quam forenses subjacent Ægidianæ.*

DISC. LXIII.

PRÆSUPPOSITA eadem facti serie, de qua in hac eadem causa *sub tit. de feudis disc.* 48. occasione agendi de meritis negotii principalis; Cum Petrinus prætendens bona in territorio Albanensi quæsita ex pretio cujusdam feudi, istius loco subrogata esse obtinuisset ab A. C. sententiam immissionis in 1

interdicto Salviani contrà Blancatium laicum eorum possessorem, & appellantem, qui emptionis titulo illa quæsierat à Domo professa Societatis Jesu Urbis eorumdem bonorum possederitrice in vim legati, Prætendebat actor admittendam non esse appellationem suspensivam ob *Constitutionem Egidianam* innovantem dispositionem juris civilis *in l. unica Cod. si de momentanea possessione*; Econversò autem dicta Domus professa admissa ad causam tanquàm auctor laudatus seù defensor necessarius prætendebat, quod ejus exemptio à dicta *Constitutione Egidiana* indubitatè laicali & Ecclesiasticorum non comprehensiva, ratione sui interesse suffragari deberet dicto laico possessori; Undè propterea assumpta fuit disputatio in Signatura justitiæ, quæ in bina vel trina acerrima disputatione, ob nimiam votorum scissuram, nullam desuper dedit resolutionem, sed ex turbiditate causæ in meritis negocii principalis, ex iis quæ habentur *sub dicto tit. de feudis disc.* 48. rescripsit de commissione appellationis in Rota cum clausula translativa, *constito quod sit locus Egidianæ.*

In hujusmodi autem disputationibus, quatenus pertinet ad istum punctum ordinis, an scilicèt clericus auctor laudatus seù defensor necessarius communicet suæ exemptionis privilegium laico possessori ab eo causam habenti, scribentes pro actore potissimum 2
fundamentum constituebant in firmatis per *Rotam in una Perusina Salviani 15. Maii 1654. coram Peutingero*, ubi sequendo opinionem *Covar.* & sequacium, de quibus *Carleval. de judiciis, tom. 1. disput. 2. num. 664.* quod scilicèt clericus auctor laudatus seù defensor necessarius laici rei conventi non declinat forum laicale, Exindè infertur quod eadem clericalis qualitas in necessario defensore concurrens non 3
impediat effectum Egidianæ, quoties causa tractetur inter laicos immediatos, & super bonis laicalibus.

Econversò scribens pro Domo professa, non assumendo inspectionem dicti puncti declinationis fori, de quo habetur actum *in Mediolanen. bonorum disc. 60.* sed relinquendo quoad eum in ista causa locum veritati, Dicebam, admissa etiam dicta opinione *Covar.* non tamen benè exindè inferri ad istum punctum Egidianæ, cum ejus dispositio propriè ac directè ita præjudicaret Ecclesiæ, non autem laico, cujus nil intererat suspensivam appellationem admitti vel denegari, Cum enim sibi tanquam emptori per Ecclesiam venditricem promissa esset evictio cum obligatione camerali, aliisque pactis executivis, etiam in casu quo, juxtà modernum formularium, sequeretur sola avocatio possessionis in judicio Salviani, vel alio simplici possessorio, exindè resultabat, quod effectus statuti laicalis afficeret magis clericum seù Ecclesiam, quàm laicum.

Et ideò quamvis regulariter paria sint forum sortiri, ac legibus ligari, & consequenter de uno ad alium argui soleat, nihilominùs istud argumentum non videtur necessarium neque perpetuum, quoties 4
inter unum casum & alterum aliqua urget ratio disparitatis, quæ in præsenti urgere videbatur, siquidem circumscripto præjudicio Ecclesiasticæ immunitatis, ut judex laicus causam Ecclesiæ vel clerici cognoscat, parum vel nihil referre videtur, an in uno vel altero foro causa tractetur, cum in utroque justitia pariformiter ministranda sit, & utinam fortè non daretur casus, quod in aliquibus Civitatibus & regionibus extrà statum Ecclesiasticum, desideranda non esset in foro Ecclesiastico illa justitiæ administratio, quæ habetur in laicali, sivè quod non desideretur in ecclesia-

clesiasticis ea piorum locorum administratio, quæ respectivè sit per laicos; Et sic interesse non est considerabile, quia semoto dicto inconvenienti, quod ita cessat spectata persona immediati possessoris, nil deperit Ecclesiæ vel Ecclesiastico, secùs autem in altero casu, in quo tollitur beneficium appellationis aliàs de jure Canonico in hujusmodi causis absque dubio competens, proindeque damnum seù præjudicium remanet directum & immediatum solius Ecclesiæ vel clerici, non autem laici possessoris.

Et ad probandum, quod mixtura interesse seù præjudicii Ecclesiæ sufficiat ad effectum Egidianæ, & non sufficiat ad effectum declinationis fori, unde propterea non benè infertur de uno casu ad alterū, Con-
5 siderabam, quod ubi quæstio est super bonis de directo dominio Ecclesiæ, in dominio tamen utili emphyteutico, seù feudali, aut conductitio perpetuo laicorum, atque inter eos absque Ecclesiæ mixtura seù præjudicio, ita ut ejus nihil interfit, causa tractatur in foro laicali, adhuc tamen juxtà hodie receptissimam, & indubitatè præsupponendam opinionem, id sufficit ad impediendam Egidianam *decis. 234. & 236. post Pacif Buratt. dec. 16. & 315. ubi add. dec. 89. num. 5. par. 10. rec.* & in aliis collectis *in Romana vinea* 17. *Junii* 1658. *coràm Bevilaqua & passim*, ergò isti termini differunt inter se, neque benè ab unis ad alios arguitur.

Quatenùs verò pertinet ad dictam decisionem Rotæ *in Perusina Salviani coram Peutingero*, absque necessitate agendi de ejus subsistentia in casu suo, relinquendo pariter in hoc locum veritati, Dicebam casum videri diversum, quoniam ibi agebatur de possessore laico convento coràm judice merè laicali, clericus verò auctor seù necessarius defensor non curaverat admitti ad causam re integra, & ante sententiam, undè propterea excusabilia videbantur attentata, ad quorum effectum de hujusmodi quæstione agebatur, dum victor & judex fuerant in bona fide procedendo ad executionem in vim Ægidianæ post appellationem, sivè infrà illius terminum, In hac verò facti specie Ecclesia re integra se admiserat ad causam, atque formalem defensionem, laico possessore eam negligente, directè & immediatè susceperat; Et quod magis est, judex Tribunalis A. C. erat utriusque jurisdictionis capax, ac etiam clericorum & Ecclesiarum competens, undè propterea advertebam ideò Ecclesiam non assumpsisse quæstionem declinationis fori, quia credidit tractari causam coràm suo judice Ecclesiastico & competenti, Ac etiam quia longa differentia est agere
6 ad effectum excusandi executionem jam factam à vitio attentatorum redolentium delictum, proindèque supponentium culpam ut est in casu dictæ decisionis, & casum, in quo re integra agatur ad effectū impediendi executionem, ne fieret; Suffragante etiam vulgari axiomate, quo frequenter utuntur quoque legistæ, quod turpius ejicitur, &c. sivè quod multa facta tenent, &c. ideoque, inspecta etiam veritate, pro meo judicio probabilius videbatur de appellatione respondendum esse.

Motivabam quoque tanquam Advocatus pro Ægidianæ exclusione de qualitate actoris forensis, tem-
7 porali ditioni Ecclesiæ non subditi, utpotè de regione Pedamontana Ducis Sabaudiæ, Cum enim Ægidiana contineat jus municipale regulandum jure Statuti particularis, ut advertit *Contardus de Egidiana qu. 1. num. 3. & 4.* Hinc dicebam intrare receptam conclusionem, de qua frequenter *sub tit. de successionibus* & alibi, ut ad effectum operationis statutorum concurrere debeat copulativa subjecto activa, & passiva personarum & bonorum, undè cum actor esset forensis, statuenti tanquam Principi laico non subditus, idcircò ad servandam in judicio æqualitatem, non
8 poterat uti beneficio Statuti contrà subditum, ut in specie habetur apud *Pereg. dec. 181. aliàs 189. lib. 2.* & habemus receptum in clerico sivè Ecclesia, quod sicuti in casu succumbentiæ non subjacet Ægidianæ, ita èconversò ad servandam æqualitatem illa non uti
9 tur in casu victoriæ contra laicum. *Honded. cons. 28. num. 8. lib. 2. adden. ad Greg. dec. 581. num. 8. add. ad Buratt. dec. 16. Aeina bonorum* 10. *Junii* 1633. *Verospio & in aliis* atque jure vivitur.

Verùm, reflectendo ad veritatem, dubitabam de motivo, quoniam ubi agitur, de bonis statuentis ditioni subjectis, actor eo ipso, quod in ejusdem statuentis foro judicium instituit, ita circà concernentia ipsum judicium ejus legibus & stylis se voluntariè subjecisse videtur, quod solum respectu Ecclesiarum suas patitur difficultates, undè distinguitur inter merè ordinatoria & decisoria, Et consequenter quoties non obstat dicta qualitas inhabilitativa clericatus, verius 10
est Ægidianam locum habere etiam cum forensibus activè & passivè, ut per *Contard. ubi supra*, & ex eo cæteri practici; Alia etiam ponderata ratione, quod non agitur de Statuto juris communis correctorio, &
ab ejus dispositione exorbitanti, sed potius ad illud 11
reversivo, & sic reintegrante dispositionem textus *in l. unica Cod. si de moment. possess.* tanquam per remotionem obstaculi resultantis à jure Canonico, ideòque forensis laicus conqueri non potest, etiam ubi est reus & victus, quoniam non à statuto, sed à jure communi potiùs ita affici dicitur, & eodem modo quo in propria ditione judicaretur.

NVLLIVS
SEV
APRUTINA
AD PETITIONEM CARDINALIS AQUAVÆ COMMENDATARII S. MARIÆ DE PROPEZANO.

Discursus pro veritate.

De ritu 65. Magnæ Curiæ Vicariæ Neapolis super justificatione clericatus coram judice laico, in quibus judicibus seù Tribunalibus locorum habeat, ac attendi debeat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Cognitio clericatus spectat ad judicem Ecclesiasticum, neque laicus potest in ea se ingerere.*
3 *Quando judex laicus inspicere possit litteras clericatus juxtà traditionem Baldi.*
4 *De ritu Vicariæ super cognitionem clericatus, ejusque praxi in ipsa Magna Curia.*
5 *Consuetudo non est extendenda de casu ad casum, loco ad locum, vel personà ad personam.*
6 *De differentia inter Magn. Curiam Vicariæ, & alios judices in materia dicitur.*

* * *

DISC. LXIV.

1 CUM per Curiam Sæcularem Oppidi Propezyani carceratus esset tanquam laicus quidam clericus originarius & incola ejusdem loci, in quo Abbas tanquam inferior Prælatus est de facto in possessione jurisdictionis quasi Episcopalis cum territorio separato & *Nullius*, licèt sub lite, de qua *dec. 285. cum duabus sequen. par. 8. rec.* dictique Abbatis seù Cardinalis Commendatarii Vicarius, prævia justificatione clericatus in ejus Tribunali, mandasset judici laico dicti clerici remissionem, judex autem prætenderet sibi exhiberi debere bullas clericatus ad formam ritus *65. M. Cur. Vicariæ Neapolis*; juxta muneratione *Petræ* in eorumdem rituum commentariis; Idcircò Cardinalis prædictus in Urbe residens, atque prudenter curans benevolè veritatem inquirere, neque de facili ad censuras devenire, meum pro veritate consilium petiit.

Respondi vix per absentem longævo interstitio annorum 25. ab illorum Tribunalium praxi, primo juventutis flore aliqualiter apprehensa, adæquatum tutumque consilium dari posse, Pro meo tamen judicio parùm probabilem videri hujusmodi inferiorum judicum prætensionem, Distinguendo siquidem punctum in duas inspectiones, unam in puris terminis juris communis, alteram verò in terminis juris consuetudinarii dicto ritu resultantis.

Quatenùs pertinet ad primam, textus est expressus
2 *in cap. si judex laicus de sentent. excommunic. in 6.* disponens clericatus cognitionem, non ad judicem laicum, sed ad Ecclesiasticum pertinere, atque firmant scribentes communiter, de quibus *Farinacc. quæst. 8. num. 33. Carol. de Grass. de effect. clericatus effectu pr. num. 1252. Sperell. dec. 17. num. 10. cum seq.* & admittunt *Franch. dec. 189. nu. 6. & dec. 329. num. 4. & 9.* aliique Regnicolæ communiter de dicto ritu loquentes dum idem ritus in finalibus verbis expresè id admittit.

Et quamvis *Bald. in l. si qua per calumniam num.*
3 *4. Cod. de Episc. & Clericis* dicat per clericum carceratum ostendi posse litteras clericatus, ad effectum obtinendi remissionem ad suum judicem Ecclesiasticum, eo quia hæc dicitur summaria cognitio de facto potiùs quàm de jure, & ad propriam instructionem, ut advertit *Franch. dicta dec. 189. n. 1. & 239. nu. 9.* Attamen id procedit ad effectum potestatis, ut scilicèt clerico ostendente litteras sui clericatus non prohibeatur judex laicus eas recipere absque incursu censurarum & pœnarum, quibus aliàs subjacent judices laici se ingerentes in cognitione causarum Ecclesiasticarum & spiritualium, Et hoc est quod dicit *Bald.* cum quo in proposito cæteri pertranseunt, Nemo autem firmare attentat in puncto juris communis, quod recurrente clerico carcerato per laicum ad suum judicem Ecclesiasticum, istoque, prævia justificatione clericatus coram eo facta, demandante sub censuris & pœnis sui subditi remissionem, licitum sit laico tale præceptum spernere, atque fidem non præstando Ecclesiastico, ad quem spectat clericatus cognitio, de illa jam sequuta velle in ea se ingerere, undè quoad hanc primam inspectionem, credebam eam esse planam, nullaque disputatione dignam.

Quoverò ad alteram prædicti titus seù juris consuetudinarii inspectionem, relinquendo integrum locum veritati super ejus validitate & subsistentia, præsuppositatamen ejus praxi & observantia in ipsa M. 4
Curia Vicariæ, de qua testatur etiam *Franch. dec. 89. n. primo & 249. n. 4.* Adhuc imptobabilem credebam aliorum inferiorum judicum & Tribunalium prætensionem, quoniam cum contineat jus consuetudinarium, absque dubio exorbitans & juris communis correctorium, ideò tolerabile, quia fortè pro eo magno Tribunali, ex non improbabili causa, per Summos Pontifices antiquis temporibus in ea Civitate vel Regno frequenter moram trahentes id concedit potuit, Attamen trahi non debet ad alios judices, ex receptissima conclusione, quod consuetudo attendenda solum est in suo speciali & individuo casu, non autem extendenda est de casu ad casum, seù de loco ad locum, vel de persona ad personam juxtà *cons. 239. Oldradi* 5
passim receptum, ut *per Gregor. & Adden. dec. 45. & 162. Burati. & add. dec. 373. 297. 570. & 895.* & plenè *in Majoricen. Canonicatus 27. Martii 1656. & 25. Junii 1657. coram Meltio & 24. Januar. 1658. coram Cerro, quarum secunda & tertia sunt impressæ post Zuff. de legitim. proces. dec. 34. & 37.*

Potissimè stante diversitatis ratione, qua concurrente, tàm in jure consuetudinario quàm statutario, apud omnes absolutum est prohibitam esse extensionem, de qua solùm disputati solet, quando ejus identi- 6
tas ita exigat; In dicto enim Tribunali, tanquàm Curia Regis, atque ob ejus magnam amplitudinem, & multitudinem causarum adeò populatæ Civitatis in prima instantia, totiusque Regni in casu appellationis, & recursuum, si non laudabilis, saltèm tolerabilis, sivè ex honesta ratione excusabilis videtur dicta praxis, ob fraudes, quæ aliàs in hac materia fieri possent, & quæ hujusmodi exorbitanti ritu non obstante, adhuc de facto frequenter fiunt, Quæ ratio adaptabilis non est inferioribus Tribunalibus etiam Collegialibus, ut sunt Regiæ Audientiæ, quæ de facto, sed malè hujusmodi facultatem sibi usurpare solent, Multò igitur magis in hujusmodi judicibus pedaneis, & inferioribus, quorum respectu, mihi videbatur casus indubitatus; Protestando tamen super præmissis respondere discursivè tantùm utpotè in materia, à cujus praxi ramdiu eram alienus.

MATERANEN.

CENSURARUM

PRO

OFFICIALIBUS REGIÆ AUDIENTIÆ BASILICATÆ

CUM

PROMOTORE FISCALI CURIÆ ARCHIEPISCOPALIS MATERÆ.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Immunitatis, & resolutus ut infrà.

Judex laicus carcerando clericum vel Ecclesiasticum de ordine, & mandato Magi-

Magistratus etiam laici superioris, asserentis ita demandare ex commissione & consensu judicis seù superioris Ecclesiastici, An dicatur violare Ecclesiasticam immunitatem, & jurisdictionem, ita ut incurrat nec nè in censuras.

SVMMARIVM.

1 Facti series.
2 Resolutio Sacræ Congregationis.
3 An judex laicus carcerando clericum de ordine sui superioris & majoris Magistratus excusetur.
4 Laicus tenetur impartiri brachium judici Ecclesiastico.
5 Superiori aliquid asserenti est credendum.

DISC. LXV.

PRorex Regni Neapolitani dedit in mandatis Præsidi aliisque Officialibus Regiæ Audientiæ Basilicatæ residenti in Civitate Materæ, quod carceraretur, atque ad arcem Barlettæ transmitteretur Thomas Lan-
1 francus novitius Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, asserendo id agere de commissione, & consensu Locumtenentis Prioratus Capuæ ejusdem Religionis, quo mandato executo, Archiepiscopus dictæ Civitatis carcerati patruus, prævia monitione per edictum ad valvas cum brevi termino trium horarum, per cedulones declaravit Præsidem & Officiales prædictos incursos in censuras contentas in Bulla cœnæ, ob carcerationem dicti Thomæ dupliciter Ecclesiastici, quia clericus beneficiatus, & quia miles Hierosolymitanus, undè habito per Officiales prædictos recursu ad Sac. Congregationem immunitatis,
2 Quamvis de stricta juris censura pro annullatione hujusmodi censurarum, reflectendo etiam ad veritatem responderi debuisset, tàm ratione ordinis malè tenti, quàm injustitiæ, Attamen, sivè ex consuetis prudentialibus regulis ad substinendam Episcoporum dignitatem, sivè ex non improbabili suspicione concepta, quod ordo prædictus ab ipsamet Regia Audientia affectatè procuratus esset in odium & vindictam, ut ita indirectè aliqua ipsi Archiepiscopo injuria inferretur, ob tunc vigentes controversias super ejusdem audientiæ sedili in Ecclesia Cathedrali, rescriptum fuit, quod remotis cedulonibus, dicti Officiales suæ conscientiæ consulerent, ita censuras nec approbando, nec reprobando, ut frequens esse solet hujus Tribunalis rescribendi modus.

Scribens autem pro Regia Audientia, ultrà claram
3 nullitatem resultantem ratione ordinis, & ex defectu citationis per edictum, nullis præviis diligentiis, & cum adeò brevi termino, Ex sola ratione justitiæ, cum sensu etiam veritatis, dicebam pro hujusmodi censurarum infirmatione respondendum esse, quoniam quicquid esset de puncto, An judex laicus inferior parere vel potiùs replicare debeat supremo Magistratui sæculari ejus superiori demandati carcerationem clerici, seù aliud illicitum, Et an hujusmodi præceptum excuset necnè ab incursu censurarum, quam inspectionem utpotè præter causæ necessitatem assumere neglexi.

Difficultas cessabat ex dicto facti præsuppositio in eodem mandato contento, quod scilicèt id fieret de consensu, & commissione proprii superioris Ecclesiastici, Ita enim non fuit carcerare jurisdictionaliter, & cum propria auctoritate laicali, sed potiùs impartiri brachium proprio superiori Ecclesiastico, ad quod magistratus sæculares tenentur etiam sub pœnis, undè 4
propterea laudabiliter agunt *ad text. in l. si quis hoc genus Cod de Episc. & Cleric. cum concord. per Menoch. de arbitr. casu 452.*

Et quamvis scribentes in contrarium insisterent in eo, quod de hujusmodi consensu, & commissione proprii superioris non constaret ipsis carcerantibus, Attamen videbatur leve fundamentum, quoniam 5
cum non ageretur ad effectum substinendi validitatem actus, sed ad solum effectum excusandi à delicto, & pœna, quoties non constaret de dolo, & præordinatione carcerantis, ita ut esset color quæsitus, certum credebam, quod Magistratus inferior tàm magno superiori ita asserenti justè credere potuisset ac debuisset, Attenta potissimù qualitate dicti superioris, dum non solum erat Prorex, & supremus moderator Regii, sed etiam Cardinalis, & sacerdos notoriæ integritatis & timoratæ conscientiæ *ad text. in cap. nobilissimus 97. distinct. lap. alleg. 33 cum concord. per Altograd. cons. 22. numer. 46. & seqq. lib. 1. Fariu. quæst. 63. nu. 55. cum sequen.*

Ita potissimum suadente frequenti praxi, quoniam etiam ipsome t Pontifice vel Magno Magistro, seù altero Ecclesiastico superiore desiderante carcerationem sui subditi potentis, vel sub alterius potentis protectione existentis, ita ut non nisi mediante ope & brachio Principis vel supremi Magistratus sæcularis, id sequi valeat, litteræ seù commissiones dirigantur ipsi supremo, ac majori superiori, qui executionem demandat inferioribus officialibus, & ministris, quibus prorsus incongruum, & inconsuetum est ipsas litteras seù requisitiones communicari, undè propterea sufficere debet assertio superioris, cui justè credendum est.

Et quamvis ita fraudes committi possent, attamen illæ percuterent censuras & pœnas ipsius superioris, ac majoris Magistratus id demandantis, non autem inferiorum exequentium, ita rem laudabilem facere potiùs justè opinantium, cum credere & supponere non debeant in adeò q ualificato Magistratu & superiore tale mendacium; Ideoque cessante collusione & mala fide ipsius exequentis, istam credebam veritatem, qualem etiam credebat ipsamet Congregatio, potissimè quia revera aderat dictus consensus Locumtenentis Prioratus Capuæ proprii superioris.

TARENTINA

CENSURARUM

PRO

FRANCISCO PETRONO ET CONSORTIBUS,

CVM

OCTAVIO RAO.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Immunitatis, & coràm A.C. & resolutus, ut infrà.

De controversia jurisdictionali in materia

pascuorum, quæ sumuntur per animalia clericorum in bonis laicorum, An scilicèt pro eis exigi possint fidæ aliaque onera per laicos solvi consueta, Et quatenus possint exigi, saltèm ratione pascui vel damni, An per laicos arrestari & retineri valeant animalia.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Datur distinctio casuum, cum qua procedendum est in quæstione jurisdictionali super animalibus clericorum depascentium in bonis laicorum.*
3 *Clerici pro eorum animalibus non tenentur ad diffidam tanquam speciem pœnæ impositæ à laico.*
5 *An clericis civibus prohiberi possit usus pascui in aliqua parte territorii, si aliis civibus prohibeatur.*
6 *De casu, in quo clerici tenentur ad fidam.*
7 *Et quando etiam ad diffidam tanquam damnum & interesse.*
8 *De quæstione, an in casibus, in quibus laici ad id teneantur possint animalia per laicos arrestari.*
9 *Dari possunt ejusdem territorii duo Domini, unus pro fructu naturali, alter pro industriali.*
10 *De consuetudine Provinciæ Hydruntinæ.*
11 *Etiam in casu licitæ arrestationis datur culpa ratione excessus.*

DISC. LXVI.

1 DEvoluto feudo Terræ Lizzani ad Regiam Curiam, eoque conducto per Franciscum Petronum, cum præcipuus ac major redditus, juxtà illius provinciæ consuetudinem, consisteret in fida animalium in eo territorio depascentium, quamvis illa essent dominorum Terræ, seù prædii, in quo pascua sumuntur, Atque Octavius Rao clericus Tarentinus, in prædiis & terris pertinentibus ad simplex beneficium ab eo possessum nonnulla animalia retineret, tenueret autem solvere dictam consuetam fidam, Hinc proindè dicti conductoris ministri animalia prædicta arrestarunt; Ordinarius autem ob violatam Ecclesiasticam immunitatem eos incursos in censuras declaravit, Habitoque recursu ad Sac. Congregationem immunitatis, ista absolutionem à censuris demandando, remisit causam ad A. C. super damnis & interesse à dicto clerico prætensis, tàm ob fœtus & fructus, quàm ob sequutam plurium animalium hujusmodi mortem, quæ damna per A. C. liquidata fuerunt in scut. 400. Commissaque causa per Signaturam justitiæ alteri, cum clausula, *ab excessiva tantùm*, quamvis hic secundus judex ex infrà dicendis, difficultatem haberet circà rigorosam obligationem dictæ refectionis resultantem à prætensa illicita & culposa arrestatione, Nihilominus, quia commissio limitatam sibi tribuebat facultatem cognoscendi de excessu taxæ, non autem de meritis condemnationis, idcircò noluit desuper manus apponere, atque negligente causæ patrono excessum justificare, eamdem taxam confirmavit, ac exequi mandavit.

In hujusmodi autem disputationibus habitis, tàm in Sac. Congregatione immunitatis, quàm coram præfatis judicibus, duæ erant inspectiones, Una facti super liquidatione, seù taxa fœtuum, & fructuum ac damnorum, etiam circumscripta culposa arrestatione animalium reficiendorum, & an illorum mors casui vel malæ custodiæ referenda esset, & hoc totum incumbebat causæ Patrono, cum Advocati in Curia de his, quæ facti sunt agere non soleant; Altera erat juris super culposa arrestatione, ex qua alia refectionis spe- 2
cies resultabat; Et circa istam, reflectendo ad veritatem, mihi videbatur cum aliquo æquivoco processum esse, applicando auctoritates de uno casu loquentes alteri diverso, quod etiam nonnulli moderni scribentes faciunt, undè propterea materia videtur involuta, quamvis revera talis non sit, Quare dicebam plures casus distinguendos esse.

Quorum primus est circà eam exactionis speciem, quæ occasione pascuorum per Magistratus sæculares, vel per Comunitates fieri solet tanquam spe- 3
cies pœnæ pro delicto damni dati, seù contraventionis bannimentorum, ac violationis pascui reservati suprà valorem herbæ depastæ, & quæ exactio vulgò *diffida* dici solet, Et tunc admittebam, omninò verius esse, animalia clericorum capi & arrestari non posse, neque aliquid directè, vel indirectè fieri, ob quod clericus cogatur hujusmodi pœnam solvere, Sive quod cogantur pastores, ita tamen, quod eorum coactio indirectè resultet in damnum clerici; Secus autem respectu punitionis ipsorum pastorum tanquam laicorum, ubi damnum datum esset studiosum, seù aliàs culposum, & punibile quoad eorum personas & bona sine aliquo clerici præjudicio, & tanquam ex proprio delicto 4
punibili de jure, in quibus terminis benè loquuntur plerique, ex quorum dicto aliqui moderni falluntur, id indefinitè firmantes etiam in casibus sequentibus.

Alter casus est, circà eam exactionis speciem, quæ per eosdem laicales magistratus, frequentius verò per Communitates, fieri solet occasione pascuorum, 5
tanquam species collectæ, ita insensibiliter solvendæ pro publicis oneribus supportandis, quia nempè cives privando se naturali libertate, quam jure civico habent in depascendo cum eorum animalibus in toto territorio, seù in consuetis publicis pascuis, aliquam partem reservant, quam in plerisque Italiæ partibus dicunt *bannitam*, in aliis verò utentes eodem *dehensæ* vocabulo, quo Hispani utuntur, *defensam* dicunt, ad effectum scilicèt vendendi, seù pro certo pretio affidandi, tàm exterorum, quàm eorumdem civium animalia juxtà casum positum per *Abbatem cons. 6. par. 1. Mastrill. dec. 49. Franch. decis. 197. Cohell. ad Bullam Boni Regiminis cap.* 42. Et habetur pluries actum ad materiam pascuorum *sub tit. de servitutibus*, ac etiam ad materiam collectarum sub altero *de Regalibus*; Et tunc non levis controversia est inter Ecclesiasticos & sæculares, unde dici potest quæstio involuta, quam tamen utpotè extrà causæ necessitatem juxtà Curiæ stylum examinare neglexi, insinuando solùm istum & præcedentem casum, ad effectum convincendi æquivocum scribentium, qui indefinitè applicabant casui controversiæ auctoritates percutientes istos satis diversam rationem habentes, cum utraque exactio in effectu importet onus merè laicale.

Tertius demum est casus ad rem applicabilis, ubi scilicèt pascua, quæ aliàs, vel publica & communalia sunt, vel privatorum habentium dominium terrarum 6
& prædiorum, ex antiqua tamen consuetudine, seù

seù alio legitimo titulo sunt domini temporalis loci, vel Communitatis, ita ut etiam cives & incolæ, quinimò & ipsarum terrarum, & prædiorum domini prohibeantur ibi de pasci non soluta consueta fida, tanquam pretio justo, & adæquato valori ipsius pascui, juxtà casum, de quo *in Nepesina collectæ sub tit. de servitutibus*, cum similibus; Et tunc concors est etiam Canonistarum & moralium sententia, clericos volentes cum eorum animalibus depasci, teneri solvere dictum pascui pretium ad *text. in l. quintus ff. ad leg. Aquiliam l. 1. 2. & 3. Cod. de pascuis*, quoniam aliàs esset locupletari de alieno, atque rem alienam invito domino contractare, quod juri Divino, naturali, & positivo repugnat, ideòque magis illicitum est clericis & Ecclesiasticis, qui justitiæ & pietatis cultores magis esse tenentur, cum immunitas Ecclesiastica eos præservet à laicalium onerum gravamine, non autem tribuat licentiam aliena usurpandi, & lædendi justitiam commutativam, quam hujusmodi oneris solutio percutere dicitur, benè *Abb. dicto cons. 6.* & cæteri apud *Mastril. dicta dec. 49. Bellett. disquis. clerical. tit. de exempt. clericorum à muneribus* §. 6. *num. 4.* cum aliis; de quibus infra pluries *sub tit. de Regalibus præsertim disc. 52. 54. & 59.*

Eademque ratio, ob quam etiam Ecclesiastici & immunes tenentur ad hujusmodi consuetam fidam
7 tamquam pretium correspectivum pascui quod sumunt, congruere videtur etiam illi diffidæ, quæ solvi soleat, non tanquam pœna pro violatione bannimentorum, seù ex statutis & edictis laicalibus, sed tanquam restauratio damni, & interesse quod etiam pro modica pastura & longè ultra valorem herbæ depastæ in hujusmodi pascuis reservatis contingere solet, quando ante præfinitum tempus animalia immittuntur, cum pascua damnificata, & ut vulgò dicitur *scommissa*, soleant minùs vendi, quia tunc intrat eadem ratio justitiæ commutativæ à cujus observantia clericale privilegium seù Immunitas Ecclesiastica non excusant, ad damni tamen, & sic justitiæ commutativæ limites.

Quæstio autem pariter non levis inter Ecclesiasticos & sæculares in proposito esset solet, non circà substantiam, sed circà modum seù competentiam fori, & facultatem arrestandi ipsa animalia, depascentia vel damnificantia, num id laicali auctoritate fieri valeat.

Et in hoc, cum sensu veritatis, dicebam affirmativam videri probabiliorem, non quidem ex rationibus deductis per *Guttier. lib. 1. practicarum quæst. 4. num.*
8 *2. & sequen.* in hac parte malè loquentem, quod scilicèt ipsa animalia sunt de foro sæculari, sivè quod laicus statuere potest, quod animalia clericorum arceantur; Sed ratione illius privatæ facultatis, quæ Domino fundi damnificati, seù pascui vi conceditur, arrestandi, & retinendi animalia ibi depascentia seù damnificantia pro solutione pretii pascui, vel refectione damni, Adinstar illius retentionis, quæ datur domino domus conductæ de bonis invectis & illatis; Et sic, non in ratione jurisdictionali & auctoritate publica, sed in dicta ratione privata, ut ex *Bart. Alciat. Surd. & aliis* habetur apud *Carleval. de judiciis par. prima num. 155. & sequen. de Marin. resol. 120. lib. primo & alios*, de quibus *Carol. de Grass. effect. Clericicat. 2. nu. 448. & seqq. & Bellett. ubi suprà*, meritò reprobantes alios *Hispanos* relatos per eosdem, *& per Rovit. in pragm. prima de officio Bajuli n. 12.* procedentes cum ratione *Guttier.* de qua suprà; Quoniam in hac distinctione veritas consistere videtur, à communi etiam praxi penè totius orbis comprobata, præsertim verò in Regno Neapolitano ex illa Regiæ Doanæ Apuliæ, nam per Regios & laicos ministros passim arrestantur & detinentur oves aliaque animalia, etiam Ecclesiarum & clericorum pro illa consueta fida seù dohana quæ solvitur tanquam pretium pascui, Quod etiam videmus servari per Dohanerios patrimonii quamvis laicos; Licet enim in hoc Principatu diversa militet ratio ob utrumque gladium penès eumdem Principem existentem, Nihilominùs adhuc hujusmodi praxis in id influere videtur, ratione subjectæ materiæ, cum aliàs ea esset impracticabilis, quod scilicèt dominus pascuorum cogeretur tanquam actor manibus vacuis in diversis foris immittentium animalia lites substinere, vel pro pretio pascui, vel pro refectione damni.

Applicando igitur ad rem, quamvis ex parte dicti clerici insisteretur in eo, quod hæc animalia non depascerent in alieno, sed in terris & prædiis propriis ipsius Ecclesiæ sui beneficii, quod apud aliquos de Signatura, superficialiter de materia discurrentes, magnam impressionem faciebat.

Nihilominùs, etiam inspecta veritate, hoc objectum subsistentiam non habebat, quoniam non implicat ejusdem loci seù prædii duo dari dominia di- 9
versis respectibus, unum scilicèt penès privatos in solo fructu industriali & jure culturæ tanquàm species Coloniæ, alterum verò in fructu naturali jure publico penès Dominum loci vel penès Communitatem ut habetur deductum *in d. Nepesina Collecta sub tit. de servitutibus*, & hic erat præsens casus, cum hujusmodi provincia Hydruntina, vel in universum, vel in plerisque partibus, de consuetudine dominium
10 privatorum sit solùm subalternum, & restrictum ad fructum industrialem & culturam, alterum verò dominium, quoad pascua & fructus naturales est Regis, seù Baronum, quibus Rex concesserit, de qua consuetudine testatur *Freccia de subfeudis lib. 2. auctor. 46. num. 12. relatus per Capic. Latr. consult. 83. num. 14. & Rovit. in pragm. prima de off. Bajuli*, ac habetur actum *in Hydruntina onerum sub tit. de Regalibus disc. 50.*

Difficultas verò erat, cujus ratione judex præmissa omnia admittendo, non improbabiliter processit ad dictam condemnationem, quæ mihi quamvis pro hac parte scribenti, in substantia seù abstractè vi-
11 debatur justa (quidquid esset quoad taxam seù quantitatem) Quod scilicèt dicta arrestatio, quamvis generaliter licita, adhuc illicita & culposa dicenda esset ratione excessus, quoniam cum fida tanquàm pretium pascui importaret solùm ducatos 70. arrestari & retineri debebant tot animalia, quæ attento etiam eorum infimo valore sufficerent, ac Dominum pascui omninò tutum redderent, non autem totus grex, undè ista & aliæ facti circumstantiæ non improbabiliter suadere videbantur, cum aliquo imperio & ratione jurisdictionali per quamdam speciem vindictæ processum esse, quod fieri non potest, cum ut supra id solum concedatur in ratione merè privata.

***

MACERATEN.
CENSURARUM
PRO
LOCUMTENENTE CRIMINALI GUBERNATORIS MARCHIÆ,

Casus disputatus in S. Congregatione Immunitatis & resolutus ut infrà

De exemptione familiarium Cardinalium à foro laicali, quo jure competat; Et àn & quando judex laicus contrà eos procedendo incurrat censuras tanquam Ecclesiasticæ Immunitatis violator.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De exemptione familiarium Cardinalium ex quo jure resultet.*
3 *De exemptione familiarium Episcoporum.*
4 *De differentia inter unum casum & alterum.*
5 *Quando judex laicus incurrat censuras cognoscendo causas familiarium Episcopi.*
6 *Quando judex laicus excusetur carcerando clericum vel alium exemptum, seù aliàs cum eo procedendo.*

DISC. LXVII.

CUM Evander Auriſpa Maceratenſis, familiaris Cardinalis Pallottæ, tunc in patria moram trahens, fuiſſet præſens cuidam duello, citatus fuit per Locumtenentem criminalem Gubernatoris illius Provinciæ ſub comminatione pœnæ ad informandâ Curiam, ob quem ſolum actum citationis verbalis, abſque eo quod contra eum ad alium actum proceſſum eſſet, Epiſcopus ejuſdem Civitatis dictum Locumtenentem de facto excommunicatum declaravit, unde propterea habito recurſu ad Sac. Congreg. Immunitatis, aſſumptaque diſputatione ſuper hujuſmodi cenſurarum ſubſiſtentia & validitate, ultrà nullitates ratione inordinati proceſſus, ſuper quibus erant partes cauſæ patroni. 1

Quatenùs pertinet ad injuſtitiam, ſuper qua frequentius de Curiæ ſtylo Advocatorum partes verſari ſolent; Scribens pro dicto recurrente, cum ſenſu etiam veritatis, dicebam hujuſmodi cenſuras nullum habere fundamentum, dum nullibi jure cautum reperitur laicos addictos ſervitio Cardinalium, eorumque familiares, ita exemptos eſſe à juriſdictione ſæculari, quod adinſtar clericorũ habentium characterem intraret omnimoda incapacitas, cujus ratione judex ſcienter exercendo actus juriſdictionales contrà Eccleſiaſticum eumque trahendo ad forum ſuum cenſuras incurrat; Admiſſâ ſiquidem hujuſmodi exemptione, illa eſt accidentalis ſeù privilegiativa, quæ rectè operari poteſt exceptionem declinationis fori, ad effectum invaliditatis actorum, ac inhibendi proceſſum ad ulteriora, non autem violationem Eccleſiaſticæ immunitatis reſultantem ab exercitio juriſdictionis & poteſtatis ſæcularis cum clerico cœleſti militiæ adſcripto. 2

Exemptio etenim prædicta non reſultat ex jure Divino vel Canonico, ſed *ex Conſtitutione* 10. *Leonis X.* §. 5. de cujus uſu etiam probabiliter dubitari poteſt ex deductis per *Sperell. dec.* 128. *nu.* 39. *cum ſequen.* Et nihilominus ubi etiam uſus pro certo admittatur, adhuc non ſufficeret ad hujuſmodi effectum, ſed ad alium ut dictum eſt declinationis fori, cum hujuſmodi privilegia non habeant fundamentum in charactere & intrinſeca qualitate Eccleſiaſtica.

Neque dicebam congruere terminos laicorum familiarium Epiſcoporum, quoniam quidquid ſit de eo caſu, in quo relinquitur locus veritati, & an dicta exemptio referenda etiam potiùs veniat cuidam conſuetudini, fortè potiùs commendabili, quam juri Divino ſeù Canonico ob intrinſecam qualitatem Eccleſiaſticam, ut verius videtur, atque docet praxis, quoniam in pleriſque Principatibus talis exemptio eſt in uſu, & in pleriſque non; Adhuc diverſa eſt ratio, quoniam Epiſcopus dicitur Pontifex in propria diœceſi, ibique habet Tribunal erectum cum territorio ac juriſdictione habituali etiam in laicos in pleriſque caſibus, quod extrà titulos cardinalitios non congruit Cardinalibus, quorum proindè familiaribus, dicebam quidem exemptionem concedendam eſſe, vel tanquàm dativam ratione dicti vel ſimilis privilegii, vel in reverentiam dignitatis ad effectum prædictum declinationis fori, non autem ad iſtum violationis immunitatis & incurſus cenſurarum ex ſolo actu remoto citationis verbalis. 3 4

Potiſſimè quia, etiam quoad familiares Epiſcoporum apud eumdem nimium Eccleſiaſticæ immunitatis zelatorem *Sperell. dicta deciſ.* 129. vis non conſtituitur contrà judicem laicum ſuper incurſu cenſurarum ratione ſolius actus juriſdictionalis reſultantis à citatione verbali vel reali, ſed ob contumaciam non parendi mandatis & inhibitionibus ſuper ſui familiaris & ſubditi remiſſione. 5

Concurrente etiam alia notabili circumſtantia excuſante, quod cum dictus citatus moraretur in propria patria, & ſic per plures dietas extra Urbem, in qua Cardinalis reſidebat, idem judex benè dicebat, ſe de hujuſmodi familiaritate fuiſſe incertum, eumque in habitu laicali incedentem, ac more aliorum ſæcularium ibi viventem, reputaſſe tanquàm unum ex aliis civibus, unde propterea non videbatur convincibilis de aliqua culpa, in qua ſolùm eſſet, quando de hoc monitus ſeù inhibitus, inhibitione ſpreta ad ulteriora proceſſiſſet, Unde dabam caſum fortiorem, quod ſi judex laicus procederet ad citationem verbalem, vel realem alicujus clerici in minoribus incedentis in habitu laicali, ac more aliorum ſæcularium viventis & tractantis, non exinde dici poteſt Eccleſiaſticæ immunitatis violator, neque cenſuras incurrit, quia rectè dicere poteſt, ſe illum agnoviſſe & reputaſſe laicum & ſuum ſubditum, ob tranſitum quem clericus in minoribus facere poteſt de uno ſtatu ad alterum, niſi monitus & inhibitus perſeveraret in contumacia, ex qua potius, violatio & reſpectivè incurſus reſultat, ſivè etiam probatio mali animi, quod eum tanquam clericum ita cognoſcere voluerit, ut quotidiana praxis docet, multò magis in præſenti, Atque ſecundum præmiſſa erat ſenſus Sacræ Congregat. declarandi ſcilicet cenſuras invalidas, Verùm ob reverentiam dicti Cardinalis in ipſamet Congregatione præſentis, nimiumque ſermone potentis, prodiit conſuetum prudentiale reſcriptum, quod remotis cedulonibus conſulat conſcientiæ ſuæ. 6

* * *
* *

BONO-

BONONIEN.
DENEGATÆ JUSTITIÆ
PRO
LUDOVICO DE CALVIS.
CUM
EJUS FRATRIBUS.

Casus disputatus in Signatura justitiæ, & resolutus contra Ludovicum.

Ad intelligentiam *Sac. Conc. Trident. Sess.24. de refor.cap.20. causæ omnes* in quibus casibus locum habeat, Et an & quando intret appellatio ex capite denegatæ justitiæ seù ob negligentiam in expeditione causæ.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *De capit.* causæ omnes *Sac. Concil. Trid. ut procedat in prima instantia.*
3 *Ordinariorum appellatione qui veniant, an Prælati inferiores.*
4 *Dictum cap.* causæ omnes *non convenit judicibus & magistratibus sæcularibus.*
5 *De jure civili perit instantia.*
6 *Secùs autem de jure Canonico, de quo est perpetua.*
7 *Ex hac differentia resultat, quod de jure Canonico magis quàm de civili datur appellatio à denegata justitia.*
8 *De stylo Signaturæ non admittendi appellationem seù avocationem causæ ex sola negligentia in non expediendo.*
9 *De appellatione à denegata justitia quando intret.*
10 *De stylo circa præfixionem termini quando procedat.*
11 *De rationibus, quibus innixum est Conciliare decretum in cap.* causæ omnes, *& quos casus percutiat.*

DISC. LXVIII.

CÆteris fratribus de Calvis de facto spoliantibus Ludovicum possessione ac libera administratione suæ portionis bonorum communium parentum, judiciù ipse instituit *familiæ erciscundæ* coram Auditore generali Bononiæ, à quo prolata sententia,& commissa causa per Legatum seù Vicelegatum cuidam alteri judici, cum hic ex parte dicti Ludovici pluries requisitus negligeret causæ expeditionem, quod implicitè importabat ejus succumbentiam,& collitigantium victoriam, Hinc proindè, factis juxtà consuetam praxim, tribus requisitionibus pro expeditione causæ jam instructæ, cum appellatione in omnibus à denegata justitia, ex isto capite appellationem interposuit ad A.C. coram quo cum solita citatione cum inhibitione causam introduxit, sed recurrentibus collitigantibus ad Signaturam justitiæ rescribi obtinuerunt de remissione causæ ad dictum judicem de partibus, prævia moderatione inhibitionis, Et reproposita causa de mense Novembris 1667. perstitum fuit in decisis, non obstantibus infrà deductis, quod aliquam mihi inferebat admirationem, dum non edente isto Tribunali decisiones, incertum est cum quo fundamento processum sit,& quomodo infrascripta motiva neglecta fuerint, nisi aliquod motivum prudentiale innixum extrajudicialibus informationibus forsan habitis circà personarum qualitatem ad id impellerer, cum pro collitigantibus juxtà hujus Tribunalis frequentiorem stylum non adesset scribens in jure, undè propterea non visis difficultatibus, non omninò maturum judicium desuper efformari potuit.

Scribens autem in secunda propositione contrà jam captam resolutionem, quæ per causæ patronum supponebatur fundata in decreto *Sac. Concilii Trident. Sess.24. de reformat.cap.20.* prohibente appellationes seù avocationes causarum à locorum Ordinariis ex capite negligentiæ seù non expeditionis in tempore, distinguebam causam in duas inspectiones, unam inspectis terminis dicti decreti Conciliaris, alteram verò præscindendo à Concilio, in terminis juris communis.

Quoad primam, etiam cum aliquo sensu veritatis, dicebam dictam *conciliarem* dispositionem nullatenus intrare, manifestumque æquivocum videri cum ejus terminis in præsenti causa procedere, Tum quia ubi etiam ageretur de causis Ecclesiasticis & fori spiritualis, de quo propriè Concilium loquitur ut infrà, adhuc non essemus in ejus casu, dum loquitur de non avocandis causis à locorum Ordinariis in prima instantia, in qua ab eis cognosci & terminari debent, undè propterea cum ageretur de judicio appellationis,& secundæ instantiæ, remanebat casus omissus à Concilio, regulandus proindè juxtà terminos juris communis. 2

Tùm clarius, quia Concilium ad litteram loquitur de causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, ne à locorum Ordinariis tollantur, undè propterea dupliciter illud in præsenti non intrabat, Primò quia hæc erat causa merè laicalis inter laicos coram Auditore Generali,& successivè coram alio judice deputato per Legatum agitata tanquam in Tribunalibus laicalibus, Et secundo quia in jure, ordinariorum appellatione veniunt solum Episcopi,& Archiepiscopi, ac etiam Prælati omnimodam ordinariam quasi Episcopalem jurisdictionem habentes in loco *Nullius* cum territorio separato, juxtà ea quæ hoc eod. titulo frequenter habentur, ita ut sub quæstione sit, an illi inferiores Prælati, qui quamdam jurisdictionem intrà diœcesim sub Episcopo habent juxtà distinctionem de qua suprà *in Toletana dis.*1.& in aliis, veniant sub hoc decreto, ut liquet ex collectis *per Barbos. de Episcopo alleg.* 81. *numer. 7. cum seqq. & in collectan. ad Concil. eod. cap.* 20. *num. 6. cum seqq.* 3

Legatus autem, V.Legatus, eorumque Auditores, aliique judices & officiales gerere dicuntur partes Principis ac respectivè Magistratuum sæcularium, tanquam officiales Papæ qui consideratur tanquam Rex Seù Princeps sæcularis contradistinctus à Supremo Episcopo & moderatore Ecclesiæ, juxta illam personarum distinctionem in Papa concurrentem, de qua *ex text. in cap. cum inter de Elect.* cum concordan. habetur pluries hoc eod. tit. & in altero de præeminentiis satis frequenter, undè propterea rectè advertit *Marchesan. de commiss. par. 1. num.* 137. *fol.*

263. hunc esse errorem causidicorum Curiæ, regulan-
4 di causas Status Ecclesiastici pendentes coram Gubernatoribus vel Legatorum officialibus cum ista Conciliari dispositione, verè non intrante in causis fori laicalis, ita etiam docente communi observantia omnium regionum & Principatuum, in quibus absque dubio Concilium est receptum, & in viridi observantia, quoniam fabulæ species reputaretur in hac materia competentiæ seù declinationis fori, aut appellationis velle procedere cum terminis dicti decreti in tribunalibus laicalibus.

Quare dicebam punctum causæ totum consistere in altera inspectione, juxtà terminos scilicet juris communis, Circà quam, ad tollenda æquivoca, advertendum esse dicebam ad distinctionem inter jus civile & jus Canonicum, cum diversa sit traditio civilistarum ab illa Canonistarum.

De jure siquidem civili datur peremptio instantiæ,
5 quoties causa intrà certum terminum expedita non est juxtà dispositionem *text. in l. properandum Cod. de judiciis*, undè in aliis Principatibus, extrà Curiam Romanam & Statum Ecclesiasticum, est in usu remedium insufflationis spiritus per Principem concedendæ, ut liquet ex deductis *per Capic. & adden. decis* 11. *plenè Rovit. super pragm. in rubr. & pragm. 1. de instant. caus. non restauran.* Ideò non mirum si apud civilistas non de facili datur appellatio vel recursus advertus judicis negligentiam, neque practicatur hæc species appellationis à denegata justitia, cum ipsa natura operetur dictum effectum, pro quo evitando partes invigilant super expeditione.

De jure autem Canonico instantia nunquam perit, sed est perpetua, ut quicquid doctè & ingeniosè
6 in contrarium probare conetur *Covarr. in cap. quamvis pactum de pactis in 6. par. 2. num.* 4. est magis communiter receptum apud Canonistas, & receptissimum ac hodiè absolutum in Rota & Curia Romana, ubi propterea termini peremptionis instantiæ, vel insufflationis spiritus, qui in aliorum Principatuum Tribunalibus frequentes habentur, in Curia sunt omninò ignoti ex deductis *per Vestr. & adden. in praxi lib 3. cap. 5. Lancellott. de attentat. par. 2. cap.* 4. *in præfat. numer. 324. Roias decis. 294. & passim.* Solumque occasione regulæ detriennali, sivè alterius regulæ de subrogandis, vel ad alios similes effectus, intrare solent termini extinctionis litis per ejus desertionem, quæ juxtà hodiè receptissimam propositionem, de qua *sub tit. de Beneficiis* & alibi, neque inducitur per longissimum silentium 30. annorum, nisi etiam bonum jus vel ejus vehementissimus fumus concurrat *ut dec. 341. numer. 18. par.* 10. *rec. Roias dicta dec. 294. dec. 255. numer. 8. & seqq. par. 11. rec.* & læpius.

Hinc proindè cum de facili dari possit casus judicis
7 colludentis cum reo & possessore, cui ex silentio & non expeditione causæ, victoriæ effectus resultet, inductum est apud Canonistas, seù in illis Tribunalibus, in quibus instantia non pereunte cum juris Canonici dispositione proceditur, dictum remedium appellationis à denegata justitia.

Circà quod, ad æquivoca tollenda, observabam reflectendum esse ad distinctionem dictarum diversarum quæstionum, Quarum una est, an ob solam negligentiam non expediendi causam intrà biennium, absque eo quod specialiter Judex requiratur, vel constituatur in mora, privetur cognitione, ita ut licitum sit vel per viam appellationis, vel per viam querelæ aut recursus adire superiorem, & isto casu intrat
8 regula negativa magis communiter recepta & rectè, applicabilis est stylus Signaturæ, de quo apud *Marchesan. dicta par. 1. fol. 263. numer. 135. & seqq. & Scacc. de appell. quæst. 17. num. 55.* cum quo stylo forsàn, ad aliam distinctionem non reflectendo, processum fuit in ista causa; Quinimò strictè & propriè stylus prædictus percutit terminos Concilii Tridentini, & causas de quibus illud loquitur, ut se declarat *Marchesan. ubi suprà num.* 137. Et nihilominus ubi etiam admittendum esset illum indefinitè procedere, non versabamur in ista quæstione, sed in altera, quæ est, ubi judex fuit expressè interpellatus per trinam requisitionem diversis temporibus cum congruo spatio factam, & cum appellatione à denegata justitia, ita ut constitutus dici valeat in mora.

Et tunc non intrat distinctio annorum vel bien-
9 nii, minusque locum habet dispositio Concilii Tridentini, sed omninò verius videtur locum esse appellationi à denegata justitia, non ex sola ratione negligentiæ seù lapsus temporis, sed ratione contumaciæ positivæ, in qua ita judex, cessante legitimo impedimento, constitutus est, nè aliàs sequatur dictum inconveniens, quod Judex, reo & possessori benevolus, ita non expediendo, implicitè victotiam illi tribueret, sivè in criminalibus, quoties reus est in vinculis, nè ita indirectè innocens absque delicto pœnam perpetuæ seù longæ carcerationis pati cogatur, Ut ex originali traditione *Joannis Andreæ in cap. dilecto sub nu. 3. de appell. quam sequuntur Abb. Dec. Felin. & cæteri Canonistæ Nevizan. consil. 97. Scacc. dicta quæst. 17. numer. 46. & nu.* 58. ubi benè distinguendo advertit, quod opinio denegans appellationem, procedit quando nulla adest requisitio, sed appellantis fundamentum consistit in lapsu temporis & in sola negligentia, secus autem dicta trina requisitione concurrente, quod etiam advertit *Marchesan. ubi suprà numer. 129. & seqq.* ac benè habetur *per Rotam decis. 514. par. 1. divers. numer. 4. & 5.* ubi advertitur, quod præfixio termini, juxtà dictum Signaturæ stylum, dicitur unus ex modis convincendi judicem de
10 negligentia, illumque privandi cognitione causæ, sed non est modus unicus & privativus, ut Signatura credidit, quia est cumulativus cum dicto altero remedio trinæ requisitionis, cum protestatione & appellatione à denegata justitia, quoniam isti sunt termini diversi diversa remedia continentes, *ut ex Tolos. & aliis* benè *Cancer. par. 3. cap.* 12. *numer.* 252. *& seqq.*

Eoque minus dicebam in hac facti specie dictum Conciliare decretum intrare, cum illud propriè & principaliter percutiat causas criminales, nè scilicèt
11 subditi inquisiti, sub hoc prætextu efficiantur à proprio superiore & Ordinario incorrigibiles, cum facilitate hujusmodi appellationis seù recursus, Sivè etiam ad cocercendas reorum & possidentium consuetas calumnias & subterfugia, cum quibus aliqui iniqui & perditi causidici, conscientiam & honestatem post terga ponentes, curant actores defatigare, eosque cogere ad deserendam causæ prosequutionem, nè scilicet extrà patriam, & in longinquis partibus in prima instantia causas agere cogerentur, ut habetur apud *Gratian discept. 837. num. 15. cum seqq.* Quæ ratio in præsenti non cadebat, cum non ageretur de prima instantia, sed de secunda, ita ut à sententia Auditoris generalis judicis primæ instantiæ, ad istud Tribunal Auditoris Cameræ tanquam ad Curiam Papæ omisso medio appellari potuerit; Quinimò ratio quæ movit Concilium, in præsenti potius retorquebatur cum non esset reus, qui ad defatigandum actorem, ac ob dilationem & subterfugia appellaret, sed esset actor; qui à reorum potentia ita oppressus, curabat eorum

subter-

ſubterfugia ſuperare, undè propterea niſi reſolutio ſubſtentabilis eſſet ex ſuprà inſinuato motivo prudentiali, quod ſcilicet fortè iſta defatigatio proveniret à prudentibus ſtattibus, ita ad iſtius minus prudentis diſſipationes & errores coercendos, (quod tamen mihi ignotum erat,) reflectendo ad veritatem, non agnoſcebam probabile fundamentum, cui talis reſolutio innixa eſſet.

MELEVITANA ELECTIONIS FORI PRO THERESIA ET ALIIS DE MANGONE, CUM ANGELICA ETIAM DE MANGIONIS

Caſus diſputatus in Signatura Juſtitiæ, & reſolutus, ut infrà.

An in Inſula Melevitana in cauſis merè prophanis inter illos incolas laicos adiri poſſit Curia Romana per viam appellationis, & recurſus, vel per viam electionis fori juxtà terminos *text. in l. unic. C. quando Imperator inter pupillos, &c.*

Et de materia *text. in l. diffamari, & l. ſi contendat*, quis ſcilicet dicatur actor, vel reus, & quando clericus cum hoc remedio trahatur ad forum ſæcularem, vel potius ipſe ratione connexionis trahat totam cauſam ad ſuum forum Eccleſiaſticum etiam reſpectu laicorum correorum.

Et an dictum privilegium *l. unicæ* conceſſum viduis competat virginibus, & de ejuſdem privilegii conquaſſatione inter æquè privilegiatos infimul contendentes.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Diſtinguuntur quæſtiones cum reſolutione cauſæ.*
3 *De conceſſione Inſulæ Melevitanæ Religioni Hieroſolymitanæ alias ſpectan. ad Regnum Siciliæ, & num. 8.*
4 *An ſit effecta Eccleſiaſtica, ita ut à M. Magiſtro ejuſque officialibus appelletur ad Papam.*
5 *M. M. Melevitanus non impedit electionem fori.*
6 *De privilegio Religionis Hieroſolymitanæ circà appellationem.*
7 *Quando dicta privilegia intrent.*
8 *Quomodò ſit conceſſio Inſulæ, de qua numer. 2.*
9 *Quando cauſæ prophanæ Inſulæ Melevitanæ veniant ad Curiam.*
10 *Privilegium electionis fori ex l. unica an competat virgini ſicut viduæ.*
11 *An inter viduam & virginem, ſeù æque privilegiatos detur electio fori.*
12 *An ob connexionem cauſæ clericus trahat totam cauſam ad forum ſuum.*
13 *Intentans remedium l. diffamari, an dicatur actor vel reus.*
14 *De Statuto de continuanda poſſeſſione militante in Regno Siciliæ ultrà, & conſequenter in Inſula Melevitana.*

DISC. LXIX.

COntracto matrimonio inter Valerium & Iſabellam, cum pacto, ut bona per utrumque conſtante matrimonio acquirenda eſſe deberent filiorum ex eodem matrimonio procreandorum, de quo pacto habetur in hac eadem cauſa *ſub tit. de ſucceſſione*, Cum procreati eſſent duo filii, Vincentius ſcilicèt, & Angelica, quorum primus utrique parenti prædeceſſit, quatuor filiis ſuperſtitibus, Salvatore ſcilicèt, Vincentio, Thereſia, & Theodorâ, ſequuta deindè morte prius Iſabellæ, deindè Valerii, qui de majori bonorum parte diſpoſuit ad favorem Angelicæ filiæ, Ortæ ſunt proindè plures controverſiæ inter Joannem & Angelicam præfatos ejus ex Vincentio fratre prædefuncto nepotes, quos ipſa coram ejus judice ordinario ſæculari evocavit in judicio manutentionis in poſſeſſione bonorum, & jurium, quæ erant in controverſia, inſtando pro ſententia abſolutoria à jactatis, & comminatis moleſtiis ex remedio *l. diffamari, & l. ſi contendat, &c.* citando ad cauſam Thereſiam puellam adultam, ac Salvatorem clericum, & fratrem majorem, non nomine proprio, ſed tanquam tutorem Vincentii, & Theodoræ pupillorum etiam laicorum, atque ſententiam favorabilem juxtà petita obtinuit; Cumque pendente cauſa coram judice appellationis, Salvator clericus, aſſerens ſe æque principaliter intereſſatum, ac bonorum controverſorum poſſeſſorem, in vim ſtatuti de continuanda poſſeſſione vigentis in Regno Siciliæ ultrà pharum, cum cujus legibus in hac Inſula vivitur, declinaſſet dictum forum ſæcularem, petendo totam cauſam reaſſumi per Ordinarium id recuſantem, Idcircò per dictum Salvatorem ab hujuſmodi denegatione interpoſita fuit appellatio ad Papam ejuſque Curiam, nec non cumulando remedia, cum quibus forus laicalis dictæ Inſulæ in totum evitari poſſet, præfati Vincentius, Theodora, & Thereſia, tanquam pupilli, & virgines reſpectivè, ex privilegio ſibi competente *per l. unicam C. quando Imperator inter pupillos, &c.* elegerunt forum Auditoris Cameræ, obtentiſque conſuetis inhibitionibus in forma, per dictam Angelicam adita fuit Signatura Juſtitiæ pro illarum moderatione, ac remiſſione cauſæ ad partes; Antequam verò hæc diſputatio aſſumeretur, per dictos Salvatorem, Thereſiam, & conſortes, pro veritate deſuper requiſitus fui ſuper utroque modo ſubſtinendi cauſam in Curia, vel ſcilicèt per dictum privilegiativum remedium electionis fori, virginibus, & pupillis competens, vel per dictum alterum remedium appellationis interpoſitæ per Salvatorem clericum declinantem forum ſæcularem, ràm quoad ſe, quàm quoad correos laicos, connexum intereſſe cum eo habentes, Atque ſuper utro-

utroque respondi, Me contra ipsos requirentes habere difficultatem, Utrumque verò punctum, tàm occasione respondendi pro veritate, quàm occasione scribendi super primo pro eisdem in Signatura examinando.

Quatenus pertinet ad primum, super dicto privilegiativo remedio electionis fori, de duobus agebatur, Primò, an Papa dicendus esset Princeps respectu 7 causarum merè laicalium inter privatos cives, & incolas sæculares dictæ Insulæ, ita ut intraret electio fori, seù Curiæ Romanæ; Et secundò, posito quod dicta electio intraret, An hujusmodi privilegium conquassatum remaneret ex eo quod ageretur contrà viduam æque privilegiatam; Cumque DD. de Signatura, ut mihi retulerunt, super primo articulo se involutos agnoscerent, libenter amplexi sunt alterum motivum conquassationis privilegiorum, non curatis iis, quæ ut infrà deducebantur, quamvis fortè aliàs cessante prima difficultate admissa fuissent, ideoque rescriptum fuit pro remissione causæ ad partes, sed ad Ordinarium, Undè propterea incidenter, ac indirectè, obtentum fuit id quod principaliter, & ab initio desiderabatur, sed timebatur, cum ita in casu gravaminis ab Ordinario tanquam Ecclesiastico, indubitata remaneret introductio causæ in Curia per viam appellationis; (Talia enim sunt fata causarum, in quibus sæpè incidenter obtinentur ea, quæ cum summo studio summaque diligentia obtinere non possent, si principaliter disputarentur.)

Super dicto igitur primo articulo, An scilicèt Curia Papæ dicenda esset forus Principis ex dicto privilegio *leg. unicæ* eligendus, Quamvis Egò & cæteri 3 pro hac parte scribentes, prævidendo alterius partis oppositionem, admitteremus istam Insulam aliàs membrum, & de pertinentiis Regni Siciliæ ultrà pharum, ex munificentia Caroli V concessam fuisse huic Religioni post ejus expulsionem ab Insula Rhodi, & de qua concessione fit mentio per *Borrell. de præstant. Regis Catholici cap. 74. numer. 89. Larat. in theatr. feudal. tom. 1. par. 9. dilucid. 79. num. 10. Tappia decis. 8. Supremi Consilii Italiæ n. 23. Merlin. lib. 1. contr. 95. num. 18. & alios.*

Dicebamus tamen, quod cùm hujusmodi concessio facta esset M. Magistro tanquam Generali istius Religionis & Prælato Ecclesiastico, hinc proindè dicta Insula effecta erat de juribus Ecclesiæ, atque ut nostri dicere solent, *Sanctæ Sanctorum*; Et consequenter sub Principatu Papæ, ad quem ab inferioribus Prælatis appellatur, juxtà opinionem, quam ferè omnibus de materia agentibus cumulatis, atque contrariis 4 respondendo, ex professo tuetur *Spada consil. 5. & 6. lib. 1.* quem loco omnium allegare sufficit, ac etiam *de Rubeis in ejus allegationibus impressis apud Massin. de confiscat.*, & sequuntur *Diana* & cæteri moderni morales, de quibus *in Lucana sub tit. de Feud. disc. 60.* Posito enim jure appellandi ad Papam tanquam Superiorem, resultat de consequenti dictum jus eligendi ejus forum, tanquam Principis & Superioris.

Atque aliqui ex nostris, tanquam individualem magnificabant *dec. 16. Crescentii de privilegiis*, ubi in 5 specie habetur M. Magistrum hujus Religionis tollere non posse, vel impedire electionem fori competentem ex hoc privilegio; Illud etiam subjungendo, quod concessio facta per *Carolum V.* Religioni de hac insula, non esset in feudum, sed jure simplicis donationis in allodium, allegando in id *Borrell. & Larat. ubi suprà.*

Atque Ego scribens tanquam Advocatus dicebam, unum de duobus concedendum esse, Vel quod hujusmodi appellationes seù fori electiones darentur ad Papam, ut suprà tanquam à Prælato Ecclesiastico; Vel quod M. Magistro considerato tanquam feudatario Regis Siciliæ, id faciendum esset ad illum Regem ejusque suprema Tribunalia, undè cum hoc secundum non practicetur, idcircò perneceśè dandum erat primum, ne aliàs ita locus remaneret acephalus; ideoque dicta observantia comprobare videbatur superioritatem Curiæ, cumulando etiam multas Rotæ deci, siones quæ habentur præsertim apud *Otthobon & Roias*, ac in posterioribus partibus *9. 10. & 11. recent.* de multis causis in eodem Tribunali agitatis inter privatos hujus Insulæ cives & incolas super bonis & juribus merè prophanis, quod dicebam aliàs sequi non potuisse, nisi per appellationem.

Econversò adducebantur amplissima privilegia per Sedem Apostolicam huic Religioni concessa de quibus *in constit. 9. Pii IV.* illud præsertim prohibitivum appellationis non nisi post Consilium ordinarium 6 ad Consilium completum, ac ultimo loco ad Capitulum Generale, Et quamvis in Curia receptum sit hujusmodi privilegia non tollere appellationes ad ipsum Papam, nihilominus non exindè infertur ad jus appellandi ad A. C. vel alia Curiæ Tribunalia, vel ad ea jure electionis fori recurrendi, cum solùm detur recursus ad ipsummet Papam frequentius hujusmodi causas committere non solitum nisi in plena Signatura gratiæ, Religione audita, ita ut Signatura justitiæ non possit apponere manus in committendo, ut patet ex pluribus causis *Melevitan. hoc eod. lib. sub tit. de præminentiis* occasione admissionis ad habitum justitiæ ac agendi de nobilitate, ac etiam sub *tit. de beneficiis.*

Istud autem fundamentum erat levissimum ex defectu applicationis, quoniam præmissa procedunt in 7 concernentibus ipsam Religionem, ac negotia inter Religionem, & particulares, seù inter ipsos Religiosos, super concursu scilicèt ad commendas, & dignitates, sivè super denegatione habitus & impugnatione vel respectivè canonizatione nobilitatis juxtà causas ut supra enunciatas; Secus autem in causis merè prophanis privatorum, quæ in dies per appellationem agitantur coram A. C. vel in Rota cum commissionibus Signaturæ justitiæ, quoties agitur appellatione à foro Ecclesiastico Episcopi vel Inquisitoris; Sed punctus difficultatis est, quid inter laicos à sententiis M. Magistri tanquam Principis temporalis, ejusque Magistratuum & officialium.

Et in hoc, discurrendo pro veritate, dicebam, præmissis non obstantibus probabilius videri neque appellationem, neq; fori electionem dari, nec ad Curiam Romanam, nec ad Regiam supremaque Tribunalia Regni Siciliæ; Licet enim verius sit Insulam prædictam concessam esse in feudum sub annua recognitione ac reservatione illius superioritatis, cum alto, seù altissimo dominio, quæ vulgo *souranità* nun- 8 cupatur, ut advertunt *Tappia & Merlin. ubi suprà*, nullatenus curatis dictis auctoritatibus *Borelli & Laratæ*, cum ipsi non descendant ad hos terminos, neque distinguant, an hujusmodi concessio fuerit in feudum vel in allodium, sed solum incidenter ac hystoricè hujusmodi concessionem enuncient; Nihilominus est feudum majoris ordinis cum Regalibus majoribus, ac omnimodo jure Imperii & Principatus, alio concedenti non reservato nisi dicta superioritate, cum altissimo dominio, vulgò ut suprà *souranità* nuncupata, eodem modo quo in Italia sunt, Ducatos Mediolani, Mutinæ, Reggii, Senarũ, & similes quoad Imperatorem. Ac sunt, Ducatus Parmæ, & Placentiæ quoad Papam, priusque erant Ducatus Ferrariæ, & Urbini, de quorum & feudatariorum prærogativis cum Regalibus

libus majoribus ac suprema potestate quoad subditos, habetur pluries *sub tit. de feudis*; Et consequenter ipse feudatarius dicitur quoad subditos, Princeps & Superior major, cum quo dictum privilegium electionis fori est practicabile, denegato recursu ad concedentem, ut in omnibus prædictis Principatibus, quamvis jure feudi possessis, observantia docet, Ac etiam in Regno Neapolitano.

Ideoque non intrat quæstio, de qua apud *Spad. dict. cons. 5. & 6.* & alios, cum ea percutiat Episcopos & inferiores jure subordinati dominii aliqua loca in dominio temporali habentes, quorum respectu dicta opinio non caret difficultate, ex iis quæ habentur *in dicta Lucana jurisdictionis seu Imperii sub tit. de feudis disc. 60.* ubi de materia; Secus autem in hoc M. Magistro cui non incongruit titulus & gradus Supremi Principis in ea Insula, eodem modo quo in suprà enunciatis.

Potissimum ita docente observantia, quæ in omnibus est optima interpres, quoniam perquisitis cum aliqua diligentia decisionibus *Rotæ*, quæ habentur in 9 hujusmodi causis *Melevitanis* prophanis, & super bonis temporalibus independenter à Religione, ex eis constat de mixtura Ecclesiasticorum, quorum ratione, causæ agitatæ sunt in foro Ecclesiastico Episcopi vel Inquisitoris, à quo de plano intrat appellatio ad Curiam, De facili autem reperta non fuit causa merè laicalis, & inter laicos introducta per appellationem ab illis judicibus & Tribunalibus laicalibus.

Neque attendenda videbatur *dicta decisio Crescentii*, ubi in specie de hoc privilegio competente adversus M. Magistrum hujus ordinis, quoniam ut ex eadem decisione liquet, ibi agitur de causa, in qua M. Magister non considerabatur tanquam Princeps & Superior, sed tanquam pars collitigans, quæ in vim privilegiorum suæ Religionis prætendebat, ut tanquam privilegiatus cessare faceret dictum alterum privilegium, & sic extrà casum controversiæ.

Hinc inanis remanebat inspectio, super competentia hujusmodi privilegii virginibus, vel super conquassatione privilegiorum inter hinc indè privi- 10 legiatos, cum deficeret privilegium in radice; Quatenus verò de hoc agi debuisset, primus punctus remanebat planus; licet enim *text in dicta l. unica* in verbis loquatur de viduis, undè propterea apud antiquiores dubitatum fuerit, an competeret etiam virginibus, ut patet ex collectis *per Novar. in hoc tract. electionis fori par. 2. quæst. 7.* & plenius in elaborato & copioso *voto Signaturæ extenso per de Grandis* unum ex dicti Tribunalis Prælatis *18. Decembris 1597.* Nihilominus, ut patet ex eodem voto *& Novar. ubi suprà*, atque docet inconcussa praxis omnium Principatuum, sub nomine viduarum, veniunt etiam virgines absque dubio hujusmodi privilegio gaudentes, ideoque difficultas restringebatur ad punctum conquassationis privilegiorum, dum agebatur contra viduam æque privilegiatam.

Pro hoc objecto removendo, in responsionibus 11 duo dicebam, quæ tamen, ut suprà insinuatum est, examinata non fuerunt neque habita in consideratione, ut sub hujus motivi colore effugeretur necessitas examinandi punctum principalem de quo suprà; Primo scilicèt quod ista materia videtur arbitraria, ex singulorum casuum particularibus circumstantiis decidenda; ponderando scilicet, quis reputaretur majori beneficio dignus, vel de potentia, ac respectivè oppressione suspectus, ex iis quæ in hac materia plenè habentur apud *Capic. Latr. decis. 95.* quæ videtur in materia magistralis, ubi decisum pro privilegio clerici, etiam adversus viduam, ponderando an unus ageret de lucro, alter de damno, sivè an timens perhorrescentiam, ac recurrens ad forum Principis, meliorem causam foveat nec ne cum similibus.

Et secundo quod posita etiam conquassatione inter viduam & virginem æque privilegiatas, ita ut casus reduceretur inter eas ad terminos juris, perindè ac si neutra privilegiata esset, Adhuc aderat pupillus, qui ex eodem privilegio, sublato ut suprà impedimento, causam ad forum Principis trahere poterat.

Verùm ut superius dictum est, hæc non fuerunt examinata, sed remanserunt in simplicibus terminis motivandi, sed occasione dictæ disputationis, incidenter, præsertim in responsionibus deductum fuit, quod ubi cessante dicto privilegio electionis fori, videretur causam ad partes remitti debere, id faciendum es- 12 set ad Ordinarium Ecclesiasticum, propter mixturam clerici trahentis absque dubio totam causam, quando intrat connexio, de qua in præsenti non dubitabatur, dum omnium fratrum jus seù defensio pendebat ab eodem puncto, Undè propterea certa est competentia fori Ecclesiastici, tanquam dignioris & capacis judicandi, etiam inter laicos, quod non est in judicibus laicis respectu clericorum.

In discursu tamen habito pro veritate, satis dubitabam de motivo, quoniam cum dicta Angelica laica supponeretur possiditrix pecuniarum & bonorum quæ erant in controversia, idcircò convenienda erat per clericum in foro suo laicali, juxtà dispositionem *text. in cap. si clericus laicum de foro compet.* Nil obstante quod ipsa tanquam actrix dictos fratres ad judicium provocasset, quoniam licèt apud antiquiores magna quæstio fuerit, an intentans remedium *leg. diffamari & l. si contendat* dicatur actor vel reus, Nihilominus ubi tale remedium adhibens est possessor, illud intentando ad se confovendum in sua possessione, ac reportandam absolutoriam, & liberationem à jactatis molestiis, tunc verior, magisque recepta opinio est, eum censeri potius reum quàm actorem, ex benè deductis per *Cacheran. decis. 151. Muscatell. in praxi* 13 *civil. par. 1. verb. reus, ubi latè Pratus in addit. Cavaler. decis. 587. decis. 417. apud. Postium de manut. dec. 102. in fine par. 6. recent. decis. 57. numer. 31. & seqq. par. 7.* & in aliis de quibus alibi *hoc tit. ac etiam in Romana legati sub tit. de feud. disc. 33.*

Et quamvis per requirentes motivaretur, quod clericus dicendus veniret possessor ex statuto continuativo possessionis vigente in Insula Siciliæ, de quo plenè *Amat. resol. 39.* locum etiam habente in hac 14 Insula quæ vivit cum legibus digni Regni, ut præsertim in terminis hujus statuti habetur *apud Otthobon. dec. 176. & 195.* Nihilominus non videbatur motivum considerabile, Tùm quia illud locum non habet resistente voluntate defuncti, ut apud *Amat. & Otthobon.* ubi suprà & communiter; Tùm etiam quia hæc dicitur civilissima & intellectualis possessio ficta non faciens possessorem verum ad effectum fori in concursu possidentis naturaliter & de facto, cum ad hunc effectum attendendus videatur ipse actus naturalis detentationis de facto, quoniam agitur de expellendo vel confovendo respectivè illo qui rem de facto possidet cum ea naturali possessione, quæ pedum positio dicitur, Idcircò hic actus per suum judicem est faciendus, civilis enim vel civilissima possessio potest quidem esse apta per quamdam legis fictionem ad effectum, ut etiam privilegiatum retinendæ seù manutentionis possessorium competere valeat pro acquirenda possessione naturali, eaque cum civili

conjun-

conjungenda, non autem ad hunc effectum in quo ipsum factum naturalis possessionis spectandum venit.

ALBANEN.

PRO

OFFICIALIBUS CURIÆ SÆCVLARIS,

CVM.

PROMOTORE FISCALI CURIÆ EPISCOPALIS.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Immunitatis, & resolutus pro Officialibus.

An Judex laicus Ecclesiasticam Immunitatem violare dicatur per actum recognitionis corporis delicti in domibus Cardinalium vel aliorum Ecclesiasticorum, & immunium, & quæ domus Cardinalium à laicali jurisdictione exemptæ sint.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Domus Cardinalium fixæ, & annexæ titulis Cardinalitiis regulantur jure domus Episcopalis.*

3 *An palatia & domus Cardinalium privatæ habitationis gaudeant immunitate.*

4 *Quid in Domibus ruralibus, seù aliàs accidentaliter tentis.*

5 *Domus Religiosorum gratia rurandi seù ex alio accidenti non gaudent immunitate.*

6 *Quid de domibus, in quibus Episcopus habitet accidentaliter.*

7 *Ubi domus habitatur per laicos, & habet januam in via absque eo quod habeatur accessus per Ecclesiam, atrium, vel claustrum non gaudet immunitate.*

8 *De recognitione corporis delicti facienda per judicem laicum in Ecclesia vel loco immuni.*

DISC. LXX.

1 HAbitantibus quibusdam rusticis operatiis in parva mansione subtus domum, quam in Civitate Albanen. habebat Cardinalis Maculanus, seù S. Clementis, causa rurandi, sive occasione plurium vinearum, quas in eo territorio possidebat, cum casus dedisset homicidium unius ex eis, officiales Curiæ sæcularis, evocati etiam per quemdam ejusdem Cardinalis tunc absentis ministrum, accesserunt ad dictam domunculam habentem januam in via publica pro recognitione corporis delicti, undè propterea Curia Episcopalis Albanen. prætendendo dictorum Officialium incursum in censuras ob Ecclesiasticæ immunitatis violationem, eos citavit ad dicendum causam, quare non deberent declarari incursi, quare istis alio non expectato judicio illicò recurrentibus ad Sac. Congregationem immunitatis, per istam demandatum fuit abstineri ab ulteriori processu, habendo dictos Officiales pro excusatis, & non incursis, quamvis prodiret etiam consuetum prudentiale rescriptum, quod consulant conscientiæ suæ, prout eis videbitur.

In hac igitur disputatione, prævia protestatione semper repetita, nil desuper firmandi, nisi ad effectum 2
præsentis controversiæ, ac relinquendo in reliquis integrum locum veritati; Quatenùs pertinet ad punctum immunitatis competentis domibus Cardinalium, Dicebam quod aut agimus de domibus annexis Ecclesiis, sed titulis Cardinalitiis, utpotè ipsorum Cardinalium habitationi apud proprium Titulum destinatis, & tunc admittebam eas regulandas esse jure domorum Episcopalium, cum in hujusmodi titulis jure Episcoporum vel quasi censendi veniant, ex iis, quæ habentur *in Romana jurisdictionis, seù tituli Cardinalitii hoc eod. tit. disc. 34.*

Aut de palatiis & domibus, vel propriis, vel conductitiis, in quibus in Urbe, vel alibi jure privato vivunt, & tunc si quæ immunitas eis competit, illa non 3
non est ratione loci Ecclesiastici, sed potiùs ex quadam consuetudine ex deductis *per Farin. quæst. 28. n. 48. & in appendice de immunit. Eccles. num. 274. Del bene de immun. tom. 2. cap. 16. sec. 15.* apud quos de moderatione hujusmodi exemptionis ex Constitutionibus *Gregorii XIII. & Sixti V.* Sed quia non eramus in casu, idcircò juxtà stylum, his obiter insinuatis, nil desuper firmabam.

Aut admissa etiam immunitate in palatiis, seù domibus eorum fixæ, & continuæ habitationis, agitur 4
de domibus ruralibus, seù aliàs extrà locum habitationis accidentaliter tentis, qualis erat casus controversiæ, Et in istis, absente præsertim ipso Cardinali, sine dubio pro non exemptione respondendum videbatur, quoniam cum ipsa exemptio principalis habitationis non proveniat à jure, sed à consuetudine utiuprà, istius qualitas & natura est, ut attendi debeat in casu præciso & individuo, non autem extendi de casu ad casum; Quinimò etiam quoad domos Religiosorum, quas retinent ruri, seù aliàs pro hospitio, illis 5
non competere immunitatem habetur apud *Barbos. de jur. Eccles. lib. 2. cap. 3. nu. 76.* Et tamen eorum Conventus, seù Monasteria sunt immunia tanquam loca Ecclesiastica; Et de domo, quam habitat Episcopus, dum transcurrit diæcesim occasione visitationis, seù ex alia causa, quod solùm habeat immunitatem ipso præsente in reverentiam personæ *Del bene dicto tom. 2. cap. 16 Sess. 24. numer. 12.* ubi etiam *numer. 2.* de domo Episcopali ipso Episcopo absente vel mortuo, Multò magis in hac facti specie, in qua multæ concurrebant circumstantiæ hujusmodi prætensam violationem omninò excusantes, etiamsi dicta exemptio, seù immunitas in ipsis domibus consuetæ habitationis admittenda esset; Primò scilicèt quia hæc non erat domus consuetæ habitationis sed ruralis; Secundò quia Cardinali absente; Tertiò quia agebatur de domuncula inhabitata per meros laicos cum janua in via, absque eo quod per ipsam domum exemptam haberetur ingressus ex ponderatis in simili apud *Apont. decis. 35. Sanfelic. dec. 136. Peregr. de immun. cap. 4. numer. 27.* Et demùm quia dictus accessus fuerat sincerè, & cum optima fide prævia evocatione per ministrum ejusdem Cardinalis; Undè propterea quidquid esset de quæstione, an judex laicus recogno- 8

scere

scere posset corpus delicti in Ecclesia vel loco immuni sine licentia Ordinarii seu Superioris Ecclesiastici, de qua habetur per *Sperell. decis. 51.* ubi concordantes, Admissa etiam opinione negativa juxtà sensum Ecclesiasticorum, ea procedit, quandò Ecclesiastici Superioris contemptus quodammodò concurrere videtur, seu quod aliàs actus scandalum parere valeat, ut contingit, quandò ageretur de exhumando cadavere jam sepulto in Ecclesia vel cœmeterio cum similibus, in quo casu frequentius scribentes exemplificare solent; De reliquo enim nulla considerabilis videtur Ecclesiasticæ immunitatis violatio vel perturbatio, cùm laicus hujusmodi actus gerat, tanquam necessarios & præperatorios cognitionis causæ cum propriis subditis, & ad effectum puniendi delinquentes, nè aliàs delicta impunita remaneant, cùm absque hujusmodi inquisitione generali seu recognitione corporis delicti, ad inquisitionem specialem & cognitionem causæ deveniri non valeat.

ROMANA
SEU
ANCONITANA PECVNIARIA
PRO
ALOYSIO GREPPIO,
CVM
VINCENTIO ET ANTONIO DE COCCHIS.

Casus disputatus in Signatura justitiæ & pro Greppio resolutus.

De foro celebrati contractus inter absentes, qualis dicatur, an ille mandantis, vel mandatarii, in quo mandatū acceptatur, & contractus perficitur; Et quid de fidejussore, an censeatur suo foro renunciasse.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An forum contractus sit competens contra absentem, vel aliàs ab eo exemptum.*
3 *Pro contractibus gestis in Vrbe A. C procedit etiam contra absentes, & quomodo.*
4 *Qualis dicatur locus contractus, & ubi iste perficiatur.*
5 *Fidejussor non censetur renunciasse ejus foro, quòd declaratur.*
6 *An ex laudatione resultet obligatio, ita ut laudator teneatur pro eo quem laudavit remissive.*
7 *Privilegia particularia circà certum forum non suffragantur quoad Curiam Romanam, seu supremam Principis concedentis.*
8 *Declarantur tenentes contrarium.*
9 *Facta semel electione fori, an liceat variare.*
10 *Quid accedente obligatione camerali.*

DISC. LXXI.

1 SCribentibus Cocchis Anconæ mercatoribus Aloysio Greppio in Urbe negotiatori, ut tractam sibi à Platto ex Venetiis faciendam in causam Francisci Pighetti, pariter Anconæ Mercatoris impleret, quia (sunt verba præcisa) *hauranno suo fine*, cùm Greppius tractam implevisset, Factis autem aliquibus diligentiis, à Pighetto de summa soluta non reintegraretur, Judicium instituit coram A. C. contra præfatos de Cocchis, quibus forum prædictum recusantibus, ac petentibus causam remitti ad forum mercatorum Anconæ, tùm ex eo quod agebatur de prima instantia juxtà regulas generales, ut actor forum rei sequi debeat, tùm fortius ex quodam speciali privilegio concesso mercatoribus, & negotiantibus Anconitanis ut non nisi in illo foro mercatorum eorum causæ summariè cognosci debeant.

Assumpta desuper disputatione in Signatura justitiæ, totus punctus erat, qualis dicendus esset 2
locus contractus; Quicquid enim in puncto juris inter DD. disputaretur, an locus contractus dicatur forus competens etiam ratione absentium, & eorum qui aliàs ab eo exempti essent, de quo apud scribentes *in l. hæres absens de judiciis* ex plenè deductis *per Carleval. de judic. tom. 1. disput. 2. num.* 160. qui saltèm ex communi observantia affirmativam tanquam veriorem ex ibi allegatis probat; Omnis difficultas in proposito cessabat in contractibus gestis in Urbe, in quibus, sive ex recepto stylo, sive ex facultatibus A. C. hic pro eorum ob- 3
servantia, & exequutione, procedit etiam contrà absentes, quamvis non citatos, nisi per affixionem vel contradictas in eadem Urbe, ut per *Salust. in praxi lib. 2. cap. 16. Ridolphin. in praxi par. 1. cap. 3. Rot. decis. 847. par. 3. divers lib. 3.*

Contractum verò gestum fuisse in Urbe, ibique promissam solutionem, pro Greppio scribens, certum dicebam, quamvis mandatum datum esset ex 4
civitate Ancon, æubi mandantes morabantur, quia cùm in Urbe moraretur mandatarius, atque hic mandati acceptatio, & consensuum conjunctio facta esset, iste dicitur locus contractus, ex consensuum conjunctione perfectionem recipiens, ut benè & punctualiter in terminis consimilis tractæ factæ ex Civitate Neapolis alteri negotiatori Urbis, firmatur *decis. 395. num. 2. par. 5. recent.* quæ decisio in Curia est passim recepta, utpotè in jure benè fundata.

Pro altera verò parte scribentes, duo deducebant ordinem concernentia, Primò nempè, quod cùm negotium principaliter spectaret ad Pigettum in cujus causam tracta facta erat, prædicti Cocchi, quamvis ex Pighetti laudatione aliquam obligationem contraxissent, prætendi solùm poterant fidejussores, qui proindè suo foro renunciasse non censentur *ad text. in l. fidejussor ff. qui satisdare cogantur*, & firmant scribentes latè deducti per *Enrigium de fidejussor. cap. 14. num. 16. cum seqq.* Et secundò, quod in omnem eventum eis suffragari deberet satis amplum indultum per Sedem Apostolicam concessum Anconitanis negotiatoribus, ut non nisi in illo mercatorum foro eorum causæ tractari deberent, quorum unum sufficere dicebant pro remissione.

Quibus tamen non obstantibus, pro competentia fori A. C. cum justitiæ fundamento resolutum fuit; Quatenùs enim pertinet ad primum, dicebam conclusionem deductam *ab Enrigo loc. cit.* vel procedere in fidejussione præstita per forensem in foro suo, Vel verius *Enrigium* & alios, in quibus ipse se fundat, loqui cum præsupposito, ut ratione contractus quis non sortiatur forum, nisi in eo apprehendatur, juxtà plurium opinionem cum qua ipse *Enrigius* procedit, eaque retenta infert ad conclu-

sionem prædictam, quæ proindè ita corruit ex cessante dicto præsuppositio, vel quia contraria opinio probabilior ex deductis per *Carleval. loc. cit.* vel quia stylus Curiæ seu facultatis A. C. hujusmodi quæstionem tollant ut suprà.

Dicebam ulterius quod versabamur extrà casũ fidejussoris, ac potiùs in terminis principalis debitoris, cùm literæ per dictos Cocchos, Greppio scriptæ, continere dicerentur potiùs mandatum, ita ut principaliter & directè ipsorum fidem Greppius implendo tractam, sequutus diceretur, quamvis è conversò scribentes pro altera parte prætenderent, hanc esse simplicem laudationem, ex qua nulla resultat laudantis obligatio, nisi concurrente dolo; Quia tamen de hoc puncto deindè particulariter actum fuit in disputatione causæ post jam firmatam jurisdictionem & fori competentiam, idcircò de hoc puncto habetur in sua materia *sub tit. de credito.*

Quo verò ad alterum fundamentum deductum ex Indulto Anconitanis negotiatoribus concesso, dicebam illud procedere respectu aliorum Judicum & curiarum ipsius Principis ejusque Civitatis Metropolis, quia in hujusmodi privilegiis & exemptionibus, Regulariter comprehensa non censetur ipsius Principis persona vel Curia, nisi specialis mentio fiat juxtà *cons. 62. Old rad. num.* 2. Undè prohibita appellatione, non censetur prohibita ea, quæ ad ipsum Principem seu Sedem Apostolicam interponatur *ad tex. in c. venientes de jure juran. ubi scribentes, de quibus adden. ad Burat. decis.* 170. *littera B.* & ita passim servatur in praxi in Civitatibus Ferrarien. Beneventan. Avenionen. & aliis consimilia indulta habentibus, quoniam ea non suffragantur circà contractus in Urbe celebratos, vel solutiones in eadem destinatas ex dicto stylo rationabiliter fundato in prærogativa quæ ratione majoris commercii debita est Regiæ & Metropolitæ Civitati.

Et quamvis per alteram partem deduceretur auctoritas *Gratian. discept. 569.* ubi in specie firmatur remissio causæ ad forum rei, quamvis contractus in Urbe celebratus esset, Respondebam tamen hanc auctoritatem retorqueri, cùm potiùs firmetur competentia fori ratione contractus ut suprà, quoties de illo exequendo vel adimplendo agitur; Secùs autem ubi eo jam impleto, tractaretur de repetitione indebiti, qualis erat casus *Gratiani*, cùm tunc contractus esset jam impletus, atque ageretur de novo judicio in diversa actione merè personali.

In quadam alia *Anconit. pecuniaria*, seu dotis pro illis de Mansonis cum Alexandro Masserio, aliam jurisdictionalem controversiam disputavi in Signatura Justitiæ in casu converso, remissionis scilicet causæ ab A. C. ad forum mercatorum dictæ Civitatis; Cùm enim introducentibus dictis de Mansonis causam in Curia coram A. C. ad ejusdem Masserii ac invicti ejus auctoris instantiam, ea remissa fuisset per Signaturam ad dictum forum Consulum mercatorum Anconæ, post causam ibi notabili tempore agitatam & instructam, Masserius qui se creditorem vigore obligationis cameralis prætendebat, variando dictum forum, illum A. C. adiit, sed pro Mansonis scribens, id illicitum dicebam, ex regula quod facta semel unius fori electione patere debet via jam electa, neque concedenda est revariatio à Judice electo ad alterum jam tecusatum, ut reprobata *glos. in auth. habita C. ne filius pro patre* veriorem firmant ibidem *Bart. num 7. Bald. num.* 63. *Cin. num.* 7. *& cæteri cumulati per Carleval. de judiciis tom. prim disput.* 2. *nu.* 489. & hanc etiam dicit veriorem *Marchesan. de commiss. par.* 2. *num.* 84. *& seq. fol.* 312. Et quamvis per alteram partem adduceretur deducta per *Novar. de elect. fori sect.* 1. *quæst.* 3. ab eo tamen cavendum dicebam, cùm ipse loquatur attentis constitutionibus seu praxi & stylo particulari Tribunalium Neapolis, ut ita conciliando advertit *Carleval. loc. cit. num.* 605.

In contrarium, potissimum fundamentum constituebatur in obligatione camerali, cujus ratione receptum est, competere creditori pro ejus exequutione cujuscumque fori quamvis aliàs incompetentis electionem, ob clausulas in ejusdem obligationis formula contentas, Replicabam tamẽ, dictum privilegium esse verum quoad fori electionem, non autem quoad ejusdem semel electi variationem, cum tunc hujus obligationis privilegium consistere dicatur in variatione judicii seu modi exequendi, non autem quoad variationem Judicis nisi data debitoris contumacia ut apud *Peniam decis.* 3. *juxtà Venetam, & Lugdunen. num.* 16. *repetit. apud Zacch. de oblig. cam. decis.* 56. *num.* 10. & conferunt deducta per eundem *Peniam decis.* 134. *iuxta Venetam aliàs* 169. *iuxtà Lugdunen.* Incerta est resolutio, quæ juxta præmissa probabiliter creditur, dum de hujusmodi causa non fuit amplius actum, ut sequutum esset si remansisset in Curia, in qua sæpè contingit Advocatos remanere incertos de causarum exitu, præsertim hujusmodi executivarum, ulteriorem tractum ut plurimum non habentium, cùm earum curam non habeant incumbentem causarum patronis, quorum etiam nomina sunt sæpius ignota, quia informationes facti frequentius reassumunt.

BONONIEN.
REMISSIONIS CAVSÆ PRO MONTECUCOLIS.

Discursus pro veritate.

An pupillus vel alia persona miserabilis succedens non privilegiato lite jam cœpta in prima instantia, possit in secunda instantia uti privilegio *leg. unica Codic. quando Imperator.* maximè ad effectum avocandi causam à Curia Principis, & petendi remissionem ad Ordinarium & immediatum judicem appellationis in Provincia existentem.

SVMMARIVM.

1 PRivilegiatus succedens non privilegiato lite pendente quod non trahat causam ad forum suum ex *l. unica, & num. seq.*

2 An hæres ex persona propria declinet forum defuncti & utatur privilegio *leg. unica*, contrarium *num.* 7.

3 De rationibus dicta conclusionis.

4 Causa prima instantiæ & causa appellationis est eadem *& num.* 12.

5 An dicta conclusio procedat in Clerico hærede.

6 De-

6 *De privilegio l. unica ut procedat in quacumque instantia.*
7 *Impugnantur conclusiones de quibus n. 1. & 2. & de materia tex. in l. hæres absens.*
8 *An privilegium superveniens post motam litem suffragetur.*
9 *De conclusione an hæres ligetur instantia cœpta cum defuncto.*
10 *Causa appellationis est de diverso judice & Tribunali a prima instantia.*
11 *A dictis Doctorum non licet arguere à contrario sensu.*
12 *Quod causa appellationis non sit eadem cum prima instantia & de pluribus illationibus.*
13 *Pupillus factus adultus, vel vidua uxorata an retineat privilegium legis unicæ.*
14 *Restitutio in integrum adversus non factas probationes in termino an competat minori hæredi majoris.*
15 *Datur distinctio inter variationem fori in genere, & variationem unius vel alterius Judicis ejusdem*
16 *De ratione privilegii l. unicæ.*
17 *Bona consideratio de privilegio attendendo ut impediatur alterum privilegium & serventur regulæ iuris communis.*
18 *Appellari non potest omisso medio. & quando secus.*

DISC. LXXII.

1 SUPER hoc puncto pro veritate circa susceptæ Advocationis initia interrogatus respondi ut sequitur; Casus non reperitur quantum videri potuit hucusque tactus à Doctoribus in individuo, ideò veritatem perquirendo per regulas & conclusiones generales, negativa opinio contra privilegiatum probabilor primo aspectu suaderi videtur.

Primò per *text. in l. hæres absens ff. de indic.* ubi apertè disponitur, hæredem in eo foro conveniendum esse, in quo defunctus conveniri poterat, proprio hæredis privilegio non suffragante; & de cujus textus dispositione *in Arelaten. pensionis hoc eod. tit. disc.* 86.

Secundò per *tex. in l si quis postea quam 7. ff. eod. tit.* ubi habetur, quod privilegium superveniens post motam litem non suffragatur in ea causa, ex quibus verbis *(in ea causa)* desumitur, ut idem sit in prima vel ulteriori instantia, cùm causa principalis, & appellationis una sit, licet instantiæ sint diversæ, ut inferius probabitur.

Tertiò clarius per *tex. in leg. si is qui Romæ ff. eod. tit.* in quo statuitur, ut hæres non possit ex persona
2 propria declinare illum forum, in quo causa cū defuncto cœpta erat, ex cujus tex dispositione in propriis terminis nostris, communis & recepta est conclusio, ut privilegium *leg. unicæ* non suffragetur privilegiato hæredi lite cœpta cum defuncto, *Castren. in d. l. hæres absens n. 2. & 4. Caravit. ritu 234. n. 2. Gratian discept. 182. n. 27. Marchesan. commiss. par. 2. fol. 314. n. 93. Giurb. decis. 82. num. 2. & 9. Franch. decis. 364. Scacc. de appell. q. 7. n. 133. Novar. de electione fori sect. 4. quæst. 23. per totam*, ac videtur conclusio vera & recepta; Illaque pluribus fulcitur rationibus, quas ex *Surd. cons. 222.* ad literam transcripsit *Novar. ubi supra*, quarum illæ videntur præcipuæ quas
3 deducit *ex Surdo, Novar. num. 2. 7. & 8.*

Primo nempè quod instantia cœpta cum defuncto transit in hæredem; Secundò quod defunctus qui Judicis jurisdictioni consenserat, videtur quasi contraxisse cum altero litigante, ut non possit illius Judicis forum declinare, & ideò hæres qui tenetur servare factum defuncti, non potest ejus quasi contractum impugnare, Et tertiò quia jus formatum in personam defuncti transit activè & passivè in hæredem, ut latius apud allegatos videri potest.

Quod autem conclusio procedat, tàm in ea instantia in qua lis cum defuncto cœpta fuit, quàm in ulteriori, probari videtur ex dicto Doctorum superius allegatorum, præcipuè *Saccia, Gratiani*, & aliorum simpliciter dicentium, ut in ea causa pupillus privilegium amittat, & ideò de omnibus instantiis veniunt intelligendi, quoniam licet causa principa- 4
lis, & illa appellationis constituant diversas instantias, una tamen & eadem causa dicitur, *ut in rubr. & l. 1. Cod. nè liceat in una eademque causa, cap. si quis in quacumque 2. quæst. 6. glos. Salicet. & alii in l. si ita demum, & l. invitus C. de procur. Alex. cons. 96 lib. 2. num. 5. vers. quod autem causa principalis, & appellatio sit una & eadem &c. Coccin. decis. 42. num. 6. cum aliis per Rot. in Eugubina prædii 14. junii 1649. coram Cerro 8. quia cum emanaverit, impress. dec. 324. par. 10. recent. num. 4. & seqq.*

Appellatio enim dicitur de appenditiis primæ instantiæ à qua omnes ulteriores instantiæ regulantur, quoniam attenditur initium & non finis, & qualitas ab initio impressa transfunditur ad omnes instantias successivas, Undè causa quæ à principio est ordinaria vel summaria in prima instantia, sem- 5
per est talis etiam in ulterioribus *Franch. dec. 520. n. cum aliis per Giurb. decis. 82. num. 13.* Et ferè in individuo quod Clericus hæres laici qui ligatur instantia cœpta cum defuncto remaneat etiam ligatus in gradu appellationis, & sic in secunda vel ulteriori instantia firmat *Carleval. de Judic. lib. 1. disp. 2. quæst. 7. num. 947. & seq.* quia ex litis initio tota causa præventa est, ut ad literam probat *tex. in d. l. si quis postea quam ff. de judic.* ibi *in ea causa quasi præventus*, quod tamen non deducitur tanquam firma conclusio, sed relinquendo locum veritati insinuatur solum, tanquam simile, attenta opinione illorum qui hoc volunt.

Quamvis autem ex prædictis hæc opinio magnam veritatis apparentiam habere videatur; Contraria tamè opinio pro pupillo vel alio privilegiato in puncto juris tenenda videtur; Maximè in casu de quo est quæstio, quoniam certum est, privilegium ex d. *l. unic.* personis miserabilibus concessum, tàm in
6 prima quàm secunda & quamcumque ulteriori instantia competere, quia textus loquitur indistinctè de omnibus judicibus, & advertunt *Menoch. de arbitr. cas. 66. num. 31. Thesaur. dec. 177. nu. 8. Novar. de elect. for. sect. 1. q. 15. in fin. Marchesan. de commiss. par. 2. fol. 310. n. 68. Gratian. discept. 565. num. 74. & seq. Scacc. de appell. quæst. 7. n. 113. & alii communiter*; Et sic pro persona miserabili stat regula generalis, & indistincta, qua posita sufficit destruere limitationem quæ datur in contrarium, quia sublata limitatione remanet regula quam sufficit allegare *Mantic. decis. 251. n. 4. Barbos. axiom. 198.* & sic probatio istius opinionis consistit in resolutione contrariorum.

Non obstant igitur contraria. Et primò *tex. in l. hæres absens*, quoniam illius dispositio non habet locum in privilegio clauso in corpore juris, prout est illud de quo tractatur, ut in terminis *l. unicæ Castr. in ead. l. hæres absens num. 3. in fin. & 4. Caravit. dicto ritu 234. num. 2. Giurb. dicta decis. 82.* 7

num. 9. Novar. dicta quæst. 23. sect. 4. Scacia dicta quæst. 7. num. 133. Franch. decis. 234. & 364. Menoch. de arbitr. dicto casu 66. num. 36. & omnes sine controversia, Tenentes enim contrarium vel loquuntur in terminis ritus M. Curiæ Vicariæ Neapolis, vel in casu quo cœpta est lis cum defuncto, & sic vis limitationis non est in dispositione *l. hæres absens*, sed in ite cœpta cùm defuncto juxtà tertium objectum.

Nec obstat *tex. in l. si quis postea quam*; intelligitur enim de privilegio voluntariè superveniente ad postulationem obtento, non autem de concesso motu proprio, ac præter voluntatem habentis obvento, & maximè de privilegio clauso in corpore juris *juxtà glos. communiter receptam in l. qui autem ff. si quis caut.* Et ideò, omissis generalibus; In propriis terminis nostris, quod privilegium *leg. unic.* superveniens post litem, puta quia cœpta cum uxorata quæ postmodum fiat vidua, vel cum infante cui moriatur pater, adhuc allegari possit, firmant 8 *Novar. ubi supra sect. 4. quæst. 13 num. 1. Riccius collectan. 2155. late Giurb. decis. 82. num. 7. & seqq. Marchesan. de commiss. par. 2. fol. 307. n. 46.* Et sic tex. non applicatur, nam aliàs ista conclusio communiter firmata remaneret falsa.

Circà tertium objectum, in quo totus cardo difficultatis consistere videtur, deductum ex *tex. in l. si 15. qui Romæ ff. de judic.* ut hæres ex propria persona declinare non possit forum in quo causa cœpta erat cum defuncto, quamvis multa ad impugnationem illius conclusionis adduci possent, Attamen ex abundanti non negatur conclusio, sed dicitur quod illa procedit tantum in illa instantia, quæ cœpta est cum defuncto, non in alia quæ habeat principium cum ipso privilegiato, Præcipuæ siquidè rationes in quibus dicta conclusio fundatur, sunt, Primò quia hæres ligatur instantia cœpta cum defuncto, Secundò, quia per litem cœptam coram uno judice, videtur defunctus quasi contraxisse cum collitigante, ut non possit illius Judicis forum declinare, ideòq; hæres non potest dictum quasi contractum impugnare, Et tertiò quia hæres succedit in universo jure creato & formato cum defuncto, tàm activè quam passivè ut suprà dictum est; Aliæ namque rationes adductæ *per Novar.* nempè quod hæres & defunctus reputantur una persona, & similes, tanquam nimis generales non concludunt, nam possent etiam convenire, quando judicium cum defuncto cœptum non esset, quod est falsum ex dictis superius.

Si ergo istæ rationes considerantur, nulla concludit pro secunda instantia cœpta cum hærede, quoniam prima ratio ut hæres ligetur instantia cœpta cum defuncto rectè procedit illa instantia durante, sed ubi illa finita est per sententiam, tunc cessat dicta ratio, quoniam etiam tenentes causam appellationis esse unam & eandem cum causa principali, non negant instantias esse omninò diversas & separatas.

Altera ratio ob quasi contractum, similiter cessat, quoniam quasi contractus respicit illum Judicem, coram quo lis cœpta fuit, ideòque non percutit secundam instantiam tractandam coram diverso Judice & in alio Tribunali, cùm non dubitetur causam appellationis esse diversi judicii & Tribunalis 10 *cap. 2. de consuetud. in 6. cum concordan.* de quibus *Franch. in cap. 2. de jur calum. num. 1. in fin,*

Tertia verò ratio coincidit in idem, quod secunda, quod nempè jus formatum & creatum sit in illa instantia, quia in ulteriori, adhuc in rerum natura non existente, ac oriente ex futuro eventu appellationis, quæ se habere potest ad esse & non esse, non potest dici jus formatum & creatum, cùm non entis nullæ possint esse partes, neq; de tempore quo altera instantia in esse producitur adest persona defuncti jam de medio sublata, ideoque nullum jus creari vel efformari potuit.

Prout neque fundamentum constitui potest in dicto Doctorum simpliciter dicentium, ut hæres amittat privilegium in causa, quæ omnes instantias complecti videtur; Tum quia à dicto Doctorum 11 argumentum sumi non potest, cùm eorum auctoritas non sit necessaria, *Franch. decis. 87. n. 16. Rot. dec. 600. n. 32. part. 5. rec.* cum aliis latè cumulatis *per adnotat. ad decis. 20. part. 3. recent. in fin.* Si enim verba Doctorum attendere volumus, *Marchesan.* utitur verbo *instantia*, & sic probat intentum nostrum; Tùm etiam, quia neque absolutum est de jure, ut fortè per tenentes contrarium supponitur, quod causa principalis & causa appellationis sit una & eadem, quoniam in contrarium ut sit diversa & separata probatur *in cap. 2. de juram. calum. in 6.* ubi juramentum præstitum in causa principali, non sufficit in causa appellationis tanquam diversa, & *ibi gloss.* hinc indè varia deducit pro ista conclusione, ubi etiam *Franch. in princip. & in cap. Romana de testib. in 6. num. 4. circa med.*

Hinc habemus quod Advocatus actoris in prima instantia potest esse Advocatus rei in secunda tanquam diversa *gloss. Bald. & alii in l. fin. ff. de postulan Franch. in d.c Romana num. 3. Anna singular. 7 Mascar. de probat. concl. 952. num. 9. Alex. dicto cons. 96. lib. 2.*

Judex in prima instantia potest esse testis in secunda *Franch. ubi supra* cum aliis *per Mascar. dicta concl. 952. n. 7. & 8.*

Procurator in prima instantia non tenetur prosequi & esse in secunda *Alex. dicto cons. 96. lib. 2. num. 2.*

Salarium pro causa conventum cum Advocato & Procuratore, intelligitur de prima instantia, & in secunda novum debetur tanquam in diversa *Alex. ibidem & alii.*

Fidejussor de judicio Sixti in prima instantia non tenetur juxtà unam opinionem in secunda *ex deduct. per Enrig. de fidejussor. cap. 20. §. 20. num. 4. & seq. Thes. dec. 202. Surd. decis. 212. Capic. Latr. consult. 49. n. 7. Ciriac. contr. 285. Prat. ad Muscatell. in praxi fidejussor. modo 12.* apud quos habentur etiam tenentes contrariam

Et multa his similia exempla adduci possunt, undè *Alex. dicto cons. 96.* deducendo multa hinc indè ad istam conclusionem, *num. 5 in fin.* concludit pro veritate, quod causa appellationis, verè & propriè non est eadem cum causa principali, neque est penitus diversa, Sed quandoque est eadem, quandoque est diversa diversis respectibus & eum sequuntur *Surd. dec. 147. num. 3. & aliis.*

Si ergò de necessitate non est eadem, sed potest esse diversa, ita ut simus in casu dubio, idcircò capienda est in dubio interpretatio pro privilegiato, Tùm quia judicandum est pro regula, & contra limitationem, quæ tanquam rigorosa & exorbitans à regula venit strictè intelligenda, Tùm etiam quia in dubio capiendus est intellectus, qui magis faveat personis miserabilibus, quorum causa pia dici potest.

Et si esset verùm, quod ad hunc effectum initium litis veniret attendendum in tota causa, etiá in gradu

du appellationis, adeò ut qualitas impressa ab initio primæ instantiæ influeret in ulteriores, sequeretur quod pupillus, qui durante prima instantia factus est major, vel vidua quæ cœpta lite virum duxit, possit etiam in secunda, vel tertia instantia
13 uti privilegio *leg. unic.* atque semper habere fori electionem & variationem, quod falsum videtur, nam DD. non sine controversia tribuunt hoc durante tantùm illa instantia ut apud *Carauit. ritu 233. num. 12. Franch. decis. 257. in fin. Sacc. de appell. quæst. 7. num. 118. & seqq. Gurb. d. decis. 82. n. 13. Menoch. dicto casu 66. num. 28. Novar. sect. 2. qu. 3. n. 3. & q. 6. nn. 3.*

Et quod limitatio, de qua tractamus, procedat solùm in prima instantia non in alia, probari concludenter videtur à simili, nam pupillus vel minor cui beneficium restitutionis in integrum competit adversus non factas probtiones, succedens majori
14 non gaudet isto beneficio in illa instantia cœpta & tractata cum majore *Affl. decis. 211. ubi Vrsil. Cephal. cons. 241. n. 9. & 10. Rolan. cons. 99. n. 43. lib. 1. Carauit ritu 71. num. 6.* Sed in instantia ulteriori cœpta cum ipso minore in gradu appellationis, utique de dicta restitutione non videtur in praxi dubitari, quia restituitur in judicio tractato cum ipso minore.

Insuper pro clarioti veritatis comprobatione, atque contrariorum totali resolutione observan-
15 dum est, quod aliud est privilegium mutandi forum totaliter, & sic variandi de foro ad forum, variata specie jurisdictionis, puta de foro laicali ad clericalem, & de paganico seu ordinario ad militarem; Aliud verò est privilegium variandi de loco ad locum & de judice ad Judicem, ejusdem tamen fori & jurisdictionis; Primò enim casu non solùm diversificatur instantia, sed etiam tota causa, ita ut efficiatur penitus causa, nova propter variationem jurisdictionis, & ideò in illis terminis benè procedere potest prima opinio, quoties causa cœpta est cum defuncto, quia tota causa prævenia est in illo foro atque in illa jurisdictione, Et in his terminis loquuntur *Carleval. ubi suprà*, & alii qui possent allegari, quorum dictum neque est sine controversia, cum in terminis Clerici laico succedentis, etiam lite cœpta, in contrarium videatur opinio magis communis & recepta saltem apud Canonistas.

In casu autem nostro non diversificatur jurisdictio, neque forus, sed solùm contentio est de loco ad locum, & super ordine judicis ejusdem fori & jurisdictionis, propterea non videtur cur hujusmodi
16 privilegium denegandum veniat, cum in eo æque militet ratio, ob quam tale privilegium concessum fuit, nempè ut pupillus, vel alia persona miserabilis non trahatur extra Provinciam suam, ac possit facilius probationes facere, seu scripturas invenire, aliaque jura deducere, ut benè discurrunt *Gratian. dicta discept. 565. num. 74. & seq. Marchesan. par. 2. fol. 310. nu. 68. & seq. & alii allegati.*

Eoque magis prædicta procedere videntur de plano in casu de quo agitur, dùm privilegiatus non vult variare forum defuncti, neque uti jure speciali, sed instat conveniri in eo foro, in quo defunctus jure communi attento veniret conveniendus, &
17 sic allegat privilegium excipiendo, ac ad impediendum adversarium ne utatur jure speciali appellationis omisso medio, juxtà insignem *decis. Franch. 553.* quam hucusque non videmus impugnatam, illamque refert & sequitur *Novar. de elect. fori sect. 2. q. 3. in fin.*

Card. de Luc. de Jurisd. & foro comp.

Est enim certissima juris conclusio, quod non licet appellare omisso medio, etiam si ad Principem appelletur *l. Imperatores 21. ff. de appell. cum concordan.* de quibus latè *Scaac. de appell. quæst. 7. num. 1. & seq.* Quodque nemo invitus extra propriam Provinciam trahendus est.

Minusque refragatur, quod ista conclusio non procedit de jure Canonico, quo attento appellari potest omisso medio ad Papam, qui est Ordinarius Ordinariorum, quoniam omissa pro nunc inspectione, an ista limitatio procedat tantùm in causis Ecclesiasticis, in quibus appellatur ad Papam tanquam Papam & caput Ecclesiæ, non autem in causis prophanis, in quibus appellatur ad illum tanquam Principem temporalem, dum Papa hodie per seipsum causas non cognoscit; limitatio solum deservit, ad effectum substinendi appellationem, non autem ad aliud, nam regulariter parte instante solet Papa causas remittere ad partes ad Judices mediatos, ut post alios *Scacc. dict. q. 7. num. 47. in fin. 51. in fin. & 83. & 84.* Et sic res reducitur ad regulam juris, maximè accedente statuto particulari disponente appellationem gradatimesse faciendam.

Et licet multoties Papa, vel ipsius loco Signatura Justitiæ soleat, vel ob gravitatem causæ, vel ob aliàs rationes ejus arbitrio benè visas committere causam appellationis in Curia omisso medio, ut per *March. & alios locis cit.* Nihilominùs hoc est recedere à regulis generalibus juris, & devenire ad quoddam jus speciale, quod privilegiatus excipiendo impedire potest, etiam si sit hæres, quia ipse non utitur privilegio & jure speciali contrà alterum, sed solùm impedit nè concedatur illud alteri, ita ut causa tractetur in foro ordinario defuncti, & in quo regulariter, si defunctus vivert, causa tractanda veniret, & sic non deducitur privilegium tanquam privans legem, atque ut per illud recedatur à regulis juris, sed tanquam fovens legem, seu tanquam obstaculum ad impediendum, nè juris dispositioni derogetur, Adinstar concursus duorum privilegiatorum, quia privilegium unius operatur, nè illud alterius effectum sortiatur, sed juris dispositio servetur juxtà ejus regularem naturam & cursum, Et hanc censeo veritatem salvo &c. Ignotum autem est quid exindè sequutum sit, cum hoc fuerit de primis laboribus pro veritate ipso initio susceptæ advocationis in Curia.

ROMANA
SEU
IANVEN. REDDITIONIS RATIONUM
PRO
JOSEPHO MARIA SENAREGA,
CVM
COSTAGUTIS.

Casus disputatus in Signatura justitiæ & resolutus pro Senarega.

De foro in quo reddendæ sunt rationes, & an illæ activè vel passivè reddendæ sint in alio loco quàm illo gestæ administrationis ex privilegio *Eugenianæ* vel alio privilegio uni vel alteri competente; Et de

materia *l. diffamari, & l. si contendat &c.* quando intentans hujusmodi remedia, dicatur actor vel reus.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *Rationes sunt reddendæ in loco gestæ administrationis.*
3 *Ampliatur, ut isto casu non intret privilegium, unicæ &c.*
4 *De Engeniana quando locum habeat.*
5 *Hæres non declinat forum defuncti.*
6 *De remediis* l. diffamari, & l. si contendat, *& an differant inter se.*
7 *De effectibus quos producunt dicta remedia; vel eorum alterum.*
8 *Intentans dictum remedium an dicatur actor vel reus.*
9 *An laicus cum hoc remedio vocet Clericum ad forum suum.*
10 *Tutor non convenitur per pupillum ad reddendas rationes in eius foro, sed conveniendus est in foro proprio.*
11 *Declaratur dicta conclusio quomodo intelligenda.*
12 *An & quando intret æquitas ob quam rationes reddantur in alio loco quàm illo administrationis.*
13 *Quando intret unio rationne connexionis.*
14 *Vbi sunt plures administratores, unio facienda est in uno loco, in quo rationes reddantur.*

DISC. LXXIII.

ANno 1611. inita fuit societas bancaria in Civitate Januæ, inter Bartholomeum & Andream germanos fratres de Costis, sub ea conventione, quod pro rata librarum 140. m. administratio spectaret ad Andream, facienda in Civitate Lugduni, & pro libris 160. m. spectaret ad Bartholomeum facienda in eadem Civitate Januæ, ita tamen, quod, tàm utriusque sortis, quàm lucrorum & utilium, tres ex quatuor partibus essent Andreæ, ita ejus pecunias erogantis, quarta verò Bartholomei.

Utroque defuncto, Senarega hæres mediatus Andreæ judicium instituit contrà Costagutos hæredes pariter mediatos Bartholomæi in dicta Civitate Januæ pro redditione rationum administrationis, ut suprà ipsi injunctæ: Costaguti autem in Urbe domicilium habentes, duo ab A. C. monitoria obtinuerunt, quorum vigore curârunt Senaregæ inhiberi, nè judicium ut suprà cœptum prosequeretur, eosque non alibi quàm coram ipso A. C. conveniret, unum nempè vigore *Engeniana* concedentis Curialibus, nè extrà curiam trahi possint, neque coràm Judicibus de partibus conveniri; Alterum vero in vim *leg. diffamari ff. de ingenuis & & manumiss. seu leg. si contendat ff. de fideijussor.* ita se reos faciendo, in foro proprii domicilii conveniendos, Quare pro hujusmodi impedimentis removendis, cùm ita ex pluribus justis causis Senaregæ actori expediret, non obstante quod Magistratus Januæ hujusmodi inhibitiones non curaret, adita per istum Signatura Justitiæ, & assumpta desuper disputatione.

Pro hac parte scribens, fundatam absque dubio 2 dicebam ejus intentionem in regula *tex. in l. prima & 2. Cod. ubi de ratiociniis agi oporteat*, ubi firmatur, rationes reddendas esse in loco gestæ administrationis, cùm ibi facilius & plenius, tàm per testes, quàm per instrumenta, libros, aliasque legitimas probationes veritas haberi possit, ut firmant *Bart.* & cæteri ibidem de quibus *Burat. & adden. decis. 474. Carleval. de judiciis tom. 1. disput. 2, num. 168.* Idque adeò verum, quod licet ex privilegio *leg. unic. C. quando Imperator &c.* concedatur, pupillis, viduis, aliisque miserabilibus personis electio fori, ea tam en in præsenti denegatur, neque ita privilegiatus variare potest forum gestæ administrationis *Gratian. decis. 180 in addit. num. 6. & 7. Novar. de elect. fori par. 3. q. 34. n. 1. & per tot. Paschal. de patr. potestate par. 2. cap. 2. num. finali, Thorus in compend. decis.* verbo *rationes num. 2.*

Non negabant pro altera parte scribentes regu- 4
lam prædictam, sed confugiebant ad limitationes deductas ab uno ex dictis remediis, ut sup. intentatis, vel sc *Engenianæ*, vel ex *l. diffamari & l. si contendat*; De primo *Engenianæ* nulla penitus ratio habita fuit, ita ut, excepta prima in pluribus subsequentibus acerrimis disputationibus, ob aliquorũ votorũ discrepantiam, desuper habitis non fuerit amplius actum, Tùm quia illa non emanavit ad favorem omnium in Urbe commorantium, sed solum Curialium, quales isti non erant, ut ex *Marchisan. & aliis* habetur apud *Ridolphin. in praxi par. 3. cap 4. num. 156. & seqq.* Tùm etiam quia, si in hac materia non prodest privilegium *leg unic.* quod tanquam clausum in corpore Juris est absque dubio potentius, ac majoris efficaciæ ex deductis per *Franch. decis. 234. 364. & 553. Carleval. dicta disput. 2. num. 299 cum seq.* Multò minùs suffragari 5
poterat istud particulare Privilegium; Potissimè quia isti non conveniebantur ex persona propria, sed tanquam hæredes Bartholomæi, cujus forum ex privilegio speciali, & non clauso in corpore juris declinare non poterant juxtà terminos *text. in l. hæres absens ff. de judiciis, ubi Castren. & cæteri, de quibus Franch. in alleg. decis. 234. 364. & 553. Rouit decis. 174. n. 8. & 9. Carleval. dicta disput. 2. num. 288. cum seqq.* & de quo habetur actum *in Arelaten. pensionis hoc tit. disc. 86.*

Major igitur disputatio fuit super altero remedio, quod pro altera parte scribentes distinguebant, inter illud resultans *ex l. diffamari*, & alterum *ex l.* 6
si contendat, quasi quod istud esset altero pinguius & efficacius, quodque nostræ responsiones adversus unum, non suffragarentur adversus alterum; Verùm in hoc advertebam procedi cum aliquo æquivoco super hujusmodi remediorum differentia, cum solùm in eo consideretur, quod intentans remedium *leg. diffamari* cogitur agere in termino, quo elapso imponitur silentium, intentans verò illud *l. si contendat* cogitur statim agere, aliàs judicium procedit super exceptione; In reliquis autem in nihilo differunt, atque praxis recepit illa insimul cumulari solita esse, ut firmant *Soccin. cons. 94. nu. 6. post med. lib. 3. Cagnol. in leg. diffamari n. 5. in fin.*

Aliamque differentiam *ex Covarr. Carpan.* & aliis ponderat *Capic. Latr. consult. 114. num. 27.* quod scilicet in terminis *leg. diffamari* opus est probare jactantiam, quod in terminis *l. si contendat* non requiritur, verùm hæc differentia nullius remanere videtur considerationis, cùm probatio diffamationis non videatur esse in usu, præsertim, stante utriusque cumulatione, quam praxis servat.

Pro istorum autem remediorum qualitate dilu- 7
cidanda, ut ita evitarentur æquivoca, quæ apud aliquos magnam impressionem faciebant; Dicebam observandum *ex Soccino dicto cons. 94. num. 2. cum seqq. lib 3.* à quo cæteri moderniores desumpserunt, effectum hujusmodi remediorum in duobus tantùm

tantùm consistere, Primò nempè, quod stante regula, ut nemo invitus agere vel accusare cogatur &c. ista limitetur ex hujusmodi remediis seu eorum altero, dum ita etiam nolens agere cogitur, ac alias pati præjudicia ex suæ actionis neglecto experimento resultantia, ut per *Soccin. ubi suprà n.3.* atque hic est unus effectus; Alter verò, quod existentibus pluribus judicibus æque competentibus, de jure actoris est electio, coram quo reum convenire velit, licet enim actor forum rei sequi teneatur, attamen sufficit, quod illum conveniat coram judice competenti, data sibi electione, *ad text. in l. fin. Cod. ubi in rem actio, cap. cum sit generale de foro competent.* Hanc autem electionem, reus, ita præveniendo actorem, tollere potest, juxtà unam opionem, ab aliquibus etiam impugnatam, itaut præcipuus effectus hujusmodi remediorum in hac electione de actore in reum transferenda consistere videatur; Sed si de jure causa coram uno judice de sui natura tractanda est, tunc hujusmodi remedia per reum prævenivè intentata, possunt quidem operari primum effectum urgendi actorem ad ejus jura deducenda, itaut aliàs reo concedatur à iactatis molestationibus absolutoriam, suarumque exceptionum canonizationem obtinere, non autem ut ita judicis unicè competentis forus effugi valeat, & de quo solùm erat quæstio, Undè propterea in proposito, nullius operationis esse dicebam remedia hujusmodi, in quo tam magnum constituebatur fundamentum.

Allegabant pro altera parte scribentes *Capic. decis. 18. num. 4. Gratian. discept. 8. per tot. præsertim num. 16.* & alios ad probandum, quod intentans hujusmodi remedia, licèt quoad eorum intentationem esset actor, attamen quoad causæ substantiam sit reus, juxta veriorem opinionem, quam reprobato *Afflicto decis. 368.* tenent *Capic. & Gratian. ubi suprà, Vrsill. ad Afflict. ibid.* & alii apud *Muscatell. in praxi civili* verbo *Reus num. 12. cum seqq. ubi latè Pratus in addit. versic. ad quæstionem fol. 20. à tergo, Catheran. decis. 151. Cavaler. decis. 587. Rot. decis. 57. num. 31. & 32. par. 7. recent. Firmana beneficii 28. Aprilis 1659. coram Corro*, ex ea potissima ratione, quod idem debet esse judex causæ præparantis, qui est judex causæ præparatæ, ut per *Gratian. dicto num. 6.*

Verùm admittendo conclusionem, dicebam illam nil facere ad rem, quia potest quidem ille, qui 9 in substantia futurus esset reus, prævenire coram ipsiusmet rei judice actorem quamvis diversi fori; Ut de laico per hoc remedium *leg. diffamari*, vel *leg. si contendat* vocante ad forum laicalem clericum futurum actorem firmant allegati, & habetur *in Neapolitana donationis hoc eodem tit. disc. 62.* ubi conclusio declaratur, semper tamen retentis terminis competentiæ in hac facti specie cessantis, cum illa solùm adesse dicatur in pluribus æque competentibus judicibus loci gestæ administrationis, quorum respectu dicta remedia suffragari possent quoad electionem inter eos, ita ab actore in reum transeuntem.

10 Deducebant etiam auctoritates *Guttier. de tutel. p. 3. cap. 1. num. 126. Surd. de alim. tit. 1. quæst. 47. num. 10. Munoz. de ratiocin. cap. 7. num. 5.* ad probandum tutorem vel alium conventum ad reddendas rationes, non teneri respondere in foro pupilli, vel alterius hujusmodi redditionem peten- 11 tis, justeque per eum peti remissionem ad forum sui domicilii; Sed pariter hoc fundamentum videbatur nullius momenti, cum prædictæ auctoritates, ut ex earum lectura liquet, procedant, ubi ageretur de revidendis rationibus semel redditis; Pupillo etenim, vel alio cujus bona administrata sunt, prætendente redditionem jam factam esse erroneam, seu alias contra juris regulam rationes semel redditas, denuo reddendas esse, tunc debet convenire tutorem, vel administratorem in foro suo, neque hic tenetur extra proprios lares litem substinere super rationibus semel redditis; Vel etiam ubi administrator in loco gestæ administrationis pulsasset alteram partem ad recipiendam rationum redditionem, illaque in mora legitimè constituta discederet à loco, cum tunc ad eum denuò redire compellendus non esset, dummodò ut dictum est, mora legitimè ac bona fide contracta sit, ita ut non sit affectata cautela, ad fraudandam legis dispositionem.

Magnum item ac potissimum fundamentum, constituebatur per alteram partem *in decis. 13. Penæ,* 12 *& consil. 154. Simon. de Pret.* ad probandum quod saltem de æquitate pars offerens suo sumptu & periculo rationes reddere & justificare in proprio domicilio, cogenda non sit ad locum gestæ administrationis accedere, atque super hoc motivo major fuit hujus controversiæ difficultas; Replicabam tamen casum decisionis prædictæ esse in oppositum, quoniam in eo casu actor, cui rationes reddi debebant, & qui administratorem reum convenire poterat in loco gestæ administrationis, contentus erat eum convenire in loco domicilii ipsius rei, cujus oppositio calumniam sapere videbatur, dum id sibi commodius reddebatur, atque actor se exhibebat proprio sumptu, & periculo omnes libros & scripturas necessarias ad ipsum domicilii rei locum transportare, itaut ipsius actoris esset incommodum, non autem rei, ideoque rationabiliter firmatur in hoc actoris petitioni deferendum esse, saltem ex quadam non scripta æquitate; In præsenti autem res erat in oppositum, dum agebatur de trahendo actorem pupillum, cui juris regulæ, ac æquitas assistunt, extra proprios lares, unde esset dare æquitatem cum alterius præjudicio, ac iniquitate, quod omninò denegandum est, cum solum æquitati locus fiat, quando jus alterius partis non fiat deterius, itaut intret regula, *quod tibi non nocet &c.* Et fortius quia in Civitate Januæ, jam soluta erat quædam summa notabilis pro gabella, quæ ibi ob lites introductas solvitur.

Demùm, cum his disputationibus pendentibus, iidem rei pro redditione rationum administrationis gestæ per Andream in Civitate Lugdunen. tanquam actores, contra eundem Senatum regem ejusque patrem, & legitimum administratorem in Curia apprehensos judicium instituissent, dicebant ex hac ratione, dictam aliam causam in Curia quoque tractandam esse, Tum pro servanda æqualitate, dum ipsi molestare volentes alteram partem, ut rationes redderent in remotiori, & in commodiori loco, in Civitate scilicet Lugdunen. contentabantur eas recipere in Urbe, loco absque dubio commodiori; Tum & ratione connexionis causarum, & ne istarum continentia dividatur, allegando plene in id cumulata per *Salgad. in labyrint par. 1. cap. 3. cum seqq.* ubi de hac materia unionis causarum coram uno judice ob earum connexionem, seu præjudicialitatem occasione concursus creditorum super defecti debitoris patrimonio; Ac etiam deducendo spacialem dispositionem *tex. in l. omnis C. arbitr. tutela* cum concordan, per *Gratian. decis. 180. num. 5. cum seqq.* Verùm

leve fundamentum quoque videbatur, quoniam actores se promptos offerebant ad rationes reddendas in dicta Civitate Lugdunen. & non curabant eam oblatam commoditatem, quam constabat esse affectatam ad dictum alium nimis præjudicialem effectum.

Et quoad connexionem, dicebam hæc esse negotia merè distincta, nullam connexionem habentia, 13 itaut considerari non posset inconveniens, quod coram pluribus judicibus, super eodem puncto individuo, diversæ orirentur sententiæ, Minusque altera ratio, quod sententia lata in una causa faceret statum, seu exceptionem rei judicatæ in altera pareret, quæ sunt connexionis fundamenta; Et ulterius intrabat dilemma inevitabile, Quod aut ista negotia erant connexa, aut non, Si non erant, cessabant omnia præmissa, & si erant, tunc ista secunda causa remittenda quoque veniebat ad dictum forum Januæ, in quo altera causa prævenita erat; Et fortius dùm pro ejusdem fori competentia concurrebat etiam, quod ille esset locus originis, & domicilii contrahentium, ac etiam initi contractus.

Ad *tex. autem in l. omnes C. arbitr. tutelæ*, cum deductis *per Gratian dicta decis.* 180. respondebam 14 illum procedere, ubi una eademque tutela, sivè unum & idem negotium à pluribus personis diversi fori administratum fuit, ne scilicet contingat, pupillum vel alium, cujus bona administrata sunt, eamdem rationum redditionem coram diversis judicibus, & in diversis foris exigere debere, quod nil commune habet cum casu controversiæ; Et ex his, post magnam discussionem, ob aliquam votorum discrepantiam, cum justitiæ fundamento resolutum fuit, remittendan esse causam ad forum Januæ, uti sequutum fuit.

URBEVETANA.

FIDEICOMMISSI

PRO

CÆSARE FT ALIIS DE MAGALOTTIS

CUM

ALBINIA FALCONIA.

Casus variè decisus per Signaturam Justitiæ.

De connexione causarum, Et quando ad unum judicem, coram quo fideicommissum canonizatum est, remitti debeant omnes causæ concernentes bona fideicommissaria existentia penes diversos possessores. 5

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
Sententia & acta collusiva sunt invalida.
De Tribunali Signaturæ justitiæ, & quid agere possit.
4 *Causa universalis alicujus fideicommissi cognosci debet coram uno judice, coram quo omnes interessati trahi possunt, & de ratione.*
5 *Licet petitorium & possessorium sint judicia diversa, unus tamen debet esse utriusque judex.*
6 *Quando possessorium pendeat à petitorio, itaut judex causæ principalis trahat omnia judicia etiam possessoria.*
6 *An sententia lata cum uno, præjudicet alteri.*

DISC. LXXIV.

OBtinuerunt usque ab anno 1655. Cæsar & fratres de Magalottis canonizari ab A. C. fideicommis- 1
sum ordinatum per Cæsarem eorum ascendentem, ad eorum favorem purificatum, adversus aliquos creditores Scipionis & Angeli eorum patris, & patrui respectivè; Quibus peractis, obtentaque ab eodem A. C. inhibitione, ne super bonis quæ per sententiam declaratum fuerat ad dictum fideicommissum spectare, à quibuscumque creditoribus Scipionis & Angeli molestarentur, Cum iidem Cæsar & fratres quoddam prædium fideicommissarium dedissent in dotem sorori, contra istam, dicta Albinia tanquam eorumdem Angeli & Scipionis creditrix hypothecaria, judicium instituit in partibus in vim interdicti salviani; Cumque ad instantiam prædictorum fideicommissariorum, qui erant defensores necessarii, præsentata fuisset dicta inhibitio, cujus moderationem ab Albinia petitam, judex qui eam concesserat præviis pluribus formalibus disputationibus denegaverat, habito per eam recursu ad Signaturam, ista ex infrà dicendis in prima disputatione eam denegavit, in repropositione verò, recededo à decisis illam concessit, non quod de fundamentis ex parte fideicommissariorum deductis dubitaret, sed ex motivo collusionis, quod scilicet collusivè cum aliquibus satis factis vel posterioribus, & in modica summa dictum judicium super fideicommissi canonizatione coram A. C. tractatum esset.

Resolutio mihi pro fideicommissariis scribenti, ad veritatem reflectendo, non placuit, quamvis 2
etiam admitteretur probata collusio; Licet enim ex ista de jure resultet nullitas sententiæ ac totius processus, ita ut omnia gesta habeantur pro infectis ex deductis per *Merlin. dec* 13. adeò ut aliquorum opinio sit, sententiam collusivam, neque ipsis colludentibus nocere *Molina de primogen. lib. 4. cap. 8. num. 7. & seqq.* & cæteri deducti *per Fab. de Anna consil. 104. num. 12. & seqq.* Nihilominus adhuc ad ad eundem A. C. tanquam majorem Magistratum, seu ad alium superiorem spectare debere dicebam de hujusmodi collusione cognoscere, dictamque sententiam cum toto processu collusivam & invalidam declarare cum prorsus absonum esset, ut pedaneus judex inferior de partibus annullaret, seu tacitè spernendo circumscriberet sententiam Magistratus superioris.

Et licèt istud inconveniens, dicerent aliqui Votantes ex eo tolli, quod ita non per judicem in- 3
feriorem de partibus, sed per ipsam Signaturam, hujusmodi sententia annullata seu circumscripta remaneat, attamen ex hac ratione majus absurdum resultare dicebam, quod scilicèt ita esset judicare sine formali judicio cum suprema & absoluta potestate Principis, neglectis omnibus juris regulis exigentibus formalem collusionis probationem &

canoni-

canonizationem per alteram ſententiam, non autem cum ſimplicibus extrajudicialibus informationibus, quæ pro ſolo fumo in hoc Tribunali dari ſolent.

In puncto ſiquidem juris, certum dicebam, quod ubi fideicommiſſarius unum judicem competentem adivit, ibique judicium pro fidei commiſſi canonizatione ac bonorum fideicommiſſariorum vendicatione introduxit, coram eo debent comparere omnes, vel ſuper ejuſdem fideicommiſſi exiſtentia vel pertinentia, ſeu aliàs in bonis jus & intereſſe habentes, præſertim ubi talis judex eſt dignior aliis coram quibus deinde pulſatur, ut punctualiter *Bal. l. in fin. C. de edict. Diu Hadr. num. 54.* quem cæteri ſequuntur de quibus *Menoch. de adipiſcen. remed. 4. n um. 473. Peregrin. de fideic. articul. 48. numer. 68. & articul. 53. in principio* & habetur *in Mediolanen. & in Montis alti hoc eod. tit. diſc. 59. & 87.*

Quæ concluſio duplicem habet claram rationem, Unam nempè quod iniquum ac irrationabile eſſet, ut fideicommiſſarius qui pro canonizatione fideicommiſſi, legitimatione perſonarum, & identitate bonorum, coram uno judice, teſtamenta, inſtrumenta, & ſcripturas produxit, ac teſtes induxit, aliaſque probationes fecit, & proceſſus magno ſumptu compilavit, cogi deberet coram diverſis judicibus ad electionem plurium perſonarum eaſdem probationes facere, ac incommoda pati, quod eſſet impracticabile, ut in propoſito concurſus creditorum utſupra latè proſequitur *Salgad. in labyrint. par. 1. cap. 4. cum ſeqq.* Alteram verò potentiorem connexionis ſeu præjudicialitatis, cum ita dari poſſet, quod ſuper uno eodemque individuo puncto exiſtentiæ ſeu pertinentiæ fideicommiſſi, unus judex uno modo, alter altero eodem tempore judicaret, quod juris principiis repugnat, ut plenius in his quoque terminis fideicommiſſariis habetur in *dictis diſc. 59. & 87.*

Dicebant ſcribentes pro altera parte, iſtas rationes percutere judicium petitorii ſuper fideicommiſſi exiſtentia & pertinentia, non autem adaptari huic judicio merè poſſeſſorio, ex regulâ quod diverſum eſt judicium petitorii, ac illud poſſeſſorii, & non benè ex uno ad alterum infertur; 5 Verùm improbabile videbatur hoc fundamentum, Tùm quia hujuſmodi diſtinctio inter petitorium & poſſeſſorium, conſideratur quoad judicia quæ ſic diverſificantur, non autem quoad judicem, qui unus & idem debet eſſe utriuſque, ut ex claris verbis *text. in l. nulli C. de judic.* cæteris allegatis firmat *Rota deciſ. 666. num. 4. apud Poſt. de manut. in Piſaren. penſionis 29. Aprilis 1648. coram Bichio dec. 136. par. 10. rec.* & in aliis; Tum etiam quia id procedere non poteſt, quando poſſeſſorium pendet à petitorio, ita ut iſto refragante, illud competere non poſſit, utputa deducendo rem ad praxim; intentat creditor gravati adverſus ſucceſſorem poſſidentem bona per gravatum aliàs poſſeſſa, Salvianum ſeu aliud remedium rei perſecutorium, tanquam ad bona ſui debitoris, Excipit reus conventus & poſſeſſor 6 de fideicommiſſo, ex cujus purficatione, tanquam ex ceſſato jure debitoris hypotecantis, reſoluta eſt omnis hypotheca per eum contracta juxta terminos *text. in l. lex Vectigali*, Actor verò replicat, negando fideicommiſſi exiſtentiam, vel durationem ſeu bonorum pertinentiam, tunc reſolutio pendet à qualitate exceptionis, an illa ſcilicet ſit clara vel turbida, quia ſi eſt turbida, non impedit ſalvianum vel aliud ſimile remedium executivum ac privilegiatum non admittens exceptiones dubias & altioris indaginis ad petitorium rejiciendas, ſi verò eſt clara, tunc impedit, juxta diſtinctionem in his terminis ſpecialibus exceptionis fideicommiſſi impedire vel non impedire debentis ſalvianum ſæpius in Rota receptam præſertim *in Romana cenſus 10. Junii 1650. Celſo inter ſuas deciſ. 93. n. 4.* Undè cum hæc inſpectio peritneat ad Judicem, quoties unus qui eſt ſuperior, fideicommiſſum jam canonizavit per ſententiam, illud dicitur effectum clarum, neque in alterius judicis, præſertim inferioris libito, repoſitum eſſe debet dicere contrarium, cum ita reſultent de plano omnia jam dicta abſurda, & inconvenientia.

Setis inſiſtebant ſcribentes pro altera parte in regulâ generali deducta *ex text. in l. ſapè ff. de re judic.* ut ſententia lata cum uno, non præjudicet alteri, ſed replicabam hanc ſententiam non deduci 7 tanquam firmantem ſtatum incontrovertibilem, ac facientem jus, ita & taliter quod cæteris in eo judicio non auditis obſtaret, eo modo quo obſtaret auditis cum quibus lata eſt, ſed admittendo eos poſſe illam impugnare, ac petere contrarium determinari, id faciendum eſt, vel coram eodem vel coram iſtius ſuperiore in gradu appellationis, proſequendo tamen eamdem cauſam, eumdemque proceſſum, ex jam dictis abſurdis & inconvenientibus aliàs reſultantibus, Et hæc mihi per tramites juris videbatur veritas.

ROMANA

SEU SENEN. LEGATI

PRO

ALEXANDRO ET HIERONYMO DE MIGNANELLIS

CUM N.

Caſus diſputatus coram Iudicibus Senen. cum incerto exitu.

De fori competentia ratione rei ſitæ, quando intret contrà ipſius rei dominum & poſſeſſorem alibi domicilium habentem; Et aliqua de competentia fori ratione originis.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*

2 *Forus originis an procedat contrà abſentem.*

3 *Retentio antiquæ originis, domicilio ad alium loco translato ad quos effectus attendatur.*

4 *De foro rei ſitæ, & quando hic judex procedat contrà ejuſdem rei poſſeſſorem quamvis abſentem.*

DISC.

DISC. LXXV.

CArdinalis Mignanellus Senensis, qui mortua uxore, ex qua in constantia matrimonii aliquos filios susceperat, sequendo Romanam Curiam, ad apicem Cardinalatus devenit, ac laudabiliter in eo munere se gessit. Moriens in ejus testamento, inter cætera disposita, quamdam subventionem illis de familia præstari voluit, qui in patrio gymnasio studiis incumbere vellent, Cumque aliqui transversales de eadem familia, præfinita studentium loca pro hujusmodi legati assequutione occupasse prætenderent, ideoque coram Senensi Magistratu contrà prædicti Testatoris hæredes in Urbe, tam originem, quàm domicilium habentes judicium instituissent, pro dictæ subventionis consequutione ex fructibus quorumdam bonorum in eadem Senarum Civitate existentium, prædicti autem rei conventi declinantes forum, peterent causam remitti ad Curiam Romanam tanquam forum originis & domicilii, Atque hoc non obstante judex ordinarius causarum civilium ad sententiam diffinitivam actorum favore processisset, idcircò appellatione interposita ad eam Rotam, disputatio strictè assumpta fuit super dictæ sententiæ nullitate ex defectu jurisdictionis & ratione incompetentiæ, ex regula quod actor forum rei sequi tenetur, cum enim dicti hæredes rei conventi, tam ratione originis, ex quo à centum annis & ultrà ipsomet Cardinali vivente, eorum majores domum in Urbe fixerant, quàm etiam ratione eorum proprii domicilii, essent Cives Romani, atque in Urbe conditum esset testamentum, & existeret major pars assis hæreditarii, nulla ratio suberat ob quam foro Senensi subjacere deberent.

Replicantibus autem actoribus hujusmodi fori Senensis competentiam dupliciter intrare, Primò nempè ratione originis, ex quo successores Cardinalis quamvis in Urbe nunc viventes, originariè tamen essent Senenses, Et secundò fortius ratione rei sitæ, dum legati assecutionem ex fructibus bonorum ibi existentium petentium petebant, Cum ad hujus replicationis subsistentiam restricta esset difficultas ex parte dictorum de Mignanellis, consultus in forma discursiva ad veritatem eruendam dicebam.

Quod quicquid esset de originaria civilitate, quam & si tanquam excedentem avum impugnabilem ratione honorum, atque ex aliis convenientiæ motivis, controvertere non expediebat, adhuc tamen illa fictè potiùs quàm verè per alibi natos & viventes retinerè dicitur; Ideoque nullatenus operativa esse debet quoad forum, nisi ibi apprehendatur, cum nullo jure cautum videatur, judicem originis contra absentem alibi domicilium habentem 2 procedere posse, *glos. in l.* 1. verbo *muneribus Cod. de municipibus & originariis lib.* 10. *Bar. in l. assumptio* §. *filius num.* 2. *ff. ad municipal. Gaill. lib.* 2. *obser.* 36. *num.* 6. *cum seqq. Afflict. decis.* 384. *Carleval. de judiciis par.* 1. *disput.* 2. *num.* 63. *Capic. latr. consult.* 77. *in fine*, atque ita ubique practicatur.

Absurdum enim esset, ut plerique Hispani, Galli, vel Germani, qui in Urbe, vel aliis Italiæ civitatibus (ut frequenter videmus) uxores ducendo domicilium fixerunt, possent conveniri, ac lites substinere cogerentur coram eorum originariis magistratibus, longeque majus inconveniens esset, si huic incommodo subjacere deberent eorum filii vel descendentes, qui solùm originariam civilitatem per quamdam fictionem, ac solum honorificentiæ causa retinere profiterentur, cum solùm hujusmodi qualitas originis in moram alibi trahentibus, considerabilis videatur respectu illorum, qui accidentaliter in alio loco commorantes, patriam civilitatem verè animo retinent & continuant, ut in jure habetur de absentibus occasione officii, feudi, mercaturæ, militiæ & similium, quod frequenter practicamus in Januensibus, Florentinis, Bergomensibus, Lucensibus & aliis, ut in proposito deductum habetur *in Anconitana sub tit. de Regalibus discur.* 104. Secus autem ut dictum est, ubi originaria civilitas retinetur ad quamdam simplicem honorificentiam, contracto formiter domicilio in alia Civitate, cujus veros & fixos cives se profitentur, præsertim successores naturalem originem propriam & parentum habentes, Tunc enim ad effectum fori, dicebam nullatenus eam esse considerabilem, quamvis circumscripta alia competentia ratione rei sitæ de qua infrà, accidentaliter & ad breve tempus reversuri, præsentes essent in originaria Civitate, ibique apprehenderentur, quoties ut dictum est, præsentia esset accidentalis & more exteri transeuntis, seu occasionaliter in loco moram trahentis. 3

Major difficultas erat super alia competentia ratione rei sitæ; Quando autem Testator hujusmodi subventionem ex bonorum ibi existentium fructibus præstari disposuisset, nunc magnam habuissem difficultatem, Licèt enim plerique temperent dispositionem *text. in l. fin. Cod. ubi in rem actio* ex qua procedit forus ratione rei sitæ, ut procedat quatenus possessor bonorum apprehendatur in loco, vel saltem legitimè citetur in loco sui incolatus juxtà doctrinam *Castren. in eadem l. finali*, quam veriorem profitentur *Franchus dec.* 177 *num.* 5. *Barbos. in l. hæres absens* § *proindè in artic. de foro rei sitæ num.* 15. & 16. *Carleval. de judic. dicta disput.* 2. *num.* 149. *cum seqq.* Nihilominus ubi testatoris judicium concurrit, cum tunc tanquam ex legato ipsa bona hypotecata sint, proindeque judicium reale vel rei persecutorium competat, probabilius videri dicebam hujusmodi competentiam intrare absque dicta restrictiva seu necessitate apprehendendi vel citandi possessorem in loco sui domicilii, juxtà ea quæ in proposito assequutionis legatorum habentur *in Montis alti fideicommissi hoc eod. tit.* ubi de distinctione, an legatarius agat contrà hæredem actione personali vel reali &c. *ut disc.* 87. 4

Quod pariter procedere putabam, quamvis expressum Testatoris judicium non intercederet, sed tacitum & conjecturale resultans ex subjecta materia seu legati qualitate; Si enim Testator habens bona in loco propriæ patriæ vel domicilii, mandet ibi anniversarium fieri, seu subsidia dotalia, vel alias eleemosynas in eo loco singulis annis præstari, absonum videretur prætendere, quod hæredibus se absentantibus, atque in remotis regionibus domicilium eligentibus, cogerentur illi quibus hujusmodi distributiones faciendæ sunt, singulis annis possessores in loco sui incolatus citare; Ideoque cum possessor absens, atque bonorum possessionem in loco originis retinendo, procuratorem seu ministrum pro fructuum perceptione verisimiliter ibidem habeat, idcircò cum isto putabam rectè judicium instituì posse, quamvis mandatum ad negotia tantum, ac

œcono-

œconomica, non autem ad judicialia datum esset, quia hujusmodi onus bonis seu eorum fructibus inhærens, sub œconomica etiam administratione venire dicitur; Et si nullo deputato procuratore fructuum perceptionem negligat, nulla sibi injuria fieri dicitur, si judex rei sitæ eosdem fructus, juxta mentem Testatoris, qui fuit eorumdem bonorum dominus, legatariis applicet; Ideoque tunc judex rei sitæ contrà absentem incompetens verè dicendus est, quando agitur de judicio vel actione personali, quo casu locum non habet *tex. in d.l. finali C. ubi in rem actio*, solum procedens in actione reali vel in rem scripta *gloss. in l. forma* §. *verò ff. de de cenhsius, Bar. Castr. & cæteri in eadem l. finali, Franch. decis* 177. *num.* 1. *&* 389. *num.* 2. *Carleval. dicta disput.* 2. *num.* 151. *Rot. dec.* 305. *num.* 5. *par.* 5. *recent.*

Applicando igitur ad casum, ubi etiam Testator expresè non disposuisset, ex quibus bonis hoc subsidium præstari deberet, adhuc pro dicti fori competentia, ad veritatem reflectendo, Mihi probabilius primo aspectu respondendum videbatur, quia satis probabile est de illorum bonorum fructibus eum sensisse, cum subventio ibi studeribus præstanda esset; Verùm hæc præsumptio in parte cessabat ex facto, & dum Testator ad onera gravaverat pro medietate bona prædicta, seu eum ad quem jure primogenituræ illa obventura erant, & pro altera medietate possidentes bona in Urbe, contrà quos certa erat fori incompetentia; Sed adhuc dubitabam, an posset exindè dicta sententia dici nulla, quia stante competentia in parte respectu bonorum ibi existentium ut suprà, idcircò ob connexionem causæ, in qua disputatio erat, non circà solutionem præstationis, sed quibus ex pluribus concurrentibus debita esset, ille forus videbatur etiam respectu omnium competens, tam ratione præventionis, quàm loci in quo onus à Testatore præscriptum ad implendum erat, quæ omnia discurrebam motivando, & ad exitanda ingenia defensorum hujus partis, qui in dicta Civitate causam patrocinabantur, incertum tamen est quid sequutum sit.

ROMANA
VNIONIS CAVSARVM
PRO
BRUTO GOTIFREDO
CVM
FRANCISCO EJUS FRATRE.

Casus disputatus in Signatura Gratiæ, & resolutus pro Bruto.

An & quando sit locus unioni causarum, illas à pluribus judicibus avocando, & uni committendo.

SVMMARIVM.

1 *Addi seriù.*
2 *Ob suspicionem calumniæ etiam legitimæ exceptiones rejiciendæ sunt.*
3 *Quando dictæ suspicio adesse dicatur.*
4 *Unio causarum petenda est in principio, non quando illæ diu agitatæ & instructæ sunt.*
5 *Quando causæ dicantur connexæ, ita ut intret continentia.*
6 *Conjunctio sanguinis an sit justa causa unionis causarum.*
7 *Ex communione bonorum paternorum & maternorum non infertur ad universalem.*

DISCURSUS LXXVI.

POstquam Franciscus & Brutus germani fratres de Gotifredis communium parentum successores, in paternorum & maternorum bonorum communione in eadem domo & mensa per aliquod notabile tempus vixerant, aliquibus exortis discordiis, ob quas Brutus à communi domo discessit, plures inter eos excitatæ fuerunt lites, tam in Rota quàm coram A. C. & in foro Capitolino, illisque diu agitatis, dum eorum aliquæ essent in expeditione, Franciscus Signaturam Gratiæ adiit, petendo pro bono pacis, ex eo quod ageretur inter fratres, omnes hujusmodi causas coram uno judice uniri, à reliquis avocando, ne per tot Tribunalia utrumque gravibus expensis & incommodis vexari amplius contingeret, cui petioni se opponente Bruto, qui in omnibus actor vacuis manibus litigabat. 1

Pro isto scribens, cum sensu etiam veritatis (quam etiam agnovit Signatura nil rescribendo) dicebam rejiciendam esse petitionem utpotè injustam, ac stantibus facti circumstantiis, non ab aliqua suspicione alienam, ut id ad defatigandum & prottahendum in longum fieret, quo casu exceptiones seu petitiones, quamvis aliàs canonicæ & legitimæ rejiciendæ sunt *ad text. in l. satis apertè Cod. de falsis, bona glos. in cap. super eo* verbo *tenebit, de offic. deleg. Barbatia cons.* 1 *&* 3. *vol.* 3. *Freccia de præsentatione instrumentorum par.* 8. *quæst.* 2 *num.* 66. & est quotidianum in Curia, præsertim in Rota in terminis remissoriæ ex isto capite suspicatæ calumniæ passim denegari solitæ, quamvis aliàs tali suspicione cassante concedenda veniret. 2

Dicta verò suspicio sæpius, præter principalium intentionem, à causidicis proveniens, evidenter resultare videbatur attento quod inter eos acriter litigatum fuerat per sex annos, & nihilominus petitor non curaverat de hujusmodi unione in principio, illam post tam diurnam litem petendo, exeo quod ferè omnes causæ in quibus ipse erat reus & possessor, reperirentur jam instructæ & in limine expeditionis cum hoc diverticulo impedienæ, ut in specie denegandæ remissoriæ & præsumptæ calumniæ ex hac circumstantia causæ diu agitatæ ac remissoriæ petitæ post causam instructam, neglectæ verò in principio habetur *decis.* 223. *num.* 2. *& seqq. par.* 9. *recent.* & in aliis frequentissimè, cum sit materia quotidiana. 3

Et in his specialibus terminis unionis causarum etiam ex capite connexionis ac exceptionis, ne earum continentia dividatur, quod opponatur solùm in principio, non autem postquam diu litigatum fuit, & multò minus post causas instructas firmant communiter *DD. in l. nulli C. de judic. præcipuè* 4

jas.

Jaſ. num. 6. Cravett. conſ. 60. num. 5. Macheſan. de commiſſ. ſuper union. cauſarum num. 4. par. 2. fol. 249.

Clarius quia ceſſabat ratio ob quam ad cauſarum unionem deveniri ſolet, ubi ſcilicet eſſent ita connexæ, atque ab uno eodemque fonte emanantes, ut cognitio unius ad cognitionem alterius conferret, ſeu ſententia lata in una eſſet alteri præjudicialis, aut contradictionem parere poſſet cum ea per alterum judicem ferenda, ut contingere ſolet in concurſu plurium creditorum in bonis ejuſdem debitoris, ſeu in concurſu plurium ad eandem hæreditatem vel ſucceſſionem, cum ſimilibus *ad not. per DD. in d. l. nulli* ubi benè præſertim *Jaſ. num. 3. Marcheſan. loco cit. num. 2. & 3. Menoch. de arbitrar. caſu 371.* Secus autem ubi inter duas perſonas plures adeſſent lites ex diverſis cauſis & obligationibus procedentes, quia ſola identitas perſonarum de jure non cauſat continentiam cauſarum illarumque unionem non exigit.

Motivum autem convenientiæ, ex eo quod ageretur inter fratres, quamvis in rigoroſa juris cenſura non legale, adhuc tamen congruum fuiſſet, quando ſincerè & bona fide ab initio illud deductum eſſet, quodque non adeſſet circumſtantia inæqualiratis, dum petitor erat reus & poſſeſſor, undè potius reſultabat ſuſpicio, quod ita reus ſub hoc ſpecioſo prætextu in poſſeſſione ſe confovere vellet, atque actorem manibus vacuis litigantem defatigare.

Alterùm deducebatur præcipuum fundamentum connexionis ex communione omnium bonorum, ex qua proindè tanquam ex unico fonte omnes cauſæ dependerent, inſimul connexionem habentes ratione diviſionis inter eos faciendæ, Verùm iſta communio negabatur in facto, cum ejus requiſita non juſtificarentur, atque ex ſola communione bonorum paternorum & maternorum non infertur ad illam omnium bonorum *l. ſi fratres ff. pro ſocio l. ex fratre §. filius ff. famil. erciſ. Mantic. de tacit. lib. 6. tit 10. num. 9. Gratian. diſcept. 993. Buratt. deciſ. 397. & 467 plenè Rot. deciſ. 129. par. 10. recent.* Ideoque cum juſtitiæ fundamento petitio rejecta fuit.

FULGINATEN.

SEU

SPOLETANA

PRO

LAURENTIO MAGNANO

CUM N.

Caſus diſputatus coram Præfecto Signaturæ Juſtitiæ.

Quando cauſa civilis præjudicet criminali, ita ut unus judex alteri inhibeat, ne in criminali procedi valeat, donec terminetur civilis.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*

2 *Ubi pro eadem cauſa duæ competunt actiones civilis & criminalis alternativè, ita ut unius electio aliam tollat, electio civilis non impedit judicem ut ex officio procedat etiam criminaliter.*

3 *Ubi vero utraque actio copulativè competit, & criminalis pendet ab exitu civilis, tunc eſt ſuperſedendum in una, donec terminetur altera.*

DISC. LXXVII.

Diſſoluto matrimonio per mortem mulieris abſque filiis, factoque proindè caſu reſtitutionis, retento lucro, quod ad formam ſtatuti erat in tertia parte, deventum eſt ad concordiam, inter Magnanum virum, & dotantes, ſeu mulieris hæredes, quibus reſtitutio dotis facienda erat per apocam privatam, per quam bona dotalia certis conventis modis diviſa fuerunt; Cum autem tractu temporis altera pars dictam conventionem impugnare vellet, atque aliquorum bonorum dotalium reſtitutionem à viro peteret, Hinc introducta cauſa coram A.C. productaque ex parte viri dictæ conventionis apoca, cum altera pars citata, juxta ſtylum, ad eam recognoſcendam eſſet contumax, judex decrevit eam haberi pro recognita, deindeque reo convento per ſententiam diffinitivam dedit abſolutoriam, à qua interpoſita fuit per ſuccumbentem appellatio, qua pendente coram judice, cui cauſa hujuſmodi commiſſa erat, idem appellans coram eodem A.C. in criminalibus querelam contra victorem porrexit de falſitate apocæ prædictæ, undè judice criminali procedente in cauſa, habitus fuit recurſus ad Signaturæ juſtitiæ Præfectum, ut cauſam remitteret judici civili, eique reſcriberet quod inhibeat criminali, donec dictæ civilis cauſæ exitus ſequeretur; Verùm ſe opponente accuſatore, Præfectus pro iſto inclinabat, ex eo quod aliàs delicta remanerent impunita, ideoque ubi etiam ipſa pars ex intentatione actionis civilis ſibi præjudicaſſet, impeditus non videatur Princeps, cujus partes impleat Signaturæ Præfectus, vel etiam alter ſupremus Magiſtratus, ex officio pro bono publico mandare judici criminali, ut ad criminis cognitionem & punitionem procedat.

Pro quærelato ſcribens dicebam, quod aliud eſt agere, an cauſa civilis ſit omninò præjudicialis criminali quoad ſubſtantiam ſeu deficientiam actionis, quod ſcilicet, per illam civiliter intentatam, non poſſit amplius intentari criminalis, quæ per electionem alterius omninò ceſſet, ut contingit in actione injuriarum, vel ſimilibus, in quibus una ex duabus actionibus alternativè competit, undè per electionem unius ceſſat altera, ex deductis *per Theſaur. deciſ. 18. Galeot. lib. 2. contr. 57.* & alios apud eos; Et tunc licèt quoad partem, per hujuſmodi electionem præcluſa ſit alia via, nihilominus præcluſum non videtur arbitrium Principis, vel ſupremi Magiſtratus, pro bono publico, & ne delicta remaneant impunita, quoties facti circumſtantiæ juſtam cauſam ſuppeditare videntur, demandare

mandare judici criminali, ut etiam procedat, Atque in his terminis procedere dicebam aliqua exempla, quæ in proposito adducebantur ad praxim probandam.

Aliud verò est agere de eadem præjudicialitate, non circà substantiam actionis criminalis quæ cumulativè competat cum civili, sed ad solum effectum ordinis, seu impediendi ad tempus ejus exercitium, expectando scilicet exitum causæ civilis, à quo pendeat, an adsit delictum nec ne, Et tunc quoties judex civilis prævenit, rectè hic inhibet criminali, non ratione cessantis unius actionis ob electionem alterius, sed ratione evitandæ contrarietatis, ne scilicet contingat super una eademque scriptura vel re per diversos judices diversas vel contrarias sententias proferri, quia unus declaret scripturam veram & legitimam, alter vero falsam & illegitimam. 3

In hoc autem secundo casu non urget ratio publici boni, & ne delicta remaneant impunita, quoniam non est tollere, sed solum differre punitionem delicti, quatenus istud in causæ civilis discussione adesse comperiatur, ut cæteris allegatis *Farin. quæst. 100. par. 2.* & sæpius firmavit *Rota præsertim apud Cavaler. decis. 98. 443. 475. & 530. Baratt. decis. 34. & 944. decis. 274. par. 9 recent.* & habetur examinatum in Romana testamenti pro Magno & consortibus hoc *eodem tit. disc. 79.* Et si hoc procedit, ubi solum causa civilis est præventa, multò magis, ubi non solum adest simplex præventio, rigorosè resultans ex quadam majori diligentia unius partis, sed illa oritur ex formali judicio per utramque partem agitato, & jam sopito, Aliàs enim nimis lata via calumniis aperiretur, si succumbentibus licitum esset post contrariam sententiam reportatam, ac introductam causam appellationis victores quærelare, atque per hujusmodi indirectam viam collitigantem victorem defatigare, judicatum eludendo, quod nimium esset justitiæ ac Reipublicæ præjudiciale, quoniam ista in Curia vulgò dicitur *cautela Bernini*, uptotè ab eo ingeniosissimo viro in scenis ad objurgandum hunc abusum insinuata.

ROMANA

PENSIONIS DOMUS PRO BRUTO GOTIFREDO CUM BALASSO NALDO.

Casus disputatus in Signatura gratiæ & resolutus pro Bruto,

De foro militari, an & quando intret, & quis dicatur judex militum, Et quando milites conveniri possint coram judicibus ordinariis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Miles potest renunciare foro militari & prorogare jurisdictionem judicis ordinarii.*
3 *Refertur opinio contraria, sed refellitur.*
4 *Procedit clarius prima opinio ubi causa cœpta est ante militiam.*
5 *Item ubi miles non est in castris sed in Civitate, quia tunc non intrat forus militaris.*
6 *Vel ubi non adest judex particularis militum.*
7 *Sive ubi causa non concernit res militares.*
8 *De exceptione hostica.*

Card. de Luc. de jurisd. & Foro Compet.

DISC. LXXVIII.

PUlsante Gotifredo Naldum in foro Capitolino pro pensionibus domus atq; reo tanquam forense recusante illum forum, causa introducta fuit coram A. C. eaque pendente, ob superventum officium militare, curavit reus per Cameræ Clericum tunc armorum Commissarium, & provisorem causam reassumi, inhibendo A. C. ne in ea se ingereret; undè habito per Actorem recursu ad plenam Signaturam gratiæ, atque assumpta desuper disputatione. 1

Pro Actore scribens, cum sensu etiam veritatis, dicebam rescribendum esse pro remissione causæ ad A. C. coram quo jam introducta erat, & pendebat, ex solo facto, absque necessitate assumendi juris inspectionem, stante consensu in jurisdictionem, cum possit miles ejus foro renunciare, atque ordinarii judicis jurisdictionem prorogare *ad text. in l. si quis conscribendo Cod. de pactis ubi glos. & DD. de quibus post Ayalam de jure belli & alios Guttier. de juramento par. 1. cap. 16. Capoblanc. de Baron. tom. 2. cap. 56. num 5. & 7. Rovit. in pragm. 1. de militibus numer. 43.* 2

Et quamvis *Chrispoltus de re milit. casu 31. nu. 13.* alios referendo dicat, huic privilegio renunciari non posse, ejus tamen dictum nullatenus in proposito attendendum esse dicebam, Tum quia in contrarium obstat tex. clarus cum quo communiter procedunt DD. ut supra; Tum etiam quia conconstat de ejus æquivoco, dum ad id probandum plures adducit auctoritates loquentes in terminis clericorum & similium non renunciantium eorum foro, cum id concernat præjudicium totius ordinis; Ideoque advertebam in proposito id solum applicari posse militibus illarum militiarum, quæ unum corpus, si non religiosum, saltem Ecclesiasticum constituunt, foro Ecclesiastico, adinstar clericorum, gaudentes; prout sunt milites Sancti Joannis Hierosolymitani, & secundùm unam opinionem illi Sancti Jacobi de Spatà, de Calatrava, de Alcantara, Sanctorum Mauritii & Lazari, S. Stephani & similes de quibus *in Lucana hoc eodem tit. disc. 92.* ut in specie advertit *Rovit. dicta pragm. 11. num. 44.* 3

Clarius triplici circumstantia in proposito concurrente, una nempè quod præsens causa cœpta erat antè assumptam militiam, cujus superveniendo non tollere prosequutionem causæ cœptæ coram judice ordinario est *tex. expressus in l. si quis postea 7. ff. de judiciis ubi Bar.* & cæteri communiter, & in terminis *Barbos. num. 110. Chrispolt. de re milit. casu 32.* Altera, quod iste miles non erat actu in castris, vel in exercitu, sed in Civitate more aliorum privatorum, undè propterea non videbatur à judice ordinario loci exemptus, ut ita distinguendo passim recepta videtur distinctio conciliativa dissidentium opinionum in ea quæstione, an milites nostri temporis gaudeant privilegiis militaribus, & occasione testamenti more militari ordinati habetur *in Romana testamenti 22. Maii 1656. coram Cerro post Zuffum de legitim. proces. dec. 27.* Atque comprobari dicebam ex privilegiis per Sedem Apostolicam concessis militibus, dum in uno capitulo disponitur, quod si 4 5

milites invicem rixantes seu aliàs delinquentes, intrà triduum ab eorum Duce vel judice non puniantur, possint à judicibus ordinariis puniri, Ergò supponitur habilitas & competentia saltem habitualis judicis ordinarii, qui sicuti ex negligentia judicis particularis militum, talem jurisdictionem exercere potest, & competentiam obtinere, ita non videtur, cur non sit ex consensu prorogabilis.

Quod etiam clarius comprobari dicebam ex ipsa facti observantia, quia ubi milites sunt in expeditione, seu in exercitu & castris, eorum Duci datur Assessor seu Auditor, qui causas militares cognoscat, quale munus exercuit *Chrispoltus*, qui ea occasione illum tractatum composuit; in Urbe
6 autem vel aliis Civitatibus iste judex vel Assessor non adest, neque Duci militum in Urbe existenti conceditur Tribunal habere, præterquam in milites præsidiarios, vel alios qui in ipsamet Urbe, vel aliis Civitatibus militiæ principaliter addicti pro toto tempore eorum vitæ illi exercitio incumbunt, quamvis essent in Civitate, ut ultrà præsidiarios, sunt milites destinati ad custodiam Papæ, & similes.

Et licet adesset in Urbe unus ex Cameræ Clericis armorum commissarius & provisor, qui per alteram partem dicebatur judex ordinarius militum, hoc tamen negabam, quia nullibi constabat huic commissario talem jurisdictionem concessum esse; De jure autem jurisdictio residere dicitur, vel penes Ducem belli, vel penes Magistum militum, ad *text. in l. magister C. de jurisd. omn. judic. & l. fin. Cod. de erogat. militaris annonæ lib.* 12. cum concordantibus; Stant enim benè simul, istum Prælatum esse provisorem & commissarium armorum, pro parandis iis quæ ad exercitum providendum sunt necessaria, & tamen non esse judicem militum, Ut in jure habemus, Præfectos annonæ militaris, diversos à Ducibus vel Magistris militum, atque ita docet observantia, quod in Urbe respectu præsidiariorum & aliorum qui, ut supra, semper in militia esse dicuntur, jurisdictio exercetur per sanctæ Romanæ Ecclesiæ Capitaneum Generalem ejusque Assessorem seu Auditorem, & dum sunt in expeditione, fit specialis deputatio Auditoris exercitus, igitur huic provisori seu commissario, jurisdictionalia demandata non sunt, nisi quoad concernentia suum munus, pro quo explendo, admittebam sibi jurisdictionem competere, ad instar jurisdictionis competentis Præfectis Annonæ, & grasciæ cum similibus.

Demum omnem difficultatem in proposito cessare dicebam, quod in præsenti agebatur de materia non pertinente ad militiam, vel à causa
7 militari dependente, sed de re urbana & merè privata, quo casu, præsertim in civilibus, & extrà personalem districtionem, milites non gaudent exemptione fori, sed judici ordinario subsunt ad *text. in l. unic. C. in quibus causis milites, ubi Bal. Castren. & cæteri de quibus Capobl. de Baron. to.* 1 *pragm.* 8. *par.* 2. *num.* 180. *& tom.* 2. *c.* 56. *num.* 9 *benè Aponte de potestate Proreg. tit. de assensibus Regiis* §. 7. *num.* 18. *& 42* Quod etiam apertè probari dicebam ex privilegiis concessis militibus *cap.* 17. ubi mandatur, quod milites non possint molestari à judicibus ordinariis pro causis civilibus de tempore quo stabunt in servitio actuali, & per octo dies postea, Quod privilegium continere videtur speciem illius exceptionis
8 hosticæ, quam in utriusque Siciliæ Regnis habemus per Constitutionem incipien. *Hostici exceptionem*, de qua latè *Grass. de except. in prælud. num.* 175. & cæteri, ex hoc enim privilegio comprobata seu præsuppositа remanet competentia judicum ordinariorum in causis civilibus militum pro tempore quo non sunt in actuali servitio, multò magis omnibus dictis circumstantiis insimul ponderatis, Atque ita cum justitiæ fundamento resolutum fuit remittendo causam ad A.C.

ROMANA TESTAMENTI

PRO FRANCISCO MAGNO, ET COHÆREDIBUS.

CUM CAROLO MUTIO.

Casus disputatus in Signatura Justitiæ, & resolutus pro Magno, & consortibus.

Causa civilis quando præjudicet criminali, ut judex civilis inhibeat criminali ut alterius causæ exitum expectet; Et an & quando per testatoris inductionem ad testandum ad ejus favorem intrare dicatur delictum, & agi possit criminaliter; Et de judice criminali non habente jurisdictionem in civilibus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An quis teneatur comparere coràm eo judice in competenti, qui esset talis ratione loci delicti.*
3 *Judex criminalis non habet jurisdictionem in causis merè civilibus.*
4 *Consensus partium non potest facere competentem illum judicem, qui nullam habet competentiam vel jurisdictionem.*
5 *Ubi delictum vel criminalitas pendet à puncto civili, ita ut uterque judex respectivè possit cognoscere, quid agendum sit.*
6 *An & quando intret criminalitas & delictum punibile ob inductionem alterius ad testandum.*
7 *Hæres non punitur criminaliter ob infidele inventarium.*
8 *De praxi Curiæ in materia testamentorum remittendi causas ad judicem civilem.*
9 *Prævention an & quando attendi debeat.*

DISC. LXXIX.

VERONICA Martina luminibus orbata testamentum cum solemnitatibus præscriptis in testamentis cæcorum per *text.* 1
in l. hac consultissima, testamentum condidit, in quo pro dimidia hæredem instituit Carolum Mutium ex sorore nepotem

nepotem aliàs ab inteſtato in tertia ſucceſſurum, quem in priori teſtamento hæredem univerſalem ſcripſerat, pro alia verò dimidia, Franciſcum Magnum in Curia cauſarum patronum, duoſque alios ejus benevolos, quod ægreferens dictus Mutius, præfatos teſtamentarios, qui jam coram A.C. in civilibus petierant hæredes declerari, atque ad bonorum poſſeſſionem immitti, quærelavit coram eodem A.C. in criminalibus de ſeductione, quodque doloſè ac malis artibus dictam mulierem ad ita teſtandum induxerint, undè judice criminali fortè nimis aſperè in cauſa procedente, per dictos quærelatos adita fuit Signatura juſtitiæ, ac petitum, ut ſtante præventione cauſæ coram judice civili, reſcriberetur, quod hic inhibeat criminali, ne in cauſa procedat, donec ab iſto civiliter, factis hinc indè probationibus, ſententiaretur ſuper validitate vel nullitate teſtamenti; Aſſumptaque deſuper diſputatione, cum ex parte quærelantis prætenderetur conſenſus in juriſdictionem judicis criminalis, ejuſque proinde juriſdictionem prorogatam eſſe, atque juxtà conſuetum abuſum æquivocando, multæ per ſcribentes pro dicto quærelante cumularentur auctoritates de materia agentes in terminis tamen diverſis, Idcircò pro dilucidanda veritate, tollendiſque æquivocis, ſcribens pro teſtamentariis quærelatis, tres caſus dicebam mihi videri in proposito diſtinguendos eſſe.

Primus eſt, ubi quis citatur coram judice aliàs incompetenti, qui ſe competentem prætendat ratione commiſſi delicti in ejus territorio, ſeu ex alia 2 cauſa accidentali, quæ ſibi competentiam tribuat, Et tunc tenetur citatus coram eo comparere, atque incompetentiam juſtificare, quod pendet ab eo, an delictum commiſſum ſit nec ne, & hoc ab ipſo judice videndum eſt, juxtà doctrinam *Bar. in l. 2. numer. 7 ff. ſi quis in jus vocatus &c.* atque in his terminis loquuntur pleræque auctoritates, quæ ex parte accuſatoris, deducebantur, quas dicebam examinandas non eſſe utpotè à quæſtione omninò extraneas, & conſequenter de eis nulla habenda erat ratio.

Alter caſus eſt, ubi cauſa de qua quæſtio, eſt merè civilis, itaut in continenti conſtet criminalitatem in genere nullatenus intrare, quia nempè id pendeat à puncto juris, ut eſt caſus *dec. 10 §. poſt Merlin. de pignor.* de hærede non accuſando 3 nec puniendo de crimine expilatæ hæreditatis, cum ſimilibus, quia tunc ceſſante criminalitate in genere, dicitur ceſſare juriſdictio judicis criminalis in ſubſtantia, cum hic nullam habeat in cauſis civilibus juriſdictionem ad *text. in l ſolemus §. latruncular ff de judiciis, Menoch. de arbitr. quæſt. 82. num. 6. & 7. Farin. conſil. 40. num. 26. & conſil. 37. num. 1. Vermigliol. conſ. 245. num. 1. Guazz. in defenſ. 1. cap. 12 Creſcent. deciſ. 5. de judiciis Rot. deciſ. 55. in princip. poſt ſecundum vol. conſil. Farinacc.* Et tunc non intrat inſpectio, an inquiſitus commiſerit nec ne delictum juxta caſum præcedentem, quia ceſſante criminalitate in genere, ceſſat ejus juriſdictio in radice, atque cauſa dicitur extra illud genus, quod ſuæ juriſdictioni commiſſum eſt, undè remanet ho- 4 mo merè privatus, & conſequenter partium conſenſus, ubi etiam adeſſet nil operari poſſet, *quia privatorum conſenſus judicem non facit eum, qui nulli præeſt judicio.* ſunt verba præciſa textus *in l. 3. C. de juriſdict. omn. judic.* Per quem textum communis, ac recepta concluſio eſt, quod ubi nulla adeſt juriſdictio, vel ea ad certum cauſarum genus eſt limita-

ta, tunc non eſt ex partium conſenſu prorogabilis *Aretin. conſil. 137. num. 16. Vermigliol. conſ. 140. num. 12. & 168. num. 4. Surd. deciſ. 88. num. 3. Adden. ad Gregor. deciſ. 118. circà fin. late Carleval. de judic. tom. 1. num. 1169. & ſeqq. ubi cæteri.*

Tertius demum caſus eſt, ubi eſt dubium, an cauſa dici poſſit civilis tantùm, vel intret etiam criminalitas, quæ pendeat à cognitione & exitu cauſæ civilis, quia nempè ex probationibus in ea factis in- 5 ſpiciendum ſit, an concurrat circumſtantia talis, quæ criminalitatem inducat, & tunc utraq; cauſa coram utroq; judice introducta, non intrat omnimoda avocatio à judice criminali, ut in caſu præcedenti ob omnimodam incompetentiam & carentiam juriſdictionis intrare debet, ſed ſolùm intrat quidam ordo præpoſterationis, quia nempè remanente cauſa criminali penes judicem criminalem, huic ſolùm demanda eſt ſuſpenſio, quodque expectare debeat exitum cauſæ civilis, cum ab iſto pendeat, an adſit delictum, ac intret, nec ne criminalitas, undè ſimultaneus utriuſque judicis concurſus dicitur incompatibilis, ob inconveniens quod aliàs reſultare poſſet, quod ſuper eodem individuo puncto, unus uno modo, alter altero judicaret, quia judex civilis declarare poſſet teſtamentum validum, criminalis verò illud malis artibus extortum, ut benè habetur apud *Peniam. dec. 118. juxta impreſſ. Lugdunen.* ubi bona additio magiſtralis *Epiſcopi Barbaſtren.*

In hoc ultimo caſu nos verſari dicebam, quoniam in eo puncto, an adverſus inducentem ad 6 teſtandum ad ſui favorem intret nec ne criminalitas, communis reſolutio eſt, id pendere à facti circumſtantiis, an ſcilicet adſit formalis violentia, vel etiam dolus verus cum falſis & mendacibus ſuggeſtionibus, teſtatoris animum aliàs excludentibus, ſecus ſi concurrant ſolùm blanditiæ & ſuaſiones, cum quibus licitum eſt teſtatorem inducere ad teſtandum ad ſui favorem, quamvis actus contineat alterius præjudicium, cum attendatur id quod principaliter agitur, ut reprobata opinione *Angeli & Soccini* benè firmant *Jaſ. in l. finali n. 5 Cod. ſi quis aliquem &c. Peregr. de jure fiſci lib. 2 tit. 6. nu. 12. Gratian. diſcept. 659. num. 8. cum ſeqq. Caſtill. lib. 3. controv. cap. 1. num. 186 cum ſeqq. & lib. 4. cap. 22. nu. 127.* cum aliis in hac eadem cauſa in ſua materia *ſub tit. de teſtamentis.*

Quinimò, ettam ſi actus dici poſſet doloſus, ex dolo tamen præſumpto & jure damnato, itaut invalidaret teſtamentum, non inde tamen pernecceſſè ſequitur intrare criminalitatem, quia poſſunt ſimul ſtare, teſtamentum eſſe invalidum, & tamen actum non eſſe criminaliter punibilem, cum ad effectum criminis punibilis, requiratur dolus verus, cum mendaci, & poſitivè falſa ſuggeſtione, ut benè advertit *Rota deciſ 299. num. 4. & ſeqq. poſt. ſecundum vol. conſil. Farinacc.* proindeque ſpectandum omninò dicebam exitum cauſæ civilis, ex cujus actis & probationibus deſumi poterat, an actus eſſet ita malè geſtus, & cum talibus circumſtantiis, quod intraret delictum punibile, quatenus judex civilis declararet teſtamentum invalidum, ac malis artibus extortum, quia ſi declararet validum, tunc caſus eſſet indubitatus, quod judicis criminalis juriſdictio omninò abeſſet.

Licet enim *Angel. in l. fin. Cod. ſi quis aliquem teſtari prohibuerit*, quem omnium latius & melius reaſſumit *Menoch. de arbitrar. caſu 395. num. 41. cum ſeqq.* dicar ex ſuggeſtionibus reſultare actionem de dolo, Attamen admiſſa etiam ex abundanti tali

doctrina (licet magis communiter rejecta, quoties non agitur de suggestionibus cum mendacio & falsitate) ut in hac eadem causa in dicta sua materia *sub tit. de testamentis.*

Adhuc tamen rectè simul stare possunt, actum esse talem quod producat civiliter actionem de dolo, ad effectus civiles indè resultantes, & tamen 7 non intrare crimen punibile, ut in proposito habetur de hærede non benè & fideliter describente bona hæreditaria in inventario, quia dicitur dolosus, atque contrà eum datur actio de dolo, sed non per hoc potest criminaliter puniri, ut *dicta decis. 108. post Merlin. de pignor.* cum similibus.

Hinc proindè dicebam, observandam esse inconcussam Curiæ praxim, remittendi semper 8 hujusmodi causas ad judicem civilem, ut in his præcisis terminis controversiarum super testamentorum falsitate, vel invaliditate, ac dolosa extorsione habetur *decis. 292. cum duobus seqq. par. 8. recent. decis. 274. par. 9. apud Cavaler. decis. 443 Amerina hæreditatis* 8. *Martii* 1660. *Priolo*, & in aliis, & de qua Curiæ observantia testatur *Guazzin. defens. 1. cap. 24. numer. 1.* Et de aliis Tribunalibus habetur apud *Tappiam decis. suprem. Ital. 16.* Atque magnam constituendam esse dicebam differentiam inter omnimodam avocationem, per quam judex criminalis declaretur omninò incompetens, & inter hanc suspensionem seu præposterationem, cum ita jurisdictio non tollatur, neque causa avocetur, sed solùm ob incompatibilem concursum simultaneum duorum judicum, locus fiat ordini prædicto cum suspensione usque ad exitum causæ civilis ut supra.

Pro accusatore scribentes nimium insistebant in præventione, quam in facto causæ Patro- 9 nus ex hac parte benè tollebat; Verùm ubi etiam subsisterent ea quæ circa præventionem deducebantur *ex Farinac. quæst. 4 numer. 52. Guazzin. defens. 1. cap. 8. & Carleval. de judic. tom. 1. disput. 2. numer. 906.* id procedere dicebam in concursu plurium judicum æquè competentium in eodem judicio civili, vel criminali respectivè, itaut eorum jurisdictio à præventione solum resultaret, ut sunt in Urbe, Auditor Cameræ, Vicarius, & Gubernator, cum similibus, quia non variatur forus in genere, sed solùm unus vel alter judex, secus autem, ubi agitur de omnimoda diversitate fori & actionis in genere, ut est inter civilem & criminalem; Et ex his cum justitiæ fundamento, mihi ad veritatem respectenti, visum fuit causam benè remissam fuisse ad A.C. in civilibus mandando quod hic inhibeat alteri in criminalibus, ut sequutum fuit, & causa pendet in Rota, atque de ejus meritis in negocio principali agitur in sua materia *sub dicto tit. de testamentis* sub hac eadem intitulatione.

JANUEN.

SEU

FERRARIEN.

PRO

CARDINALI DONGO EPISCOPO FERRARIÆ

CUM

PALLAVICINIS.

Casus disputatus in Signatura Gratiæ, & non resolutus.

An privilegium electionis, seu variationis fori competens viduis, pupillis, aliisque miserabilibus personis *ex leg. unica Cod. quando Imperator &c.* locum habeat contrà clericos, & personas Ecclesiasticas, præsertim qualificatas, puta Episcopos, vel Cardinales &c. & qualis sit Cardinalium forus competens.

Et de privilegiis concessis Civitati Ferrariæ an derogent privilegio *dictæ legis unicæ.*

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Episcopus an possit esse judex in causa suæ Ecclesiæ, vel mensæ, seu propria, & an isto casu intret* cap. causæ omnes, *& num. 7.*
3 *Forus Cardinalium est Tribunal. A.C. & num. 8.*
4 *Privilegium* l. unicæ *procedit etiam de jure Canonico, & in foro Ecclesiastico.*
5 *Dicto privilegio non obstat dispositio Conciliaris* in cap. causæ omnes.
6 *Neque cadit sub privilegiis generalibus non trahendi causas, & num.* 10.
7 *Conclusio, de qua num. 2. cessat ubi in loco adest alter Episcopi superior, putà Legatus.*
8 *Declaratur conclusio de qua num. 3.*
9 *Defectibus resultantibus ex cognitione causarum in prima instantia coram Ordinariis locorum.*
10 *De conclusione, de qua num. 6 in specie de privilegiis Ferrariæ, & num.* 12.
11 *Non dicitur decisio Rotæ in iis, quæ incidenter dicuntur.*
12 *De eadem conclusione de qua num. 6. & 10.*
13 *Status Ferrariæ regitur juxtà antiquam ejus formam, itaut Legatus faciat figuram antiqui Ducis.*
14 *Idem de statu Urbini.*
15 *Privilegium* leg unic. *an locum habeat contrà Ecclesiasticos, & quale dicatur majus privilegium.*
16 *In Ecclesiasticis, & subditis Papæ non datur potentia.*

DISC.

DISC. LXXX.

CUM Pallavicini prætenderent ex causa cujusdam cambii, se creditores Cardinalis Donghi Episcopi Ferrariensis in sua Ecclesia residentis, atque ex dictis creditoribus aliqui essent pupilli, istorum nomine etiam ex privilegio *leg.unicæ C.quando Imperator*, contrà dictum Cardinalem institutum fuit judicium in Curia coram A.C. Verùm dicto Cardinali reo convento istum forum declinante, atque petente (attenta prima instantia) causam remitti ad partes, cognoscendam à Legato Ferrariæ ejusque officialibus, tam ex dispositione *Sacr.Concilii Tridentini sess. 24.de reform.cap.*20. ut causæ omnes in prima instantia coram locorum Ordinariis cognosci debeant, quam ex ampliſſimis privilegiis per *Clementem VIII.* occasione devolutionis illius Status ad sedem Apostolicam, concessis dictæ Civitati ejusque Statui, ne extrà proprios lates, & ad Curiam trahi possent.

Introducta proindè causa in Signatura gratiæ, assumptaque desuper disputatione, scribentes pro creditoribus causam in Curia substinere volentibus, quatenus pertinet ad dictam Conciliarem dispositionem, illi nullatenus locum esse dicebant, ex tribus fundamentis, Primò nempè, quod cum loci Ordinarius esset idem Cardinalis reus conventus, non poterat esse judex in causa propria, si enim etiam in causa suæ mensæ quamvis de jure, quoties recusatus non est, possit esse judex, attamen recusari potest, ut habetur *in Cotronen.censurarum hoc eod. tit. disc.*47. Atque praxis servat, quod etiam in prima instantia, quoties agitur contrà ipsam mensam Episcopalem, causæ introducuntur & agitantur in Curia, Multò magis ubi agitur de ejus proprio & privato interesse, in quo etiam non recusatus absque dubio non potest esse judex, ex regula *ne quis in propria causa &c.* ut in eadem *Cotronen.* ita distinguendo habetur.

Secundò, quod Cardinales ex præeminentia dignitatis non possunt alibi conveniri nisi coram Papa, cujus officialis & minister dicitur A.C. ad notat *per canonistas in cap.*1. *de cleric.non residentibus, Lauden.de Cardinalibus quæst.*44. *Fagnan.in dicto cap.*1.*num.*5.*cum seq.ubi concordantes.*

Et tertiò demum, quod ubi aliqua subesset difficultas, illa cessabat ex privilegio electionis fori competente ex dispositione *l.unicæ Cod.quando Imperator, &c.* quod privilegium procedere, etiam de jure canonico, & in foro Ecclesiastico firmant canonistæ, de quibus *Fagnan.in cap.ex parte num.* 10.*de foro competenti, & in cap.significantibus num.* 42.*de off delegati*, Ac etiam non obstante dicta Conciliari dispositione *sess.*24.*de reform.c.*20.*in cap. causa omnes* cum illa intelligenda sit regulariter, & respectu non privilegiatorum, non autem concurrente privilegio prædicto, ut in specie *Novar. de elect.fori sect.*1.*quæst.*9,*n.*18.*& seq.Salgad.de supplicat.ad Sanctissimum par.*2.*cap.*31.*num.*37.*Barbos.in collectan. ad Concil.dicta sess.*24.*cap.*20. *num.*43. Atque ita etiam respondebant ad privilegia Ferrariæ, ut scilicet locum habeant regulariter, & cum non privilegiatis, secus autem concurrente isto privilegio, quod non venit sub derogatione generali, sed indiget nota speciali, ut rejecta contraria minus communi sententia. *Alberici in cap.l.unic.* magis communem ac receptam esse opinionem *Cini ibidem* cæteris allegatis, probat *Novar. in dicto tract. de elect. fori sectione* 4. *quæst.* 1. *cum pluribus seqq.*

Pro Cardinali autem prædicto, Ego & cæteri scribentes, procedendo cum eodem ordine, dicebamus responsionem datam ad Conciliarem dispositionem *in dicto cap causæ omnes*, recipi forsàn posse, quoties in loco Episcopi, qui ibi est Ordinarius, alter non adesset ejus superior, coram quo etiam tanquam Ordinario conveniri posset; Tunc enim, quamvis in stricta juris censura, neque extrà lares in prima instantia trahi posset, sed causa cognoscenda esset coram Arbitris, Nihilominus, stante contraria praxi dubitari posset de hujusmodi competentia; Sed quæstio cessabat ex facto, quoniam in eadem Civitate residet Cardinalis Legatus cum ampliſſimis facultatibus, coram quo tanquam superiore non incongruit, Episcopum tanquam subditum in causa propria in prima instantia conveniri, ut etiam fuit sensus Signaturæ justitiæ in alia *Januen. seu Ferrarien.* inter eumdem Cardinalem Donghum tunc Episcopum Imolen. & Prosperum Senaregam, undè quando non obstaret privilegium *l.unic.* nulla subesset necessitas recurrendi ad privilegium Ferrariæ.

Hoc posito, dicebam non obstare, quod Cardinales tanquam Papæ Senatores, non nisi coram ipso conveniendi sint, & successivè coram A.C. tanquam judice Curialium, juxtà suas facultates per Papam deputato, quoniam hoc est privilegium Cardinalium, ac prærogativa eorum dignitatis, ne scilicet vel præsentes in Curia, vel absentes, coram aliis judicibus conveniri valeant, ideoque privilegium prædictum retorqueri non debet in odium, ac facere, ut Cardinales longe absentes cogerentur extrà proprios lates trahi, atque in prima instantia magis incommodam & dispendiosam litem in Curia substinere, ita enim esset pejoris conditionis Cardinalis quacumque personâ privatâ, dum expedit partibus processus in prima instantia fieri coram Ordinariis locorum, in quibus ipsi degunt ad longè majorem commoditatem, minusque dispendium in examinandis testibus, producendis scripturis, instruendis defensoribus, aliisque probationibus parandis. Ideoque nulla subesse videbatur ratio, ut id quod ex privilegio conceditur Cardinalibus ob dignitatis excellentiam, retorqueri deberet in odium, præsertim ubi exindè resultare non potest præjudicium totius Collegii seu ordinis Cadinalitii, ita ut intret ratio textus *in cap.cum contingat de foro competenti*, dum non agebatur de illum conveniendo coram inferiori judice pedaneo, quem indecorum esset, ac toti ordini præjudiciale effici superiorem Cardinalis, sed coram Cardinali Legato, ut disputando dicebatur in dicta alia causa ejusdem Cardinalis agitata in Signatura justitiæ.

Difficultas igitur tota restringebatur ad privilegium *dicta l.unicæ*, super fori electione competente actoribus tanquam pupillis, qui punctus duas habebat inspectiones, Unam in terminis juris municipalis, seu privilegiorum concessorum Ferrariensibus eorumque Legationi, an scilicet ea continerent derogationem hujus privilegii clausi in corpore juris, dum de illo specialis mentio non habetur, Alteram verò inspecta dispositione juris communis, an scilicet privilegium prædictum locum haberet contra clericos, & personas Ecclesiasticas, præsertim

tim qualificatas, prout sunt Episcopi, & Cardinales.

Circà primam, duo fortiter obstabant contrà hanc partem, Primò nempè regula generalis, quod sub hujusmodi privilegiis non censeatur huic derogatum absque speciali mentione *juxtà decisiones Grammatici & Franchi*, ac aliàs impressas *post Novar. tract. decis. 24. cum pluribus seqq.* & in aliis deductis *per eundem dicta sect. 4. quæst. 1. cum pluribus seqq.* ubi de materia; Et secundò ex speciali auctoritate *Rotæ decis. 513. numer. 10 par. 1. recent*; ubi in individuo istorum privilegiorum Ferrariæ id firmatur.

Quatenus pertiner ad hanc specialem Rotæ auctoritatem, advertebam de illa rationem haberi non debere, Tum quia procedit cum præsupposito erroneo, quod in hujusmodi privilegiis, illud legis unicæ esset exceptum, quod non legitur neque in Brevibus specialibus, minusque in Generali *Constit. 59. ejusdem Clementis*, Tum etiam quia in casu dictæ decisionis non disputabatur de hoc puncto, sed de aliis, idque incidenter dicitur, undè dici non potest decisio, ut sæpius protestata est Rota, præsertim *apud Seraphin. decis. 299. in fine*, *decis. 17. num 9 par. 7. recent. 285. num. 12. par. 9.* & in aliis; Utcumque tamen sit, ob abusum inhærendi simpliciter doctrinis specialibus, quales, quales sint, id magnam inferebat difficultatem.

Majorem tamen difficultatem mihi inferebat primum objectum deductum ex regula, juxta magis communem, superius constituta, quod scilicet sub hujusmodi privilegiis generalibus non veniat istud absque derogatione speciali; Pro hoc autem objecto removendo ponderabam, quod auctoritates quæ desuper circumferri solent, præsertim *dicta decis. Grammatici & Franchi*, cum quibus cæteri transeunt, loquuntur in terminis jurisdictionis concessæ alicui Baroni vel Magistratui, itaut agatur de jure speciali, ideoque incongruè applicabantur ad terminos nostros, in quibus hujusmodi privilegia continere non videntur aliquod jus speciale alicui Magistratui, vel personis particularibus concessum, sed potius quamdam Papæ declarationem non immutandi antiquum statum hujus Ducatus seu Principatus, sed illum relinquendi in suis terminis, ita ut regeretur eodem modo, quo sub suis Ducibus antè devolutionem regebatur, quando idem Dux dicebatur Princeps, in cujus foro, non autem in illo Papæ & Curiæ Romanæ practicabile erat dictum privilegium electionis ab inferioribus magistratibus, juxtà ea quæ habentur *in Melevitana disc. 69. hoc tit.* ita ut Cardinalis Legatus nunc faceret eam figuram quam prius ibi faciebat Dux, ideoque coram eo tanquam Principe electio fori verificaretur, eodem modo quo prius verificabatur, coram Duce, Quod comprobabam cum simili de Statu Urbini, quem devolutione non obstante, *Urbanus VIII.* concessit cum suis antiquis legibus & decretis Ducalibus regi, ex iis quæ habentur in *Urbinaten. prædii coram Bevilaqua & Cerro post Paulell. decis. 50. & 51.* ac habetur actum in eadem causa *sub titul. de feudis ad materiam Bullæ Baronum disc. 83.*

Istam responsionem, quam aliqui ingeniosam, ac Methaphysicam ratiocinationem dicebant ut frequenter à pragmaticis leguleis dici solet, reflectendo ad veritatem, credebam solidam in casu suo, ubi scilicet ageretur inter illos hujus Principatus subditos, qui si casus devolutionis non evenisset, alium non agnoscerent forum Principis, in quo hujusmodi privilegium esset practicabile, nisi illum Ducis, ut est casus *dicti disc. 69.* Verùm dubitabam de applicatione, quoniam posita etiam ista continuatione antiqui status, adhuc in ordine ad clericos & personas Ecclesiasticas, dux Ferrariæ nullam Principis figuram faciebat, nam etiam in Principatibus nullam in temporalibus à Papa dependentiam habentibus, ipse Papa dicitur Ecclesiasticorum Princeps, ideoque Romanæ Curiæ forus est ille, in quo dictum privilegium est solum verificabile, non autem ille Principis sæcularis; Undè motivum erat verum in casu suo, sed malè applicatum ad casum controversiæ, & in quo frequentius consistit consulentium fallacia.

Quare unica hujus partis defensio restringebatur ad alteram inspectionem juris communis, An scilicet privilegium prædictum locum habeat contrà clericos & Ecclesiasticas personas, ita ut illo inter æquè privilegiatos cessante, servanda sit juris communis dispositio; Et in hoc favore Ecclesiasticorum adducebam plenam *decis. 195. Capic. Latr.* ubi cæteris allegatis firmatur, potentius esse privilegium clerici, quam illud viduæ, ita ut etiam adversus istam clerico detur electio; Quicquid enim sit de hujus assumpti veritate, de qua satis dubitari posse credebam, Indubitata tamen resultare videbatur æqualitas, quæ sufficit ad effectum conquassationis; Atquè ultrà dictam auctoritatem, ac alias ibidem collectas, ponderabam istam, opinionem videri satis probabilem, attenta etiam ratione, quæ duplex in proposito consideratur, Una scilicet, ne clerici per hujusmodi privilegium coacti adire Curiam Principis, ut plurimum remotam, retrahantur à sibi commissarum Ecclesiarum & animarum cura & servitio, in præjudicium publici boni spiritualis, quod præferendum est illi publico bono temporali, in quo hujusmodi privilegium fundatum est; Alteram verò, quod privilegium prædictum fundatum est in præsumpta perhorrescentia, quam persona miserabilis habeat de collitigantis potentia, à quaistæ miserabiles personæ de facili opprimi solent; Idque adeò verum, quod juxta opinionem in Regno Neapolitano receptam, volens uti hoc privilegio electionis vel variationis fori tenetur hujusmodi per horrescentiam formiter jurare, *ut per Novar. dicto tract sect. 1. quæst. 2. per tot.*

Hæc autem præsumptio potentiæ non datur in Episcopis, & Cardinalibus, aliisque personis Ecclesiasticis, quamvis adeò magnam dignitatem & jurisdictionem habeant, quod personæ potentes dici possint, quia personæ Ecclesiasticæ subiacent obedientiæ Papæ & Superiorum, atque in eis non est præsumendum delictum, ut in proposito *Duran. dec. 413. num. 5 dec. 401. num. 7. cum seqq. par. 5. recent. Adden. ad Buratt. decis. 832. num. 5.* Et consequenter ubi etiam personæ Ecclesiasticæ dicendæ non essent miserabiles, jure viduarum, & pupillorum, aliorumque miserabilium censendi ad effectum usus activi hujus privilegii, adhuc tamen ex dicta ratione cessantis rationis dicti privilegii, dicantur in hoc privilegiati ratione conquassationis, seu quod faciant illud cessare, atque intacta remaneat juris communis dispositio, in quo sensu rectè procedere videntur deducta *per Capu. Latr. dicta decis. 195.* Nulla tamen capta fuit resolutio, ut cum prudentialibus temperamentis controversia sopiretur,

MEL-

MELPHIEN.
SEU
VENUSINA.
PRO
CAROLO CONSTANTIO ARCHIPRESBYTERO VENUSINO
CVM
EPISCOPO MELPHIENSI.

Casus decisus per Signaturam justitiæ pro Constantio.

Causa civilis quando dicatur præjudicialis criminali, ita ut judex civilis inhibeat, ne in causa, procedat, civili non terminatâ; Et an & quando causa incisionis arborum dici possit criminalis, ita ut talis actus sapiat delictum punibile.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quando causæ sunt connexæ, & una est alteri præjudicialis, tunc judex præventus inhibet secundo.*
3 *De pœna incidentium arbores & vineas.*
4 *Quando talis incisio dicatur illicita & punibilis.*
5 *Ubi intrat actio civilis ex contractu vel quasi, non intrat actio criminalis ad pœnam.*

DISC. LXXXI.

CUM ad instantiam pensionariorum Ecclesiæ Melphien. ob Episcopi *Branciforti* carcerationem in Abbatia Sublacen. cum suspensione jurisdictionis, ac deputatione Vicarii Apostolici, pro eorundem pensionariorum indemnitate, deputatus fuisset dictus Constantius per A. C. œconomus bonorum & reddituum dictæ mensæ Episcopalis, Reintegratus deindè dictus Episcopus ex gratia Pontificis successoris, præfatum œconomum pulsavit coram eodè A.C. in civilibus pro rationum redditione dictaque causa jam diu tractata & pendente, Episcopus præfatum œconomum coram eodem A C. in criminalibus quærelavit de incisione plurium arborum & aliquarum silvarum ad dictam mensam pertinentium, efformatoque desuper processu, Judex criminalis dictum Carolum molestare cœpit, undè habito recursu ad Signaturam Justitiæ, per istam obtentum fuit rescribi, quod Judex civilis inhibeat criminali.

Pro Constantio autem concive, ac alumno scribens, justam ac juridicam dicebam ejus petitionem, qualem Signatura canonizavit, quia cùm in judicio redditionis rationum jam prævento, & pendente, judicari posset, hujusmodi incisionem in processu criminali probatam, & ex parte œconomi de ejus licentia & permissione non negatam juxtà eorumdem Episcoporum & aliorum administratorum consuetudinem, benè factam esse, Atque de utilitate exindè resultante fidelem reddi rationem, undè propterea quodcumque delictum cessasset, Idcircò permittendum non erat, ipsum pro eadem re in criminalibus molestari; Tùm ex regula ut quis pro uno eodemque negotio, non debeat eodem tempore coram pluribus Judicibus molestias pati, ac lites substinere, Tùm ratione connexionis secum ferentis inconveniens, nè scilicet super eadem re per diversos Judices diversæ vel contrariæ sententiæ proferantur ex collectis per *Farinac. quæst. 100. num. 125. cum seq. Cavaler. dec. 443. 475. & 530. Buratt. decis. 944. & in aliis Rota frequenter, ut suprà disc. 79.* atque talis est inconcussus Signaturæ stylus, quoties concurrit præjudicialitas, quod scilicet una causa sit alteri præjudicialis, quia sententia lata in una parere potest exceptione rei judicatæ in altera, nam tunc attenditur prævento, & primus Judex inhibet secundo. 2

Quamvis autem ista solùm sufficerent quoad punctum ordinis de quo erat quæstio, Ad quamdam tamen exuberantiam, atque clarius ostendendam injustitiam molestiarum, quæ per dictum Episcopum inferebantur, deducebam etiam concernentia justitiam causæ, ac omnimodam exclusionem delicti & criminalitatis; Licet enim *tex. in l. 2. ff. arborum furtim cæsarum* dicat, arborum, ac vinearum incisores & vastores, tanquam latrones puniendos esse, ibique *gloss.* subjungat esse pœnam ultimi supplicii; Nihilominùs in praxi recepta non est hujusmodi opinio, sed ita delinquentes pœna extraordinaria, juxta facti qualitatem & circumstantias puniuntur, modò cum pœna ictuum funis, modò fustigationis, & modò triremium, *ut per Clar. in praxi crimin. q. 68. n. 43. ubi Baiard. in addit. n. 120. Farin. in praxi quæst. 20. n. 113.* 3

Hoc tamen procedit in iis, qui dolosè, ac more latronum, ad injuriam id agunt, ut clarè probat eadem *rubr. in l. 1. & toto titul. ff. arbor. furtim cæsarum*; Atque in furtiva incisione facta ignorante domino & causa celandi, ut per *text. in l. furtim cæs. ff. eodem.* aliàs enim ita puniendi essent omnes Pastores & coloni sive lignorum venditores, qui, vel pro usu animalium, vel pro usu lignorum combustibilium aliquas arbores in silvis incidunt, atque omnes causæ damni dati essent criminales & severè punibiles, quod juxtà contrariam praxim irridibile dicebem, cùm requisitum seu essentia delicti consistat in eo, quod id gestum sit clam & furtim ad vindictam vel injuriam; Multòmagis quia actus incisionis aliquarum arborum in genere, tàm ex consuetudine, quàm ex ipsarum tenutarum & bonorum natura, & qualitate fuit licitus, vel quia expediat densas arbores incidere, ac silvam rarefacere pro majori restantium fructu, ac pascuorum meliori qualitate, vel quia colonis & pastoribus, tenutas ibi proximas colentibus, vel in ipsis silvis pascua sumentibus, de necessitate incision em permittere opotteat, tàm pro pastura animalium hyberno tempore, præsertim quando terra nive cooperta est, quam pro usu eorundem colonorum & pastorum in lignis combustibilibus ac aliis necessariis pro construendis capannis, & rusticis instrumentis componendis. 4

Posito autem actu licito in genere seu substantia, ubi circà usum prætenderetur aliquis excessus, id importare solùm posset malam administrationem, & successivè condemnationem ad damna & interesse, sed non per hoc intrabat judicium criminale, quod nunquam intrat, quoties prætensus dolus, civiliter & actione descendente ex contractu purgari potest *Farin. quæst. 19. num. 36. & seq. & cons. 7. nu. 9. ubi adden.* Atque titulus administrationis vel dominii tollit furtum & criminalitatem ex deductis *dec. 108. nu. 9. 6. post Merlin. de pignor.* ubi de 5

hærede criminaliter non accusando neque puniendo de crimine expilatæ hæreditatis, ob bonorum hæreditariorum occultationem, cum similibus, ideòque idem Episcopus hanc viam deseruit, utpotè omninò incompetentem, Causa verò civilis redditionis rationum sopita fuit per concordiam.

ROMANA

PRETII CASTRORVM PRO CREDITORIBUS MONALDENSIUM CUM MARCHIONE MARCELLO RAIMUNDO.

Causa pendet in Camera.

An jurisdictio per Principem seu alium Superiorem alicui delegata, probetur ex ejusdē delegati assertione de vivæ vocis oraculo; Et quando huic deferendum sit.

SUMMARIUM.

1 FActi series.
2 *De vivæ vocis oraculo, quando illud habeant Officiales.*
3 *De regula Cancellaria non judicandi cum sola supplicatione sine litteris.*
4 *De eadem materia oraculi vivæ vocis.*
5 *Rescriptis & declarationibus in plena Signatura gratiæ deferendum, etiam si oretenus.*
6 *De Signatura gratiæ & Officialibus in ea intervenientibus, Et quomodo Papa vivæ vocis oraculo respondere soleat.*
7 *Declarantur regulæ Cancellaria de quibus nu. 3.*

DISC. LXXXII.

1 VEnditis ad hastam per Congregationem Baronum instantibus creditoribus Castris illorum de Monaldensibus, ut deductum quoque habetur *sub tit. de feudis* ad materiam Bullæ Baronum *disc. 77. cum seqq.* illisque licitatis per Marchionem Marcellum Raimundum, contrà istum tunc bannitum, Thesaurarius ex jurisdictione sibi orctenus per Papam in Signatura gratiæ concessaad eorundem castrorū exequutionem ac subhastationem pro longè minori pretio processit, ad effectum exindè satisfaciendi, prout sequutum fuit, antiquis creditoribus Monaldens. per d. emptorem accolatis; Cùmque ipse in gratiam restitutus, non posset ejus actiones dirigere ad ipsa castra, stante Apostol. chirographo seu brevi, ea omninò eximente, atque emptorem tutum reddente, dictaq; actiones in pretium transfundente, illas proindè direxit adversus creditores de pretio ut suprà satisfactos, Et commissa causa in Camera *Corsino*, prætendens se per dictam subhastationem nulliter & injustè sequutam spoliatum fuisse, proindeque ante omnia reintegrandum esse.

Inter plura nullitatis & injustitiæ fundamenta illud erat præcipuum, in puncto juris consistens, defectus: jurisdictionis, quia nullibi per commissionem vel aliam scripturam constabat Thesaurario demandatam fuisse facultatem procedendi contra absentem, non servato eo rigoroso juris ordine, qui aliàs, cessantibus facultatibus à Principe communicatis, servari debuisset, & quarum vigore in actis processisse assertum fuerat. Non obstante 2 quod diceretur, id vivæ vocis oraculo per Sanctissimum concessum esse, cum tali assertioni sine scriptura deferendum non sit Officialibus, nisi solum circà concernentia eorum officium juxtà *Constitutionem Pauli V.* moderatoriam oraculi vivæ vocis, ita declaratam per alteram *Constitutionem 139. Vrbani VIII.* Undè cessante illo vivæ vocis oraculo generali, solùm hodiè competenti in concernentibus officium, In reliquis dicebant pro Raimundo scribentes, necessariam esse scripturam, ex regulis Cancellariæ, circà quas dicti scribentes variabant, Aliqui enim allegabant *regulam* 17. disponentem non judicari juxtà formam supplicationis, sed juxtà formam literarum, Alii verò allegabant *regulam 30. seu 31.* disponentem commissiones non valituras nisi literis expeditis, Atque his addebant auctoritatem *Molinæ de primogenitura, lib. 2. cap. 7. num. 53.* nec non *Sanchez* & aliorum materiam matrimonialem tractantium, ac affirmantium occasione dispensationum matrimonialium, solis rescriptis & commissionibus absque literis deferendum non esse; Et istis ego dicebam addi posse tot Regnicolas, de quibus etiam *Rot. in Rom. census seu depositi, 8. Martii, & 21. Junii 1641. Donozetto inter suas decision. 604. & 622.* firmantes, in assensibus regiis super feudorum obligatione, vel alienatione, ac similibus, non sufficere supplicationem signatam, nisi etiam intrà annum literæ seu privilegium in forma Regiæ Cancellariæ expediantur, & de qua causa habetur actum *sub tit. de credito pro Monte pietatis.*

Pro creditoribus autem scribens, quicquid esset de aliis exceptionibus, in facto potiùs, quàm in jure consistentibus, præsertim circà excessum, ac etiam aliquorum bonorum comprehensionem, Quatenus ad hanc nullitatem strictè pertinet, cum sensu etiam veritatis, frivolam malèquè fundatam hujusmodi exceptionem dicebam, quoniam quicquid sit, an alicui conspicuo & magno Magistratui, qualis in Romana Curia rectè ac juridicè dici potest *Thesaurarius Generalis*, deferendum esset circà vivæ vocis oraculum sibi à Principe datum, quoties agi- 4 tur de Principe absente ab eodem loco, ita ut non de facili partes interessatæ de hoc certificari possent, quo etiam casu stante Officialis conspicua qualitate probabilior videretur affirmativa ad *tex. in cap. nobilissimus 97. distinct. cum alis deductis per Lap. alleg. 32. n. 4 ubi adden. Altograd. consil. 22. n. 46. & seq. vol. 1. Farinac. q. 97.* apud quos cæteri agentes de hac materia vivæ vocis oraculi; Omnem difficultatem cessare dicebā, quoties agitur de actibus gestis Principe præsente, & in loco suæ residentiæ, Tunc enim nullatenus probabile est, qualificatū Magistratum velle in faciem Principis, ad quem facilis haberi potest recursus, cum narrativa facultatis ab eodem sibi attributæ in causa procedere sine jurisdictione, præsertim ubi agitur de causa gravi, & de reiteratione plurium actorum, ut benè *Grammat. consil. civil. 24. n. 8. cum seq.* & supponitur *apud Buratt. decis. 117. nu. 6. & 10. cum seq. decis. 194. n. 9. par. 4. recent. tom. 2.* & in aliis.

Impro-

Improbabile siquidem est, adeò stultum reperiri, qui Principe præsente, in causis gravis momenti, in quibus verisimiliter unius partium recursum certum & facilem supponere debet, hujusmodi attentatum committere vellet, præsertim spectata qualitate Officialis, qualis erat *Thesaurarius*, juxtà Curiæ stylum, proximus promotioni ad Cardinalatum, & cujus officii jactura, ultrà honores importat valorem scutorum ferè 10 o. m. ex rationibus de quibus *in Neapolitana pretii officiorum, disc. 2.* ubi de rationibus ob quas hæc officia sint venalia & vacabilia propter promotionem ad Cardinalatum, ideoque dicebam hujusmodi prætensionem nullam habere subsistentiam.

Clarius quia hujusmodi vivæ vocis oraculum per Papam præstitum non fuerat in aula, & secreto, sed in plena Signatura gratiæ, quæ est de magis publicis, & numerosis functionibus, quas Papa faciat, ita ut videretur species notorii, ac melior & certior probatio voluntatis Papæ, quàm sit per supplicationem ejus manu signatam, cum hæc utpotè falsificationibus vel subreptionibus subjecta, 5
dari possit absque ejus intentione; Quodque declarationibus per Papam factis in plena Signatura omninò deferendum sit habetur *in Carpen. bonorum, 10. Aprilis 1617. Sacrato, Camerinen. pensionis 26. Junii 1641. Panzirolo, & in eadem apud Rotas decis. 217. Romana hæreditatis 28. Aprilis 1659. Meltio, impressa post colluctationes Bondeni decis. 62.*

Attenta præsertim congruitate dictum oraculum tunc præstandi *Thesaurario* præsenti, In illo etenim congressu, ultrà Cardinales assistentes, ac 6
Prælatos Votantes, & Referendarios, interveniunt omnes Prælati, Officiales majores justitiam administrantes, prout sunt, A C ejusque Locumtenentes, Thesaurarius, Vicesgerens, nec non capita Tribunalium Collegialium, nempè, Decani Rotæ & Cameræ, & quandoque eorum loco Vicedecani, Undè quando agitur de causa ad quemlibet ex istis respectivè spectante, Papa ad eum verba dirigere solet, atque oracula dare, ut de mandato vivæ vocis oraculo dato Decano Rotæ tanquam capiti illius Tribunalis liquet ex dicta *Camerinen. pensionis 1. Julii 1643. coram Rotas inter suas decis. 217.* Undè cùm hujusmodi materia spectaret ad Congregationem Baronum, de cujus mandato castra præd. distracta erant, rectè Papa oraculum dedit Thesaurario, qui ex 7
eadem Bulla Baronum est dictæ Congregationis caput. Regulas autem Cancellariæ ut suprà per alterius partis defensores allegatas à casu prorsus extraneas dicebam; Siquidem *Regula 27.* præcipit non judicari juxtà formam supplicationis, sed juxtà formam literarum, *Et regula 30. seu 31.* loquitur de commissionibus in causis beneficiorum, non valituris nisi literis expeditis, & sic utraque percutit collationes beneficiorum, vel gratias, super quibus literæ expediri solent, nè in præjudicium Officialium Cancellariæ obtinentes negligerent literas expedire, Ac etiam quia post signatam supplicationem, antequam literæ expediantur, solet ista revideri per varios Officiales, qui tanquam organum Papæ multa delent vel addunt, aut accommodant, quod nil commune habet cum commissionibus in causis contentiosis, in quibus nec literæ expediuntur, neque Datariæ vel Cancellariæ Officiales quicquam gerere habent, Et verè in Camera hujusmodi exceptio prorsùs irrevelans reputata fuit: sed proposita causa de Anno 1658. restricta fuit difficultas ad alia concernentia justitiam, præsertim circa excessum ac exceptionem cujusdam tenutæ seu membri dictorum Castrorum non traditi, quæ in facto potiùs, quàm in jure consistebant.

ROMANA CONCVRSVS PRO MERCATORIBUS RIPALIBUS, CUM DOGANERIO.

Casus disputatus in Camera, ignotus est exitus.

De jurisdictione Camerarii Riparum in causis mercatorum ripæ, seu negotium ripale concernentibus, quomodo & quando competat, & an procedat ubi contentio est cum Doganerio super gabella per tabernarium seu Hospitem debita concurrente cum mercatoribus ripalibus creditoribus ex causa vini vel mercium, vel potius tanquam in causa fiscali cognitio spectet ad Thesaurarium; Et an fiscus qui venit ad causam alteri assistendo tanquam defensor necessarius seu aliàs habens interesse mediatum trahat causam ad forum suum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Causæ ripales cognosci debent per Camerarium ripæ, & quid ubi contentio est super gabellis.*
3 *In concursu generali creditorum super bonis unius debitoris causæ debent cognosci coram uno, & quis sit iste magis competens.*
4 *In exercente plures artes vel exercitia, quis sit eius Judex seu forus magis competens.*
5 *Causæ fiscales coram quo cognoscendæ sint.*
6 *Gabellæ dicuntur Principis, ac fiscus in eis interessatus dicitur, quamvis privatis vel aliis usibus assignatæ essent.*
7 *Quando fisci interesse mediatum sit considerabile, & in quo foro ipse agere debeat causas sui debitoris.*
8 *De jurisdictione Ripæ eiusque Camerarii, in quibus causis procedat.*
9 *De jurisdictione Magistri nundinarum seu consulis, aut alterius fori mercatorum.*

DISC. LXXXIII.

SUB *Eugenio IV.* per populum Romanum, à quo, mandante, vel approbante Papa, tunc ut plurimum publica onera indicebantur, imposita fuit quædam gabella super vino ripali, per *Leonem X.* deindè aucta, atque per unum vel alterum applicata subsistentationi Studiorum Urbis, *gabella studii* proindè nuncupata, & de qua habetur *in Romana appaltus post Pacif. de Salviano decis. 285.* per Conservatores Populi administrari solita, & cui gabellæ moderno tempore adjectum fuit quoddam augumentum nuncupatum *octavi cadi seu barilis*, ad beneficium Cameræ Apostolicæ, quod cum appaltu Dohanæ aliquando concedi solet, & aliquando separatim, sive etiam 1
unitim

unitim cum Appaltu ipsius antiquæ gabellæ, cum distinctione tamen pensionis proportionabiliter & pro rata solvendæ ut suprà.

Cùm autem per *Clementem VII.* in ejus *Constitutione 4.* vel renovando antiqua privilegia, vel de novo concedendo, statutum esset, ut omnes causæ mercatorum Ripæ, merces, & negotia ripalia concernentes, aut ab eis dependentes & emergentes, ex causa petii illarum, cognòsci debeant per Riparum Camerarium, summariè, simpliciter, & de plano, privativè ad quoscumque alios Judices, quæ Constitutio confirmata fuit per *Paulum III.* in eius *Constitutione 6.* & ampliata per *Pium IV. Constit. 25.*

Hinc proindè sub isto Pontifice exorta fuit controversia, ad quem Judicem spectare deberet cognitio causarum, quæ verti solent inter mercatores ripales vendentes vinum, & cauponas seu tabernarios illa ementes, istorumq; creditores ex aliis causis, duæque sententiæ Camerales emanârunt, declarantes, quod ubi controversia esset super ipsa gabella, vel super ejus debito in genere, vel super ejus quantitate, aut modo solvendi, & tunc cognitio spectare deberet ad Conservatores tanquam judices, & administratores gabellæ; Ubi verò super ipsa gabella nulla esset controversia, sed ageretur de concursu ad bona cauponæ seu tabernarii inter mercatores ripales creditores ex causa vini, & Doanerium creditorem ex causa dictæ gabellæ jam determinatæ, quia nempè juxtà morem per omnes communi debitori habita fuerit fides de pretio, & tunc cognitio spectare debeat ad Camerarium riparum, Quæ sententiæ confirmatæ fuerunt per eundem *Pium IV.* in ejus *Constitutione 72. in Bullario veteri Sixti V.* juxtà quam distinctionem ita servari consuevit, ac etiam exprimi in ejusdem Appaltus capitulis, illud solum post dictum modernum augmentum addendo, quod ubi controversia esset super substantia vel quantitate gabellæ antiquæ, quæ dicitur *septem cadorum*, cognitio seu declaratio spectare deberet ad Conservatores, respectu verò *octavi cadi* ex causa novi augmenti, cognitio seu declaratio spectare deberet ad Thesaurarium, judicem privativè ad omnes super gabellis, & rebus Cameralibus

Formato igitur de Anno 1661. concursu generali creditorum in bonis quorundam tabernariorum, qui defecerant, atque prætendente gabellario creditore ex causa gabellæ, de qua fidem habuerat causam trahere ad Thesaurarium; Econversò autem prætendentibus mercatoribus Ripalibus creditoribus ex causa crediti, aliarumque mercium, eam spectare debere ad Camerarium Riparum, Hinc introducta desuper disputatione coram Cameræ Decano ad quem tanquam speciem Præfecti Signaturæ quam Tribunal Cameræ utpotè à Signatura Justitiæ exemptum, in ventre habet, istas controversias titate, sed super eius pretio, de quo gabellarius tadecidere pertinet.

Pro dictis mercatoribus scribens, cum sensu etiam veritatis, dicebam, pro remissione causæ ad Camerarium probabilius respondendum esse tanquam in casu jam determinato per dictas antiquas sententias, confirmatas etiam *in dicta Constitutione 2. Pii IV.* atque à tàm longissima observantia, & ab ejusdem Appaltus capitulis roboratas, cum nulla adesset controversia super ipsa gabella vel ejus quantitate, sed super ejus prætio, de quo gabellarius tabernariis fidem habuerat.

Et quatenùs etiam dictæ sententiæ, ita canonizatæ non adessent, adeòut punctus ex integro determinandus esset, ita etiam determinari debere dicebam, quia in judicio universali concursus plurium creditorum in bonis ejusdem debitoris, unus debet esse Judex omnium causarum, tàm ratione connexionis nè contingat super eodem puncto coram diversis judicibus plures, & diversas vel contrarias sententias proferri, quam etiam ratione intolerabilis incommodi partium, ut coram pluribus judicibus, seu in diversis foris scripturas producere, ac novas probationes facere cogerentur *ad tex. in leg. nulli C. de judicis*, cum concordan. copiosè in materia cumulatis *per Salgad. in labyrint. creditorum p. 1. cap. 4. cum seqq.* & si plures essent Judices in pari causa, tunc in præsenti dicebam esse debere Camerarium Riparum, Vel quia causa spectare debet ad Judicem debitoris non creditorum, cum sub jurisdictione dicti Camerarii etiam dicti tabernarii existant, Vel quia attendi debet ille Judex, qui est competens majoris partis creditorum concurrentium ex eo quod in hac materia concursus, tam in ordine ad dilationem debitori dandam, quam quoad defalcum & alia, tanquàm in Universitate, seu Collegio per creditores constituto, major pars præjudicat minori, Vel demum quia coram Camerario causa reperiebatur præventa, ideòq; data æquali plurium Judicum competentia, præventioni deferendum erat, ex punctualiter deductis in his terminis concursus formati ad instantiam creditorum per *Salgad. dicto cap. qaarto, §. 1. per tot, præsertim num. 36. & 56. cum seqq.*

Atque in idem ponderabam id quod habemus de concursu plurium Judicum unius personæ exercentis plures artes vel professiones, quarum quælibet habeat suum Judicem privativè, Quod si contingat tractari causam occasione unius artis vel professionis, tunc causa tractanda est per ejusdem artis Judicem particularem, sed si tractanda sit causa indifferens, quæ personam vel bona artificis vel professoris generaliter percutiat, & tunc cognitio spectat ad Judicem illius artis quam ipse frequentius exercet, & in qua suum principale institutum versatur, *Salic. in l. sub prætextu num. fin. C. de Sacr. Sanct. Eccles. Franch. decis. 175.* & habetur in hoc proposito deductum *sub titul. de Regalibus præsertim in Romana taxa pro Vniversitate Nursinorum Campiflora, discurs. 98.* Undè cùm, tàm spectata persona tabernariorum, quàm numero creditorum, qui erant mercatores Ripales, ac etiam quantitate crediti, major competentia militaret pro Camerario, idcircò injustam dicebam gabellarii prætensionem; Potissimè quia ipse duplicem in eodem genere gabellæ personam gerebat, Unam pro gabella antiqua administrata per populum majoris partis septem cadorum, alteram pro gabella moderna camerali unius cadi, & sic minoris partis, pro qua, concurrentibus aliis creditoribus ut suprà, nec non competentia ejusdem fori riparum pro majori parte gabellæ, prosùs incongruum dicebam, ut adeò minor pars totum trahere deberet.

Pro Doanerio verò scribentes nec non Cameræ Procurator & Advocatus eidem adhærentes, eorum intentionem fundabant in privilegio fisci deducto ex Apostolicis Constitutionibus, præsertim *Constitutione nona Pauli III.* statuentibus omnium causarum, in quibus ille habet interesse, cognitionem spectare debere in prima instantia privativè

ad

ad Thesaurarium, & deindè ad Cameram, quæ Constitutiones innixæ sunt dispositioni juris communis, *ad tex. in l. fin. C. si adversus Fiscum, & toto titul. Cod. ubi causæ Fiscales*; cum concordan. *per Farin. in fragment.* verbo *Fiscus n.* 180. *cum seq. Carleval. de judic. to.* 1. *disp.* 2. *n.* 698. *& seq. Capic. latr. decis.* 186. *vol.* 2. apud quos cæteri, Atque ex hoc deducebant, quod dictæ antiquæ sententiæ tanquam emanatæ de tempore, quo aderat sola gabella septem cadorum, in qua Camera Apostolica non habebat interesse, nullum constituebant statum respectu modernæ gabellæ octavi cadi spectantis ad Cameram, ex jure novo.

Atque huic motivo aliud addebant interesse, quod Fiscus habebat pro gabellarii satisfactione, & nè huic præjudicatum remanertt, Vel ut ità promptius ab eodem gabellario ipsa Camera censum exigere posset, Vel ad tollendum omne dubium, nè gabellarius, ita præjudicatus aliquam defalchi prætensionem haberet, undè propterea certum dicebant Cameræ interesse, ut ejus ratione Apostolicis Constitutionibus ut suprà locus fieret.

Verè tamen hujusmodi prætensio pro meo judi- 6 cio nullam habebat subsistentiam. Primò quia antiqua gabella septem cadorum, adhuc dicenda est Cameralis, utpotè per Papam mediatè, vel immediatè ut suprà posita, cum ea originaliter indicta esset per *Eugen. IV.* aucta deindè per *Leonem X.* ut constat ex d. Constitut. 6. *Pauli III. & Const.* 25. *Pii IV. in antiquo Bullar. Sixti V.* ideòque nulla aderat differentia inter gabellam antiquam septem cadorum, & modernam quæ, non gabella nova, sed potius quoddam antiquæ augmentum dicenda est, solaque differentia consistit circà applicationem in diversos usus eumdem Principatum concernentes, quoniam ad Principem qnoque pertinet, scientiarum studia & universitates ex publicis oneribus subsistentare, ac propterea id non tollit, vel alterat fisci Privilegium vel interesse, cùm illud etiam concurrat in gabellis à Principè impositis, & deindè privatis personis venditis, ut latè firmat *Larrea alleg. Fiscali* 7. *num.* 3. *cum seqq.* & habetur *in Romana Appaltus lignorum sub titulo de regalibus disc.* 81. & sic dictæ sententiæ statum in hoc augmento etiam facere videntur ex ratione accessorii sequi debentis naturam sui principalis.

Secundò clarius, quia tunc motivum esset considerabile, quandò controversia esset super concernentibus ipsius gabellæ substantiam vel modum, an scilicet illa deberetur, nec nè & quomodo, cùm tunc determinatio habere posset tractum successivum, & continere præjudicium, non solum temporaneum ipsius gabellarii, sed perpetuum Cameræ, quo casu meritò per easdem sententias, & per Capitula Appaltus provisum est, cognitionem spectare debere, vel ad Conservatores, vel ad Thesaurarium respectivè ut suprà; Secus autem in præsenti concursu, in quo nulla erat contrversia super substantia, vel modo gabellæ, cujus debitum in certa quantitate jam inter gabellarium, & tabernarios determinatum erat, solumque gabellarius concurrebat tanquam nudus creditor pecuniarius pro ejusdem gabellæ pretio, de quo fidem habuerat, undè quandò dictum creditum consequi non posset, id non inferebat aliquod successivum Cameræ præjudicium, cùm exindè non firmetur status in futurum, neque hæc dici posset causa ob quam gabellarius aliquod defalcum prætenderet.

Aliud verò interesse facilioris exactionis census à gabellario, utpote mediatum, & remotum, non videbatur ad id aptum, quia Fisco conceditur assistere causæ per privatum suum [debitorem] tractatæ 7 pro suo interesse, sed coram Judice debitoris mediati, ut in his terminis fisci agentis contra debitorem sui debitoris latè *Staban. jun. resol.* 194. *Rouit. super pragm.* 2. *de off. procur. Cæs. num.* 2. *Carleval. de judic. vol.* 1. *num.* 705. *Capic. Latr. decis.* 175. *nn.* 39. *& decis.* 186. *nn.* 8.

Tunc autem interesse mediatum fisci ad effectum fori est considerabile, quando exitus causæ in ipsius potiùs quàm victi præjudicium redundaret, quia nempè teneretur erga victum de evictione, ut habetur *apud Carleval. loc. cit. num.* 703. in cujus casu non versabamur, quia si gabellarius per creditores victus esset, nil Fisco intererat, cùm non per hoc aliqua evictionis actio contrà eum haberi posset.

Uno autem casu credebam, gabellarii & Cameralium sibi adhærentium prætensionem aliquam habere posse probabilitatem, quando disputari contingeret de puncto potioritatis, an scilicet mercatoribus vinum credentibus illa competeret adversus gabellarium creditorem ex causa gabellæ, vel è converso eadem potioritas competeret gabellario ex dicta causa adversus alios creditores, cùm tunc agereretur de puncto præjudiciali habente tractum successivum, ac respiciente ipsam gabellam in genere, cum præjudicio Cameræ, quæ proindè dicere potest, id non ab alio quam à suo Judice judicandum esse; Sed hujusmodi quæstiones hodie vix per juris tramites decidi solent, cùm irrepserit usus Cameralium super quibuscumq; incidentibus procurandi Pontificia chirographa, ut in præsenti audio factum esse super potioritate gabellarij, de qua potioritate habetur actum *in una Romana gabella seu concursus subtil. de credito.*

Aliam disputationem habui in Signatura Justitiæ circà istam jurisdictionem ripalem *in una Romana Vallonea* inter quosdam Hebræos orientales, quo- 8 rum unus causam introduxerat coram dicto Camerario, & alter coram A. C. Atque ad istum non autem ad illum spectare dicebam causæ cognitionem, quamvis controversia esset occasione mercium, quæ per flumen ad ripam advenerant, quia dictæ Constitutiones *Clement. VII. Pauli III. & Pii IV.* agunt de controversiis habendis occasione rerum ripalium, vel ab illis emergen & dependen. & ex causa pretii illarum, de quibus habeatur fides, vel aliàs contractentur inter mercatores, nautas & alios commercia pro rebus ripalibus cum eisdem mercatoribus & nautis habentes, ut liquet *ex Constitutione Pii IV.* quæ latius patet, & sic in concernentibus ipsum mercimonium ripale ad negotiantes facilius alliciendum, & nè ob lites coram aliis judicibus cum tela judicaria substinendas, cogantur navigationem, & negotium deserere, quod privilegium dicebam originem trahere à juris communis dispositione vel intentione, quâ attentâ, in nundinis, portubus, aliisque locis negotiationi destinatis hujusmodi judicium summarium, ac planum, & de facto datur, quod vocatur judicium mercatorum ex 9 deductis per *Marant. in praxi par.* 4. *vers. ut judicium mercatorum ex nu.* 48. *ad fin. ubi Follerius in addition.* ex Bal. & aliis quos allegat, subjungit, hujusmodi judicium coram Consulibus mercatorũ vel aliis ad id deputatis, locum habere solũ in rebus & materiis mercantilibus, de quibus tamen controversia sit occasione ipsius mercimonii & commercii mercantilis, prout ubiq; practicatur in causis, quæ ita tractantur

coram

coram Magistris nundinarum, in quibus terminis dicto casu non versabamur, quia controversia erat super credito pecuniario contracto in Insula Cretæ, seu alibi, cum conventione illud solvendi ex pretio vallonеæ, quæ transmittebatur ad Urbem, ut ibi venderetur, nam aliàs omnes causæ pecuniariæ inter Barones & cives Romanos tractari deberent in hoc foro, occasione frumenti, vini, aliarumque rerum commodioris transportationis ad Urbem per flumen vehuntur, & ita resolutum fuit.

LEODIEN. VNIONIS

PRO

PP. PRÆDICATORIBUS GERMANIÆ INFERIORIS.

CVM

CAPITULO ECCLESIÆ N.

Casus disputatus in Signatura justitiæ, & resolutus ut infrà.

An A. C. in secunda instantia jurisdictionem habeat in causis Beneficialibus, & quando dicantur tales.

SVMMARIVM.

1 A. C. est Judex appellationis ab omnibus causis extrà Curiam.
2 Electio est appellantis de pluribus judicibus.
3 A. C. non habet jurisdictionem in beneficialibus, quod dupliciter declaratur.
4 Quando causa dicatur beneficialis nec nè.
5 Causa Leodienses committuntur in Rota.

DISC. LXXXIV.

1 LActâ per Sedem Apostolicam, unione quorumndam beneficiorum ad favorem beneficiorum ad favorem Patrum Ordinis Prædicatorum Germaniæ inferioris; Cùm literarum Apostolicarum desuper expeditarum executioni se oponeret Capitulum Ecclesiæ N atque in partibus sententia dictis Religiosis præjudicialis prodiisset, inter posita per eos appellatione, causam introduxerunt coram A.C. Econversò autem Capitulum prædictum curavit causam per Breve Apostolicum committi alteri Judici in partibus, atque in huiusmodi controversia, adeuntibus partibus Signaturam justitiæ.

Pro dictis Regularibus scribens, dicebam fundatam esse eorum intentionem pro remissione causæ ad A. C. cùm non dubitetur ipsum esse Judicem competentem appellationis à quibuscumque causis extrà Curiam, ut constat ex ejus facultatibus impressis *post Salust. in ejus praxi*, ac etiam deductum habetur *per Scacc. de appellat. qu. 8. nu. 99. & 115.* & sæpius dixit Rota præsertim *decis. 36. num. 1. & 28. par. 10. recent.* Data verò competentia, certum est, electionem esse appellantis ex deductis per eundem *Scacc. dict. tract. quæst. 5. num. 99.* 2

Non negabantur hæc per alterius partis defensores, utpotè notoria, & quotidie practicata, sed dicebatur ea procedere in aliis causis, non autem in beneficialibus, in quibus quicquid aliquando dubitatum fuerit, hodie per Signaturam & in Curia receptum est, A.C. non habere jurisdictionem, neque esse Judicem competentem, quod ego stante moderna praxi, & opinione, in qua residet Signatura non nrgabam, dum etiam Rota non semel eundem sensum habuit, ut præsertim habetur *apud Achill., decis. 24. de appellat. Gregor. & adden. decis. 118. nu. 4. Coccin. decis. 169. num. 1. Cavaler. decis. 32. & 124. decis. 99. num. 20. part. 10. recent.* & in alis. 3

Repliçabam tamen, vel id non procedere, quoties non agitur de decidenda causa beneficiali in petitorio, sed solùm ubi de simplici executione literarum Apostolicarum pro assequutione possessionis beneficii in processu executivo competente literis Apostolicis, quarum generaliter A.C est executor, etiam si essent super provisione beneficii juxtà modernas facultates ex deductis *per Coccin. decis. 169. num. 5. Roias decis. 315. nu. 4. add. ad Buratt. decis. 299. num. 6.*

Vel objectum non intrare ex defectu applicationis, eò quia non agebatur de causa beneficiali, quæ tunc dicitur, quando agitur inter duos provisos contendentes de titulo, ac pertinentia beneficii, Secus autem ubi lis est super jure conferendi vel præsentandi, sive super unione, ac similibus controversiis, in quibus beneficium sit benè occasio litis, illa verò non percutiat ejus titulum vel pertinentiam inter duos provisos, sed diversum effectum, ut magistraliter in materia, casus distinguendo, habetur in materia, casus distinguendo, habetur apud *Coccin. decis. 43.* Et in specie, quod ubi agitur de unione, causa non dicatur beneficialis *Coccin. decis. 169. nuus. 2. Cavaler. decis. 472. num. 4. Gregor. decis. 562. num. 1. adden. ad eundem decis. 174. num. 7.* 4

Signatura, consentiente hac parte, imò desiderante, causam commisit Rotæ, cui causæ Leodienses committi solent, ut *apud Buratt. decis. 825. num. 6. ubi add.* Id enim quod effugi quærebatur erat, nè remitteretur judicibus de partibus, coram quibus ob majorem Capituli oppositoris potentiam, Patres de eorum justitiæ admissione satis dubitant, cùm sæpius ista, quæ solum ordinem concernunt ad justitiæ, ac negotii principalis determinationem influere soleant. 5

***

ROMA-

ROMANA DECIMÆ

PRO

CARDINALIBVS RAGGIO ET LOMELLINO,

CVM

CAMERA APOSTOLICA.

Casus resolutus per Congregationem particularem deputatam pro dictis Cardinalibus.

De jurisdictione Thesaurarii Generalis competente *ex Constitutione 100. Sixti V.* dictique Thesaurarii participatione de decima omnium incamerationum, An procedat in Provinciis & Regionibus extra Italiam, in quibus accidentaliter contingat, eumdem Thesaurarium aliquam superioritatem vel auctoritatem habere.

An eadem jurisdictio in eodem loco vel genere possit pluribus eodem tempore competere, & quando ejus specialis concessio uni facta censeatur cumulativè ad alterum, vel privativè.

SVMMARIVM.

1 DE *jurisdictione Thesaurarii generalis ejusque participatione de spoliis.*

2 *Officium collectoris spoliorum aliàs erat diversum ab illo Thesaurarii.*

3 *Pars addita vel reversa ad Regnum vel Principatum, cadit sub eadem jurisdictione & legibus.*

4 *Sub legato rei venit pars addita.*

5 *An dari possint duo capita in eodem corpore, & sic duo cum eadem jurisdictione & legibus.*

4 *Sub legato rei venit pars addita.*

5 *An dari possint duo capita in eodem corpore, & sic duo cum eadem jurisdictione, declaratur.*

6 *Concessa eadem jurisdictione pluribus, censetur in dubio cumulativè.*

7 *Dantur plures casus in jure, in quibus per jurisdictionem datam uni non censetur adempta jurisdictio alterius.*

8 *Per deputationem Visitatoris particularis non censetur adempta jurisdictio Visitatoris generalis.*

9 *An detur hic concursus in jurisdictione delegata.*

10 *De quarta parte pœnæ competen. Iudici in causis contraventionum.*

11 *Quando rescriptum Principis directum Officiali ordinario dicatur importare delegationem vel excitationem jurisdictionis.*

12 *Exercens duplex officium, percipere potest duplex emolumentum.*

DISC. LXXXV.

DIsponente *Constitutione* 100. *Sixti V.* Thesaurarium Generalem esse debere universalem collectorem omnium spoliorum per Italiam, excepta Nuntiatura Regni Neapolitani, Nec non participare debere de decima parte omnium incamerationum, exceptis illis quæ fierent in Regno prædicto, ac etiam excepta Nuntiatura Hispaniarum, de cujus spoliis & emolumentis ad Urbem transmittendis, Thesaurarius pro sola quinquagesima participat. E

Cum Principatus Cataloniæ, & Comitatus Rossilioni sub Hispaniarum Nuntiatura existentes, ob immutatam de facto dominationem continuare non possent sub prædicti Nuntii administratione, & jurisdictione; Hinc proinde Sedes Apostolica per modum provisionis, & ne interim ejus juribus ita præjudicatum remaneret, in hujusmodi Provinciis, Thesaurario Generali spoliorum, curam, & administrationem commisit, ut ibi commissarios, aliosque ministros à prædicto Nuntio aliàs deputari solitos deputaret; Sed póst aliquod tempus per litteras in forma Brevis particularem Collectorem directè ibidem deputavit, qui tamen Thesauratio prædicto quamdam subordinationem tanquam inferior minister semper professus est & agnovit, recipiendo ab eodem ordines oportunos circa pecuniarum transmissionem, & alia contingentia; Quibus sic stantibus, tam Cardinalis *Raggius* pro tempore quo fuit Thesaurarius, & sub quo ista innovatio contigit, quàm Cardinalis *Lomellinus* in officio successor, suam decimam, eodem modo, quo de cæteris Italiæ spoliis percipiunt, de istis etiam perceperunt; Verùm in computorum redditione, opponentibus Cameralibus, quod de hujusmodi spoliis, non decima, sed solum quinquagesima eis debita esset, atque deputata per Papam Congregatione particulari aliquorum Clericorum Cameræ.

Assumpta desuper disputatione, præcipuum ac totum fundamentum Cameralium in eo consistebat, quod Thesaurarii jurisdictio cum jure

participandi de decima, restricta esset ad Italiam, expresse exceptis, tam Nuntiatura Regni Neapolitani, quàm illa Hispaniarum, sub qua istæ Provinciæ veniebant, Unde cum de jure communi statutum non esset, quod Thesaurario aliqua participatio deberetur, atque illa competens ex dicta Constitutione restricta esset ad certas provincias vel regiones, illas egredi non poterat; Et multò minus ex tempore quo particularis Collector per Papam directè & immediate deputatus fuerat, cùm hic dicendus esset subrogatus in locum Nuntii Hispaniarum ejusque partes supplere, & per quam deputationem cessasse dicebant eam jurisdictionem seu administrationem, quæ provisionaliter, donec ad hujusmodi deputationem deveniretur, Thesaurario demandata erat.

Pro dictis autem Cardinalibus pro tempore Thesaurariis scribens, distinguendo pro faciliori resolutione quæstionem in duas inspectiones, 2 Unam scilicet pro tempore quo solus Thesaurarius absque dicto speciali Collectore administravit, Alteram verò à dicta deputatione citra; Quatenus pertinet ad primam, ponderabam, attento tenore dictæ Constitutionis *Sixti* respectu decimæ vel aliorum emolumentorum ad Thesaurarium pertinentium, nullam adesse restrictivam intrà Italiam vel alios fines, cum *in §. 8. cum duobus seqq. & §. 42. post med.* generaliter & indefinitè sibi concedantur, *decima, & taxa*, aliaque emolumenta de spoliis, bonis vacantibus, ac redditibus malè perceptis, nec non illicitis negotiationibus, & quibuscumque incamerationibus & proventibus hujusmodi.

Restrictiva autem seu enunciativa Italiæ legitur, tam *in §. 2.* quàm *in §§. 12. & 18.* quoad exercitium collectoriæ ac jurisdictionem & facultatem exigendi, Possunt autem simul stare quod jurisdictio Thesaurarii in ordine ad collectoriam restricta sit intrà certos fines vel causas, jus autem emolumentorum ratione Thesaurariæ sit indefinitum, & generale, ita ut ista sint duo munia, aliàs separata, ita insimul unita, ideoque diversis modis ac respectibus exercenda, & regulanda, cum ejusdem Constitutionis tenor ostendat, præteritis temporibus unum officium fuisse ab alio separatum.

Quodque jus participandi de emolumentis juxta ratas, vel ab antiqua consuetudine, vel à dicta præscriptione taxatas, sit quid diversum à collectoria, comprobari dicebam ex eo, quod etiam intra Italiam, duo adsunt Principatus habentes Collectorem, qui habeat annexum duplex munus Nuntii & Collectoris Apostolici, ut sunt Ducatus Sabaudiæ, & Ducatus Florentiæ, in quibus absque dubio Thesaurarius dici non potest Collector; Et nihilominus Thesaurarius eamdem decimæ participationem habet, Ergò decima non est ratione collectoriæ ita restrictæ, sed est ratione participationis quæ Thesaurario, generaliter & indefinitè in casibus non limitatis competit; Pro ut in Regno Neapolitano, & in illis Hispaniarum, Thesaurarius nullam exercet collectoriam, & tamen participat de quinquagesima, non ratione muneris Collectoris, sed ratione alterius muneris Thesaurarii.

Ideoque stante quod respectu participationis independentis à collectoria, ejus intentio dicitur generaliter fundata in quibuscumque spoliis & incamerationibus ubicumque fiant, cessante solum in casibus exceptuatis, tanquam in limitationibus regulæ generalis, punctus erat, stante exceptuatione Nuntiaturæ Hispaniarum, sub qua ista etiam Provincia comprehendi retroactis temporibus solita erat, & ex cujus spoliis Thesaurarius non nisi quinquagesimum percipere consueverat, An eadem Provincia pro tempore quo sub dicto Hispaniarum Nuntio non esset, sed subesset ejusdem Thesaurarii administratione immediata vel mediata ut supra, regulari deberet juxta antiquum morem, vel potius eo modo, quo reliqua loca exceptuata regulantur.

Atque in hoc probabilius pro jure Thesaurarii cum sensu etiam veritatis, omninò respondendum dicebam, quia exceptuatio non est de ipsis Regnis, Provinciis vel locis sed de ipsa *Nuntiatura*, ideoque intelligenda est de illis locis quæ sub dictæ Nuntiaturæ jurisdictione & administratione veniunt, cum limitatio sit ratione Magistratus, Unde quemadmodum si Sedes Apostolica aliquam insulam Italiæ adjacentem, seu etiam aliam partem dictæ Nuntiaturæ uniret, ac submitteret, ista pars, tamquam species alluvionis eamdem in proposito assumeret naturam & qualitatem, quia exceptuatio est de Magistratu non de locis, Ita è converso, si ab eodem Magistratu vel Præsidatu aliqua pars dismembraretur vel accidentaliter cessaret, illa tanquam in casu extra limitationem, & tanquam per reversionem ad suam causam generalem, dicitur esse in casu regulæ, & consequenter cadere sub jurisdictione & administratione Thesaurarii tanquam Officialis Generalis jura Cameræ administrantis in omnibus illis locis in quibus cessat illa specialis circumstantia, quæ ab hujusmodi generica jurisdictione eximebat.

Utpote, pro toto Regno deputatur Vicarius vel alter Magistratus Generalis, cui aliqua causarum universitas demandata sit, à qua jurisdictione exempta sint loca infeudata, proprios feudatarios ac Dominos mediatos habentia; Si casus præbeat, quod feudum devolvatur, seu alias esset illa causa, quæ eam Regni partem à jurisdictione Vicarii Generalis seu à legibus Regni exceptuabat, tunc tanquam pars totius, revertens ex cessante ratione separationis ad suam integritatem & causam, illicò cadit sub dicta generica jurisdictione ac legibus *ex theor. Guglielm. de Cuneo in l. si convenerit §. si nuda ff. de pignorat. action.* ubi optimè *Bar.* cum quo cæteri pertranseunt *Bal. in cap. Imperialem §. Præterea Ducatus numer. 7. in fine de prohib. feud. alienat. per Feder. Natt.. cons. 340. nu. 25.* & habetur deductum *in Urbinaten. sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum. disc. 83.* ubi quod dicta Bulla, utpote comprehendens solum Statum mediatum, de tempore editionis non complectebatur Statum Urbini tanquam infeudatum, sed benè complectitur hodie à tempore devolutionis citrà, cùm ita effectus sit Status immediatus, quicquid parum tutè in proposito dixerit Rota in ea causa. 3

Et ultrà dictum exemplum, tam theoricum quàm practicum, adducebam alterum de Tribunali S. Consultæ, quod comprehendit universum Statum Ecclesiasticum, exceptis Provinciis vel locis caden-

cadentibus sub Legationibus, Ae etiam, vel de jure, vel de facto non solebat se ingerere in Statibus Castri & Reconcilionis infeudatis; sed postquam dicti Status per concordiam cessi fuerunt Cameræ, S. Consulta, non jure novo, sed ex generali facultate in universo Statu, ac omnibus ejus partibus non exceptuatis, tanquam ex cessante limitatione seu impedimento suam exercet jurisdictionem; Et pariter, sicuti aliqua Civitate Status addita uni Legationi, ejus naturam assumeret, & à Consulta exempta maneret, ita si quæ Civitas aliàs sub Legatione comprehensa ab ea eximeretur, illa caderet sub dicta jurisdictione Consultæ, non obstante antiqua exceptuatione, quia illa directa est ad Magistratum non ad loca sub eo existentia, ad quod conferunt deducta *in Romana bulli alearum sub tit. de Regalibus disc.* 80.

Hinc proinde inferebam, quod quando Papa ob accidentalem hujusmodi provinciarum separationem à Nuntiatura Hispaniarum, earum administrationem Thesaurario demandavit, non fuit aliqua specialis delegatio, seu novæ aliàs non competentis jurisdictionis concessio, sed explicatio ejus quod de jure inerat, ac potiùs excitatio quàm delegatio juxtà terminos *tex. in l. quod in rerum §. si quis post ff. de legat. 1.* ubi disponitur, quod si Testator leget alicui fundum Tusculanum, deidenque huic fundo aliud prædium adjiciatur, vel per alluvionem, vel per additionem, sive per cessationem illius causæ, quæ aliquam partem separabat, tunc totum cedit legatario, quoniam ista dicitur superadditio de una specie facta generi, per quam totum remanet genus, & ex cujus text. terminis DD. ibidem & alibi communiter hanc jurisdictionalem materiam regulant.

Clarius autem, attento hoc primo tempore, pro Thesaurarii participatione prædicta, omninò respondendum veniebat, quia cessabat Cameræ præjudicium, cum de tempore quo eædem Provinciæ sub Nuntiatura Hispaniarum cadebant, Camera eamdem diminutionem pateretur, ex quo Nuntius dictam participationem ratione collectoriæ assequebatur; Igitur dum Thesaurarius utrumque munus gerebat, saltem tanquam subrogatus in locum Nuntii, & rationem dicti alterius muneris, percipere debebat emolumentum, cujus duplicitas ratione duplicitatis muneris, quod unus & idem exerceat de jure non est prohibita, ex iis quæ in fine hujus discursus habentur *in Romana quartæ* pro eodem Cardinali *Raggio*, Ideoque respectu istius primi temporis casus videbatur omninò planus, qualis etiam à Judicibus reputatus fuit, ipsis etiam Cameralibus hujusmodi veritatem agnoscentibus, cùm nullum exinde Cameræ damnum ac præjudicium resultaret.

Major igitur difficultas erat circa alteram inspectionem secundi temporis, in quo Sedes Apostolica in his Provinciis particularem Collectorem deputaverat, nimiam enim difficultatem faciebat novum damnum & præjudicium, quod ita Cameræ resultabat, dum Collector obtinebat eam participationem quam Nuntius habere consueverat, & ulterius Thesaurarius solam quinquagesimam de præterito obtinere solitus, ita decimam obtineret, unde Cameræ damnum erat clarum, atque hoc erat potissimum Cameralium fundamentum, quod Judicibus etiam non levem faciebat impressionem, Quare pro hoc secundo tempore, cum aliquo honesto temperamento controversia sopita fuit.

Dicebam tamen totum punctum esse, an per hujusmodi particularem deputationem cessasset præcedens incumbentia; quam Papa in istis Provinciis Thesaurario dederat, ita ut dicto Collectore omninò subrogato in locum Nuntii, locus fieret exceptuationi de qua supra; Si enim ita esset, admittebam intrare objectum ex ratione exceptuationis seu limitationis prædictæ, secus autem è converso, quia si Thesaurarius, non obstante hujusmodi deputatione, tanquam extrà casum limitationis, allegare poterat dictam regulam generalem sibi assistentem, curandum non erat de Cameræ præjudicio exinde resultante, quoniam allegare inconveniens non est solvere argumentum; Præsertim quia neque omninò inconveniens vel novum est, ex eisdem spoliis & incamerationibus, duplicem detrahi officialium participationem, unam scilicet ad commodum Collectoris, & alteram in integra decima ad commodum Thesaurarii, ut practicatur in supradictis Ducatibus Florentiæ & Sabaudiæ; Ideoque dicebam quod sibi imputaret Papa, cur quando particularem Collectorem deputavit, non cogitavit ad jurisdictionem generalem Thesaurarii, neque limitationem in Constitutione *Sixti* contentam respectu Nuntii Hispaniarum, repetiit in ista collectoria, dum iste Collector ex forma suæ deputationis, dici non poterat Locumtenens Nuntii prædicti, seu in ejus locum subrogatus, quia Princeps istarum Provinciarum tunc possessor, prætendens eas esse ab Hispaniis omninò separatas & diversas, hujusmodi deputationis formulam nullatenus admisisset.

Restricta igitur disputatione ad istum punctum, an scilicet per dicti Collectoris particularem deputationem, omninò cessasset prior Thesaurarii jurisdictio, ex dicta deputatione Papæ, vel ex dicta Constitutione *Sixti* resultans; Camerales præ- 5
cipuum ac totum fundamentum constituebant in incompatibilitate jurisdictionis penes utrumque officialem, ita enim dicebant dari debuisse duo capita in eodem corpore, quod est monstrum de jure non admittendum *ad tex. in cap. quoniam in plerisque §. prohibemus de offic. ordinar.* & de qua propositione sæpius *hoc tit.* cum similibus, & ex qua ratione inferebant, quod per hanc secundam deputationem, omninò cessaverat prima.

In contrarium tamen dicebam assistere veritatem, seu majorem probabilitatem, cùm objectum rectè caderet in muneribus seu officiis incompatibilibus, in quibus jurisdictio, uni tantum in solidum privativè ad alios competere debeat, ut est casus *tex. in dicto cap. quoniam in plerisque §. prohibemus*, de duobus scilicet Episcopis in eadem Cathedrali non dandis, Tùm ex eo quod duo sponsi unius mulieris dari non possunt; Tum etiam quia si Episcopus habere debet solus tanquam illius Ecclesiæ caput universam jurisdictionem, incompatibile est dare in altero eamdem jurisdictionem Episcopalem ratione dicti absurdi duorum capitum in eodem corpore; Secus autem ubi concursus plurium est compatibilis ex diversitate tituli vel respectuum, quia sicuti non implicat, ut ejusdem rei dominium, quod penes duos in soli-

dum esse non potest, penes plures tamen existat diversis respectibus, ex iis quæ habentur *sub tit. de feudis disc. 61. & 62. & alibi.* Ita idem non implicat in jurisdictione, quia nempe unus eam habeat ordinariam, alter delegatam, sive unus universalem, alter specialem, vel unus superiorem, alter inferiorem & subordinatam, *ut ex Bar. in l. 1. §. hoc autem edictum ff. de novi oper. nunciat. benè Aretin. in l. quod in rerum §. si quis post ff. de legato primo*, 6 constituentes proinde regulam, ut jurisdictio uni concessa censeatur, potius cumulativè, quàm privativè, de qua ultrà *Aretin. ubi suprà*, optimè tractantem, *Bar. & cæteri in l. prima C. de offic. Præfect. Urb. Gregor. decis. 4. & 8. Buratt. decis. 212. n. 4. & 5. Rota decis. 457. num. 15. & seq. par. 5. recent. & Japius.*

7 Hinc *in auct. l. prima C. de off. Præfecti Urbis* disponitur, ut per deputationem unius Officialis ad Annonam, adempta non censeatur jurisdictio generalis ejusdem Annonæ Præfecti, quia rectè jurisdictionis ac munerum subordinata societas dari potest, ut benè probat text. ibi. *sitque societas muneris, ita ut inferior gradus meritum agnoscat*; Et in *leg. adiri ff. de offic. Præfecti Urbis*, quamvis Consuli argentariorum detur in istos jurisdictio specialis, non per hoc tamen adempta dicitur jurisdictio Magistratus generalis; Prout *in l. ultima Cod. ubi causæ fiscales, &c.* per jurisdictionem concessam Comiti domorum in colonos, adempta non dicitur jurisdictio alterius Superioris vel Magistratus generalis; Et *in cap. super hoc de hæreticis in sexto, & Clementina prima eod. tit.* disponitur, per deputationem particularis Inquisitoris in loco, ademptam non censeri jurisdictionem Episcopi vel Inquisitoris generalis, cum similibus benè collectis & ponderatis per *Roman. cons. 393. num. 2. cum* 8 *seqq.* Atque per deputationem alicujus specialis Visitatoris, adempta non dicitur jurisdictio Ordinarii seu Visitatoris generalis, quoties præsertim deputatio non est ad partis postulationem sed motu proprio, *Bald. in auth. habita num. 59. Cod. ne filius pro patre, Aretin. cons. 102. num. 2. cum aliis per Gregor. dicta decis. 4. & 8.* & de compatibili concursu Episcopi & Prælati inferioris in eadem diœcesi diversis respectibus habetur *in Toletana jurisdictionis disc. primo*, & in aliis hoc cod. tit ad materiam *tex. in cap. auditis de præscriptionibus.*

Et quamvis Camerales replicarent istam compatibilitatem procedere in jurisdictione ordinaria, 9 non autem in delegata; Attamen dicebam hanc differentiam nullo jure probari, Atque plurium jurisdictionem delegatam concurrere posse probabam præsertim cum casu Monasterii sanctæ Claræ de quo *in Neapolitana hoc eod. tit. disc. 26.* Neque implicare ut penes plures eadem jurisdictio delegata sit, probari dicebam *ex glos. in l. Pomponius*, verbo, *proferre, vers. idem in delegatis, ff. de re judic.* quam sequuntur *Bar. ibidem num. 3. & Alex. num. 6. Dec in cap. causam matrimonii numer. 34. & seqq. de offic. deleg.*

In eadem Congregatione deputata, & pro eodem Cardinali *Ruggio* occasione solidationis ejus computorum, dubitatum fuit de alia partita quartæ partis pœnæ, quam idem sibi applicaverat tanquam Judex causæ per Papam delegatus super quadam contraventione bannimentorum in materia frumentaria, seu annonam respiciente; Cùm enim 10 ex recepta consuetudine, præsertim Cardinalis Camerarii, cum qua cæteri inferiores Officiales Camerales procedere solent, Judex qui tractat causas contraventionis bannorum, loco sportularum, seu emolumentorum, percipiat quartam partem pœnæ, alia quarta parte accusatori applicata, ita ut dimidia solùm incameretur, ex qua tanquam incameratione, idem tanquam Thesaurarius suam generalem participationem decem pro centenario etiam habuerat; Dicebant Camerales id fieri non potuisse, eumque contentum esse debere sola decima sibi competente tanquam Thesaurario, sub cujus officii nomine dicta causam tractasse censendum erat, quia Papa rescribente Officiali ordinariam jurisdictionem habenti potius excitatio quam delegatio dicitur.

Verum dicebam contrarium esse probabilius, quia tunc dicitur excitatio, & non delegatio, quando est circa ea quæ idem officialis facere poterat vel 11 solebat, quod in præsenti negabatur, quia in hujusmodi causis, utpotè ad Cardinalem Camerarium, sive ad Annonæ Præfectum spectantibus, Thesaurarius, vel non habet, vel exercere non solet suam jurisdictionem, unde dicitur delegatio ex *Bar. in l. more num. 5. ff. de jurisd. omn. jud. Jas. ibid. num. 61. Socin. num. 62. Surd. consil. 354. num. 30. Menoch. consil. 340 num. 23. & 33. cum seqq.* Atque sufficit jurisdictionem ordinariam in aliquo alteratam esse ut delegata dici possit, *Surd. dicto consil. 354. num. 28. & seqq. Rota in Brixien. fideicommissi, 24. Martii 1642. Bichio*, Nil obstante quod procedendo se dixerit Thesaurarium, quia id non tollit delegationem, dum dixit etiam procedere, non ex suis ordinariis facultatibus, sed de ordine Papæ, & ex ejus speciali deputatione, *Seraphin. dec. 549. nu. 2. Romana Salviani 15. Decemb. 1614. Sacrato, Spoletana hæreditatis 2. Aprilis 1618. coram Pamphilio aliàs Innocentio Decimo.*

Posita verò delegatione, ita ut censendus esset tanquam subrogatus in locum Camerarii, cui aliàs causam tractanti quarta debita fuisset, Nil referre 12 dicebam, quod etiam decimam percepisset, quia in jure receptum est, ut uni eidemque personæ duplex officium gerenti, duplicatum stipendium debeatur, Eodem modo quo deberetur, si officia essent penes duos distincta, ad *tex. in §. illud*, verbo *periculum ubi glos. auth. ut judices sine quoque suffragio*, & probat etiam *tex. in l. his scholaribus in fine Cod. de erogat. militar. annon. lib. 12.* & explicitè firmant alios reportantes, *Bal. in l. si consul la prima, numer. ultimo ff. de adoption. Castr. in l. si eadem num. 4. ff. de officio assess. benè Roman. cons. 25. ubi longa additio Gaill. lib. 1. obser. 44. numer. 8. Rovit. in pragm. 1. de muner. official. numer. 4. & in pragm. 15. de official. numer. 19. de Marin. resol. quotid. 312. vol. 1. Rot. decis. 354. numer. 4. & 5. par. 1. recent. 150. num. 23. par. 5. & decis 10. numer. 13. par. 6. recent.* pluresque colligit *Zacchias in tract. de salario* post hanc disputationem edito *quæst. 11. num. 29.*

Et propterea cum Judici agenti causam contraventionis bonorum debeatur quarta, Thesaurario autem, tanquam Thesaurario; absque eo quod nullo modo se ingerat in causa, debeatur etiam decima, dicendum omninò est, quod si ex mandato Principis, ille qui est Thesaurarius, deputetur etiam Judex, utrumque emolumentum consequi debeat, dum ita nulli fit injuria, & præjudicium; Si enim causa cognita fuisset ab alio Judice, puta Camerario, utique ista duo emolumenta erant præstanda, unum Judici, alterum Thesaurario, Ergò nil interest partibus, quod ista emolumenta quæ jam solvenda erant, intrent in unam, vel

vel in duas burſas , Atque irrationabile videtur, quod Theſaurarius , qui abſque labore vel opera, nec quidem minima , conſequitur decimam de incamerationibus tanquam nudum emolumentum officii, debeat eamdem decimam, & non aliud percipere in cauſis per eum ex Principis delegatione tractatis , & in quibus laborat , nam ita remaneret labor totaliter ſine præmio, cùm ut dictum eſt, decima non ſit præmium laboris ſed emolumentum certum officii, etiam ſine labore , Ideoque ſicuti decima fuiſſet debita ſi cauſa tractata fuiſſet, coram Camerario, cui etiam quarta deberetur, ita in præſenti, atque ita judicatum fuit.

ARELATEN.
PENSIONIS

PRO

PETRO SERANTONIO ET CONSORTIBUS

CUM

MARCHIONE BICHIO,

Caſus diſputatus coram A. C. & in Signatura juſtitiæ & variè reſolutus, ut infrà.

Ad materiam tex. *in l. hæres abſens ff. de judic.* An ſcilicet & quando hæres perneceſsè conveniri debeat pro debitis defuncti in loco ſui domicilii , vel conveniri poſſit in foro defuncti, vel ubi eſt hæreditas ſeu major pars bonorum.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *An & quando hæres ex perſona propria declinet forum defuncti.*
3 *An differant in hoc hæres beneficiatus, & non beneficiatus.*
4 *In quo foro hæres ſit conveniendus ad legata & fideicommiſſa præſtanda.*
5 *De abſurdo , ut hæres declinet forum defuncti.*
6 *Declaratur propoſitio, quod hæres poteſt conveniri in foro ſui domicilii.*

DISC. LXXXVI.

1 Occaſione permutationis, quam de anno 1643. fecit Cardinalis *Bicchius* Abbatiæ de Corneville, *Rotomagen.* diœceſis per ipſum poſſeſſæ , cum Abbatia ſancti Petri de Monte majori *Arelaten.* ſeu *Nullius* poſſeſſæ per Abbatem de *Breves* , ad iſtius favorem pro inducenda permutationis æqualitate, reſervata fuit penſio librarum 1800 pro cujus ſolutione fidejuſſerunt Cantarini, & Serantonii in Civitate Pariſien. negotiatores . Qui cum pro pluribus terminis de proprio ſolutis dicto penſionario, vel tanquam ejuſmodi penſionarii ceſſionarii quoad commoditatem in commercio exiſtentem, eſſent creditores dicti Cardinalis , atque hic moriens in Urbe, ibique condito teſtamento , hæredem inſtituiſſet Marchionem nepotem in Civitate Senatum ipſius Cardinalis ac hæredis patria reſidentem ; Hinc proinde judicium in Curia coram A. C. pro diſtorum terminorum decurſorum ſolutione dicti creditores inſtituerunt contra dictum Marchionem, ſuper bonis tamen hæreditariis Cardinalis ; Marchione autem declinante forum , ac petente, attenta prima inſtantia , remitti cauſam ad forum ſuum , qui erat inſimul originis & domicilii, Judex præviis pluribus diſputationibus, dicta petitione rejecta , decrevit proceſſum ad ulteriora, Unde reus adivit Signaturam juſtitiæ , quæ non abſque votorum ſciſſura reſcripſit de remiſſione cauſæ ad partes , procedendo cum generali diſpoſitione *Sac. Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform cap. 20 incipien. cauſæ omnes*; Ut omnes cauſæ in prima inſtantia coram locorum Ordinariis cognoſci debeant.

Mihi ſcribenti pro actoribus, reflectendo etiam ad veritatem, reſolutio Signaturæ non placuit, utpotè nulli probabili fundamento innixa, quoniam cum Cardinalis debitoris forus competens, tàm ratione Cardinalitiæ Dignitatis, quàm etiam domicilii in Urbe, ubi obierat, ac teſtamentum condiderat, majoremque partem bonorum habebat, eſſet dicta Curia ſeu Tribunal A. C. non poterat hæres ex ejus propria perſona hunc forum declinare, ac trahere creditores invitos ad forum ſuum , juxta textum expreſſum *in l. hæres abſens ff. de judic.* Et 2
licèt verba *text.* enunciare videantur præſentiam hæredis in eodem loco , Nihilominus dicebam, magis communem & veram opinionem eſſe , ut id non requiratur de neceſſitate, ſed ad ſuperabundãtiam , quod ſcilicet tunc tutius & clarius iſte forus non ſit declinabilis., Non inde tamen reſultat, quod ſi non eſt præſens , licitum ſit forum defuncti pro iſtius debitis declinare , trahendo perneceſsè creditores ad forum ſuum diverſæ Provinciæ, & Principatus , ut rejecta ſententia *Angeli* & aliorum de quibus apud *Carleval. de judic. tom. 1. quæſt. 5. num.* 290. magis communem eſſe opinionem *Bartoli* & ſequacium , poſt *Barboſ. in eadem l.* ab iſto totum mutuando, probat *Carleval. ibid. num.* 288. & 292. ac habetur *apud Franch deciſ. 234. 364. & 553.* ubi ſolum dubitatur in caſu privilegii competentis , vel de jure communi hæredi ex perſona propria , ut eſt illud *leg. unic. C. quando Imper.* vel etiam de jure ſpeciali , de quorum neutro in præſenti agendum erat , quia neque unum neque alterutu concurrebat.

Conſiderabam præterea , tunc aliquam difficultatẽ in hoc puncto cadere poſſe quãdo ageretur de actione merè perſonali contra ipſum hæredem in perſona & bonis propriis , quia abſque beneficio inventarii & juris noviſſimi, tanquam effectus una & eadem perſona cum defuncto , teneretur inſolidum, & de proprio creditoribus hæreditariis , ut 3
ante inventum beneficium inventarii de jure diſpoſitum erat ; Secus autem ubi agitur de hærede beneficiato , atque creditor non agit contra ejus perſonam & bona propria, ſed contra bona hæreditaria, in ipſo defuncti foro exiſtentia , ut in præſenti agebatur, tunc enim caſus videtur planus.

Ex ea clara ratione, quod hæres beneficiatus hodie non dicitur verè & propriè hæres , ſed potius reputatur tanquam adminiſtrator hæreditatis , quæ dicitur corpus fictum , ſeu intellectuale ſtans de per ſe , ita ut inter ipſam hæreditatem , ac perſonam propriam hæredis , ſublata per jus noviſſi-

simum *in l. fin. C. de jure deliberan.* actionum confusione, adesse possint actio & passio, ob duas formales diversas personas in una persona materiali concurrentes ex deductis *apud Mantic. decis. 326. Capic. Latr. consult. 13. nu. 2. & 3. Hodiern. contr. 31. num. 18. Rouit. decis. 48. num. 11.* & passim in sua materia *sub tit. de hæred.* Unde propterea, cùm hæreditas, vel tota, vel pro majori parte quæ reliquum ad se attrahit, esset in Urbe, ubi etiam domicilium habebat Testator ibi defunctus, ac ubi hæreditatis aditio facta erat, ibi ipse defunctus representari dicitur, neque administrator ad alias regiones divertendo, trahere potest creditores vel alios jus habentes super ipso corpore intellectuali existente sub sua administratione.

Quod clarius comprobari dicebam ex communi traditione originata *ex glos. magistrali in l. quod legatur ff. de judic.* cum qua pertranseunt *Bar. Bal. Angel. Castren. & cæteri ibidem, Cyn. in l. unic. Cod. ubi de fideic. agi oporteat*, & alii de quibus *in Montis Alti seu Maceraten. fideicommissi hoc eod. tit. disc. seq.* 4

Quando enim disputant præfati Doctores & alii in quo foro hæres ad legatorum seu fideicommissorum præstationem cogi possit, distinguunt, quod Aut agitur de legato speciei, ad quam intentetur judicium reale, & istud intentari possit, vel in loco domicilii hæredis, vel in loco ipsius rei sitæ; Aut de legato quantitatis seu generis, vel etiam de legato speciei petendo in actione personali, & tunc, vel in ejusdem hæredis domicilio, vel ubi est hæreditas, qua divisa in bona in diversis locis existentia, attenditur locus ubi est ejus major pars, seu, ut alii volunt, est ejus caput, quasi quod actio fiat, seu regula sumi debeat à prædominanti, ut latius in *dict. Montis alti disc. seq.* Et quando per modum dubitandi excitatur, an esset competens forus defuncti, concludunt negativè, non ex alia ratione, nisi ex ea quod legatum seu fideicommissum non est debitum defuncti, sed hæredis, oriens post mortem testatoris, cujus persona in consideratione non habetur, quasi quod ubi ageretur de debito ipsius defuncti, pro absoluto apud DD. haberetur, istius forum esse competentem, Multò magis ubi copulativè concurrunt iste, & alter loci ipsius hæreditatis seu ejus majoris partis.

Accedente etiam alia viva ratione nimium manifesti absurdi aliàs ubique resultantis, fortius verò in Urbe, quæ est communis patria, ex omnibus ferè nationibus etiam ultramontanis & remotis constituta, Prorsus enim absurdum videretur, quod aliquo Curiali Germano, Hispano, Gallo, Polono, vel alterius regionis in Curia vivente, ibique majorem partem bonorum suorum habente, si juxta regulariter prudentem ac laudabilem naturæ ordinem, hæredes instituat attinentes in patria originaria existentes, cogendi essent creditores, vel alii prætendentes jus ac actionem habere ad bona hæreditaria in Urbe existentia, adire Germaniam vel Poloniam, aliasque remotas regiones, ut judicium in loco domicilii hæredis ageretur, quo nil absurdius, & contra communem praxim, unde propterea parùm probabilis hujusmodi resolutio videbatur, nulli innixa solido fundamento. 5

Quando siquidem *DD. in d. l. quod legatur ff. de judiciis, & in d. l. unica Cod. ubi de fideic. agi oporteat*, ac etiam *in l. 1. C. de hæredit. agatur*, firmant competentiam domicilii hæredis, non dicunt, quod etiam respectu legatariorum agentium in actione personali, iste esset forus necessarius, sed solùm illum firmant per possibile, ad commodum scilicet & favorem ipsorum legatariorum, vel aliorum agentium contra hæredem, qui conventus in loco proprio domicilii, excipere de incompetentia, quodque conveniri non posset nisi in loco hæreditatis, qui absolutè supponitur magis propriè competens, sed rejicitur exceptio ex eo quod etiam ille proprii domicilii talis reputandus esset, unde propterea iste forus stat ampliativè non autem privativè, & restrictivè ad alterum, qui supponitur forus magis regularis, ut ex lectura agentium de materia ut suprà. 6

MONTIS ALTI

SEU

MACERATEN. FIDEICOMMISSI

PRO

BARBARA ET BEATRICE DE ANTONINIS

CUM

PATRIBUS SANCTI DOMINICI MACERATÆ.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Patribus, pendet in Rota.

De foro competenti in quo hæres fideicommisso gravatus conveniri possit vel debeat ad ejus restitutionem; Et quid de legatis & fideicommissis particularibus; Et aliqua de incompetentia Tribunalis A. C. in prima instantia extrà Curiam.

SUMMARIUM.

1 FActi series.
2 *Ad inducendam veram contumaciam, & ut procedi possit per contradictas, requiritur prima citatio personalis.*
3 *Defectus citationis unius influit in totam causam, etiam respectu citatorum.*
4 *Citatus coram incompetenti non tenetur comparere, & non potest reputari contumax.*
5 *A. C. in prima instantia extrà Curiam non est competens.*
6 *Judex regulariter incompetens si ex aliqua causa sit competens, tenetur id exprimere in citatione.*
7 *Delegatus citando tenetur inferere delegationem.*
8 *Loca montium circumscribuntur loco, & censentur esse Urbis.*
9 *Quis dicatur forus competens, in quo legati solutio, vel fideicommissi restitutio fieri debeat, examinatur.*
10 *Idemque, ubi quæstio hæreditatis decidi debeat.*
11 *Declaratur conclusio, quod causa tractanda est, ubi est major pars bonorum.*

DISC.

DISC. LXXXVII.

1 MArius Antoninus, *variarum resolutionum* auctor, decedens in Civitate Maceraten. ejus patria, hæredem scripsit germanum fratrem, in cujus, aliorumque fratrum, vel agnatorum descendentia masculina perpetuum fideicommissum ordinavit, cum sæpius, ac enixè expresso desiderio perpetuæ conservationis bonorum in ejus agnatione & familia, qua in totum defecta, substituit Conventum PP. Sancti Dominici ejusdem Civitatis, juxtà magis distinctam facti seriem fortè habitam in hac eadem causa occasione purificationis fideicommissi in sua materia *sub tit. ut. de fideicommissis*; Cùm autem juxtà frequentiorem experientiam, cum qua Deus ostendere videtur punitionem hujusmodi ambitiosæ stultitiæ reddendi perpetua ea quæ in hoc mundo sunt temporalia & peritura, Ad breve tempus universa dicta agnatio, quamvis ex pluribus lineis seu colonellis constituta defecisset, superstitibus tantum præfatis, Barbara, & Beatrice ultimi masculi deficientis sororibus, atque super hujusmodi bonis jus habere prætenderet Comitissa Antonina primi hæredis instituti filia vel descendens, per dictum ultimum masculum deficientem, vel ejus patrem, ratione sexus, exclusa; Ista tanquam vidua ex privilegiò *legis unicæ C. quando Imperator &c.* elegit forum Auditoris Cameræ, coram quo cum dicto præsuppositio introductionis causæ ut supra in ipso monitorio specificato, Patres dicti Conventus prætendentes factum esse casum suæ vocationis ob defectas omnes lineas masculinas, judicium instituerunt immissionis ex remedio *leg. fin. C. de edicto Div. Hadr.* contra præfatas Barbaram & Beatricem, quibus non comparentibus, in contumaciam, ac juxtà Curiæ terminum contradictas, postquam tamen Signatura justitiæ mandaverat moderationem inhibitionis per dictam Comitissam in vim electionis fori ut supra obtentæ cum remissione causæ ad partes, sententiam obtinuerunt super dicta immissione, atque elapso termino ad appellandum, servatis pariter in contumaciam, & per contradictas solitis quatuor terminis, obtinuerunt exequatoriales, quarum vigore adepti fuerunt possessionem nonnullorum locorum montium hæreditariorum in Urbe; Interim verò præfatæ Barbara & Beatrix coram Gubernatore Montis alti, vel tanquam hæredes ultimi gravati, vel tanquam ad fideicommissum vocatæ, utrumque titulum cumulando, continuerunt mandatum de immittendo, de facto exequutum in quampluribus prædiis & bonis stabilibus in ea provincia existentibus; Cumque dicti Patres in vim dictarum exequutorialium adipisci vellent eorumdem bonorum possessionem, Econverso autem præfatæ mulieres peterent ab eodem A. C. exequi mandatum à proprio judice ut suprà obtentum super dictis locis montium in Urbe existentibus; Hinc assumpta desuper disputatione in dicto Tribunali, controversia reducebatur ad punctum validitatis vel invaliditatis gestorum in hoc Tribunali A. C. ad favorem dictorum Patrum, ad effectum inspiciendi, an ipsi dicendi essent legitimi possessores & contradictores, vel potius è conversò, stante hujusmodi gestorum nullitate, possessio habenda esset pro vacua, seu vitiosa, quo casu ipsi dici non poterant contradictores hæredi petenti immitti ad bona possessa per defunctum tempore mortis, cum ad hunc effectum requiratur notorius copulativus concursus trium requisitorum, quod scilicet fideicommissum sit omninò clarum, quod nullæ competant detractiones, quarum sola possibilitas in proposito sufficit, atque possessio non sit vitiosa, ut frequenter in sua materia *sub titulo de fideicommissis*, Quorum requisitorum nullum ità verificabatur, quia stante nullitate judicii, possessio remanebat vitiosa, non constabat de incompetentia detractionum, & quod magis est, dici non poterat clarum esse quod factus esset casus fideicommissi, dum vel probabilius erat quod dictarum mulierum de familia existentia talem purificationem impediret, vel saltem id erat probabiliter dubium ut habetur in hac eadem causa in dicta propria sede *sub titulo de fideicommissis*.

Nullitas autem dicti judicii contumacialis absque necessitate assumendi alium altiorem punctum de quo infrà, de facili convincebatur, ex magis plano motivo deficientis contumaciæ, cum ex ipsius monitorii exequutione constaret, primam citationem, quæ est hujus judicii fundamentum, respectu Beatricis non esse personaliter exequutam sed domi, quæ non sufficit ad effectum ut procedi posset per contradictas, cum pro essentiali fundamento requiratur prima citatio personalis inductiva contumaciæ veræ, vel saltem quod constaret de dolosa latitatione, ac affectato impedimento, ne talis citatio personalis exequi valeat, *ut per Ubert. de citation. cap. 12. numer. 211. Cavaler. decis. 410. numer. 2. Gregor. & adden. decis. 430. Rot. decis. 314, numer. 12. par. 10 recent.* & passim, Unde propterea judicium corruebat etiam respectu correæ personaliter citatæ, dum agebatur de causa omninò connexa & communi, quo casu nullitas respectu unius influit etiam in omnes quamvis citatos, ne unus & idem actus individuus super jure connexo, esset eodem tempore validus, & invalidus, quod implicat, *ut decis. 439. numer. 5. par. 9. recent.* ubi allegatur præcedens decisio in eadem causa edita, in qua id latius firmatur, *detis. 159. numer. 14. par. 11. Otthobon. decis. 170. num. 24. & in aliis.* 2 3

Item cessabat contumacia ob justam excusationem resultantem à justè opinata incompetentia A. C. qua posita non intrat contumacia, quoniam citatus coram judice incompetente comparere non tenetur, & non comparendo reputari non potest verus contumax, ad *tex. in l. fin. ff. de Iurisdict. omn. Iudic. Bar. in l. 2. ff. si quis in jus vocatus non ierit, Grammatic. consil. civil. 108. num. 3. & voto 27. num. 7. Rovit. pragm. 2. ubi de delicto num. 4. Uberi. de citat. cap. 9. num. 27.* Et ideò cum regulariter certa sit incompetentia A. C. in causis primæ instantiæ extrà Curiam, ita ut cessante casu particulari, qui sibi competentiam tribuat, nulliter procedere dicatur, *ut decis. 150. num 1 par. 4. recent. tom 2 decis. 49. & 54. apud Posth. de subhast.* & admittitur *decis. 181. num. 14. par. 10 recent.* Hinc proinde ad constituendum in contumacia, talis judex aliàs regulariter incompetens, in citatione exprimere tenetur causam, ob quam se competentem credat, ut ita facieudum esse ex notatis per scribentes *in cap. 1. de privileg. in 6.* habetur apud *Uberi. dicto numer. 27. vers. item quando ordinarius*, ubi quod cum Ordinarius regulariter cum exemptis competentiam non habeat, eam tamen in plerisque casibus habeat ex collectis per *Barbos. de Episcopo alleg. 105.* & hoc tit. sæpius, Idcircò exprimere tene- 4 5 6

tur illam causam particularem, ad effectum ut citatus agnoscendo se parere teneri, pareat, cum aliàs justam causam credendi habeat, à contumacia excusantem, se non teneri; Ad instar eorum quæ habemus de citatione delegati non afficiente
7 seu non inducente contumaciam nisi inserta delegatione, per quam citatus sciat illum esse competentem, *Achill. decis. 10. de dolo & contum. Gregor. & adden. decis. 127. numer. 1. & 9. decis. 353. n. 4. par. 10. recent. & habetur supra disc. 48.*

Multò magis in hac facti specie, in qua judex in monitorio specificaverat dictæ competentiæ causam, jam sublatam per Signaturam, ut supra, unde propterea citatus justè credidit se non teneri comparere, & consequenter cessabat contumacia, qua sublata corruebat totum judicium per contradictas, fundatum in contumacia vera, non autem ficta vel incerta; Ideoque advertebam, quod Aliud est deducere nullitatem ratione incompetentiæ ac defectus jurisdictionis, Aliud verò ratione cessantis contumaciæ, super qua contrà non citatum ad tot actus processum fuerat, quoniam prætensa competentia ratione majoris partis bonorum in Urbe existentium, ut infrà, salvare potuisset primum defectum, non autem secundum.

Cæterum quatenus pertinet ad punctum competentiæ vel incompetentiæ hujus Tribunalis non negabant scribentes in contrarium dictam incompetentiam in causis primæ instantiæ extrà Urbem, Illam tamen deducebant ratione majoris partis bonorum fideicommissariorum in Urbe existentium, dum facta valutatione bonorum hujus hæreditatis in diversis diœcesibus existentium, constabat, comparativè ad singulas diœceses, majorem partem consistere in locis montium, quæ hodie receptissimum est circumscribi loco Urbis, atque in ea censeri existere quamvis eorum dos esset alibi si-
8 ta, *ut in Viterbien. de Ghisiis apud Rotas inter suas decis. 66.* & in aliis frequenter, ac etiam probè habetur *per Roust super pragm. in rubr. de juribus & exact. Fiscal.* Ideoque inferebant hunc esse judicem
9 competentem ex communi traditione *DD. in l. quod legatur ff. de Judic. per illum tex.* cum concordan. de quibus infrà, ut forus competens restitutionis fideicommissi, dicatur, tam ille domicilii hæredis gravati restitutionem facere debentis, quam ille in cujus loco major pars bonorum sita est, ut firmatur *per Peregrin. de fideicom. art. 53. num. 1. Molin. de primogenstura lib. 2. cap. 13. num. 73. Salgad. in labyrint. par. 1. cap. 4. num 27.* & cæteri, Atque scribentes deducebant etiam *decis. Tappiæ 33.* ubi quod hæreditas cujusdam forensis bona possidentis in Civitate vel Regno Neapolitano, benè in illis Tribunalibus petita fuit ibique confectum præambulum.

Cum autem istud assumptum ita simpliciter Mihi omninò improbabile videretur, ob repugnantiam, tam usus communis. quàm magni absurdi aliàs resultantis, cum frequenter videamus plures industres nationes præsertim Januenses, modica bona stabilia possidentes in patria ob illius territorii angustiam, multa ex hujusmodi juribus cum Principe vel Republica, seu alia bona possidere, ne dum ferè per omnes Italiæ Civitates, sed etiam; in Hispania, Gallia, Germania, Polonia. aliisque remotis regionibus, ac etiam in magna quantitate in Indiis; Idcircò prorsus absonum videtur, quod vivente Testatore in patria, ibique fideicommissum ordinante pro descendentibus aliisque attinentibus in eadem patria existentibus, posset unus de genere vocato, prætendens factum esse casum suæ vocationis, judicium instituere in Indiis aliisque remotis regionibus, atque ab eo judice contrà hæredes gravatos vel fideicommissarios in patria existentes, sub prætextu quo ibi sit major pars bonorum obtinere, nedum illorum possessionem, sed etiam fideicommissi canonizationem, cujus vigore, cum executorialibus ad ejusdem judicis requisitionem concedendis, per aliorum locorum judices, in quibus reliqua bona sita sunt juxtà praxim positam *per Bar. in l. fin. C. de edict. Div Hadr.* insinuatam *à Peregr. dicto art. 53. num. 1.* teliqua omnia bona hæreditaria obtineat, quo nil absurdius.

Quare ponderando doctores per *Peregrinum* ac alios allegatos, atque reflectendo ad solam veritatem, advertebam dictum Doctorem alioquin in ea præsertim fideicommissaria materia doctissimum, ex auctoritatibus tamen per eum deductis convinci de aliquo æquivoco, quoniam *tex. in d. l. quod legatur ff. de judic. & glos. ibidem* verbo *legatario*, quæ reputatur magistralis & cum qua pertranseunt, *Bar. Bal. Angel. Castren.* & omnes, ac etiam *Cyn.* qui eam tenet assumit *in l. unic. C. ubi de fideicommisso agi oporteat*, percutiunt casum legatarii seu fideicommissarii particularis, petentis legatum ab hærede, ac distinguitur, Quod aut agitur de legato speciei, aut de illo genericis seu quantitatis; Primo enim casu, Aut intentatur judicium reale ad ipsam speciem, & potest esse competens forus ipsius rei sitæ, Aut intentatur judicium seu actio personalis, & tunc intrat eadem regula cum qua proceditur in secundo casu legati generis seu quantitatis, ut scilicet possit legatarius convenire hæredem, vel in loco sui domicilii, vel in loco ubi est hæreditas, & quatenus hujus bona in diversis locis vel territoriis sparsa sint, tunc attenditur locus ubi est major illorum pars, Atque in eisdem terminis loquitur *tex. in l. si fideicommissum ff. eodem tit. de Judic. & in l. quinta § fin. ff. ad Trebell.* ubi scilicet agitur de legatario vel fideicommissario particulari pulsante hæredem ad legati solutionem, undè propterea omnia ista jura & auctoritates, verè & propriè non percutiunt casum quæstionis, ubi scilicet pretendens factum esse casum fideicommissi universalis, pulsat hæredem gravatum ad restitutionem.

Magis autem ad rem conservabam facere tradita per *Bar. in d. l. fin. Cod. de edict. Div. Adr. numer. 13.* cum quo pertranseunt *Dec. ibidem numer. 32. & Curt. jun. numer. 60. allegati per Peregrin. ubi supra*, ac alii, ubi agitur, quis nam dicatur judex competens super immissione ex remedio *de-cta legis* concedenda, & dicitur quod judex loci hæredis, vel loci bonorum declarat generaliter immissionem concedendam esse, idemque posteà hortatur alios judices pro executione respectu bonorum in eorum territoriis respectivè existentium; Sed præfati Auctores, remanendo in his generalibus non descendunt ad hæc specialia, quando scilicet existentibus bonis hæreditariis in diversis territoriis, quæstio sit inter plures judices, quisnam dicatur magis competens, coram quo tractanda sit causa universalis seu articulus principalis, an factus esset nec ne casus fideicommissi, Ita ut ejus judicatum faciat statum respectu omnium bonorum in quibuscunque locis existentium, cum id ibi non examinetur.

Casus igitur præcisus quæstionis super restitutione fideicommissi universalis, & an ejus conditio purifica-

purificata sit nec ne, decidi videtur *in l. 1. C. ubi de hæredit. agatur*, ubi quod hæreditatis controversia terminanda est, ubi res hæreditariæ sunt, vel ubi is qui convenitur domicilium habet, certius autem si utrumque insimul concurrit; Licet enim textus loquatur de quæstione hæreditatis, & sic inter primos hæredes, rectè tamen congruit istis terminis fideicommissi universalis, eodem jure censendis, juxtà magis communem, & hodie receptissimam opinionem, ut quæ disponuntur *in l. fin. C. de edict. Div. Andr.* quamvis in litera percutiant primum hæredem, attamen fideicommissario universali quoque competant, ut frequenter in sua materia, & est principium hodie absolutum.

Verùm neque per dictum textum tollitur difficultas, quoniam generaliter dicitur *ubi res sitæ sunt*, sed non descendit ad speciem, quando illæ in diversis territoriis sparsæ forent, qualis scilicet ex pluribus dicatur magis competens.

Est benè verum, quod pro hujus textus intelligentia, dictæque quæstionis determinatione, rectè argumentum desumitur ex dictis juribus *in l. quod legatur, & l. si fideicommissum ff. de judic. & l. quidea §. fin. ff. ad Trebell. cum ibi not. per glos. Bar. & alios ubi suprà*, ut scilicet hæreditas esse dicatur, ubi est major ejus pars, ex regula actionis faciendæ à prædominante, & quasi quod illa major pars attrahat ad se minorem.

Sed quia capiendo ita simpliciter hoc assumptum, resultaret magnum absurdum suprà insinuatum, ipsi naturali discursui & communi usui repugnans, idcircò dicebam, illud non ad literam, & judaicè intelligendum esse, procedendo solùm numericè, atque cum regulis aritmeticæ inspiciendo, quænam sit major pars bonorum, sed intelligendum esse formaliter, ac juxtà subjectam materiam, eo modo quo optimè advertit *Molina ubi suprà num. 74.* & ex eo, ac *Ripoll.* & aliis *Salgad. in labyrint. d. par. 1. cap. 4. §. 1. num. 27.* ubi etiam allegat seipsum *in tract. de retent. bullarum*, Ut scilicet intelligatur, ubi est caput hæreditatis, id est ubi diei valeat repræsentari personam defuncti, & corpus intellectuale hæreditatis, quod attrahat ad se reliqua membra, seu partes, Quod propriè verificabile videtur respectu privatorum, in loco ubi Testator vivebat, ibique domum habitationis habebat, nec non domum, & vineam, aliaque prædia, & bona stabilia regulariter constitutiva assis.

Hujusmodi autem loca montium, seu juta, quæ in aliis partibus possidentur, utpotè stabilia potius ficta, & intellectualia, quàm vera & realia, in aliis locis acquiri dicuntur, non ut domûs, seu assis hæreditarius ibi constituatur, sed tanquam species peculii præsidii causa, seu tanquam quid accessorium, Ideoque non videtur, quod ex sola numerica hujusmodi jurium quantitate, ipsum corpus hæreditarium, reliquorum bonorum attractivum regulari debeat, Præsertim ubi insimul concurrunt, quod in eodem loco, ubi fideicommissum ordinatum est, ac testator vivebat, & obiit, adsunt ea bona stabilia, quæ principaliter assem alicujus constituere dicuntur, Ac etiam, tam hæres gravatus, quàm substitutus habent domicilium, licet respectu majoratuum complectentium Castra & Status, ut est in Hispania, caput dicatur ille locus, à quo reliquus Status nomen accipit.

Et quoad *decisionem Tappiæ 33.* illius casus adhuc erat à controverso extraneus, cum ibi agatur de primo hærede petente immitti per judicem ad bona hæreditaria nemine citato, cum consueta clausula, *dummodo possessio sit vacans, ac citrà præjudicium habentium meliora & potiora jura &c.* quod judicium dicitur voluntariæ jurisdictionis magis quàm contentiosæ, ut advertitur *per Hodier. ad Surd. decis. 26. num. 14. & seqq.* atque hæres neminem citare cogitur, neque habere legitimum contradictorem, unde oppositores dicuntur contradictores voluntarii non habentes fori proprii declinatoriam, & sic longè diversa est ratio.

TVSCVLANA
REMISSIONIS CAUSÆ
PRO
PRINCIPE BURGHESIO
SEU
EJUS OFFICIALIBUS CURIÆ MONTTIS COMPATRUM,
CUM
PETRO PAULO MASSETTA ET PROCURATORE FISCALI GENERALI URBIS.

Casus disputatus in S. Consulta, & resolutus ut infrà.

An condemnatus in contumaciam per Curiam Baronis, qui juxtà Constitutiones *Pii IV. & Pii V.* audiri potest, atque ad defensiones admitti, dummodò sponte se constituat in carceribus illius judicis, qui eum condemnavit, Possit se constituere in Curia Principis, & sic in carceribus Gubernatoris Urbis; Et quatenus in istis se constituat, An sit remittendus ad Curiam Baronis, qui illum condemnavit.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De antiquo stylo Curiæ Romanæ non remittendi causas judicibus inferioribus, & nu. 9. ubi declaratur.*
3 *Quod per Curiam Gubernatoris causa remitti debeant Baronibus. & num. 7.*
4 *Doctrinis punctualibus est deferendum.*
5 *An condemnatus in contumaciam debeat admitti ad defensiones.*
6 *In casu quo dictus stylus admitti possit, coram quo judice id fieri debeat.*
7 *Declaratur conclusio de quanum. 3.*
8 *De differentia inter judices inferiores de Præsidatu, & subordinatos Præsidi, & Barones seu eorum officiales.*
9 *Declaratur conclusio, de quanum. 2.*
10 *De prudenti controversia determinatione.*

DISC.

DISC. LXXXVIII.

1 CUM ex Constitutionibus *Pii IV.* & *Pii V.* condemnati in contumaciam admitti valeant ad defensiones, etiam post condemnationem, dummodò sponte se in carceribus constituant, atque dictus Massetta condemnatus in contumaciam per Curiam Baronalem Montis Compatrum, quod est Castrum Principis Burghesii, volens dictarum Constitutionum beneficio potiri, se constituisset in carceribus Gubernatoris Urbis; Hinc Officiales dictæ Curiæ adierunt S. Consultam, petendo dictum carceratum, tanquam subditum, atque ab eis condemnatum sibi remitti, cui petitioni se opponentibus ipsomet principali, ac Procuratore Fiscali generali, assumpta desuper disputatione.

Duo erant præcipua opponentium fundamenta pro remissione deneganda, Unum nempè ex stylo, seu consuetudine Curiæ Romanæ, nunquam remittendi causas judicibus inferioribus, quam
2 consuetudinem dicebant antiquissimam cum de illa testetur *Oldrad. consil. 124. num fin. &c.* Alterum quod eædem Constitutiones loquuntur alternativè, de se constituendo in carceribus, vel ipsius judicis condemnantis, vel Præsidis Provinciæ, seu Magistratus superioris, unde propterea supponunt etiam hujusmodi præsentationem sequi posse in Curia superiori, qualis in districtu est illa Gubernatoris, quæ respectu Baronum aliorumque inferiorum Magistratuum curiam Præsidis constituere videtur.

Contrarium tamen verius dicebam, scribens pro Burghesio, ejusque Curia, magis ad tuendam jurisdictionem in genere, tollendaque præjudicia in futurum, quàm ut nocerem reo, cujus interessorem & Advocatum apud eumdem Principem juxtà stylum classicorum Curiæ Advocatorum me profitebar, idque probabam auctoritate & ratione.

Auctoritate siquidem ex individuali doctrina
3 *Spadæ consil. 1. lib. 1. num. 69.* ubi ponendo casum in individuo, illum decidit pro Curia Baronis, quoties in isto justa suspicionis causa non intercedit, ideoque deferendum dicebam huic punctuali auctoritati, quæ non habens contradictorem pro ca-
4 su legis habenda est *Marta voto 6. num. 7. Franch. dec. 363. num. 4. Rot. decis. 121. in fin. par. 5. recent. Adden. ad decis. 20. num. 42. par. 3. recent.* Fortius verò cum agatur de auctoritate probati Doctoris loquentis ad veritatem, & qui non solùm fuit versatissimus, ac primatius in omnibus causis Curiæ, sed etiam longo tempore Cameræ, & Fisci Advocatus, has materias benè expertus, atque juraCuriæ Gubernatoris potius defensurus.

Sed ultrà auctoritatem, per rationes quoque,
5 ac principia, idem verius dicebam; Disputant etenim DD. an condemnatus in contumaciam admitti debeat ad defensiones, seu ad probandum contrarium ejus quod præsumptivè ratione contumaciæ probatum dicitur, Aliis affirmativam, Aliis verò negativam tenentibus, ut liquet ex deductis hinc inde *per Farin. in praxi quæst. 11. num. 6. cum seqq.* atque per tenentes negativam non descenditur ad hos terminos utpotè extraneos, quia negata substantia admissionis ad defensiones, frustrà quæritur de judice coram quo illæ fieri debeant, vel possint.

Per tenentes autem affirmativam, pro absoluto supponitur, id fieri debere coram eodem judice qui condemnavit, ut per *Farinac. dicta quæst. 11* 6
num. 6. in princ. & alibi, ex ea ratione, quia hujusmodi opinione retenta, sententia contumacialis ex præsumptivis & privilegiatis probationibus lata, non transit in judicatum, ideoque non consumit instantiam, quæ coram uno judice jam cœpta, coram eodem debet terminari *ad text. in l. ubi cœptum de judiciis*, Atque absonum videtur, ut cessante casu appellationis & sic diversæ instantiæ, debeat in una eademque instantia diversus judex se ingerere in causa, & retractare id quod alter diversi fori fecit, Unde cum ex constitutionibus *Pii IV. & V.* quando contumax sponte se constituit in carceribus, admittatur ad defensiones, videatur ita canonizari supradicta opinio affirmativa; sequitur exinde juxtà ejusdem opinionis sequacium communè traditionè, id non alibi faciendum esse quàm coram eodem judice condemnante, ad quem seu ad ejus in officio successorem illa instantia durante spectare debet de viribus propriæ sententiæ contumacialis cognoscere, Excepto solum casu, in quo concurrat legitima suspicio in ipso Barone seu Domino jurisdictionis, cum tunc illa influat in omnes
ejus officiales, ideoque judex superior per viam re- 8
cursus, stante defectu legitimi judicis, istius partes in illa eadem instantia supplere dicitur, ut benè admonet *Spada* ubi supra.

Ideoque fortius ubi non agitur de judicibus vel Magistratibus inferioribus habentibus jurisdictionem in simplicem administrationem subordinatam Præsidi seu alteri superiori Magistratui, ut sunt, 7
exempli gratia, Gubernatores locales sub Præsidatu Umbriæ, Marchiæ vel Patrimonii &c. cum tunc eadem videatur instantia, idemque judex superior, reassumens id quod ejus inferior & subordinatus minister fecit; Secus autem ubi agitur de officiali Baronis seu Domicelli, qui habere dicitur jurisdictionem in dominio ac privativè ad Principem in una vel pluribus instantiis sibi concessis, ut cæteris allegatis *Thesaur. decis. 366. numer. 4.* benè *Marin. resol. 24. numer. 2. lib. 1.* ubi *& num. seqq. & per tot.* firmat in fortioribus terminis, Vasallum Baronis etiam condemnatum in contumaciam per Curiam majorem Principis, qualis in Regno est M.C. Vicariæ, remittendum esse ad Baronem illum petentem, Atque ita distinguendo inter habentem jurisdictionem in simplicem administrationem, vel in dominium, benè respondet *Spada loco cit.* ad objectum suprà excitatum, ex eisdem Constitutionibus deductum, ac responsio videtur solida beneque fundata.

Alterum verò objectum deductum ex consuetudine Curiæ Romanæ, non remittendi causas judicibus & magistratibus inferioribus, ex *Oldrad. consil. 124. in fin.* procedere dicebam, quan- 9
do Curia superior re integra causæ cognitionem assumpsit, quia nempè, vel per apprehensionem in Curia, vel etiam ipso reo se constituente, antequam ab alio judice sequeretur condemnatio, Curia superior causæ cognitionem cœperit, inferior verò tanquam competens ratione originis vel domicilii, seu loci delicti, petat causam sibi remitti, Prout regulariter remittenda est, & passim servatur in Regno per M.C. Vicariæ & Regias audientias remittentes causas Vasallorum quamvis cœptas Baronibus eorumque officialibus; Secus autem ubi causa jam cognita & terminata fuit per judicem inferiorem, cum tunc non sit prævenire, neque causam ex integro cognoscere, sed agere de
confir-

confirmanda vel infirmanda ſententia lata, quod per judicem diverſæ inſtantiæ fieri non poteſt neque debet, niſi in gradu appellationis vel recurſus.

Atque ſi à Doctorum dicto arguere licet, id clare probari obſervabam, ex eo quod *Spada loc. cit.* agens ex profeſſo de puncto pro veritate, more Tractatiſtæ potius quàm Conſulentis, non excitaverit hoc motivum, cujus ignorantia nullatenùs præſumi poteſt in eo, qui diu fuerat in Curia Fiſci & Cameræ Advocatus, Signum evidens quod dicta conſuetudo intelligenda ſit re integra, & antequam ab alio judice ſententiatum eſſet, ideoque caſus dicatur mixtus & extrà conſuetudinem.

Dum Card. & Prælati S. Conſultæ informarentur, omnes uno ore ex motivo dictæ obſervantiæ dicebant, hanc petitionem rejiciendam fore, ſed his viſis, in contraria fuerunt ſententia pro remiſſione, id eſt abſtenſione à cognitione cauſæ; Sed quia reus ſub hac fiducia ſponte ſe conſtituerat, idcirco ne à publica fide ita deceptus remaneret, aliàs fortè in Curia Baronis ſe non conſtituturus, reſolutum fuit, quod in ejus priſtina libertate reponeretur, ac ſi non ſe conſtituiſſet, quod mihi rationabile videbatur; Ad effectum tamen exequendi dictam repoſitionem, mandatum fuit exhiberi proceſſum, ut inſpiceretur quomodo proceſſum eſſet & an conſtaret ex eodem proceſſu de gravamine & animoſitate per reum præſuppoſita.

ROMANA PECUNIARIA

SEU

PRÆTENSÆ DECLINATIONIS FORI

PRO

CARDINALI URSINO

CUM

ZONGO HONDEDEO, EPISCOPO FOROJULIENSI,

Caſus diſputatus in Signatura juſtitiæ, & reſolutus pro Cardinali.

Ad materiam textus *in l. Roma ff. ad municipalem*, quando ſcilicet exteri apprehenſi in Curia, cujus forus aliàs eſſet incompetens, poſſint ibi conveniri.

De concordatis Galliæ de non trahendis illis Epiſcopis, Prælatis, aliiſque Eccleſiaſticis ad Curiam, quomodò intelligenda ſint; Ac etiam de privilegio conceſſo Epiſcopis venientibus ad viſitanda Limina, ut non poſſint hoc tempore conveniri & moleſtari, quomodò hoc pariter intelligatur.

SUMMARIUM.

1 *Caſus controverſiæ.*
2 *De concluſione, quod Roma eſt communis patria, & quando quis apprehendi poſſit in Curia.*
3 *Conſideratur Roma tanquam Curia Papæ, in qua Eccleſiaſticis totius Orbis conveniri poſſunt.*
4 *De concordatis Gallia.*
5 *Epiſcopi venientes ad limina, non poſſunt moleſtari vel conveniri.*
6 *Declaratur, quando procedant concordata.*
7 *Domicilium cauſativum ſeu occaſionale non dat neque tollit civilitatem.*
8 *De concluſione, de qua num. 5. & quare illa non fuerit attenta.*

DISC. LXXXIX.

PRætendente à pluribus annis Cardinali Urſino conſequi debere aliquas pecuniarum ſummas à Zongo Hondedeo Piſaurenſi, qui aliàs Curialis, & Curiæ Capitolinæ primus Collateralis, deinde Cardinalis Mazzarini rerum Italicarum à Secretis, Eccleſiam Forojulienſem adeptus eſt; Cum hic de anno 1668. Urbem ad viſitanda Limina Apoſtolorum acceſſiſſet, Cardinalis prædictus illum tanquam in Curia apprehenſum convenit in Tribunali Auditoris Cameræ, quo per reum conventum declinato, petendo remitti cauſam ad partes; Hinc aſſumpta deſuper diſputatione in Signatura juſtitiæ, Scribentes pro reo convento declinante, ſuper intellectu textus *in l. Roma ff. ad municipalem*, an ſcilicet etiam hodie procedat propoſitio, quod Roma communis patria eſt, vel id ceſſaverit poſtquam per *Conſtantinum* translatum fuit Imperiũ ad Orientem, & collocata Sedes in Bizantio, aliàs Conſtantinopolitana Civitate, totum deſumendo ab iis quæ pro utraque opinione deducuntur per *Petr. Barboſ. in l. 2. §. legatis ff de judiciis & Farinacc. de Inquiſit. q. 7. num. 12.* ubi occaſione caſus ibi enarrati, plenè articulus examinatur, ac referuntur DD. hinc inde, Dicebant ex magis communi verius eſſe, dictam propoſitionem hodie non procedere extrà ſubditos Principatus ſeu temporalis ditionis Eccleſiæ, cujus tantùm in temporalibus Roma eſt caput & Metropolis, atque hanc opinionem dicebant pluries receptam eſſe per Signaturam, præſertim in una *Romana ſeu Neapolitana* ad favorem Margaritæ Branciforte de Auſtria Principiſſæ Buteræ de cujus perſona & ſtatu habetur actum *ſub titul de feudis, in Panormitana diſc. 13.* quoniam cum occaſione anni Jubilæi acceſſiſſet ad Urbem, atque adhuc indeterminata eſſet in ea domicilium contrahere, ut deinde ſequutum fuit, per quoſdam mercatores Neapolitanos vel Siculos prætenſos ejus domus creditores, tanquam apprehenſa in Curia, conventa fuit coram A. C. ſed per Signaturam, prævia binâ acerrimâ diſputatione, cauſa remiſſa fuit ad partes, atque ita in pluribus aliis caſibus reſolutum in cauſis prophanis, & cum perſonis ſecularibus ratione originis vel domicilii, temporali dominio Papæ & Eccleſiæ non ſubjectis.

Adverſus hoc fundamentum reſpondebat pro parte actoris Cauſæ Patronus, qui licet ſcribens in facto, attamen juxtà uſum Romanæ Curiæ, erat etiam doctus juriſta, præmiſſa procedere, conſiderando Romam tanquam caput antiqui Imperii temporalis. in quibus terminis procedit text. *in d. l. Roma.* & alter textus *in l. prima Cod. de veteri jure enucleando*, ſecùs autem conſiderando eandem tanquam Curiam & reſidentiam Papæ Epiſcopi Eccleſiæ univerſalis, & in ſpiritualibus Domini totius Orbis, quoniam tunc eadem ratio, quæ antiquitus ex dictis juribus intrabat quoad perſonas & cauſas prophanas, intrat reſpectu perſonarum vel cauſarum Eccleſiaſticarum, dum omnes perſonæ Eccleſiaſticæ totius Urbis Papæ ſubjacent ad text. *in cap. finali*

finali de foro competenti, ubi Felin. num.25. Barbos. num.3. Mandos. ad regul. 8. Cancellariæ num 3. plenè Petr. Barbos. in d. l. 2 §. legatis n.33. & 36. de judiciis, Unde propterea cum reus conventus esset Episcopus, & consequenter persona Ecclesiastica Papæ subdita, rectè in Curia ipsius Papæ apprehensus conveniri potuit.

Ista responsio, aliàs solida, & juridica, in hac facti specie parum tuta remanebat ex duplici replicatione, Primò ex concordatis Galliæ inter *Leonem X. & Franciscum Primum* initis ad effectum removendi pragmaticam sanctionem, registratis apud *Rebuff. de ipsis concordatis post prax. benef. fol. in*
4 *meis magnis fol. 499 & seqq.* & de quibus habetur particulariter actum in *Vasionen. Prioratus sub tit. de Beneficiis*, per quæ disponitur, Episcopos, Prælatos, aliosque Ecclesiasticos Galliæ pro quibuscumque eorum causis non posse ad Curiam trahi, neque extrà dicti Regni lares evocari. Et secundò,
5 quia cum dictus Episcopus accessisset ad Urbem occasione visitandi Limina Apostolorum, non poterat ibi conveniri, sed habebat jus revocandi domum, ut clarè disponitur in eodem *cap. finali de foro competenti.*

Quare Ego scribens pro eodem actore, inhærendo circà dictam regulam generalem desumptam *ex d. l. Roma*, iis quæ suprà per Causæ Patronum deducebantur, principaliter autem ac strictè insistendo super dictis objectis, ad quæ restringebatur cardo difficultatis; Quatenùs pertinet ad primum Concordatorum, fugiendo ex prudentialibus motivis inspectionem super eorum intelligentia seu interpretatione, dum causæ necessitas non exigebat, Dicebam etiam cum sensu veritatis, qualem quoque habuit Signatura, ità resolvendo, hujusmodi inspectionem intrare, quandò ageretur de con-
6 veniendo dictum Episcopum tanquam Episcopum, sive ubi idem naturaliter, & tanquam sæcularis non esset subditus Papæ, & Curiæ Romanæ in temporalibus, sed prætendetetur eum tanquam Prælatum, & personam Ecclesiasticam posse ex hoc in Curia apprehendi, ut suprà; Sed utraque difficultas cessabat ex facto, dum præfatus reus conventus, naturaliter, tam ratione originis, quàm domicilii, erat Papæ & Romanæ Curiæ subditus in temporalibus, utpotè natus in Civitate Pisaurensi patria etiam originaria sui patris, & majorum, quæ post devolutionem Status Urbini est de Statu Ecclesiastico immediato, atque toto tempore ejus vitæ, excepta dicta accidentali seu occasionali absentia, pro servitio Cardinalis Mazzarini, & successivè pro residentia in Ecclesia, domicilium habuerat, vel in patria, vel in Urbe. Causa verò, pro qua conveniebatur, erat merè personalis, & privata, nullam habens connexionem cum Ecclesia seu Episcopatu, ideoque nullatenus intrabant Concordata, super quorum praxi & intelligentia integrum locum relinquebam veritati, quoniam, ut dicebam scribendo in causa, Cardinalis actor non conveniebat Episcopum Forojulienem, neque Prælatum Gallum, sed Zongum Hondedeum Pisaurensem, Ecclesiæ & Romanæ Curiæ Vasallum, ac subditum etiam in temporalibus.

Et quamvis replicaretur, quod per desertionem istius domicilii, novumque longum domicilium contractum in Gallia, ita desierit esse civis Pisaurensis, seu de Statu Ecclesiastico, attamen levis erat responsio, nullam revera habens subsistentiam, quoniam ex iis, quæ in hac materia civilitatis habentur acta hoc eodem libro *sub tit. de præminentiis in Foro sempronien. seu foro Pompilii* & in aliis, ac etiam *sub tit. de Regalibus* ad materiam Vectigalium, *in Anconitana onerum*, incolatus, vel respectivè absentia causativa seu occasionalis ratione officii, militiæ, mercaturæ, vel alterius muneris, non inducit civilitarem loci residentiæ, neque causat amissionem propriæ ac naturalis civilitatis loci, à quo ita accidentaliter abesse, contingat, & hic erat casus, dum reus conventus ibi residerat dicta occasione muneris Secretarii apud dictum Cardinalem Mazzarinum Regis Galliæ primum ministrum, & successivè occasione residentiæ in Episcopatu, adhuc tamen animo retinebat naturalem ac originariam civilitatem in patria, in qua, nedum domum apertam tenebat, sed ultrà reetentionem antiquorum bonorum patrimonialium, multa alia, ut supponebatur, quæsierat ex divitiis per eum partis.

Dando in hoc practicum exemplum actuale Principum Romanorum, qui de recenti fuerant notabili tempore extrà Statum Ecclesiasticum in servitio Regis Catholici, Principis scilicet Ludovisii in gubernio prius Regni Aragoniæ, & deinde Regni Sardineæ, ac Sermonetæ Ducis Cajetani in gubernio, prius Status Mediolani, & deinde Regni Siciliæ ultrà, quoniam si isti dictis muneribus adhuc respectivè durantibus, & retentis, accessissent ad tempus ad Urbem animo redeundi, non per hoc dici poterat, quod ratione eorum originis & domicilii non essent subditi Romanæ Curiæ, ibique pro eorum privatis, & personalibus causis conveniri non possent, quoniam ex iis, quæ habentur *in Rom. seu Massanen. affictuum hoc eodem tit. disc. seq.* in hac materia spectatur causa, pro qua quis convenitur, considerando in eadem persona materiali reduplicationem seu multiplicitatem personarum formalium diversis respectibus ex ibi latiùs deductis.

Majorem difficultatem mihi inferebat alterum motivum assecurationis, quæ, ne Episcopi retraherentur à visitandis personaliter liminibus Apostolorum, eis traditur à quibuscumque molestiis & vexationibus, dum in Urbe dicta occasione moram trahunt, quæ ratio indefinitè percutere videtur omnes causas, etiam privatas & personales, 8
dum idem resultat effectus, atque pro meo sensu motivum fuisset solidum, nisi urgeret alia major ratio, quæ præcedentem suffocare debebat, quod scilicet aliàs quæstio judicis & fori causasset in actore irreparabile præjudicium citcà negotium principale, dnm aliàs ex facti circumstantiis, non de facili saltem de facto, ejus actiones experiri poterat in loco, ad quem petebatur remissio; Econversò autem rei conventi naturaliter subditi hujus Principatus, ac habentis bona & attinentes in eo, nil intrrerat ctusam in Curia cognosci, dum congruos habebat defensores, neque juxtà notorium Curiæ usum, quod cuicumquo æqua lance justitia ministratur, oppressionem, vel potentiam timere poterat, ideoque tunc tenenda est via, per quam utrique sit æquè consultum, ex axiomate, ut quod uni non nocet, & alteri prodest &c. Ideoque ex hoc motivo, reflectendo etiam ad veritatem, justa, & probabilis mihi visa fuit Signaturæ resolutio, super petitæ remissionis denegatione. Potissimè quia prima citatio solum cum eo facta erat ad effectum prosequutionis judicii, cujus exequutio absq; aliqua molestia in persona sequi poterat in bonis existentibus in ejus patria & Statu Ecclesiastico.

MASSANEN.

MASSANEN. PENSIONVM SEV AFFICTVUM.

PRO PRINCIPE LUDOVISIO CVM MARCHIONE DE MONTEAUTO.

Casus disputatus in Signatura Iustitiæ, & resolutus pro Ludovisio.

An possidens feuda, vel dominia in diversis Principatibus, vel ditionibus, possit ratione domicilii, quod habet in Urbe, sivè ob personalem ejus apprehensionem, in eadem Curia ibi conveniri, pro causis & negotiis spectantibus ad dicta diversa dominia in diversis Principatibus existentia; Et de propositione, quod *Roma est communis patria*, quando procedat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De propositione, quod Roma est communis patria.*
3 *In pagano seù viro privato non datur duplex patrimonium, vel duplex hæreditas.*
4 *Feudatarius dicitur duplex homo, duplex habens patrimonium.*
5 *Possidens plura dominia, vel feuda in diversis Principatibus vel ditionibus, non potest pro negotiis unius conveniri in loco alterius, quia tot censentur personæ, quod sunt Principatus.*

DISC. XC.

1 IB prætensas pensiones Silvarum existentium in castris *Vallis*, & *Montionis*, quas fratres de Appianis dictorum castrorum possessores, de anno 1642. locaverant ministris Principis Ludovisii in Statu Plumbini pro servitio illorum ædificiorum ferri, Marchio de Monteauto eorum hæres, de anno 1664. circiter convenit dictum Principem personaliter in Curia apprehensum coràm A.C. eoque talem forum declinante, atque instante causam remitti ad partes, Introducta desuper fuit disputatio in Signatura Justitiæ, quæ juxtà petita rescripsit in duplici disputatione desuper habita, in quarum prima, solis causarum patronis hincindè scribentibus, satis superficialiter processum fuit, cum solita propositione deducta ex *Sac. Conc. Trid. Sess. 24. de reformat. cap. 20.* de causis in prima instantia coram locorum Ordinariis tractandis, Et cum altera propositione, quod in causis extrà Curiam, quoties non agitur de executione obligationis cameralis, A.C. non est judex competens in prima instantia, ut *decis. 150 in principio par. 4. rec. tom. 2. & sæpius.*

Formalis igitur disputatio fuit secunda cum Advocatis hincindè, & principaliter super motivo deducto 2
ex textu *in l. Roma ff. ad municipalem*, quod scilicèt Roma communis patria est, de quo *Jas. in l. qui Romæ num. 12. ff. de verb. oblig. Barbos. in l. 2. ff. de judic.* & cæteri apud *Farin. quæst. 7. n. 12.* ideoque stante apprehensione debitoris in Curia, dicebant scribentes pro actore, quod saltèm ex dicta ratione hic forus erat competens, etiamsi reus conventus esset merè forensis, Multò magis dum erat etiam subditus ratione originis, & domicilii, tanquam Baro, & Domicellus Romanus, domicilium habens in Urbe, à qua solùm accidentaliter occasione gubernii Regni Aragoniæ, vel simili abesse consueverat.

Scribens pro Ludovisio, cum sensu etiam veritatis, dicebam nullam subesse necessitatem assumendi altiorem, magisque involutam materiam *dicti text. in l. Roma*, stante dicta utraque subjectione originis, & domicilii, quæ controverti non poterat; Atque ubi ageretur de homine privato unicum patrimonium paganicum seù allodiale solùm possidente, Egomet admittebam nil suffragari, an debitum intrà vel extrà Statum Ecclesiasticum, sivè an in una vel altera provincia seù ditione contractum esset, quoniam in pagano non datur duplicitas seù diversitas patrimoniorum, neque diversitas hæreditatum, nisi ubi potentia statuti ad certos effectus successionis, vel similes aliter disponat *ad text. in leg. Jurisperitos §. cum oriundus ff. de excusat. tutorum cum concord. per Salgad. in labyrint. par. 1. cap. 9. nu. 48. & sequen. & par. 2. cap. 12. nu. 68. & sequen. Rota dec. 228. nn. 34. & sequen. par. 8. & decis. 131. num. 24. & sequen. par. 9. rec.*. undè propterea inani labore torquebantur scribentes in contrarium, cum copiosis allegationibus super his insistentes. 3

Punctum autem consistere dicebam in eo, quod agebatur de Barone, seu feudatario, plura feuda, seù dominia, ex diversis investituris, seù titulis, in diversis Principatibus, seù ditionibus possidente, in Statu scilicèt Ecclesiastico Ducatus Zagarolæ & Fiani, in allodium magis quàm in feudum, in Regno Neapolitano Principatum Venusinum, Comitatum Conzanum, & alia dominia in feudum, ac etiam dictum alterum feudum Imperiale Status Plumbini in Etruria.

Quemadmodum igitur, ex iis, quæ habentur *in Romana contributionis de Columna in sua materia subtit. de feudis, disc. 22.* etiam feudatarius ejusdem Principatus, seù ditionis, reputatur duplex homo, duplex patrimonium, seù duplicem hæredem habens omninò diversum, feudale scilicèt & allodiale, seù militare & paganicum, juxtà eam duplicis patrimonii distinctionem, quam in jure communi habemus, in militibus habemus, cum feudatarii milites dicantur; Ita fortius, Principes vel inferiores Domini possidentes plures Principatus, vel respectivè plura feuda, seù dominia in diversis Provinciis seù ditionibus, & ex diversis titulis, seù fontibus, plures dicuntur representare personas omninò diversas, diversaque habere patrimonia Universitatem constituentia, nullamque connexionem inter se habentia, ita ut inter ea, non obstante unicitate personæ omnia possidentis, rectè detur actio & passio, seu alter incompatibilium concursus, quia tot finguntur personæ formales, quot sunt dominia, ob illam intellectualem plurium personarum formalium divisionem, quæ 4

Card. de Luca de jurisdict. & foro compet.

in una, eademque persona materiali in jure passim datur, ex deductis in proposito ejusdem possessoris plurium majoratuum per *Salgad. loco citato, & in Romana contributionis de Cesiis sub dicto tit. de feudis ad Bullam Baronum disc 89.* & frequenter infrà *sub tit. de præeminentiis* in proposito ejusdem Episcopi possidentis plures Episcopatus, Vel insimul æque principaliter perpetuò unitos, ut frequens usus est in Italia, Vel accidentaliter, & ad tempus ex dispensatione Apostolica, ut est frequens in Germania; Et magis proximè ad rem quoad dominia temporalia habetur *eodem tit. de præeminentiis in Pampilonen. decimarum disc. 29.* Quodlibet enim dominium, seù quilibet Principatus aut Episcopatus constituit Universitatem stantem de per se independentem ab altera, & consequenter plurium possessor pro rebus ad unam spectantibus, non dicitur subditus illius Principis vel fori, cujus est subditus ratione alterius dominii, seù Principatus; Ita docente communi praxi & observantia, nedum juridica, sed etiam humanâ ob impracticabilitatem, quoniam magnum inconveniens omninò impracticabile esset, Ut e.g. Magnus Comestabilis Columna, qui est originarius & domiciliarius Urbis, plura possidet castra & dominia in temporali ditione Ecclesiæ, necnon in Regno Neapolitano, ac etiam in altero Siciliæ citrà, & alibi, pro singulorum dominiorum & patrimoniorum hujusmodi negotiis activis, & passivis, quæ in singulis respectivè per illos ærarios, Gubernatores, & ministros geruntur, posset in Urbe tanquam ejus domiciliarius seù in Curia apprehensus conveniri cum similibus, quod utique esset magnum absurdum.

Et quamvis ex parte actoris nimium inculcaretur, quod ita esset amittere creditum suasque actiones, ex quo non haberet, qui justitiam administraret, dum idem debitor in ea ditione est Princeps, Nihilominùs parùm probabilis & fortè temeraria oppositio erat, quoniam in quibuscumque Principibus superiorem non recognoscentibus, jura activa & passiva cum privatis habentibus, eadem intraret ratio, omninò tamen neglecta, dum ab ipsismet deputantur Officiales, Judices, & Magistratus justitiam in causa proprii Fisci ministrantes, &c.

ROMANA
REVISIONIS RATIONUM
PRO
MONASTERIO A.
CUM B.

Casus disputandus in Signatura Gratiæ, sed concordatus.

An Constitutio 74. *Sixti V.* per quam disponitur causas Regularium summariè cognoscendas esse in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium negotiis præposita, procedat in causis vertentibus inter ipsam Religionem seu Monasterium, & illum, qui aliàs Religiosus, per annullationem professionis, seù ex alio titulo effectus est sæcularis.

***

SVMMARIVM.

1 *Casus controversiæ.*
2 *De Constitutione* Sixti V. *super erectione Congregationis Regularium.*
3 *De jure causæ Regularium sunt cognoscendæ summariè, & sine tela judicii.*
4 *Neque cognoscendæ sunt extrà ordinem, & qui dicantur in proposito Superiores ordinis.*
5 *Dicta Constitutio non procedit in causis cum sæcularibus.*
6 *De ratione ob quam Religiosus effectus sæcularis, non venit sub dicta dispositione.*
7 *Gratia appellatione remota regulariter non concedenda sine justa causa, & quæ sit.*
8 *S. Congregationes procedunt extrà judicium & appellatione remota.*
9 *Non procedunt in causis requirentibus formalem processum.*

DISC. XCI.

QUodam Religioso expressè professo, bona Monasterii plurium annorum spatio administrante, crediderunt ejusdem Monasterii superiores aliquos defectus in dicta administratione adesse, undè propterea, illâ interdictâ, nonnulla bona dicti Religiosi pro reintegratione sequestrarunt & acceperunt, quare ipse aliqualiter profugus, post aliquod tempus, quadam suæ professionis nullitate allegatâ, obtinuit illam per Vicarium, ac Superiorem localem juxtà formam à Sac. Conc. Trid. præscriptam canonizari per sententiam diffinitivam, cujus vigore ad statum sæcularem rediit, in quo statu volens bona prædicta recuperare, utpotè non intuitu Religionis, vel status religiosi quæsita, sed aliundè obventa, necnon dictæ suæ administrationis rationes revideri, causam introduxit in Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium negotiis præposita; Quia verò ex aliquibus prudentialibus motivis Monasterio non expediebat causam prædictam, ita summariè, ac in forma extrajudiciali in dicta Sac. Congregatione cognosci, sed eam remitti ad Rotam, vel alios judices ordinarios, cum processu & ordine judiciario per tramites juris cognoscendam, huic autem petitioni altera parte se opponente, Sacra Congregatio non annueret; Hinc proindè habito recursu ad Sanctissimum, ac remisso negotio ad Signaturam Gratiæ, punctus ulteriorem disputationis progressum non habuit ob subsequutam concordiam. 1

In hujus autem disputationis præparatione, ac etiam occasione dicti recursus ad Sanctissimum, scribens pro Monasterio, etiam cum sensu veritatis, dicebam probabilem benèque fundatam esse hujus partis petitionem; Licèt enim per Constitutionem 74. *Sixti V.* prudenter ac piè disponatur in erectione undecimæ Congregationis Regularium, incongruum esse, Religiosorum controversias in foro per judiciarios anfractus tractari, id circò, ut Religiosi, remotis impedimentis, & judicialibus contentionibus, sub Religionis suavi jugo quietè vivere, & gratum Altissimo famulatum præbere valeant, disponitur eorum controversias per dictam Sacram Congregationem summariè decidi debere. 2

Quod etiam ex juris communis dispositione vel intentione originem trahit, quoniam causæ Religiosorum sine strepitu & figura judicii, summariè, ac 3

absque

absque tela judiciaria cognosci debent ad *text. in cap. qualiter & quando il secondo in fine de accusationibus, Lap. alleg. 73. numer. 4.* & cæteri plenè collecti per *Adden. ad eumdem litt.* M. ac pluries dixit Rota, præsertim *in Posnanien. Abbatiæ prima Julii 1647. coram Celso inter suas decis. 25 numer. 9.*

Et ex qua ratione, causas Regularium extrà ipsum ordinem, ejusque superiores, (sub quorum nomine ultrà proprios Prælatos Regulares veniunt Cardinalis Protector, & hæc sacra Regularium Congregatio) plenè probat *Fagnan. in cap. de Priore de appellat.* ubi referuntur determinationes particularis Congregationis de anno 1650. erectæ de ordine Innocentii X. ne Regulares ordinaria Tribunalia forensia adeant.

Nihominus dicebam hæc rectè procedere, ubi agitur de causis & controversiis, vel inter ipsos Religiosos in particulari, vel inter Religiosum & Monasterium, sivè inter unum Monasterium & alterum, & sic in casibus, quibus dicta ratio congruat. Secùs autem ubi controversia esset cum aliquo sæculari, quoniam tunc, tanquam in casu, tam in verbis, quàm in ratione per dictam Constitutionem omisso, intacta remanet juris dispositio, ut causæ coram suis judicibus ordinariis & competentibus cognoscantur juxtà regulam *text. in cap si clericus laicum de foro competenti*, de actore conveniente reum in suo foro, ut advertitur *per eumdem Fagnan. in dicto cap. de Priore n.* 21. Et hic erat casus, quoniam dum actor, jam in vim retrotractionis ab annullatione professionis resultantis, se declaraverat ab initio sæcularem, idcircò, quemadmodum in aliis controversiis, quas tractari contingeret inter Monasterium, ejusque affictuarios, vel administratores sæculares, coram forensibus, & ordinariis Tribunalibus in forma judiciaria id sequi deberet, ut quotidiana inconcussa praxis docet, ob cessantem dictam rationem, ob quam inter ipsos Religiosos aliter statutum est, ita in præsenti.

Alia etiam fortiori ratione ponderata, quod resultaret aliàs inconveniens, ut inducta ad favorem retorquerentur in odium, atque ille, qui in statu religioso sciens suæ professionis invaliditatem non sine culpa se ingessit in religiosis muneribus, ac illa administratione, quæ non nisi religiosis professis conceditur, resultaret commodum & privilegium in præjudicium Monasterii innocentis, & quodammodò ita injuriati vel offensi, contrà scripti & naturalis juris principia, quoniam juxtà quotidianam praxim Signaturæ gratiæ, processus appellatione remota regulariter non conceditur nisi justa concurrente causa inducente in petente quamdam gratiæ seù privilegii concessionem, quæ causa restringi solet, vel ad arctam sanguinis conjunctionem, vel ad nimiam paupertatem, seù pro gravibus dissidiis vel scandalis evitandis, sivè in juribus vitalitiis ob gravem ætatem, cum similibus ex deductis per *Marchesun. de commiss. sub tit. de commiss. appellat. remota*, & habetur pluries in sua materia *sub tit. de judiciis & judicialibus*; Quo posito resultaret alias absurdum, quod actor ita, ut dictum est, ab aliqua culpa non jejunus, istam gratiam seù privilegium procedendi summariè & appellatione remota obtineret contrà Monasterium, cui innocenti & offenso ita præjudicari diceretur, Quoniam appellatio dicitur species defensionis, quæ regulariter tollenda non est, nisi quoties aliqua justa & potentior causa concurrat, quæ suffocet alteram causam seù rationem, cui hoc beneficium à lege introductum innixum est, dum hujusmodi Sacræ Congregationes ut potè summariè & in forma potius extrajudiciali procedentes, non habent judicialium instantiarum diversitatem, ab appellationis beneficio resultantem; Ac etiam quia, dum procedunt, ut dictum est in forma extrajudiciali, incongruæ illis videntur causæ formalem processum exigentes, ut in declarationibus editis per eumdem *Sixtum V.* decernitur, quod in præsenti exigi videbatur, Tum quia ad effectum inspiciendi, an administrationis partitæ dati & accepti essent fideliter in libris descriptæ, perneccessè oportebat examinare testes, ac inducere peritos, aliasque facere probationes, Tum etiam quia eædem probationes requirebantur ad justificandum, an bona penès dictum actorem reperta, dum in statu religiosi de facto erat, quæsita essent intuitu & occasione Religionis, seù status religiosi, vel potius aliundè obvenerint ab hoc statu independenter, cum ab hoc penderet determinatio, an restituenda essent nec ne, vel potius Religioni seù Monasterio quæsita, Et sic ex pluribus verè justa & probabilis videbatur dicta Monasterii petitio, quæ tamen ob concors temperamentum, ex prudentialibus motivis à me quoque laudatum & consultum, ulteriorem progressum non habuit.

LUCANA

JURISDICTIONIS,

AD INSTANTIAM REIPUBLICÆ

Responsum pro veritate.

An professores militiarum S. Jacobi de Spata, de Calatrava, de Alcantara, SS. Mauritii & Lazzari, & S. Stephani ac similium, sint veri Religiosi; Et quatenùs non, an saltem sint personæ Ecclesiasticæ exemptæ à jurisdictione & foro laicali.

Et in specie de militia S. Stephani, an in aliquo ab aliis militiis differat.

SUMMARIUM.

1 *De erectione militiæ S. Stephani, & casu controversiæ.*

2 *Sub nomine Ordinariorum locorum qui veniant.*

3 *Verbum*, alius *denotat similitudinem.*

4 *Papa an possit vel soleat eximere laicos subditos Principum sæcularium, eosque subjicere alteri Principi & n.* 14.

5 *Ex solito seu stylo Papæ desumitur ejus voluntas.*

6 *De operatione clausulæ* sine præjudicio, *& quando hac intret in gratiis præjudicialibus.*

7 *An milites S. Jacobi de Alcantara & de Calatrava & similes sint religiosi.*

8 *An prædicti & similes sint capaces successionis feudorum.*

9 *An sint personæ Ecclesiasticæ.*

10 *De pluribus differentiis inter militiam S. Stephani & alias milutias Ecclesiasticas.*

11 *Militia S. Jacobi de Alcantara, & Calatravahabent indultum Apostolicum super exemptionem fori.*
12 *In dictis militiis fit annus novitiatus, ac etiam attenditur ætas præscripta à Conc. Trid. quod non procedit in illa S. Stephani.*
13 *De magno Magistro dictarum aliarum militiarum.*
14 *De eadem conclusione, de quan. 4.*
15 *Quæ & qualia vota emittantur in his militiis.*
16 *De observantia circa exemptionem fori professorum militiarum Ecclesiasticarum.*
17 *De antiquis militibus Gaudentibus, Templariis & Hospitalariis.*
18 *De circumstantiis, ob quas observantiæ magis deferendum est.*
19 *Quando exemptio hujusmodi militiarum intret, & de declarationibus Sac. Congregationis.*
20 *Reprobantur aliqui Doctores.*
21 *An processus & acta contrà exemptum valeant ob non oppositam declinatoriam.*
22 *Commendæ militiæ S. Stephani quomodò regulentur.*
23 *An isti milites gaudeant beneficio deducto ne egeat.*

DISC. XCII.

POstquam ex concessione *Pii IV.* Cosmus Florentiæ & Senarum Dux, de anno 1651. erexit militiam, sub invocatione S. Stephani Papæ & Martyris, cujus ipse Dux, ejusq; pro tempore successores, essent M. Magistri, atque de anno sequenti, idem Pius dictam militiam jam erectam, ejusque ordinationes confirmavit, & approbavit, eidem militiæ ejusque professoribus plura concedendo privilegia, præsertim illud exemptionis per verba præcisa, *ab omni jurisdictione, superioritate, visitatione, dominio, & potestate quorumvis Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque locorum ordinariorum, illosque immediatè subjecit dicto Duci tanquam M. Magistro in spiritualibus & temporalibus eis modo & forma, quibus in ipsius militiæ statutis & ordinationibus continetur, ita quod ipsi locorum Ordinarii nullam in eos jurisdictionem, superioritatem, dominium vel potestatem etiam ratione cujuscumque contractus, delicti, vel alterius rei exercere valeant, &c.* ut patet ex tribus ejusdem Pii litteris seù Constitutionibus impressis in volumine Statutorum ejusdem militiæ seù Religionis, quarum duæ sunt etiam impressæ in Bullario inter illas dicti Pontificis *Constit. 60.* & reassumit etiam *Vivian. de Jurepatronatus par. 2. lib. 6. cap. 2. num. 19. cum sequen.* 1

Cum autem unus ex dictæ militiæ professoribus Civitatis Lucen. ex causa insultus in milites præsidiarios, per Magistratum illius Reipublicæ ser. ser. nulla opposita fori declinatoria, ad quamdam pœnam pecuniariam condemnatus esset, dictaque condemnationi sequuta, de illius nullitate opponeretur, ob fori laicalis incompetentiam; Hinc proindè ex parte Reipublicæ, cum præsupposito quod à tempore erectionis dictæ militiæ usque ad illud casus controversiæ, semper ejus Officiales cognovissent causas civiles, criminales & mixtas hujusmodi militum, aliàs ratione originis, vel domicilii, aut contractus seù delicti subditorum, absque eo quod quicquam in contrarium sequutum esset, consilium pro veritate petiit à pluribus clari nominis Italiæ I. C. cum quibus ex erronea forte vulgi opinione, vel agentium affectione, placuit eidem, seù pro ea agentibus, me quoque desuper consulere.

Respondi pro clariori resolutione, duas constituendas esse inspectiones, Unam inspecta dicta Constitutione *Pii IV.* tanquam jure speciali & privilegiativo, Alteram, quatenùs ex ista id non resultaret, inspecta dispositione juris communis, & hujusmodi militiæ naturâ seù qualitate.

Quatenùs pertinet ad primam, credebam pro meo judicio, dictam Constitutionem in verbis suprà regiſtratis non comprehendere casum exemptionis à foro sæculari, ac jurisdictione & potestate proprii Principis, ex triplici ratione, Primò, quia loquitur de potestate, jurisdictione, & superioritate Archie- 2
piscoporum, Episcoporum, & aliorum Ordinariorum loci, sub quorum nomine in Sacris Canonibus, Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis, & apud Canonistas, regulariter veniunt ac explicari solent superiores Ecclesiastici, ordinariam Episcopalem vel quasi jurisdictionem habentes, ut post antiquiores ab eis allegatos, habetur *apud Cochier. de jurisdictione in exemptos par. 1. qu. 1. Paris. de resignat. lib. 3. q. 11. Barbos. de appellat. verborum appellat. 176. Rota decis. 798. par. 4. divers. 373. par. 11. rec. & passim*, ac habetur frequenter in præcedentibus hoc tit. occasione jurisdictionalium controversiarum inter Ordinarios & Prælatos inferiores, vel exemptos; Quod clarius observabâ comprobari, quia in verbis ut supra regiſtratis, enunciantur Archiepiscopi, Episcopi, 3
aliique locorum Ordinarii, dum verbum *alius* denotat similitudinem ex collectis per *Barbos. dict. 26. numer. 1.*

Secundò, quia extrà temporalem ditionem Sedis Apostolicæ, quidquid sit de potestate, an scilicèt possit Papa, laicos & subditos Principum sæcularium ex
ratione alicujus pii instituti ab eorum jurisdictione 4
eximere, illosque subjicere jurisdictioni alterius Principis sæcularis, qui in alienis ditionibus privativè ad proprios dominos jurisdictionem, & imperium exerceat, super quo puncto, integrum locum veritati relinquendo, manus apponere non censui; Attamen admissa etiam potestate, certum est, Papam non de facili ad hujusmodi potestatis exercitium devenire solitum esse, ut in magis planis terminis concursus in collatione beneficiorum, cognitione causarum in prima instantia, & similibus, etiam cum Ordinariis Ecclesiasticis ejus subditis, & cum quibus absoluta potestas est indubitata, receptum habemus, ut præsertim in proposito concurrendi cum ordinariis collatoribus habetur *apud Gonzal. ad reg. 8. §. 1. & 4. proem. Rot. decis. 25. num. 11. par. 10. rec.* & habetur actum *in Cesaraugustana Canonicatus sub tit. de Canonicis* & alibi, Quod satis attendendum est ad metiendam seù interpretandam voluntatem, quæ à stylo seù consuetudine desumenda venit, *ut apud Mantic. dec. 214. § Gregor. & adden. dec. 150. nu. 2. ubi add. in fin. adden. ad Buratt. dec. 501. nu. 11. &* frequenter, Nil obstante, quod Sedes Apostolica hujusmodi privilegia concedere consueverit consimilibus militiis, quoniam in illis diversa militat ratio, ut infrà.

Et tertiò propter clausulam *sinè alicujus præjudicio*, contentam in prima Constitutione, per quam 6
conceditur facultas hujusmodi militiam fundandi, cujus clausulæ virtus & operatio est, juxtà satis notorium & frequens axioma, prima reservandi quodcumque alterius jus vel præjudicium; Et licèt receptum econversò sit, in novis erectionibus tanquam gratiis perneceſſe & de sui natura præjudicialibus, hujusmodi

clausulam

clausulam non facere suam consuetam operationem, prout neque obstare regulam de jure tertii quæsito non tollen. juxtà *decis. Seraph.* 1445. cum aliis suprà *in Romana jurisdictionis seù tituli Cardinalitii hoc eod. tit. dise.* 34. ac etiam *hoc eodem libro sub tit. de præeminentiis in Messanen. disc.* 9. & in aliis; Nihilominùs id procedit quoad expressa & incompatibilia ad evitandam contradictionẽ & repugnantiam, secùs autem in non expressis & compatibilibus, Undè cum dicta Constitutio, de Principibus sæcularibus, ac foro laicali non loquatur, nullaque dignosci videatur incompatibilitas, idcircò dictæ clausulæ consueta operatio tribuenda est, potissimum verò pro interpretatione voluntatis, Aliis etiam rationibus ut supra ponderatis insimul unitis cum regula, ut singula quæ non præsunt, &c.

Quarè examinando articulum in puris terminis juris communis, occasione militiarum S. Jacobi de
7 Spata, de Calatrava, & de Alcantara, Disputant DD. an istæ sint veræ Religiones, earumque milites, & professores veri religiosi; Et quatuor habentur diversæ opiniones, quas, earumque sequaces distinctè recenset *Carleval. de judiciis tom.* 1. *disput.* 2. *ex numer.* 413. qui fortè omnium latius de his militiis agit, &
8 relativè ad eum *Ursin. de succes. feudorum par.* 1. *q.* 9. *art.* 4. *numer.* 6. occasione agendi de istorum militum capacitate in successione feudorum, de qua obiter occasione agendi de capacitate ejusdem successionis militum S. Joannis Hierosolymitani habetur actum *in Venusina successionis sub tit. de feudis disc.* 16. & ad satietatem colligit *Cortida de Aragon.* 8. *ex numer.* 81. *cum seqq.*

Quamvis autem apud Morales, ac aliquos modernos Canonistas, magis communiter recepta videatur opinio affirmativa, ut professores dictarum trium militiarum habendi sint pro veris Religiosis, ut cæteris allegatis habetur *apud Barbos. de potestate Episcopi alleg.* 12. *numer. finali Sperell. dec.* 2. *numer.* 144. & *sequen. Carleval. loco citato num.* 415. quibus annecti possunt *Novar. & cæteri*, ut infrà idem dicentes in fortioribus terminis hujus militiæ S. Stephani.

Nihilominùs, ex communi sensu antiquorum Canonistarum, ac etiam moralium, excepta militia S. Joanni Hierosolymitani, quam indubitatum est esse veram Religionem, omninò verior, magisque recepta est opinio, quam tenet Rota & Curia Romana in contrarium, *ut apud Seraph. decis.* 587. *Cæsar. de Grass. dec.* 1 *de probat. Duran. dec.* 95. & 308. *quarum secunda est repetita apud Post. de manut. dec.* 326. *Romana dotis* 11. *Februarii* 1647. *coràm. Bichio*, quæ omnes decisiones loquuntur de dictis tribus militiis Sancti Jacobi de Spata, de Calatrava & Alcantara.

Et de militia Sanctorum Mauritii & Lazzari, quod non sit vera Religio, minùsque ejus professores Religiosi seù Regulares *Rota in Veronen. pensionis* 23. *Februarii* 1600. *coràm Lancellotto*, in qua supponitur hujus militiæ professores emittere formiter vota solemnia, eodem modo quo illi dictarum aliarum trium militiarum.

Et in individuo hujus militiæ S. Stephani *apud Seraph. dec.* 121. *repetit. dec.* 591. *par.* 1. *diversf. & in voto trium Rotæ Auditorum registrato dec.* 228. *par.* 3. *rec.* cum quibus pertranseunt *Garz. de Benef. par.* 1. *cap.* 4. *num.* 17. *& sequen.* & cæteri beneficialistæ communiter, dictaque decisio *Seraph.* ac votum habentur in eodem volumine Statutorum istius militiæ, ubi etiam de aliis declarationibus in idem tendentibus, Undeliquet ab ipsamet Religione expediens reputatum fuisse excludere qualitatem regularem, ac veræ Religionis, & cum quo sensu etiam hodie per ipsius officiales & administratores proceditur, ut etiam infrà insinuatum, habetur relativè ad causam *in Pisana Prioratus de Grisonibus* de qua *sub tit. de jurepatronatus.*

Verùm quia in suprà allegatis decisionibus, præsertim vero *in dicta Romana dotis* 11. *Februarii* 1647. *coràm Bichio, & apud Duranum dicta dec.* 95. & 308. 9
in quibus de dictis militiis Hispaniæ, & *in dicta Veronen. coràm Lancellotto*, in qua de altera Sanctorum Mauritii & Lazzari, quamvis excludatur qualitas religiosa seù regularis, admittitur tamen, ac supponitur qualitas Ecclesiastica, quam admittunt etiam *Garz.* & cæteri dictam qualitatem Regularem negantes, quod scilicet hujusmodi professores sint personæ Ecclesiasticæ à foro laicali exemptæ, idcircò in proposito nullius operationis remanet dicta inspectio, super qualitate regulari seù religiosa, cum ad effectum præsentis controversiæ, sufficeret dicta qualitas Ecclesiastica, ad quam restringitur difficultas.

Quidquid autem sit quoad hujusmodi qualitatem respectu dictarum militiarum, de quibus loquuntur præfatæ decisiones & auctoritates, ac aliæ *apud Carleval. Novar. & Sperell. ut supra*, illam tamen dicebam non ita locum habere in ista militia ex pluribus differentiæ rationibus ex quibus non benè à dictis aliis militiis ad istam infertur.

Primò quia dictis militiis, S. Jacobi, de Calatrava, & de Alcantara, supponitur, expresse & specialiter concessa fuisse indulta Apostolica super exemptione fori laicalis, præsertim per *Alexandrum*, *Lucium*, *Urbanum & Innocentium* respectivè *tertium*, *Gregorium Nonum*, *Martinum Quintum*, *Leonem Decimum*, *Pium Quintum*, *Clementem Octavum*, & *Paulum Quintum*, ut per *Didacum de la* Motta *de confirmatione ordinum Divi Jacobi lib.* 1. *cap.* 4. §. 2. 6. 7. 29. & 35. & *alibi*; *Barbos. de Episcopo dicta alleg.* 12. *nu.* 45. *Sperell. dicta dec.* 2. *de Marin. resol.* 44. *lib.* 1. *Carleval. dicta disput.* 2. *nu.* 420. & 425. *cum sequen. Formosin. de judiciis & foro competenti, tom.* 1. *ad text. in cap.* 2. *eod. tit. de foro competenti quæst.* 16. *Novar. de elect. fori par.* 2. *quæst.* 69. *Mastrill. dec.* 290. ubi reg strantur litteræ Regiæ continentes indulta *Clementis Octavi*, & *Pauli V.* Unde quicquid sit de dictorum indultorum observantia & executione, quæ neque est uniformis, ut infrà, illa non habentur in specie per istam militiam, quoniam tam in dictis Constitutionibus *Pii IV.* quam in aliis *Pii*, *Sixti*, & *Pauli* respectivè *Quinti*, de ista militia S. Stephani loquentibus, eique plura privilegia concedentibus, nullum verbum habetur de exemptione fori laicalis, quam in dictis aliis militiis, multi ex suprà allegatis in hujusmodi indultis fundant. 10

Secundò quia, licèt etiam dictæ aliæ militiæ, juxtà opinionem, quam ut suprà sequitur Rota, & quæ in puncto juris omninò verior censenda videtur, non sint veræ & propriæ Religiones, Nihilominùs in illis, ad Religionum instar, servatur dispositio, tàm juris communis, quàm *Sac. Conc. Trid.* circà annum probationis, ac circà ætatem ab eodem Concilio ad professionem præscriptam, ut cæteris allegatis restatur *Sperell. dicta dec.* 2. *n.* 52. Et tanquam absolutum supponit *Carleval.* in materia versatissimus, dum *ex num.* 439. plenè tractat quæstionem, an idem fori privilegium competat Novitiis. 11

Econversò autem in hac militia dicta juris comẽ munis vel Concilii dispositio, tàm circa ætatem, quàm circà annum probationis non attenditur *Seraph. dicta* 12

dec.121.& dicta dec.228.par.3. rec. quæ sunt etiam impressæ in libro statutorum ejusdem Religionis.

Tertiò quia dictæ tres militiæ Hispaniarum, in sua primæva origine, cum longæva observantia, habebant proprium Generalem, seù M. Magistrum, aliosque Prælatos & Superiores, per electionem sibi constitutos de eodem ordine respectivè, absque aliqua nationum, vel personarum differentia, eodem modo quo practicatur in militia S. Joannis Hierosolymitani, unde propterea non intrat illa potissima ratio inconvenientis, seù præjudicii aliis Principibus resultantis, quod aliquis Princeps laicus, sub hoc pio prætextu sibi assumat potestatem in alienis Principatibus & ditionibus exercendi privativam jurisdictionem in eos, qui ratione originis, vel domicilii sunt aliorum Principum subditi, ac verè & de facto in propriis domibus, cum uxoribus, & filiis, vivunt more aliorum sæcularium, in nihilo ab istis differentes. 13

Non sic est in ista militia, quæ ab ipso erectionis initio nata est subdita invariabiliter unius Principis sæcularis, qui fortè, adinstar illarum militiarum, quas cæteri Principes in eorum ditionibus erexerunt, ut sunt, e.g. illa aurei velleris in Hispania, & Spiritus Sancti in Gallia, cum similibus, hanc militiæ speciem in propria ditione erigere voluit, undè intrant de plano absurda per DD. in proposito considerata, non quidem, ut supra dictum est, in ordine ad potestatem Papæ imprimendi etiam in alienis subditis aliquam 14 qualitatem Ecclesiasticam, ex qua de consequenti exemptio fori laicalis proveniat, tanquam dictæ qualitatis effectus, ex collectis *per Sperell. dicta decis. 2.num.111.cum sequen. Carleval.dicta disput. 2. num. 427.* (quam inspectionem utpotè non necessariam assumere, & formiter examinare neglexi,) sed solum, ut suprà dictum fuit, ad regulandam ejusdem Pontificis voluntatem.

Et quamvis præfatæ tres militiæ, per *Alexandrum VI.* in perpetuum essent commendatæ Regi Hispaniarum pro tempore, qui ita natus est earum professor, & perpetuus M. Magister, hujusmodi militias administrans per quoddam particulare Consilium, *ordinum*, nuncupatum, quod tanquam species diffinitorii, constitutum est ex eorumdem ordinum professoribus, ex iis, quæ habentur *in Toletana de Veles sub tit. de Regularibus*, Attamen id non immutat ipsarum militiarum substantiam seù naturam ab earum erectione impressam, neque tollit statum jam legitimè firmatum, Adinstar Monasteriorum & Beneficiorum Regularium, quæ dantur in commendam clericis sæcularibus; Seù adinstar Episcopatuum, qui dantur in commendam seù administrationem personis in ordine Episcopali non constitutis, cum similibus, quoniam est accidens circà solam administrationem unius Prælaturæ, reliquis omnibus Prælaturis, & officiis in suo primævo statu continuantibus.

Quartò fortissimè, quia in dictis aliis militiis, prævio anno probationis ut suprà, fit solemnis professio, 15 cum formali emissione votorum obligantium, nedum ad peccatum juxtà voti naturam, sed etiam ad sacrilegium, apostasiam, & alia ex hujusmodi solemnium votorum violatione resultantia, ex collectis *apud eumdem Sperell. dicta decis. 2. nu. 55. & sequen.* Quinimò in istis militiis amittebatur formale votum continentiæ, quod moderno tempore ex Apostolica dispensatione concessa per *Paulum III.* commutatum fuit in castitatem conjugalem, ut de militia Alcantaræ habetur *apud Rot. dec. 266. numer. 6. par. 2. diversf.* & generaliter de omnibus *Mastrill. dicta decis. 290. nu. 129. cum sequen.*

Non sic est in ista militia, in qua, nullo prævio formali novitiatu, non emittuntur formalia, & solemnia vota, sed solùm fit quædam solemnitas susceptionis habitus, cum aliquibus promissionibus super virtutum, & stabilimentorum observantia, non habentibus formam voti, neque obligantibus ad peccatum, ut expressè disponitur *in dicta Constitutione 60. Pii IV. §. 5.* & benè ponderatur *in dict. voto seù decis. 228. par. 3. rec.* ubi habetur quod etiam Canonici sæculares in ingressu aliquas promissiones facere solent, Quod in proposito militum devotionis S. Joannis Hierosolymitani, benè ponderatur *per Rot. in Fulginaten. hæreditatis coràm Verospio decis. 15. par. 11. rec. repetita post resol. Dianæ par. 10.* ubi adducitur exemplum Monasterii Turris speculorum Urbis, in quo illæ Oblatæ in actu susceptionis habitus, seù in quadam alia solemnitate, quæ vulgò dicitur professio, plures faciunt promissiones, & quidem super observantia strictissimi ac satis rigorosi instituti, & tamen sunt simplices Oblatæ, non autem professæ ex deductis *per Cirìa. controv. 504.* ac habetur de illis actum *sub tit. de successionibus, & alibi.* Eædemque promissiones fieri solent in dictis aliis militiis merè sæcularibus, aurei velleris, & Spiritus Sancti, cum similibus, quia, ut dictum est, non sunt vota, sed promissiones simplices, quas etiam faciunt illæ Canonissæ Germaniæ, de quibus *apud Lotter. de Benef. lib. primo quæst. 19. n. 15,* quæ tamen sunt sæculares cum similibus.

Et nihilominus, etiam in dictis tribus militiis, S. Jacobi, de Alcantara, & de Calatrava, in quibus tot circumstantiæ, ac differentiæ rationes concurrunt ut 16 suprà, adhuc receptum est, circà forum deferri observantiæ, quæ in eademmet Hispania est diversa, juxtà singulorum Regnorum seù Provinciarum mores, seù causarum qualitates, ut testantur *Larrea alleg. 64. Cortiada dicta dec. Aragon. 8. n. 94. cum seq. ubi* refert etiam in ipsamet Hispania diversas illorum Regnorum consuetudines *& Carleval. ubi supra nu. 454. in fine, qui nu. 438.* idem testatur de observantia Regni Neapolitani, ob non receptas seù non exequutoriatas litteras Regias continentes Apostolicas Constitutiones *Clementis VIII. & Pauli V.* Et in Regno Siciliæ ultrà id servari, quia dictæ litteræ fuerunt exequutoriatæ, testatur *Carol. de Grass. de effectu clericat. primo num. 115.* ubi tamen de contraria observantia militum Sanctorum Mauritii & Lazzari, ac istorum S. Stephani, quipariter in hoc Regno Siciliæ citrà, jure merè sæcularium sine dubio tractantur; Ideoque cum in præsenti, certa supponeretur observantia, etiam nativa, & ab ipsamet erectione, per sæculum & ultrà continuata, dicebam videri esse in casu indubitabili, quoniam si illa sufficit, & attenditur in dictis aliis militiis adeò majores circumstantias habentibus, multò magis in præsenti de statu sæculari magis participante ut supra.

Ea etiam satis notabili circumstantia circà hujusmodi observantiam ponderata, resultante à nimia vicinitate, & adjacentia istius Principatus seù ditionis cum Civitate Pisana, ubi est hujus Militiæ sedes Metropolitica, & resident ejus Officiales majores, ita ut omninò certa, & inexcusabilis videatur scientia, & patientia, magis quàm in aliis remotioribus ditionibus; Et multò magis ubi subsisteret facti præsuppositum, quod quandoque ipsemet M. Magister, vel ejus primi ministri, litteras istorum militum commenda-

mendatitias Magistratibus sæcularibus scripserunt, ita enim omnis difficultas cessare videbatur.

Posito enim quod, ob instituti pietatem, atque ob Sedis Apostolicæ auctoritatem, & approbationem, hujusmodi professores in aliquo differant à merè sæcularibus, ita ut largè, & impropriè dici valeant personæ Ecclesiasticæ, adinstar antiquorum militum,
17 *Gaudentium Hospitalariorum, Templariorum*, & similium, de quibus loquuntur *Bart. in l. semper §. quibusdam ff. de jur. immun. Speculator. tit. de Statu monachorum quæst. 36. Abb. in rubr. de Regular. nu. 4. & in cap. 2. de foro competenti nu. 11. Soccin. cons. 13. lib. 1. benè Cæs. de Graff. dec. prima de probat. num. 18. & cæteri per Mastrill. Sperell. Carleval. & alios ubi suprà*; Nihilominùs cum non sint veri Clerici, seù Religiosi, quo casu, ob omnimodam incompetentiam, seù incapacitatem intrat infectio cujuscumque contrariæ consuetudinis, vel præscriptionis adversus Ecclesiasticam immunitatem, utpotè juxtà unam opinionem probabiliorem, à jure divino manantem, negari non potest casum esse ambiguum, in quo proindè deferendum sit dictæ observantiæ.

Dictaque observantia fortius attendenda est ob duplicem circumstantiam, Primò scilicèt, quod non
18 est modici temporis, quod etiam sufficiens reputatur ad interpretativam, sed est annorum 100, & ultrà, undè sufficit ad quamcumque privilegiativam præscriptionem, seù melius ad probationem cujuscumque tituli de mundo melioris, & sic etiam declarationis Apostolicæ; Et secundò quod non agitur de præscriptione seù consuetudine dativa, tollente scilicèt jus jam possessum & quæsitum, sed de nativa, idest se opponente principio acquisitionis, ac impediente usum, & executionem dicti indulti Apostolici, eodem modo quo in fortioribus terminis indultorum dictarum aliarum Religionum, expressè continentium exemptionem fori, ob non usum, seù non receptionem ab initio, cum successiva loogissima observantia, habetur apud allegatos loquentes de utriusque Siciliæ Regnis & aliis ditionibus.

Et sic ea, quæ per scribentes in materia dicuntur, ut in aliquo deferendum sit Apostolicæ auctoritati,
19 cum qua hujusmodi militiæ erectio facta est, ac etiam pietati instituti, utpotè similitudinarii illius militiæ S. Joannis Hiesololymitani, rectè procedere dicebam, vel in casu quo res esset integra & recens, ita ut dicta contraria observantia non obstaret, Vel ubi econversò observantia assisteret, ut supponitur assistere in Statu Ecclesiastico, in quo tamen non multum super hujusmodi exemptionibus insistetur, utpotè in effectu ferè inanibus, ob utrumque gladium, quem idem Princeps habet in manibus, dum Papa in hac ditione, est Pontifex, & Rex, cum potestate puniendi, tam laicos, quàm Ecclesiasticos, & exemptos, undè propterea nil refert, an id agat per unum & alterum ex ejus ministris.

Atque ita dicebam responderi ad aliquas declarationes Sac. Congreg. immunitatis quæ circumferuntur occasione exemptionis istorum militium à collectis & oneribus laicalibus *in una Urbevetana & in una Novarien. seù alia*, & quæ deducebantur etiam *in Romana liberationis à molestiis* disputata in Rota, & de qua *sub tit. de credito* super quæstione, an hujusmodi milites S. Stephani gauderent beneficio *capit. Odoardi de solutionibus*, cum dictæ declarationes percutiant vel casus contingentes in Statu Ecclesiastico, vel cum præsuppositio observantiæ, secùs autem ubi ista per sæculum & ultrà, & ab ipso initio est in contrarium, cum observantiæ in proposito omninò deferendum videatur ut suprà.

Hinc proindè dicebam, nullatenùs curandum esse deiis, quæ tumultuario studio, ut ipsemet testatur, & cum satis debilibus fundamentis dixit *Navarr. cons.* 10. 20
de Regular. lib. 3. juxtà unam impressionem, aliàs *cons.* 23. quod isti milites essent veri Religiosi, dum ex præmissis hoc dictum manifestè convincitur erroneum; Prout, & nullam rationem habendam esse de inconsiderata comparatione, quam faciunt *Novar. de elect. fori dicta quæst. 69. num.* 31. *Barbos. de Episcopo dicta alleg. 12. num. 45. Caball. tract. criminal. casu 225. nu. 15. & seq.* & alii de ista militia, cum præfatis Sancti Jacobi, de Calatrava, & de Alcantara, ob tot notabiles differentias ab eis non consideratas, potissimè verò, nullatenùs deferendum esse *Caballo*, utpotè hujus militiæ, vel ejus M. Magistri stipendiario, ad solam oportunitatem, non autem ad veritatem scribenti, & sic testi suspecto, ut etiam dici potest de *Ansaldo*, & similibus, ejusdem militiæ ministris seù stipendiariis.

Et his stantibus, respondendo pro exemptionis exclusione, præsertim ex motivo observantiæ ut suprà, inanem censui alteram quæstionem particularem, an scilicèt, posita etiam exemptione, adhuc tamen quoad validitatem processus & condemnationis obstaret 21
non opposita declinatoria, ut credit *Marta de jurisdictione par. 4. centur. 2. casu 123. numer. 34. cum sequen.* Quando autem de hoc puncto agendum esset, tunc posita exemptione, probabilius pro nullitate gestorum respondendum esse dixi, non quidem ex auctoritate *Ansaldi* acritèr impugnantis *Martam ubi supra* in ejus tractatu *de jurisdictione par. 2. tit. 10. cap. 15. num. 119. cum sequen.* cum ut suprà, hic sit testis suspectus in his materiis modica fide dignus, utpotè minister seù stipendiarius, sed ex ratione generali *text. in cap. cum contingat de foro competenti*, quod scilicet exemptio respicit favorem & privilegium totius Ordinis ejusque M. Magistri, & Prælatorum, ideòque, si etiam expressus consensus subditi non attenditur in præjudicium superioris & ordinis, multo minùs tacitus resultans ex non oppositi fori declinatoria, ut in terminis militum Sancti Jacobi *Crescent. decis. 3. de foro competent.* refert & sequitur *de Marin. dict. resol. 44. nu. 14. lib. primo.*

Ad plures autem annos post datum hoc responsum, occasione scribendi *in Pisana Prioratus seù Commendæ de Grisonibus, de quo sub tit. de Jurepatronatus*, magis me confirmavi in hac opinione, quod scili- 22
cèt hæc Militia, nedum ex defectu novitiatus, & professionis, absque formali emissione votorum, dici non posset Religio, etiamsi tenenda esset opinio moralium id affirmantium in dictis aliis militiis S. Jacobi, de Calatrava, & de Alcantara, undè potius dicendum veniat pium institutum sæcularium.

Sed quod neque dici valeat verè & propriè militia Ecclesiastica, dum per ejus Statuta, ita ab ejus Prælatis & administratoribus interpretata, profitetur illas commendas more primogeniorum, & fideicommissorum sæcularium potiùs, quam more beneficiorum, seù Commendarum Ecclesiasticarum regulare, etiam ubi non proveniunt ex sola fundatione privata & temporali, sed ubi qualitas Ecclesiastica per veritatem quoque concurrit, vel in totum, vel in præponderanti *ut in dicta Pisan.* unde propterea hujusmodi prætensiones videntur incompatibiles, nisi dicatur, qualitatem Ecclesiasticam attendi solum debere in eo quod expedit ex deductis *in eadem Pisana*, cum aliis quæ habentur *in dicta Romana liberationis à molestiis sub* 23
titul. de credito, ubi de suprà insinuato articulo, an hujusmodi milites gaudeant beneficio deducto ne egeat, quod ibi probabilius credidi competere ex qualitate militari potius quàm ex altera Ecclesiastica seù clericatus.

VOLATERRANA.

HABITUS

PRO

N. DOCTORE,

Responsum extrà Curiam.

An Episcopus jurisdictionem seù potestatem habeat prohibendi usum vestium talarium, quibus clerici uti solent, sæcularibus Doctoribus, illas gestare profitentibus tanquam togam doctoralem.

SVMMARIVM.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Episcopus prohibere potest laicis, ne habitum & tonsuram clericalem deferant.*
3 *In jure cautum non est, qualis sit vestis clericorum.*
4 *Clerici non possunt uti veste nimis longa, neque nimis brevi.*
5 *Toga quid sit.*
6 *Doctores habent usum togæ.*
7 *De introductione vestis longæ in clericis.*
8 *An prohiberi possit assumptio nominis, in signum, vel vestium alicujus.*
9 *De observantia Curiæ Romanæ circà usum togæ.*
10 *Declarantur præmissa circa usum togæ ex contraria consuetudine.*
11 *Et ubi generaret scandalum.*
12 *Ad Episcopum pertinet declarare, quis sit habitus clericalis, & quis regularis.*

DISC. XCIII.

1 3 CUM N. Civitatis Volateranæ, in Urbe theoricæ & praxis forensis studiis per aliquos annos operam dedisset, ibique vel alibi lauream doctoratus suscepisset, atque regrediens ad patriam, continuaret eumdem usum vestium talarium, quem in Urbe habent omnes Doctores ac litterarum professores, cum delatione etiam comæ; Episcopus illi præcepit, quod vel tonsa coma jure aliorum clericorum viveret, quia fortè primam tonsuram aliàs susceperat, vel usum vestium clericalium dimitteret, isque declarasset se esse laicum, non autem clericum, illas autem vestes ita gestare tanquam togam doctoralem; Hinc proinde exorta controversia, circà susceptæ Advocationis initia, ex parte præfati Doctoris requisitus fui ad scribendum pro hujusmodi ejus prætensione substinenda.

Quarè scribens tanquam Advocatus ad requirentis oportunitatem dicebam, quod quamvis Episcopo 2 liceat prohibere laicis, ne habitu, & tonsura clericali utantur ad text. *in cap. unico de bigamis in 6. ubi Gemin. & Franch. uterque num. 3. Genuen. in praxi Archiep. Neap. cap. 55. num. 3.* idque non solùm copulativè, quia nempè laicus habitum & tonsuram clericalem deferat, sed etiam alternativè si habitum absque tonsura, fortius verò si tonsuram absque habitu deferat, cum hæc apud allegatos, & alios alternativè ponantur ex deductis *per Carol. de Grass. de effect. clericat. in prælud. numer. 267. cum sequen.* & probatur etiam ex decreto *Sacri Conc. Trid. Sess. 14. de reformat. cap. 6.* ubi habitus & tonsura considerantur tamquam diversa, ad illum tamen effectum copulata.

Nihilominus, quatenus pertinet ad usum vestis longæ & suprà talos, illa verè & propriè non est vestis clericalis, sed toga doctoralis, clericis potius, non autem doctoribus prohibenda; In jure siquidem cautum non est, qualis sit habitus proprius clericorum, 3 neque illius præcisa forma præscripta est, ut *per Gloss. in Clement. 1. de electione cum concord. per Barbos. de Episcopo alleg. 9. numer. 1. Sperell. decis. 17. numer. 44.* Benè verum, quod reperitur prohibita vestis nimis brevis, ne laici videantur, & econversò etiam vestis nimis longa, & supra talos, cum id importet togam, quæ tanquam continens quid nimis honorificum & sumptuosum, clericali modestiæ & humilitati non convenit, ad *text. in cap. clerici de vita & honestate clericorum*; Toga etenim dicitur vestis lon- 4 ga & pretiosa *Gloss. in l. labeo ff. de supellectili legata* verbo *pendulas & togas*, *Calvin. in lexico* verbo seù dictione *togarum*, *Panormita in thesaur. variarum lection. lib. 1. cap. 11.* & colligitur ex cumulatis *in Theatro vitæ humanæ* verbo *vestis & vestimentum.* 5

Econversò autem expressè cautum est in jure, Doctoribus & professoribus competere usum togæ, atque sub nomine togatorum propriè Doctores & professores appellari solent ad *text. in l. quidquid, & l. sisdem cum duabus sequen. & toto tit. Cod. de Advocatis diversorum judicum.* Unde *Gloss. in l. 1. Cod. nulli licere, &c. in fine lib. 11.* dicit togam propriè dici Advocatorum, quemadmodum dicitur clamys militum, purpura Regum, stola Sacerdotum, cuculla Monachorum, &c. quæ toga, ut dictum est, propriè consistit in veste nimis longa, quamdam majorem majestatem, ac pompam præseferente, ut habemus apud historicos de Imperatoribus ac Senatoribus Romanæ Reipublicæ, togæ usum discretivè ad reliquum populum habentibus ex collectis *in theatro vitæ humanæ* verbo *Vestis, & Vestimentum*, ubi multa de usu togæ, Ac etiam docet actualis praxis Reipublicæ Venetæ quasdam dictæ antiquæ Romanæ Reipublicæ reliquas retinentis, unde propterea dicebam indebitè prohiberi Doctori illum usum togæ, quide jure sibi competebat. 6

Et licèt prius, ab Episcopis aliisque Prælatis fortè originaliter majestatis & honorificentiæ gratia, usus vestis nimis longæ, &, ut vulgò dicitur, cum quadam 7 cauda longè suprà talos, adinstar dictæ antiquæ togæ haberi cœpisset, deinde verò ille irrepserit in omnes clericos, qui, quod magis religiosè vivere profitentur, eò magis vestes semper deferunt suprà talos, quasi quod deferentes vestes breviores, magis sæcularizare videantur, unde propterea *Sixtus V. Constit. 92.* præcipit clericis beneficiatis, vel pensionariis usum vestis talaris, Nihilominus ista dicenda est moderna introductio, quam *Ricciul. de jure personarum lib. 7. cap. 6. numer. 2.* in clericis dicit derivare à dicta Constitutione; Et sic est assumptio usus togæ adinstar, ideoque inducere non debet prohibitionem ejusdem usus in iis, qui illum habent antiquum, & de jure, cujus dispositione attenta, ipsis est potius prohibitus ut suprà; Incongruum enim esset, quod Regibus & Senatoribus

bus antiquum usum purpuræ habentibus, iste prohibendus esset, ex eo quod Cardinales tanquam Papæ Senatores, ac Regibus assimilati, ab aliquo tempore hunc purpuræ usum habeant, cum similibus; Qui enim assumit nomen, insignia, vel honorificum habi-
8 tum alterius, potius in stricta juris censura prohiberi potest, ex iis, quæ habentur deducta *sub tit. de præeminentiis hoc eodem libro*, si tamen non prohibeatur, non inde inferri potest, quod assumens adinstar, jus habeat prohibendi illis, qui antiquiorem usum in titulum ex juris dispositione vel consuetudine habebant.

Eoque magis præmissis locum esse dicebam, stante observantia Curiæ Romanæ, quæ tanquam Curia Papæ, totiusque Christiani Orbis metropolis, omni-
9 um saltèm Ecclesiasticarum Curiarum exemplar esse debet, dum nedum Advocati & Procuratores, sed etiam medici, aliique litterarum professores habent usum vestium talarium, atque adinstar antiquæ Reipublicæ, togati nuncupantur, ita ut in nihilo differre videantur à clericis etiam in sacris & qualificatis, putà Canonicis Basilicarum, Abbatibus, vel Parochis, &c. quamvis essent uxorati, ac merè sæculares.

Hæc dicebam tanquam Advocatus ad causæ seù requirentis oportunitatem, Eodem autem tempore,
10 requirentem juxtà stylum monui, quod inspecta veritate, magnam desuper habebam difficultatem, atque probabilis mihi videbatur Episcopi prohibitio, quoniam licèt hæc in puncto juris, atque attento antiquo usu subsisterent, nihilominùs quia in plerisque regionibus, ac ferè ubique, excepta Urbe, & Statu Ecclesiastico, iste usus antiquæ togæ doctoralis dimissus est, quoniam si alicubi judices vel Advocati incedunt togati, attamen est quædam toga magis brevis, satis diversam formam habens, à Gallorum potiùs quàm Romanorum usu, & moribus introducta, Hinc proinde de facto usus inolevit, quod vestes longas, ac talares non deferunt nisi clerici, in hoc à laicis differentes, & consequenter, stante contraria consuetudine innovante dictam antiquam juris dispositionem, rectè intrat superius initio insinuata conclusio deducta *ex cap. unico de bigamis in 6.* super jurisdictione & potestate Episcopi prohibendi sæcularibus hujusmodi vestium usum, quamvis aliàs ex præeminentia Doctoratus illum magis jure proprio haberent quàm clerici, quoniam jus non scriptum, seù consuetudinarium aliàs induxit; Unde propterea urget ratio, cui dicta
11 prohibendi facultas innixa est, scandali scilicet, quod aliàs in populo, præsertim inferiori, & hujusmodi eruditionum ignaro resultaret; Quinimò etiam & in populo selectiori, ac superioris ordinis, ut quotidiè experimur in Urbe, ubi exteri hujusmodi usus peritiam non habentes, quamvis nobiles, immò docti, & eruditi, attamen patriis moribus assueti, satis mirari solent, videndo togatos longam comam deferentes, atque cum mulieribus, quæ sunt earum uxores, & cum filiis in curribus publicè incedentes, ut etiam de me metipso dicere possum, Et consequenter ob dictam scandali rationem dixi, quod in sensu veritatis, dicta requirentis prætensio, extrà locum, in quo dictus togæ usus habeatur, atque communis Doctorum habitus diversus esset, non videbatur subsistentabilis, Ita etiam me docente praxi Civitatis Neapolis in illo plurium annorum spatio, quo theoricæ studiis, vel Tribunalium praxi operam dedi, quoniam Archiepiscopalis Curiæ satellites, seù mitistri, perquirentes, & carcerantes clericos comam deferentes, aliisque ejusdem Curiæ decretis contravenientes circà habitum & tonsuram, cogunt etiam eos, qui se profitentur sæculares, ad dimittendam illam habitus formam, seù speciem, cum quo, stantibus Civitatis moribus & usu, potius clerici quàm laici reputandi venirent, de quo eriam testatur *Genuen. in prax. Archiepisc. d. cap. 55. num. 3.*

Ideoque ad Episcopum seù Superiorem Ecclesiasticum spectare declarationem seù determinationem qualis dicatur habitus clericalis, habetur *apud Fagnan. in cap. si quis de foro compet. num. 21.* Atque pos- 12
se Episcopum cogere, & curare debere, ut diversus sit habitus clericorum sæcularium ab illo regularium idem *Fagnan. in cap. quia ingredientibus de testamentis num. 4. & seqq.* ex eadem ratione confusionis & scandali.

NEAPOLITANA.

REMISSIONIS CAUSÆ

PRO

EMANUELE MONTOIA.

Responsum pro veritate.

An & quando clericus conveniri possit coràm judice laico super bonis, quæ cum ipsius judicis auctoritate obtinuit, Et quid ubi tutelam vel aliud officium ab eo suscepit, seù quod ipsa bona coram laico prævenia sint; Et in specie clerici hæredis, qui obtinuit immissionem ad bona hæreditaria à judice laico, àn coram isto conveniatur pro debitis hæreditariis vel legatis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *De ratione ob quam hodiè tutum judicium pro veritate dari non potest, & quare Advocatis reddatur licitum scribere in jure pro quacumque parte.*

3 *Quod materia jurisdictionalis sit involuta, & de ratione.*

4 *An Clericus suscipiens tutelam vel aliam administrationem à manu judicis laici coram isto conveniatur.*

5 *In dubio standum est regulæ.*

6 *quando tenenda esset opinio, quod clericus posset conveniri, quomodo intelligenda veniret.*

7 *An clericus, cui in concursu creditorum liberatur à judice laico pecunia debitoris cum cautione de restituendo, conveniatur coram eodem laico pro restitutione.*

8 *Quid ubi liberantur cum eadem cautione de restituendo bona, quæ extent, ac directè vendicari valeant.*

9 *Pecunia soluta creditori cum cautione de restituendo dicitur semper extare, & non potest dici consumpta.*

10 *De casu in quo pecunia cum dicta cautione solvatur laico, cui deinde succedat clericus remissivè.*

11 *An quando clericus à judice laico est immissus in*

judicio

judicio particulari ad possessionem bonorum, super istis ab alio conveniatur coram eodem laico.

12 *De differentia inter judicium universale, & particulare.*

13 *Quid ubi clericus hæres vel fideicommissarius immissus est à laico in possessionem bonorum cum clausula* salvo jure aliorum, *seu* sine præjudicio habentium meliora jura, *an conveniatur coram eodem laico.*

14 *De operatione dictæ clausulæ, quod inducat conditionem.*

15 *Si clericus in confectione inventarii hæreditarii coram judice laico citat creditores, & legatarios, an coram eodem ab istis reconveniatur pro solvendis debitis vel legatis.*

16 *De casu in quo idem judex laicus vel superior ex capite nullitatis vel injustitiæ retraëtet immissionem datam clerico.*

17 *An clericus hæres laici conveniatur coram laico pro debitis hæreditariis vel legatis.*

18 *De differentia inter legata speciei, & illa quantitatis ad dictum effectum fori.*

DISC. XCIV.

1 PORTIA Gentilis uxor olim Regentis Montoye, in testamento condito circa annum 1642. institutis hæredibus, Michaele, Joanne, & Emanuele filiis cum reciproca inter eos, legavit cuidam Monali ducatos mille, cujus testatricis morte sequuta, filii prædicti, juxtà morem Civitatis Neapolitanæ, curarunt se declarari hæredes in M.C.V. cum beneficio legis & inventarii, conficiendo, ut ibi dicitur *præambulum*, unde quilibet longævo spatio annorum 20. & ultrà propriam portionem possedit.

Mortuo autem uno eorum Canonico Toletano, ejusque portione consolidata in altero, qui erat Episcopus Galipolitanus, isto quoque defuncto, Emanuel superstes in vim dictæ substitutionis, in eadem M.C. conficiendo dictum *præambulum*, obtinuit immitti in possessionem bonorum hæreditariorum adversus præfati Episcopi ultimo loco defuncti hæredem laicum, cum clausula in hujusmodi actibus ibi apponi solita, *salvo jure cujuslibet*; Postquam verò per annum & ultrà dictus Emanuel fuerat dictarum aliarum portionum pacificus possessor, dicta Monialis, seù Monasterium ex ejus persona, pro consequutione dicti legati, contrà eum absentem & in Curia domicilium habentem egit coràm quodam supremo Magistratu sæculari causarum dicti Monasterii specialiter delegato, à quo processum fuit ad sequestrum bonorum hæreditariorum, ad effectum, ut ex fructibus & redditibus præfatum legatum satisfieri posset; Oppositaque ex parte Emanuelis clerici beneficiati declinatoria fori, petendo causam remitti ad suum judicem Ecclesiasticum, denegata fuit ex eo fundamento, quod cum ipse recepisset bona à manibus judicis laici cum dicta clausula *salvo jure cujuslibet*, non poterat refricare quæstionem jurisdictionis & potestatis proprio auctori, à quo ita conditionaliter cum dicta clausula consenserat recipere bona prædicta, quæ proindè remanebant præventa, Undè super hoc ex parte dicti Emanuelis de proprio sensu consultus, breviter cum parva notula, etiam cum sensu veritatis, respondi petitæ remissioni omninò locum esse debere, quodque, admissa etiam pro vera opinione quæ tenetur in illis Tribunalibus, & per alios laicos, super conventione clerici coràm eodem judice laico, pro rebus & bonis, quæ ab ejus manu obtinuit, Nihilominùs id procedat in casibus, in quibus continuetur idem judicium universale vel particulare, seù interessatus, qui de novo comparet, veniat ex eodem jure, eademque causa pro quibus clericus à dicto judice bona obtinuit, secùs autem ubi in judicio novo & diverso, & ex diversa causa, ut ita summariè insinuatum habetur *in Firmana molendini hoc eodem tit. disc. 58.* ubi de hac materia conventionis clerici super bonis habitis à judice laico; Cumque his non obstantibus continuaretur in denegatione dictæ remissionis, ac processu ad ulteriora, deliberando etiam de facto ad favorem Monasterii actoris quasdam pecunias obventas ex fructibus & redditibus bonorum sequestratorum, ac propterea ex parte dicti Emanuelis denuò requisitus essem ad formale responsum pro veritate, ut ea cognita acquiescere posset, vel econversò ad alios superiores recurrere.

Non libenti animo tale onus assumpsi, quoniam si in omni materia hodie ob tantam opinionum va- 2
rietatem, quodammodò amissa est facultas respondendi pro veritate omninò ignota, quoniam juxtà frequentem & quotidianam experientiam, sæpe sæpius causarum exitus diversi esse solent à judicio pro veritate, nedum per unum, sed per plures sapientes maturè præstito, obtinendo victoriam in iis, in quibus certa quodammodo succumbentia timebatur, & econtrà succumbendo in causis quæ reputabantur claræ & tutæ; Et ob quam rationem, cessante mendacio seù alteratione facti, in quo apud Deum & apud homines nulla excogitabilis est defensorum excusatio, in iis quæ juris sunt, ex recepto, beneque fundato ac rationabili Curiæ, aliarumque præsertim magnarum Civitatum usu, licitè per Advocatos in iis quæ consistunt in puncto juris, scribitur etiam contrà propriam opinionem, quæ frequenter ex causarum eventu fallax detegitur, cum obligatione tamen liberè ac sincerè proprium sensum, propriasque difficultates requirenti insinuandi, potissimè in Curia, ubi Advocati nonnisi in articulis juris dubiis evocari solent.

Multo magis id procedit in hac jurisdictionali materia suprà omnes aliàs involuta, non quia per se esset talis, sed quia antiquioribus parùm eam ex pro- 3
fesso examinantibus, per modernos factionario potiùs more tractata est, non indagando sincerè veritatem cum illis distinctionibus ac honestis temperamentis, cum quibus quædam media via teneri potest & debet, utriusque potestatis conciliativa, ut revera fuit sensus antiquiorum, quos proindè moderni, cuilibet ex pugnantibus opinionibus pro eorum oportunitate applicant, propriæ potestati principaliter ac magis adulando, non autem veritati studendo ac assumendo extrema hincinde vitiosa contrà evangelicum præceptum, ut ex Domini nostri oraculo dari debeant, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.

Ut autem amico satisfacerem, respondi, plures in proposito clerici aliquid obtinentis à manibus judicis laici, cadere diversos casus seù quæstiones, An coràm eo non obstante fori exemptione, ac regulari incompetentia conveniri valeat, ideoque ad evitanda confueta æquivoca resultantia ex mixtura casuum inter se diversorum, sivè ex incongrua applicatione auctoritatum, perneceſſe procedendum esse advertebam cum casuum distinctione.

Quorum primus est, ubi clericus aliquod munus suscipit à manibus judicis laici putà tutelam, vel 4
aliam administrationem, seù quod ab eodem seque-

ster

ster aut depositarius factus est, an coram eodem conveniri possit, & tunc variæ sunt opiniones; Canonistæ siquidem & Morales indefinitè tenent negativam ratione omnimodæ incompetentiæ, seù incapacitatis judicis laici, cognoscendi de causis clerici; Civilistæ verò seù laici inter se variant, Aliqui enim distinguunt casum in quo dictum munus suscipiatur in statu laicali, cui deindè superveniat clericatus, & casum in quo in ipso clericali statu tale munus susceptum sit, Alii verò distinguunt, an idem munus susceptum esset ex justo motivo sanguinis, ut est ergà conjunctos, seù pietatis ergà personas miserabiles cum similibus, vel potius illicitè suscipiendo munus clerico incongruum; Atque isto casu plerique non incongruum reputant, ut citrà violationem Ecclesiasticæ immunitatis, clericus ratione officii, quod suscipit à judice laico, coràm ipso conveniri possit, eodem modo, quo juxtà claram Canonum dispositionem in *cap. Verum*, & *cap. ex transmissa de foro competenti* clericus feudatarius ratione feudi convenitur coram Domino quamvis laico, ut patet ex deductis *per Carol. de Grass. de effect. clericat. effect. 1. ex nu. 855. Excobar. de ratociniis cap. 7. Rovit. pragm. 1. de clericis & diaconis salvaticis, & latius dec. 20.* ubi dicit decisum pro remissione clerici ad judicem Ecclesiasticum, *de Marin. resol. 53. lib. 1. & resol. 177. num. 8. & sequen. lib. 2.* latè & ex professo contrà decisa apud *Rovit. d. dec. 20. Capic. Latr. consul. 103.* In qua quæstione dici potest, cõmunem & probabilem assistere foro Ecclesiastico, dum Canonistæ & morales videntur penè concordare, ipsi autem civilistæ seù laici inter se discordant, & fortè magis communiter eamdem sententiam foro Ecclesiastico favorabilem tenent, ut sunt præsertim *de Marin. & Rovit.* ambo Magistratus fori sæcularis, potissimè verò *Rovitus*, qui longo tempore exercuit munus delegati Regiæ jurisdictionis; Licèt modernus elaboratissimus Hispanus Cortiada *decis. Aragon. 10. num. 114.* ad probandum, quod cõvenire possit coram laico, multos cumulet, referendo etiam tenentes contrarium, sed juxta stylum est simplex collector non examinando articuli veritatem, Et tamen sufficit, ex his articulum reddi dubium, ut in dubio adhærendum sit regulæ generali assistenti foro Ecclesiastico privativè ad forum laicalem omninò incompetentem in causis clericorum, nam in dubio inhæredũ est regulæ *Mantic. dec. 251. n. 4. Franch. dec. 197. n. 9. cum aliis collectis per Barbos. axiom. 198.*

Quicquid autem sit de veritate articuli, adhuc tamen quandò in aliqua regione receptus stylus esset in contrarium, videretur isto casu tolerabilis, cum ex dicto exemplo feudi, ob rationis identitatem, non videatur omninò exorbitans, dummodò tamen procedatur ad dispunctionem rationum, & alia quæ concernunt judicium super illo munere seù administratione, non autem ad executionem ac districtionem, præsertim personalem, ac etiam realem in bonis propriis, & pro executione actionis personalis, nisi auctoritate judicis Ecclesiastici ut admittitur apud *Capic. Latr. dicta consult. 103. & alios apud eos*, & *apud Cortiad. dicta decis. 10. numer. 114. post med. vers. Bene verum*, cum aliàs stylus contineret potius corruptelam, ideoque nullatenus tolerabilis; Quæ tamen, licèt à casu controversiæ extranea essent, prout & alia in casibus sequentibus, adhuc tamen citrà evagationis defectum insinuabam, ad dictum effectum congruæ applicationis auctoritatum, & ne unum casum percutientes, alteri diverso incongruè applicarentur, relinquendo in reliquis locum veritati, cum occasio non dederit formiter hunc articulum disputandi.

Alter casus est ubi in concursu creditorum super patrimonio communis debitoris, efformato coram judice laico, ab isto liberatur pecunia clerico creditori cum obligatione de restituendo prioribus & potioribus, ac ad omne mandatum, &c. & tunc in vera juris censura pro incompetentia judicis laici quoque respondendum videtur, ut scilicet coram eo clericus conveniri non valeat, quoniam cum agatur de cogendo personam ad restituendam pecuniam consumptam, & cum reliquo patrimonio confusam, ita est exercere directam, & personalem actionem cum ipso clerico non subdito per viam formalis, & integræ conventionis in persona & bonis propriis, ut benè in his terminis probat, & tenet *de Marin. resol. 206. lib. 1. per totum*; Et licet in fine dicat in contrarium esse illorum Tribunalium praxim, attamen ista praxis ita simpliciter, ac indefinitè sumpta, potius manifesta corruptela dicenda videtur, nisi distinguendo dicatur, quod aut agitur de decidendo puncto anterioritatis vel potioritatis in cõcursu, ac successivè de puncto avocationis pecuniarum, & an sit locus restitutioni, nec ne, & tunc rectè ad eumdem judicem id pertineat tanquam judicem concursus, & causæ universalis, nam aliàs esset involvere totum mundum, neque aliàs hujusmodi causæ universalis concursus practicari possent; Aut verò agitur de actuali coercitione, seu exequutione pro dicta restitutione, & secus, ut scilicet à proprio competenti judice Ecclesiastico id faciendum sit, nam aliàs esset exercere jurisdictionem directam cum Ecclesiastico ut supra.

Tertius casus est, ubi in eodem concursu clerico creditori assignantur, seù adjudicantur communis debitoris bona cum eadem obligatione illa restituendi anterioribus vel potioribus, seù ea exhibendi ad omne mandatum, &c. Et tunc aut sunt bona mobilia quæ non extant, ita ut ad ipsa directè agi non valeat & dicendum venit idem quod in pecunia, quia eadem ratio in omnibus militat, aut sunt stabilia, seù etiam mobilia, vel se moventia extantia, & quæ directè vendicari possunt, & tunc licèt in puncto juris idem quod in casu precedenti dicendum veniat, dum illa bona effecta sunt de dominio clerici, cujus exemptio est tam personalis quàm realis, Attamen ubi contraria esset tribunalium laicalium praxis, illa videtur tolerabilis, neque continere tantam corruptelam, ex eadem ratione, de qua infra in quinto casu, quod scilicet in eodem judicio, seù ex eadem actione alter compareat ac petat immitti ad bona hæreditaria, quoniam ita judex exigendo dictam obligationem de restituendo declarat, quod noluerit purè dare bona prædicta, neq; eorum dominium & possessionem in clericum transferre, sed solùm provisionaliter cõcedere quamdam speciem tenutæ precariæ, ad ejus nutum amovibilis, cum facultate reassumendi propria auctoritate ipsa bona, & sic tanquam vinculum seù onus reale ipsis bonis infixum, unde congruere videntur termini feudi, de quibus suprà; Sivè quod tali casu judex laicus censendus veniat jure illius privati contrahentis, qui rem à se possessam alteri precariò seù ad nutum avocabilem tradat, cum facultate eam capiendi propria auctoritate, quoniam dicto privato in vim hujusmodi pacti ipsam rem reassumente lædi non dicitur Ecclesiastica immunitas, dum id non in ratione jurisdictionali & auctoritativa in persona & bonis ipsius clerici sequi dicitur, sed in ratione privata & conventionali in bonis propriis ipsius reassumentis, quæ cum reliquo clerici recipientis patrimonio ita commixta non dicuntur.

Non sic est in casu præcedenti pecuniæ, vel aliarum rerum consumptarum & non extantium, ad quarum

rum pretium seù æquivalentiam agatur, quoniam licèt recepta juris propositio sit, quod pecunia de mandato judicis creditori soluta cum cautione de restituendo prioribus, & potioribus, seù ad omne mandatum, &c. nunquam dici possit consumpta vel commixta, sed semper habeatur pro extante, perinde ac si soluta non esset, *Anna singul. 537. Franc. dec. 75. num. 9. ubi add. & dec. 200. num. 4. Rot. dec. 155. in fin. par. 7. rec. dec. 189. num. 35. & dec. 232. num. 33. post Zacch. de obl. cam. & passim.* Nihilominus hæc dicitur ficta & intellectualis existentia, proveniens ex fictione & potentia legis, ad effectum ut creditor evitare non possit restitutionem sub prætextu consumptionis bona fide, Naturaliter autem & de facto, illa identificè & commodè separabilis à reliquo patrimonio non adest, & consequenter pernecessè dare oportet jurisdictionalem coactionem in persona & bonis propriis ipsius clerici, quod implicat in judice laico, & sic magna differentia est inter unum casum & alterum. 9

Ratò autem contingentes sunt hodiè hujusmodi controversiæ, solutionis scilicèt pecuniarum, vel adjudicationis bonorum directè ipsis clericis vel personis Ecclesiasticis in eo statu jam constitutis ipsorum tantum fidem sequendo, cum tunc ad hujusmodi disputationes removendas tribunalia laicalia aliàs adhibere soleant cautelas, sed benè contingunt, quandò id sequutum est cum laico, qui deinde efficiatur clericus, sive quod ipso laico moriente, illi clericus vel persona Ecclesiastica succedat, qualis est casus præcitus disputatus apud *Capic. latr. dec. 123.* 10

Quartus casus est, ubi clericus à judice laico immittitur in possessionem aliquorum bonorum in judicio particulari, quod sequuta immissione, omnimodum finem habet, neque de illius retractatione, eadem causa continuante agitur, sed deindè ex integro, & in judicio omninò novo alter prætendens habere potiora jura suas actiones super eisdem bonis exercere prætendit, Ut puta clericus creditor hypothecarius laici, adversus ipsum debitorem, vel adversus tertium possessorem laicum obtinet à judice laico immissionem in judicio salviani, sivè in illo assistentiæ, vel simili, dictóque judicio expleto, ac possessore expulso acquiescente, alter creditor hypothecarius, qui anteriorem vel potiorem se prætendat, idem salvianum vel assistentiam super eisdem bonis intentare velit contrà clericum jam effectum dominum, seù pacificum possessorem; Sivè quod aliquis jure fideicommissi aut simili ex remedio *l. finalis Cod. de edict. div. Adriani*, aut cum alia actione, eadem bona vindicare prætendat, Et tunc quicquid aliqui dicant in contrarium, omninò verà videntur firmata apud *Rovitum decis. 44.* ut clericus non nisi coram suo judice competente desuper conveniri valeat, quoniam primum judicium coràm laico jam terminatum fuit, istud verò est omnino novum & integrum, & sic dici non potest continuatio prioris judicii, ut advertitur suprà *in dicta Firmana dis. 58.* 11

Magnaque differentia est inter istum casum & præcedentem, quoniam in eo, ubi agitur de judicio univerſali concursus creditorum efformati in patrimonio seù bonis communis debitoris, ipsa bonorum universitas dicitur posita sub possessione, & administratione illius judicis, qui ita revocabiliter ad ejus nutum bona assignat creditoribus per speciem precariæ & provisionalis tenutæ ut suprà, unde quando veniùt alii creditores anteriores vel potiores pro eisdem bonis vindicandis, non dicitur judicium novum, sed idem, atque continuatio ejusdem judicii universalis, quod dici non potest de altero casu; Ac etiam quia in hujusmodi casu judicii universalis seù concursus, ut etiam insinuatur *in d. Firm. disc. 58.* expedit clericis & Ecclesiasticis huic praxi se non opponere, eamq; tolerare, ob eorumdem Ecclesiasticorum favorem, ut ita facilius obtineant liberationem pecuniarum, seù possessionem bonorum, aliàs verisimiliter non obtenturi, vel saltèm longè difficilius, & cum onere præstandi fideiussores seù expromissores laicos, ut pluries vidi practicatum. 12

Quintus casus est ubi delata clerico, testata, vel intestata successione immediata & directa, seù obliqua, & fideicommissaria, hic petit & obtinet à judice laico se declarari hæredem, ac immitti in possessionem bonorum vacantium seù à laico possessorum, dictaque immissio sit pura & perfecta absque aliqua conditione, & tunc videtur idem, quod in præcedenti, ut scilicèt altero veniente, etiam ex eodem jure universali seù causa succedendi, clericus jam perfectus & pacificus possessor conveniri debeat coram suo judice competente, quoniam primum judicium jam finitum est, suumque effectum habuit, istud verò est omninò novum & integrum juxtà *dictam decisionem 44. Roviti*, cum ibi deductis; Secùs autem si, juxtà hanc facti speciem, immissio non purè sed conditionaliter data esset cum dicta clausula in M.C.V. aliisque tribunalibus Regni Neapolitani usitata, *salvo jure cujuslibet*, quam in Curia concipimus *sine præjudicio habentium potiora & meliora jura, &c.* Tunc enim ut suprà in tertio casu dictum est, quoties alter compareat ex eodem jure seù causa successionis, quia scilicèt prætendat se in intestata vel testata directa seù fideicommissaria successione potiorem vel æqualem, ex ejusdem defuncti vel legis municipalis judicio, & tunc rectè tolerabilis etiam videtur dicta praxis, quod coram eodem judice laico clericus ita immissus evocari possit, quoniam ut dictum est, non molestatur in persona & bonis propriis, sed tantùm judex reassumit bona ita conditionaliter ac jure provisionalis & præcariæ tenutæ data clerico, cum cujus bonis & patrimonio commixta seù confusa non censentur, quoniam hæc est virtus dictæ clausulæ, inducendi scilicèt conditionem resolutivam, qua purificata, resolvatur actus ab initio, ac si gestus non esset, ex plenè deductis per *Adden. ad Greg. decis. 332. n. 6. & per Rotam* in aliis satis frequenter, Assistentibus, nedum æquitate, sed etiam dicta ratione majoris favoris ipsorum clericorum, ut ita facilius hujusmodi immissiones obtineant; Et hic est casus, de quo loquitur *Capic. Latr. dicta decis. 123. nu. 8.* quod scilicèt immisso quodam monasterio jure testatæ successionis cum confectione præambuli sub dicta clausula ad possessionem bonorum defuncti, alter deindè compareat jure necessariæ successionis sibi competentis in vim illarum consuetudinum in parte bonorum antiquorum, cum similibus, dum ita primum judicium finitum non est, sed dicitur continuatio, ac reassumptio ipsorum bonorum, quæ ita vacantia finguntur, absque molestia vel coactione ipsius clerici in persona & bonis propriis, Ideoque ut supra admittebam isto casu enunciatam illorum tribunalium praxim tolerabilem esse, & de quibus casibus habetur etiam cum eadem vel simili distinctione *apud Carleval. de jud. tom. 1. ex numer. 946. cum pluribus seq.* 13 14

Sextus casus est, ubi delata clerico, testata, vel intestata successione, ipse volens in tribunali laicali facere dictum præambulum cum beneficio legis & inventarii pro adimplendis istius solemnitatibus juxtà dispositionem textus *in l. finali Cod. de jur. deliber.* ibi citat creditores hæreditarios ac legatarios, qui ita provocati, contemporaneè per quamdam speciem 15

recon-

reconventionis coram eodem judice laico, eumdem clericum ita eos provocantem pro solutione debiti vel legati conveniunt, Et tunc licet in puncto juris id fieri non possit, quoniam cum hoc sit judiciũ merè voluntarium, non autem arctativum, verè & propriè non intrant termini reconvention is ex benè deductis *per Hodiern. ad Surd. dec. 26. num. 13. & 14.* Attamen in aliquibus Tribunalibus praxis solet esse in contrarium, ut testatur idem *Hodierna ibidem num. 15. & post num. 26.* Dictaque praxis neque omninò exorbitans sed tolerabilis videtur, quia de facto adest provocatio ex parte clerici, cui fortè objici potest, cur hunc actum voluntarium coram judice laico, & non coram proprio & Ecclesiastico gerat. Quos omnes suprà distinctos casus, ita incidenter deducebam ad præfatum initio insinuatum effectum, tollendi æquivoca, seu explicandi, in quibus casibus procederet illa contraria praxis, quæ in hac facti specie per dictum judicem præsupponebatur, quodque incongruè applicaretur ad casum controversiæ, nihil tamen desuper firmando, sed integrum locum relinquendo veritati, dum incidenter & discursivè hæc deducebantur.

Demum, omissis aliis ad rem non facientibus, & præsertim illo veræ continuationis ejusdem judicii, ac retractationis actus per viam nullitatis vel injustitiæ de quo *in dicta Firmana disc. 58.* Septimus est noster casus præcisus, quod scilicet delata alicui clerico successione directa vel obliqua, atque per istum confecto præambulo, & obtenta immissione in possessionem bonorum à judice laico, actus suum plenarium consequitur effectum, atque clericus in eo jure successorio nullum habet contradictorem, sed effectus jam pacificus possessor hæreditatis & bonorum, ex intervallo pulsatur per creditores hæreditarios vel legatarios ad solutionem debitorum seu legatorum, Et tunc, reflectendo etiam ad solam veritatem, dicebam omninò improbabilem esse dictam laicotum prætensionem, cum non solùm resisterent juris propositiones & principia, sed etiam neque assisteret præsupposita praxis, quæ percutit dictos alios casus, de quibus loquuntur allegati auctores, & cæteri apud eos, non autem istum, in quo quicquid dicant aliqui relati per *Carleval de judiciis tom. pr. num. 303.* omninò verior & communiter in toto orbe catholico recepta est opinio, ut clericus hæres laici pro solutione æris alieni defuncti conveniri debeat coram suo judice Ecclesiastico & competente, ut plenissimè cæteris collectis habetur *apud Carleval. ubi suprà num. 301. & sequen.* Tunc enim cessant omnes rationes militantes in aliis suprà exemplificatis casibus, quia primum judicium jam absolutum ac finitum est, istud verò est omninò novum & diversum, neque sequi dicitur purificatio conditionis contentæ in dicta clausula *salvo jure*, sive in altera, *sine præjudicio*, cum intelligatur quoad venientes ex eadem causa, & per quamdam continuationem ejusdem judicii juxtà alios casus ut supra exemplificatos.

Clarius verò, ac extrà omnem dubitationem ista procedere dicebam in hac facti specie ex triplici particulari circumstantia; Primò quia non agebatur de successione & bonis laici, nisi mediatè, cum immediati possessores, per quorum obitum bona vacabant, & immissio petita est, essent etiam Ecclesiastici, unde oporteret eos si viverent coram proprio judice Ecclesiastico convenire; Secundò quia ipsemet clericus, qui hanc immissionem in præfatis duabus defectis portionibus habuerat, erat etiam hæres directus jure proprio pro tertia parte, ab ipso jam spatio annorum circiter 25. pacificè possessa, unde erat correus, & consequenter cum ageretur de interesse connexo, ejus forus tanquam potentior de jure totam causam trahere deberet etiam quoad correos laicos, multo magis dum omnes aliæ portiones quamvis aliàs per laicos possessæ essent, ita in ipso clerico erant consolidatæ.

Et tertiò fortius, quoniam non agebatur de legato speciei, quo casu fortè dici posset, quod ejus dominio favore legatarii privilegiati recta via in istum transeunte, non adesset necessitas obtinendi legatum à manu hæredis, quodque judex laicus in animo non habuerit tradendi possessionem rerum legatarum, quæ ita extrà hæreditatem quodammodò esse dicerentur, atque ita vacantia pro legatariis relinquere voluerit directè eis tradenda in judicio merè reali rei vendicationis, sed agebatur de legato quantitatis, pro quo assequendo per necesse oportebat exercere contrà ipsum clericum hæredem actionem personalem, tanquam pro debito proprio, quoniam cum legatum non debeatur in vita testatoris, sed incipiat deberi post ejus mortem, dicitur debitum hæredis, non autem defuncti, & consequenter est actio, quæ nascitur & substantiatur cum ipso hærede; Et licet pro legato detur etiam salvianum vel hypothecaria ad bona defuncti, & sic remedium reale, seu rei persecutorium, attamen hæc dicitur actio realis, non principalis, sed accessoria & pedisequa actionis personalis, Atque aliàs, cum ferè omnia bona per Ecclesias, clericos, & Ecclesiasticos possessa, à mediatis vel immediatis laicorum successionibus obveniant, ita esset penitùs destruere Ecclesiasticorum exemptionem realem à foro laicali, ideoque concludebam hanc prætensionem esse omninò improbabilem.

EADEM PAPIEN.

VISITATIONIS HOSPITALIS DE QUA DISC. XLI. INTER EASDEM PARTES.

Super resolutione Congregationis Concilii pro Administratoribus Hospitalis.

De eadem materia, de qua dicto disc. 41. An scilicet & quando intret necnè Concilium Tridentinum *sess. 22. de reform. cap. 8. & 9.* super visitatione Hospitalium exemptorum, ac revisione rationum.

SUMMARIUM.

1 *De resolutione in casu, de quo disc. 41.*
2 *R. visio rationum ab Ordinario non est ex jurisdictione delegata, sed ordinaria.*
3 *Episcopus de jure tanquam exequutor piarum voluntatum potest visitare, ac revidere rationes administratorum.*
4 *Quid operetur in hoc revocatio privilegiorum.*
5 *De intelligentia illorum verborum,* nisi in fundatione cautum sit, *quid significet illud verbum* cautum.
6 *De derogatione privilegiorum contenta in Concilio.*
7 *Examinatur observantia.*

8 *Decretum irritans inficit contrariam observantiam, & impedit præscriptionem.*
9 *De motivo præcipuo resolutionis.*
10 *De fundamentis ex quibus resolutio potiùs placet.*
11 *Etiam data exemptione deputatur Visitator Apostolicus.*
12 *Quod etiamsi expresè cautum non sit, sufficiat per æquipollens.*
13 *De resolutione in causa, de qua disc. 26.*

DISC. XCV.

1 CUM meus Amanuensis harum adnotationum impressioni præpositus, antequam expectaretur hujus causæ resolutio, typis dari curasset adnotationem, quam juxtà stylum ad propriam instructionem, & memoriam principaliter in ea ediderам *ut suprà disc. 41.* postmodum verò sub die *16. Martii 1669* proposita causa *in Sac. Congregatione Concilii* prodierit contra meum votum resolutio Administratoribus Hospitalis favorabilis, non intrare scilicet Tridentini Concilii decreta *sess. 22. de refor. c 8. & 9.* ob exceptuationem in eisdem decretis, præsertim secundo contentam, quod *aliàs in fundatione cautum esset*; Hinc proindè, ex eodem justitiæ, & veritatis indagandæ sensu, ex quo omnes isti labores prodierunt, censui ultrà ibi deducta, infrascripta quoque adnotare, ut ea quæ habentur *dicto disc. 41.* magis declarata remaneant.

Per aliquos igitur observatum fuit, quod decretum Conciliare *dicto cap. 9.* occasione agendi de revisione rationum nullam concedit jurisdictionem
2 delegatam, ut facit *cap. præcedenti* 8. circa visitationem, circa quam in Hospitalibus & locis exemptis conceditur locorum Ordinariis facultas visitandi tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, quoniam *in dicto cap 9.* agendo de revisione rationum, nulla facta mentione delegationis, dicitur quod loci Ordinarius id agat, Ac propterea cessat responsio, de qua *dicto alio disc. 41.* quod scilicet ejusdem Sac. Congregationis litteræ de anno 1575. scriptæ Episcopo, quod ipse tanquam Episcopus tale jus non haberet, referendæ non essent ad jurisdictionem delegatam, sed ad ordinariam ob reduplicationem personarum, ita ex diversitate jurisdictionum concurrentem, dum ita corruit delegationis præsuppositum cum quo processum est.

Verùm hoc fundamentum solum & de per se consideratum mihi vim non inferebat, quoniam punctus pro meo judicio non est in delegatione, sed est in derogatione privilegiorum, quæ *in eodem*
3 *cap. 9.* expresè continetur; Certum enim est, quod de jure Episcopus ex propria nativa & ordinaria jurisdictione jus habet visitandi omnia loca, in quibus ex defunctorum piis dispositionibus pia opera exerceantur, & consequenter jus revidendi rationes administratorum, tanquam in sequelam, seu actum consequutivum visitationis, saltem ex ea facultate quæ sibi de jure competit exequendi pias voluntates, vel curandi, quod alii ad quos pertinet exequantur ex deductis *in Eugubina hoc tit. disc. 44.* & in aliis; Eatenus autem hujus facultatis exer-
4 citium sibi impeditur, quatenus obstent privilegia exemptiva, quibus revocatis, tanquam per remotionem obstaculi, operatur jure suo primævo & connaturali, Adinstar habentis membra valida, cum quibus ambulare, aliasque naturales operationes facere potest, sed impeditur à vinculis, quibus solutis operatur, non jure novo & dativo sibi superveniente ab eo, qui vincula solvit, sed jure naturali & proprio, aliàs accidentaliter impedito, tanquam per remotionem impedimenti, & quo exemplo utuntur beneficialistæ antequam prodiret Constitutio *Urbani VIII.* quæ hodie indultarios effecit delegatos, ad probandum, quod Ordinarius, cui concedatur indultum conferendi etiam beneficia reservata, vel affecta, jure ordinario & proprio conferre dicatur, ut frequenter in aliis hoc exemplum adducitur.

Alii fundamentum constituebant in eo, quod illa verba *in d. c. 9.* contenta, *nisi aliter in fundatione cautum sit* (& quæ receptum est subintelligi etiam *in cap. 8.*) suam operationem facere debeant, quamvis ageretur de concessione, non per viam contra- 5
ctus veræ & correspectivæ conventionis, sed etiam per viam gratiæ & privilegii, quasi quod illud verbum *cavere*, adaptetur ad quamcumque voluntatem & dispositionem, sive per actum correspectivum & onerosum, sive per gratuitum, dum passim injure præsertim civili & apud scribentes hoc verbum adhibetur in testatoribus, per quos, ita, vel ita cautum sit; Verùm & hoc fundamentum nullius, vel modici momenti mihi videbatur, quoniam cessante contractu oneroso & correspectivo explicito,
vel etiam implicito contento in privilegio ex causa 6
onerosa concesso, semper dicitur privilegium, cui Concilium generaliter, & indefinitè derogavit. Et quamvis ea privilegia, quæ conceduntur in limine funflationis, magis operativa, & efficacia in jure reputentur, utpotè minus præjudicialia, dum nullum jus Ordinario quæsitum tollunt, Ac propterea habemus, magis existimari, minusque derogationibus subjacere exemptionem nativam quàm dativam, ut advertitur *in Neapolitana disc. 26.* & alibi pluries, Attamen semper est privilegium, Ideoque cum Conciliare decretum non descendat ad has distinctiones, sed generaliter & indefinitè cuicumque privilegio deroget, intrat vulgaris propositio, de qua *Barbos. axiom. 136. num. 1.* quod lex generaliter loquens, generaliter intelligi debet, potissimè quia Concilium utitur verbo generali, & effrœnato *quibuscumque*, quod omnem casum continet ex collectis *per Barbos. dict. 317.*

Demùm alii magnum fundamentum constituebant in tam diuturna observantia annorum 100. & ultrà decursorum à publicatione Concilii, in quibus, non obstantibus motivatis, tam de anno 1575. quàm de recenti de annis 1651 & 1654. nunquam docebatur hanc facultatem ad exercitium dedu- 7
ctum esse; Sed pariter hoc motivum, solum & de per se, non videbatur considerabile, Siquidem modernum silentium ab anno 1651. citrà, referendum erat impedimentis litis pendentis, dum, ut advertitur *dicto disc. 41.* postquam Sacra Congregatio favore Episcopi de anno 1654. decrevit, ex rescripto signaturæ Sanctissimi de anno 1655. demandata fuit revisio, non prosecuta ob vacationem sedis Episcopalis, aliaque impedimenta; Et quamvis isto etiam tempore subducto, adhuc à dicto anno 1575. ad annum 1651 adesset longævum spatium annorum 75. & sic aptum inducere quadragenariam, quæ dato titulo etiam putativo æquipollet centenariæ, atque dicitur legitima præscriptio, etiam in iis, quæ sunt contra jus, ut habetur *in Toletana disc. 1.* & in aliis frequenter, Nihilominus facilis videbatur responsio, pluries hoc *eodem tit.* pariter inducta. quod scilicet ob decretum irri-

tans,

tans, & clausulam *sublata*, quæ continentur in *Constitutione Pii IV.* edita super confirmatione & publicatione Concilii, infecta remanet quæcumque contraria possessio, qua cessante dari non potest præscriptio vel consuetudo, quæ ita impeditur, ne oriatur, ut in terminis specialibus observantiæ
8 contrariæ decretis Sac. Conc. Trid. advertitur *in Alerien. Vicariæ 26. Junii 1654. Bichio*, & frequenter, occasione concursus affirmativi vel negativi in parochialibus vel Vicariis; Et generaliter circà operationem dictarum clausularum plenè *in Cesenaten. seu Sarsenaten. Laudemiorum coram Ghislerio decis. 400. par. 9. rec.* & latius *in eadem coram Albergato decis. 35. post. collectat. Bondeni*; Ac etiam quia negligentia prædecessorum præjudicare non debet Ecclesiæ, ac successoribus jure proprio independenter venientibus.

Omnes tamen ferè, etiam ex illis, qui neglectis his & similibus motivis, sentiebant pro Episcopo,
9 in resolutionem devenerunt, ex ea usque tunc ignota & non observata facti circumstantia cujusdam visibilis alterationis contentæ in ea adnotatione manu Cardinalis Alciati, quam *Fagnan. in Cap. de Xenodochiis de religios. dom. num 5.* supponit esse resolutionem Sac. Congregationis *ut dicto disc. 41.* quod scilicet annus & dies essendi versi characteris temporis recentis, ac etiam cum diverso recenti charactere verbo, *censui*, prolato in persona prima, ac denotante, quod esset simplex votum dicti Cardinalis, addita esset littera *T.* transformans dictum verbum in personam tertiam, ac denotans quod esset resolutio Sac. Congregationis, Qua ita cessante sequebatur, resolutionem potiùs fuisse in contrarium juxtà superius enunciatas litteras de mense Maii ejusdem anni 1575. ipsi Episcopo conscriptas super ejus facultatis incompetentia, Potissimè quia in eadem adnotatione Alciati cum dictione, adversativa, *sed*, continetur relatio ad quoddam aliud folium, quod non reperitur; Sed pariter quamvis istud esset magnum motivum, non tamen solum & de per se videbatur tanti faciendum, quoniam id solùm operari poterat, ut nulla ratione habita dictæ præsuppositæ antiquæ resolutionis, punctus videndus esset ex integro, ut jam demandatum fuit de anno 1653. & cum quo præsuppositio disputatum fuit de anno 1654. quando ex integro prodiit resolutio Episcopo favorabilis.

Quamvis autem examinando singula fundamenta prædicta, singulariter, & de per se, in sensu etiam veritatis, Mihi relevantia non viderentur, Prout & omninò certum videretur, concessionem Nicolai V. revera esse per speciem gratiæ & privilegii magis quàm contractus & legis fundationis, persistendo
10 in eadem sententia, de qua d. *disc. 41.* Nihilominus præmissis omnibus insimul & unitim consideratis, cum consueta regula, ut singula quæ non prosunt &c. illa mihi magnã vim inferebant, unde propterea resolutio potius probabilis visa est, cum illud satis vehemens argumentum *dicto disc. 41.* cum præsupposito dictæ antiquæ declarationis, deductum ex nimia proximitate temporis, quandò in Congregatione sedebant Cardinales, qui in ipso Concilio intervenerant, ejusque mentem callebant, ita retorqueretur, Atque subsequuta longæva observantia magnificiendu videtur, non tanquam interpretativa, ac probans executionem dictæ antiquæ & proximæ resolutionis.

In idem quoque concurrentibus pluribus motivis, ac considerationibus prudentialibus, ex quibus, etiam in casu dubio, ita probabiliter respondendum videbatur, Tum ob particulares notabiles hujus facti circumstantias, Tum etiam ob generalem considerationem non retrahendi sæculares ab hujusmodi piis operibus, & fundationibus, sive eorum devotionem & applicationem non refrigerandi in jam fundatis; Potissimè quia, citrà præjudicium proborum Ecclesiasticorum, in plerisque partibus experientia docuit, quod magis fideliter ac diligenter administrata fuerunt loca pia existentia sub regimine & administratione laicorum, quàm sub immediato regimine Ecclesiasticorum, quamvis id citrà eorum culpam casuali contingentia fortè referri quoque possit, Habita etiam consideratione, quod isti laici administratores non recusabant visitationem, & revisionem rationum alicujus ex vicinioribus Prælatis per ipsam Sac. Congregationem deputandi, ut ita eadem certificaretur de bona administratione, quodque hæc resistentia adeò vehemens, non fiebat ad effectum effugiendi visitationem & redditionem rationum Superiori Ecclesiastico, sed ad conservationem dictæ exemptionis, cum cujus opinione ex illius populi particulari applicatione & pietate hoc opus ab exiguis principiis ad adeò notabilem statum redactum erat, quod pariter fuit magnum motivum resolutio- 11
nis, unde propterea tunc etiam determinatum fuit, ad hunc effectum deputari debere Episcopum Viglenanen. viciniorem.

Occasione quoque hujus disputationis deventum fuit ad notitiam cujusdam resolutionis ejusdem Sacræ Congregationis in una Licien. de anno..... 12
per quam determinatur id, quod cum regulis generalibus, & cum sola opetatione dictionis, *omninò* advertunt del *Bene de Immun. Eccles. tom 2 cap. 10. dub. 6. sect. 11. num 31.* & per eadem verba *Pasqualigus resol. moral. 189. num 7.* quod scilicet quamvis per Sac. Conc. *dicto cap. 9.* exigatur quod expressè aliàs in fundatione cautum sit, attamen eidem decreto satisfiat, quamvis non expressè & in verbis, sed per æquipollens de eadem intentione constet, Quod mihi probabile videtur, non ex fundamento cui innituntur *del Bene*, & *Pasqualig.* ubi suprà, sed ex ea propositione, quam semper censui ante omnia per judices præ oculis habendam esse, ut scilicet in omnibus humanis actibus ac dispensationibus, tam inter vivos, quàm per ultimas voluntates non cortex & figura verborum sed substantia verisimilis voluntatis magis attendi debeat.

Ista verò resolutio cum considerationibus de 13
quibus suprà magis me confirmavit in opinione, quam habui de exorbitantia resolutionis, de qua *in Neapolitana disc. 26.* in cujus casu agitur de lege fundationis adjecta per verum fundatorem per indubitatam viam contractus; Et quamvis ibi ageretur de Monasterio monialium, & circà clausuram, unde longè diversa urget ratio, adeò ut nisi aliter superior Ecclesiasticus adesset, satis probabilem ac fundatam crederem resolutionem, Nihilominus dum adest alter superior, æqualis ac fortè majoris potestatis, qualis est Nuntius Sedis Apostolicæ, non de facili captivare potui intellectum in præfatæ resolutionis obsequium.

DE JURISDICTIONE QVAM HABENT S. R. E. CARDINALES In Ecclesiis suorum Titulorum.

DISCEPTATIO FRANCISCI CARDINALIS ALBITII

Novis allegationibus aucta, & addita Quæstiuncula. An Cardinales Diaconi in suis Diaconiis possint solemnem Benedictionem impartiri.

Vna cum responsione ad ea, quæ pro parte Fratrum in Conventu Sanctæ Mariæ in Via degentium, & eidem Ecclesiæ Titulari inservientium latè fuerunt adversus dictam Disceptationem adducta.

AMPLISSIMO S. R. E. CARDINALIVM COLLEGIO.

NActus occasionem asserendi, & tuendi Jus Cardinalitium; operæ pretium duxi, eam communis boni causa suscipere, & ad Ordinis nostri dignitatem, & Romanæ Ecclesiæ utilitatem conferre. Acta à Me antea, & nunc scripta non privati sunt studii, sed publici officii, mea hîc solùm est opera, reliqua sunt vestra. Antiquissimum Jus Titulorum, Cardo Dignitatis nostræ, hac in causa statuitur, & exponitur, & quanti sit declaratur. Nihil ei de novo additur, sed quod semper habuit annexum retinetur. Quod justè possidetur, nemini ex eo, cum usu capitur, fit injuria. Augetur Dignitas, & splendor Ordinis, illustratur Sedes Romana, ornatur Pontifex Summus, cujus Nos sumus, ejusdem beneficio, Collaterales, & Coadjutores, (a) & quocum Orbem, ut ille ait, judicamus, quibus quod accrescit, ad Pontificem redit, in eumque refunditur. Unde quò amplius Dignitas nostra amplificatur, eò altius Pontificia Potestas attollitur. Quod autem ita nostro Jure utimur, ad Religiosos Ordines ex eo usu gloria redundat. Nam cum eis vices nostras partimur, & dum ex eis Vicarios nostros instituimus, Cardinalitii luminis participes efficimus. Quod si attentè considerent Superiores Religionũ, comperient, non modò nil esse quod querantur, immò esse quod gratulentur; Et quemadmodũ queri non solent immò gratulari, quando aliquis ex suis, Theologus aut Confessarius, aut Concionator Cardinalitius instituitur, aut Missionarius, aut Qualificator, aut Consultor Sacrarum nostrarum Congregationũ eligitur, ita oportet nunc gratificari Nobis & gratulari sibi, quod à Nobis eorum quisquam sit, sive Vicarius, sive Parochus, sive Sacrista, sive Concionator in Nostris Titulis institutus; Itaque aut omnia illa munia, quæ cum lætitia, & plausu receperunt, sunt dimittenda, aut hæc cum aliis pariter sunt recipienda; & verò si nullum ex illis officiis detrimentum illatum est, aut infertur Religionibus, neque ex his quicquam damni inferetur: vel si quid jacturæ ob alia fecerunt, & faciunt, & tamen illud patiuntur, æquum est, ut si quid jacturæ hinc evenerit, eodem modo patiantur: Nec queri qui præsunt Religionibus debent, quod Superiorum diversitas, seu multiplicitas confusionem, ac perturbationem Religiosæ gubernationis pariat: utraque enim Jurisdictio intra suos limites continetur, neque quæ ad Regularem observantiam spectant Cardinalis Titularis usurpare prætendit, nec fas est Religionis Superioribus ea, quæ ad cultum Divinum, & Regimen tam spirituale, quàm temporale Ecclesiæ sui Tituli ad Cardinalem Titularem attinet, invadere, quod si nihilominus pergunt queri, & repugnant, suspicionem faciunt odio privatæ personæ duci, non communis boni studio moveri: Equidem cum Jus nostri Tituli asserebam de Justitia, cum illius usum Religioni communicabam, de gratia cogitabam, credebamque simul à Nobis Jus acceptum, & illis beneficium datum, quod si rejiciant, non idcircò Nos, Eminentissimi Patres Jus nostrũ dimittamus; Aliud quippe est beneficium repudiare, aliud Juri renunciare, cum illud sine injuria fiat, hoc sine injuria fieri non possit; Quàm sit autem fundatum, & solidum ex hac mea, Eminentissimi Patres, ratiocina-

[a] *D. Bernardus de consider. lib. 2 cap. 4. c. Per venerabilem §. Rationibus, vers. sunt autem.*

cinatione apparet, cujus, ii, argumentis opus est, ut respondeant; quæ si non possint diluere, querimoniis abstineant, & sinant Nos pacificè Jure nostro frui, quod & per se clarum & manifestum est, & Bullis Pontificiis, quemadmodum ostendimus, confirmatum. Hoc ergo propono Eminentissimo, ac Reverendissimo Vestro Collegio, & agnoscendum, & tuendum. Hortatur communis ratio Dignitatis, & causæ, quæ est cura Ecclesiarum nostrarum, quam debemus ex officio præstare, & si negligamus, graviter in eo delinquimus, ut enim ait Sanctus Antoninus (a.) Peccant Cardinales si non curent, ut Ecclesiæ sibi commendatæ sartæ, ac tectæ conserventur, Ecclesiastica officia in eis frequententur, & idonei Ministri illis præficiantur, si animarum, quæ ipsis subjectæ sunt, diligens cura non geratur. Hæc autem vix præstari ritè, ac rectè possunt nisi à Nobis, Vicarii, Parochi, Sacristæ, Confessarii, ac Concionatores Nobis cogniti, & exploratl, & omninò probati, & fidi in Titulis eligantur. Itaque, ut verbis Bernardi utar (b) Agite pro loco quem tenetis, pro dignitate, qua polletis, pro potestate, quam accepistis ut Ordinis Nostri Jus, & Dignitas ex integro conservetur.

Humillimus, & Addictissimus Servus

F. Card. Albitius.

(a) 3. par. Summæ tit. 23. cap. 2. col penult. (b) Epist. 188.

SUMMARIUM.

1 DOmus in sacrorum usum conversæ, seu Ecclesiæ, quare dicebantur Tituli, & nu. 12.

2 Crux apponebatur in Titulum in erectione dictarum domorum, seu Ecclesiarum.

3 Ecclesiæ adificari non possunt nisi Episcopus crucem prius opponat.

4 Velacum imaginibus seu nominibus martyrum in titulum apponebantur.

5 Tabellæ etiam, cum descriptione nominis Sanctorum affixæ, dicebantur tituli.

6 Domus Deo dicatæ, quæ tituli vocantur, à fiscalibus titulis nomen desumunt.

7 Bonorum fisco applicandorum tabellæ apponi non possunt nisi ab eodem fisco.

8 Tituli appositio quare prohibita à Justiniano Imperatore.

9 Memoria in Sanctorum honorem erectæ vocantur tituli.

10 Absalon erexit sibi in titulum nomen suum.

11 Jacob in titulum erexit lapidem quem capiti suo supposuit.

12 De eadem conclusione de qua num. 1. quod Ecclesiæ dictæ sunt tituli ab initio nascentis Ecclesiæ.

13 Tituli nomen secundum aliquorum opinionem à tutando derivat.

14 Reprobatur dicta opinio, & firmatur quod honorem significat.

15 Refertur alia opinio volentium titulos idem esse ac redditus & proventus Ecclesiæ relictos, & num. 17.

16 Reprobatur etiam dicta opinio, & referuntur casus in quibus tituli nomen non redditibus, & bonis applicatum fuit, sed Ecclesiis, vel domibus ad divinum cultum destinatis.

17 De eadem conclusione de qua numer. 15. quod scilicet prædia & bona Clericis assignata dicantur tituli.

18 Quodque vocentur tituli ordinationum. Card. de Luca de Jurisdict. & Foro compet.

19 In Clerum antiquitus non admittebantur, qui certæ Ecclesiæ adscripti non erant.

20 Presbyteri plures uni titulo adjecti, & ex eodem titulo denominati fuerunt.

21 De ratione ob quam plures Presbyteri fuerunt uni titulo addicti.

22 Tituli prædicti à quonam fuerunt in Urbe Presbyteris assignati.

23 Quare Fabianus Pontifex constituit septem Diaconos per septem Urbis Regiones.

24 Diaconi cum nomine Regionum subscribere se solebant in decretis Pontificum.

25 Presbyteri titulis adscripti Sacramenta ministrare tenentur adinstar Parochorum animarum curam gerentium.

26 Diaconi officia erant circà fidem conservandam & propagandam.

27 Declaratur conclusio de qua num. 24. quarè hodiè Diaconi non se subscribant amplius cum nomine Regionum, sed Diaconiæ.

28 Cardinales attento eorum dignitatis & auctoritatis augmento in titulis non jure simplicis Parochi seu Plebani, sed pinguiori se gerunt.

29 Cardinales tenentur residere in titulis.

30 Et non residentes deponi possunt à dignitate Cardinalitia, facta prius monitione.

31 Cardinales in suis titulis jus Episcopale habere declaravit Bonifacius VIII.

32 Referuntur dicentes contrarium, sed reprobantur.

33 Declaratur conclusio de qua num. 31. ut Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum loco Episcoporum habeantur quoad jurisdictionalia, quo verò ad Episcopalia, si sunt Episcopi.

34 Quod ampliatur etiamsi non sint Episcopi.

35 De eadem conclusione de qua num. 33. ut qui non sunt Episcopi, non habeant ex sui natura jurisdictionem Episcopalem, sed quasi Episcopalem.

36 Prout neque habeant ea quæ sunt ordinis.

37 Quia nempè non possunt conferre Sacramentum confirmationis, ordines sacros, & alia similia jura Episcopalia.

38 De eadem distinctione de qua numeris præcedentibus inter Cardinales habentes jura Episcopalia, & ea quæ sunt jurisdictionis.

39 Declaratur opinio Cardinalis Bellarmini volentis Cardinales Presbyteros & Diaconos in suis Titulis & Diaconiis esse subjectos Episcopo adinstar Parochi.

40 Cardinales titulares de jure communi majorem habent auctoritatem & jurisdictionem in suis titulis, quàm Parochi in eorum Ecclesiis.

41 Cardinales Diaconi habent jus Episcopale seu quasi in suis Diaconiis sicut Presbyteri in eorum titulis.

42 Quod ampliatur procedere, sive tituli vel Diaconiæ sint in Ecclesiis sæcularibus, sive regularibus.

43 Cardinales Titulares leges obligantes in conscientia in suis titulis ferre possunt.

44 Habent in suis titulis jus corrigendi, excommunicandi, suspendendi, ac interdicti sententiam ferendi.

45 Visitandi jus habent in suis Titulis sicuti Episcopi in eorum Diœcesibus.

46 Ecclesiæ Tieulares dicuntur parvæ diœceses intrà fines Episcopatus Romani.

47 De Concilius mandantibus Cardinales posse per se, vel per Vicarium visitare Ecclesias

suorum Titulorum eorumque subditos.

48 *Cardinales Titulares possunt per se ipsos, vel eis absentibus per Vicarium visitare clericos & populos Ecclesiæ Titulari subjectos circà Ecclesiarum bona & cultum divinum, ac etiam circà eorum mores & vitam.*

49 *In visitatione unum ex inservientibus Ecclesiæ titulari adhibere tenentur.*

50 *Instituendi ac destituendi jus habent in Ecclesiis suorum titulorum, & num. 63.*

51 *Beneficia dicti tituli annexa conferre possunt.*

52 *Canonicatus etiam, ac prabendas seu beneficia curam animarum habentia.*

53 *De privilegio concesso per Sixtum IV. dictis Cardinalibus conferendi omnia suorum Titulorum beneficia.*

54 *Pontifex beneficia prædicta conferre non debet nisi quatenus vacent in Curia, vel de expresso Commendatarii aut Ordinarii consensu.*

55 *Facultas prædicta conferendi beneficia Ecclesiarum Titularium non cadit sub revocatione Indultorum Cardinalium Gregorii XIV. & Pauli V. circà beneficiorum collationem.*

56 *Declaratur dictam facultatem competere quatenus Cardinales sint præsentes in Curia.*

57 *Præsentes quando dicantur moram trahentes in Urbis districtu.*

58 *Referuntur resolutiones & casus in quibus declaratum fuit optionem competere Cardinalibus absentibus ab Urbe intra duas dietas.*

59 *Juris assistentiam habent in collatione beneficiorum suorum Titulorum vel Commendarum.*

60 *Assistentia prædicta non suffragatur ad effectum manutentionis, si constat alium esse in quasi possessione conferendi eadem beneficia.*

61 *Declaratur conclusio de qua n. 51. & seq. ut procedat in beneficiis liberæ collationis, secus in illis de jure patronatus, in quibus Titularibus competit solum institutio.*

62 *Ampliatur eadem conclusio ut etiam in beneficiis de jure patronatus si Patroni sint discordes, collatio Titularibus competat sicut Episcopis in eorum Ecclesiis.*

63 *De eadem conclusione de qua num. 50. quod Titulares possunt etiam cum minori solemnitate beneficiatos destituere sicut instituere.*

64 *Cardinales Titulares curam animarum habent in suis Titulis.*

65 *Confessiones subditorum audire possunt quatenus sint sacerdotes.*

66 *Matrimoniis interesse possunt, vel licentiam interessendi aliis concedere.*

67 *Jura parochialia exercere possunt sicut Parochi.*

68 *Jurisdictionibus Pontificalibus in Ecclesiis Titularibus uti possunt, ac solemnem benedictionem impartiri more Episcoporum.*

Examinatur quæstio an prædicta, ac alia præeminentia competant Cardinalibus Diaconis in eorum Ecclesiis.

69 *Primam tonsuram ac minores ordines suis subditis in eorum titulis conferre possunt, dummodo sint Sacerdotes, & num. 71.*

70 *Reprobatur opinio Sanchez volentis hujusmodi privilegium Cardinales habere ex consuetudine, illudque fuisse sublatum per Conc. Trid. & firmatur contrarium.*

71 *De eadem conclusione de qua num. 69. quod Cardinales possunt in his titulis conferre ordines & primam tonsuram subditis.*

72 *Cum suorum titulorum subditis dispensare possunt in omnibus casibus sicut de jure possunt Episcopi.*

73 *Reprobatur opinio volentium Cardinales in suis titulis non posse dispensare in voto, & declaratur quando procedat eorum opinio.*

74 *Facultas dispensandi irregularitatibus concessa Episcopis per Sac. Conc. Trid. non competit Cardinalibus in Ecclesiis suorum titulorum, & refertur opinio Titularibus favorabilis.*

75 *Idem dicendum est de Prælatis inferioribus quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus.*

76 *Contraria opinio prædictis Cardinalibus favorabilis non est improbabilis ex eadem ratione de qua num. 46.*

77 *Indulgentias centum dierum concedere possunt Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum.*

78 *Ultimas voluntates commutare possunt in suis titulis seclusa Pontificis reservatione.*

79 *Fideicommissis ad prædict. Ecclesias spectantibus derogare possunt.*

80 *De legatis Ecclesiæ suorum Titulorum relictis disponere possunt.*

81 *Regimen & curam habent bonorum spiritualium suorum Titulorum.*

82 *Reprobatur distinctio Pasqualigi circà titulos antiquos & novos circà dictum regimen & curam.*

83 *Clausula sine præjudicio intelligitur præterquam quoad expressos.*

84 *Subsidium charitativum Cardinales prædicti exigere possunt à subditis suorum titulorum.*

85 *Canonicum unum suorum titulorum possunt ad sui servitium retinere, & de ampliatione etiam ad duos canonicos.*

86 *Canonicus prædictus lucratur fructus suæ prahendæ, non autem distributiones quotidianas.*

87 *Vicarium deputare possunt Cardinales in suis titulis, & de eadem conclusione de qua numer. 47. & seq.*

88 *Jurisdictionem quam habent Cardinales in suis titulis est ordinaria, & tanquam in jure fundata latè interpretanda.*

89 *Consuetudo contra Ecclesiæ utilitatem non valet.*

90 *Et contrà Ecclesiæ utilitatem non valet.*

91 *Immo uti contra Ecclesiasticam disciplinam recipienda tanquam irrationabilis, & à jure improbata.*

92 *Adversus actus jurisdictionales tanquam facultatibus consuetudo indici non potest.*

93 *Negatur adesse consuetudinem in contrarium, & firmatur conclusio quod exercitium unius actus etiam minimi conservat jurisdictionem in omnibus, quodque usus alicujus rei privilegiatæ sufficit pro retentione privilegii.*

94 *Reprobatur Mandosius ad reg. 7. Cancellariæ quæst. 2. num. 7.*

95 *Cardinales in suis Titulis & in causis hujusmodi titulos concernentibus absolutam jurisdicendi potestatem habent, illasque audire possunt.*

96 *Consuetudo contraria jurisdictioni quam Cardinales habent in suis titulis sublata fuit per Sixtum V.*

97 *Decretum irritans tollit omnem præscriptionem & consuetudinem, omnemque usum & contrarium usum.*

98 *Refertur opinio Mandosii & sequacium volentium*

tium Cardinales Titulares non habere jurisdictionem in Monachos & Regulares degentes in Monasteriis suis titulis annexis, ne detur uni Ecclesiæ duo sponsi.

99 *Nullum Monasterium Regularium præsertim Monialium in Urbe subjectum est Titularibus ex cap. dilectus de Cappell. Monach.*

100 *Cardinales Titulares auctoritatem non habent super Regulares quamvis habentes domicilium in Ecclesiis suorum Titulorum.*

101 *Regulares qui deserviunt Ecclesiis Titularibus Cardinalium habentur loco Canonicorum dictarum Ecclesiarum.*

102 *Reprobatur conclusio de qua num. 98. & firmatur quod Cardinales Titulares jurisdictionem habent in Regulares deservientes suis titulis, exceptis iis quæ regularem observantiam concernunt.*

103 *Dictamque jurisdictionem habent privativè ad Superiores Religionum.*

104 *Reprobatur eadem Mandosii opinio de qua dict. num. 98. & declaratur procedere posse in iis quæ respiciunt regularem observantiam, secus autem in concernentibus servitium Ecclesiæ, & sic dare uni Ecclesiæ duos sponsos diversis respectibus non esset monstrum.*

105 *Tex. in cap. dilectus de cappel. Monach. de quo numer. 99. declaratur habere locum in titulo simplicis Plebani, non autem in Cardinali Titulari prout non habet locum in Episcopis.*

106 *Item locum habere in Monasteriis Monialium, secus in illis Monachorum.*

107 *Quod amplia, etiamsi adsit dictio,* nullum, *quia hæc non est semper universalis negativa.*

108 *Ita ut illius dispositio non egrediatur ea quæ regularem observantiam concernunt.*

109 *Jurisdictio Cardinalibus Titularibus super seculares in suis titulis inservientes concessa fuit per Sixtum V.*

110 *Cleri appellatione veniunt etiam Regulares.*

111 *Jurisdictio in diplomate tituli clarissimè datur Cardinali Titulari in Conventum & Superiores regulares.*

112 *Cardinales habentes regimen & curam in duas Ecclesias regulares titulares earumque Superiores, omnem auctoritatem, ac merum & mixtum imperium habere censentur.*

113 *Maxime ubi Pontifex usus fuerit dictione* plenariè, *quæ omnem jurisdictionem, & in quoscumque comprehendit.*

114 *Prout quando usus est verbo* aliis, *quod relatum ad personas facit illas ejusdem qualitatis.*

115 *Facultas concessa per Pontificem Cardinalibus Titularibus in Conventum & Superiores procedendi tamquam in rebelles si non pareant, ex jurisdictione provenit.*

116 *Monachi & Regulares de jure communi subjecti erant Episcopis.*

117 *Privilegium jurisdictionis Cardinalium Titularium latè interpretandum.*

118 *Monachi & Regulares conqueri non possunt de privilegiis super jurisdictione Cardinalibus Titularibus concessis.*

119 *Regularis non prohibetur esse Vicarius Episcopi.*

120 *Reprobatur limitatio volentium Regulares de Ordine Mendicantium non posse deputari in Vicarium.*

121 *Vicarius Regularis in Ecclesia Regulari Titulari potest per Cardinales deputari absque consensu Superioris Regularis.*

122 *In titulo Cardinalitio regulari deputari in Vicarium non potest nisi Regularis.*

123 *Beneficium regulare habens, si potest deservire per substitutum, hic pariter esse debet Regularis.*

124 *Parochus deputari potest à Cardinali Titulari.*

125 *Cardinales Titulares curam animarum habentes, illam per Vicarium amovibilem exercere possunt.*

126 *Vicarius amovibilis in curæ animarum exercitio dicitur Episcopi coadjutor, non autem Parochus.*

127 *De eadem conclusione de qua num. 98. quod Ecclesia una, duos habere non possit sponsos seu capita.*

128 *Declaratur in quibus casibus procedat conclusio quod in Ecclesiis curatis Regularibus Episcopus deputare debeat Parochum de consilio Superioris Regularis.*

129 *De eadem conclusione de qua num. præcedenti quod Cardinales Titulares in deputatione Vicarii requirere teneantur consilium Superioris Regularis, sed quod non teneantur illud sequi.*

130 *Parochus seu alius minister Regularis deputatus à Cardinali in sua Ecclesia Titulari amoveri non potest à Superiore Regulari, quia destituere non potest nisi qui instituit.*

131 *Concionatorem, Confessarios, Sacristam, aliosque Ecclesiæ ministros en Ecclesia sui tituli Cardinalis deputare potest.*

132 *De distinctione quando Ministri Regulares deputati à Cardinali in Ecclesia Regulari Titulari exempti sint ab obedientia eorum Superioris Regularis.*

133 *Officio terminato redire tenentur ad obedientiam Prælati Regularis.*

134 *Exempta censetur Ecclesia Regularis titularis à jurisdictione Prælatorum Regularium si per Pontifices data fuit facultas in spiritualibus & temporalibus, quia tunc censetur concesso pleno jure.*

135 *Ecclesiæ Titulorum Cardinalium sunt plenariè subjectæ in spiritualibus & temporalibus ipsismet Cardinalibus.*

136 *De Concilio Basiliense disponente circa Titulos Cardinalium eorumque conservationibus.*

137 *De Concilio Lateranense sub Leone X. pariter disponente circa Titulos Cardinalium, & reformante in parte Concilium Basiliense.*

138 *De Constitutione Sixti V. in §. 12. super præfinitione Titulorum & Diaconorum Presbyteris & Diaconis Cardinalibus.*

139 *De Bulla seu Deplomate Collationis Tituli S. Mariæ in via facta Cardinali Albitio.*

DOmus Fidelium in Sacrorum usum 1
conversæ, quas nos Ecclesias dicimus, à majoribus nostris Tituli appellabantur, sive quia in earum consecratione, & erectione Crux ponebatur in Titulum, ut censet *Baron. tom. 2. ad annum 112. num. 5 & 6. & in notis ad Martyrologium die 26. Iulii ver. Titulus, Bimius in vita Evaristi vers. Hic Titulos*; quo ex more emanarunt Constitutiones, ne quis ædificaret Ecclesiam, nisi prius Civitatis Episcopus veniat, & ibi 3

Crucem figat, ut patet *ex Concilio Aurelian. regiſtr. in cap. Nemo 9. de Conſecr. diſtinct. 1. & in l. Decernimus, Cod. de Sacr Eccleſ. & in Auth. ut nullus Fabric. col. 5. tit. 17. in Capitul. Francia lib. 5. c. 239. & in Ritual. Rom. de Divinis Officiis cap. de ædific. Eccleſ.* 4 ſive quia ad fores Eccleſiarum in honorem Martyrum erectarum, Vela quædam ſuſpendebantur, in quibus depingebatur ipſius Martyris imago, aut nomen, quæ Tituli dicebantur, *ut ex Gregor. Turonen. lib. 4. Mirac. Beati Martini*, & ex B. Paulino Natali ſexto, qui ſic canit.

Quæ pulchra tegentis.
Vela ferant foribus, ſeu plura ſplendida lino
Sive coloratis textus fucata figuris
Hi læves Titulos lento poliant argento
Sanctaque præfixis obducant limina lamnis.

Quæ Vela D. Ambroſius Cortinas Regias appellat *lib. 5. epiſt. 33.*

5 Sive quia in Ædibus in honorem Sanctorum erectis affigebantur Tabellæ quædam cum inſcriptione nominis illius Sancti, quo ædes Deo erat dedicatæ, quæ Tituli vocabantur; deſumpta nomenclatura à Fiſcalibus Titulis, de quibus *in l. ſi quando, la ſeconda, C. de bonis vacant. lib. 10.* 16

Cùm enim bona vacantia Fiſco incorporanda eſſent, hujuſmodi incorporatio per Tabellæ, ſive Tituli impoſitionem fiebat, quæ nonniſi à Fiſco poterat apponi, *ut in C. Ut nemo Privatus Titulos, & in l. 1. C. de Navibus non excuſan. lib. 10. ex Caſſiodoro lib. 4. epiſt. 14. & lib. 5. epiſt. 6. & lib. 9. epiſt. 18. ex Symmacho lib. 2 epiſt. 27. & lib. 5. epiſt. 54.* 7

Ideò Imperator Juſtinianus *in Novell. 28. cap. 5.* 8 vetuit, Ne aliquis imponat Titulum prædiis, vel alienis ædibus, ſiquidem hoc Fiſci proprium eſt, & Regiarum Domorum, ut ipſe ait, quam Pientiſſimæ Auguſtæ. Si verò ſub alterius appellatione Tabulas, ſive Titulos impoſitos deprehendat &c. Quod repetit *in Novel. 29. ſeu Anth. de Prætore Paphlagoniæ cap. 4. §. certè, & Novell. 30. ſive de Prætore Capadociæ cap. 8. in fin.* concordant *Text. in l. 2. C. Ut nemo Privatus Titulos, & l. fin. ff. Quod vi, aut clam.* in illo enim ſtatuitur, ne quis Vela Regia ſuſpendere, vel Titulum audeat, in iſto autem habetur, ſi ad januam meam Tabulas affixeris. Sive denique 9 quia cùm Domus Fidelium in Sanctorum Hominum memoriam ædificarentur, memoria illa Titulus vocabatur, deſumpto argumento à ſacris litteris. *Nam lib. 2. Regum cap. 18. habetur.* Porrò Abſalon erexit ſibi cùm adhuc viveret Titu- 10 lum, qui eſt in Valle Regis, dixerat enim, non habeo filium, & hoc eſt monumentum nominis mei, 11 vocavitque Titulum nomine ſuo; Sic etiam Jacob *Geneſ. cap. 18.* Lapidem, quem ſuppoſuit capiti ſuo, cùm in ſomnis vidit ſcalam, erexit in Titulum.

12 Utcumque ſit, Eccleſiæ in honorem Sanctorum ædificatæ ab initio naſcentis Eccleſiæ Tituli vocatæ ſunt. Sic ex Prudentio *Hymno 5. de S. Vincentio.*

Jam nunc & oſſa extinxero,
Ne ſit ſepulchrum funeris:
Quod plebs gregalis excolat,
Titulumque figat Martyris.

Et Hymno 12.

Parte alia Titulum Pauli via ſervat Oſtienſis.

Et iſtius ſunt ſententiæ ultra Baronium *locis citat. Onophrius Panuinus de ſeptem Urbis Eccleſiis cap. 2. in princ. Azor. inſtit. moral. tom. 2. lib. 4. cap. 1. verſ. Ego verò, Mauclerus de Monarchia Divina, Eccleſiaſt. & Sæculari tom. 1. par. 2. lib. 4. pag. 582. Martin. Roa lib. ſingul. cap. 10. in fin. & de die Natali cap. 21. Iuret. ad Symmachum epiſt. 23. Amaya ad l. ſi vacantia à nu. 3. uſque ad 9 C. de bonis vacant. lib. 10. Io. Ferrand. Anicien. in diſquiſit. Reliquiaria l. 1. c. 6. a. 2.*

Et hoc nomen Tituli à tutando derivaſſe, eo 13 quod ubi eſſent affixæ Tabulæ pro ſuo vendicarent, atque tuerentur, voluit *Cujaccius, Iuret. & alii citati ab Amaya d. l. ſi vacantia n. 6.*

Quod tamen non placet Julio Cæſari Scaligero 14 *lib. 1. poet. cap. 9* quem referunt *Ludovic. à Cerda lib. 3. Ænead. verſ. 545. num. 10. Theodor. Hoeping. in Tract. de Inſigniis cap. 22. §. 1. n. 15.* Nam credidit Scaliger, verbum Tituli derivare à verbo Græco, Τίω quod honorem ſignificat, ut idem ſit honor, ac Titulus.

Et ex his aſſentire non poſſunt Ciacconio in vita 15 S. Higinii Papæ in diſcurſu de origine Cardinalium; quem ſequutus eſt Caſalius *de Veter. ſacr. Chriſtianor. Ritib. cap. 83. Et noviſſimè Fr. Petrus Maria Paſſarinus de Statibus & officiis Hominum tom. 1. q. 185. num. 20. verſ. His verò Titulis.* Exiſtimantibus Titulos nil aliud eſſe, quàm redditus, vel proventus ex Villis, Prædiis, Fundis, aut Agris à piis, ſive viris, ſive fœminis ad alendos Eccleſiæ Miniſtros relicti, & hinc ortos eſſe Titulos Equitii, Veſtinæ, Pammachii, Lucinæ, Julii, Calliſti, Damaſi, Paſtoris, Eudoxiæ, Emilianæ, Creſcentiæ, Faſciolæ, Tygridæ.

Nam nomen Tituli non bonis, & reditibus ap- 16 plicatum fuit, ſed Ædibus, & Eccleſiis ad Divinum Cultum deſtinatis, ut colligitur ex Baronio *in notis ad Martyrologium & die 19. Iunii*, ubi de Titulo Veſtinæ, *die 26. Iulii*, ubi de Titulo Paſtoris, & *die 1. Auguſti* ubi de Titulo Eudoxiæ, & de Titulo Equitii Damaſus in Silveſtro hæc habet. Hic fecit in Urbe Romana Eccleſiam in Prædio cujuſdam Presbyteri ſui, qui vocabatur Equitius, quam Titulum Romanum conſtituit juxta Thermas Diocletianas, qui uſque in hodiernum diem appellatur Titulus Equitii.

Et de Titulo Veſtinæ *Anaſtaſ. in Innocen. I.* Eodem tempore dedicavit Baſilicam Sanctorum Gervaſii, & Protaſii, & infra, titulum Romanum conſtituit.

Et opinionem Ciacconii reprobat Victorell. ad eundem Ciacconium *loc. cit. verb. Tituli autem pag.* 46. dum ait, Evariſtus Pontifex dum titulos in Urbe diviſit, nullam de redditibus mentionem fecit.

Verum eſt, quod ſucceſſivis temporibus Prædia 17 Clericis aſſignata ad victum, & Eccleſiis relicta tituli nomine vocata ſunt ut apparet *ex lib. 1. feudor. tit. 6. §. 1. ibi.*

Si Epiſcopus, vel Abbas, vel Abbatiſſa, vel Dominus Plebis feudum dederit de Rebus Eccleſiarum, quæ iis ſubjecta ſunt, & tituli vocantur.

Quod nomen transfuſum eſt ab Eccleſiis in bona, ut ex noſtris notat *Calvinus in Lexicon Iuris verb. Tituli primum*, ubi. Quod tituli primum erant certæ Sedes Clericis attributæ, in quibus munus ſuum exercerent; Poſtea verò eo nomine Prædia iis ad victum, cultumque aſſignata.

Et hoc etiam prius tradidit *Quintana Duennas lib. 3. Eccleſiaſticon. in explicatione Canonis IV. Concilii Calcedonenſis num. 13.* Nam hoc tituli verbum ponimus in certo quodam loco, & Sede certa, quæ in Eccleſia Clericis attributa erat, ut munus ſuum exercerent, quo nomine Prædia etiam his ad victum, cultumque aſſignabantur.

Hinc orti ſunt poſtea tituli Ordinationum, de 18 qui-

quibus *in dicto cap. 4. Concilii Calcedonensis registrat. in c. Nemnem 70. distinct.*

19 Non enim antiquitus admittebatur quis in Clerum, nisi qui certæ Ecclesiæ esset adscriptus *Petr. Gregor. in Instit. Reibenefic. cap. 8. nu. 1. Tondut. quæst. Canonic. par. 2. cap. 1. §. 11. num. 2.* Unde ejus Ecclesiæ, & tituli dicebatur, in cujus Albo erat descriptus *Baronius ad annum 112 num. 4. 5. & 6. Bimius ad vitam Evaristi vers. Hic Titulos.*

Nec cum Casalio possum sentire, qui loco superius citato existimat, quod si redditus Ecclesiarum essent opulenti, non unus, sed duo, & plures singulis titulis præficiebantur.

20 Licèt enim verum sit, plures Presbyteros uni titulo fuisse addictos, & ex eodem titulo plures denominari, ut constat ex subscriptionibus Concilii Romani primi sub Symmacho, cui subscripsere plures Presbyteri ejusdem tituli, & Synodi Romanæ sub Gregorio Magno, de qua *lib. 4. Epistolarum ejusdem Gregorii Indictione 13. cap. 88.* cui subscripsere Presbyteri S. Balbinæ tres, S. Damasi duo, sanctorum Apostolorum tres.

21 Non tamen hoc evenit propter reddituum opulentiam, sed quia Fidelium crescente numero oportuit crescere Ministros in titulis qui Sacramenta ministrarent, ut ait *Cardinalis Turrecremata in Summa de Ecclesia lib. 1 cap. 83. vers. Quod verò.*

22 Porrò hujusmodi tituli ab Evaristo fuerunt in Urbe Presbyteris assignati, *ut ex lib. Pontificali Damasi Papæ ex Anastasio Bibliothecario in ejus vita, & Baronio ad annum 112. n. 6.*

23 Sed quia in Urbe Fidelium numerus crescebat indies; Fabianus Pontifex constituit in ea septem Diaconos per septem Urbis Regiones, qui Regionarii sunt dicti, *ut ex Michaele Medina lib. de continentia*, asserit *Vasquez in 3 parte disp. 326 num. 79.* quod innuit Sixtus V. in Bulla, qua præfinivit Titulos Cardinalium, quæ incipit, *Religiosa, in 2. tom. Bullarii novi constit. 65 in princ.*

24 Et propterea in Conciliis, & Decretis Pontificum subscribebant Diaconi cum nomine Regionum, ut patet in Decretis Symmachi, quibus ita subscripti reperiuntur, nempe.

Cyprianus Diaconus S. R. E. Regionis septimæ his subscripsi, & consensi.

Anastasius Diaconus Regionis primæ subscripsi.

Joannes Diaconus Regionis secundæ subscripsi.

Tertullius Regionis quartæ subscripsi.

25 Porrò officium Presbyterorum, qui dictis Titulis adscripti erant, fuit administrare Christi fidelibus Sacramenta, & ad instar Parochorum, animarum curam gerere, *Panuinus de septem Urbis Ecclesiis cap. 2. Baronius ad annum 112. nnm. 5. & 6. Azor. Instit. moral. tom. 2. lib. 4. cap. 1. quæst. 4. Petrus Andreas Gamma in repetit. Extravag. Iulii II. de Simoniaca Papæ electione nu. 127. vers. Ideo Germonius de Indult. Cardinal. §. ult. n. 3.*

26 Officium verò Diaconorum Regionum non erat, ut assisterent Pontifici, ut statuit Evaristus, sed ut Christianam Religionem propugnarent, & conservarent *Vasquez d disput. 236. n. 79.* & expressè *Sixtus V. præcitata Constitutione in princip.*

Assignatis postea tractu temporis Diaconis Ecclesiis Regionum, non cum nomine Regionis Decretis, seu conciliis Summorum Pontificum subscripsere, sed cum nomine Ecclesiæ sibi assignatæ, non tanquam Titulus, qui solum Ecclesiis Presbyteralibus datus erat, sed tanquam Diaconia; qui mos 27 usque ad hæc tempora servatur. Talis enim est Diaconorum subscriptio.

Ego N. Sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis.

Ego N. Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis.

Crescente verò Dignitate Cardinalium, quia functionibus Papæ assistebant, crevit & in Titulis Auctoritas; Ideò non ut simplices Parochi, seu Plebani, sed pinguiori jure administrarunt, ut notat *Felinus in c. His quæ de majorit. & obedien. in princip. Ioan. Andreæ in c. Dilectus n. 9. & ibi Hostien. n. 3. Abbas n. 12. de Cappellis Monachorum.* 28

Non sublata illis obligatione residendi in dictis Titulis, ita ut Leo IV. & non III. ut in Decretali, Anastasium Presbyterum Cardinalem sancti Marcelli, cùm suum Titulum deseruisset, & monitus residere neglexisset à sua Dignitate depositi, ut constat *ex cap. Ex gestis de Cleric. non resident. ubi Abbas, & cæteri, R. P. D. Fagnanus ibidem numer. 10.* cujus depositionis Historiam latè prosequitur Cardinalis Baronius *ad annum 853. num. 45. ubi nu. 55.* sententiam depositionis apposuit, & ex nostris *Lotherius de re benefic. lib. 3. q. 27. numer. 53. eruditus P. Franciscus Macedo in tract. de Clavibus lib. 4. tract. 5. cap. 8. vers. nonnullæ quæstiones*, qui eamdem Leonis IV. Historiam refert. 29 30

Hoc autem pinguius jus, quod habent Cardinales in suis Titulis declaravit Bonifacius Octavus Jo. Monacho Cardinali, & ejus Vicecancellario, ut ipse testatur *in cap. unic. de majorit. & obed. in 6.* Dicit enim Jo. Monachus, quod Papa sibi respondit, quod Cardinales in suis Ecclesiis habent jus Episcopale, quod dictum referunt, & sequuntur plerique ex DD. infra citand. & præsertim *Ioan. Andr. dict. cap. unic. num 3. Mart. Laudens. de Cardinal. quæst. 60. in princ. Cassaneus ad Consuetud. Burgundiæ tit. des Iustices rubr. 1. §. 4. pag. 136. vers. Item etiam. Redina in Promptuario recept. sement. tit. 11. de Cardinalib. num 5.* 31

Et quamvis hujusmodi dictum tanquam incertum non approbetur *à Suarez de Relig. tom. 2. tract. de Voto lib. 6. cap. 10. num. 10. & à Sanchez in Summa lib. 4. cap. 38. num. 2.* 32

Nihilominus tanquam certissimum habendum est, non solùm, quia sic sentiunt quotquot super hac materia scripserunt, sed quia Paulus IV. in sua Constitutione, quæ incip *cùm Venerabiles, in Bullario novo tom. 1. const. 5.* sic declaravit, & statuit, ibi.

Ac diversæ Almæ Urbis nostræ Parochialibus Ecclesiis pro eorum Cardinalatus Titulo, sive denominatione præficiuntur, & in eis *Episcopalem Iurisdictionem habeant*, quam Jurisdictionem agnoverunt etiam ipsemet Suarez, & Sanchez locis infrà citandis.

Statuenda est igitur tanquam certissima, & indubitata conclusio, quod S. R. E. Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum Jurisdictionem Episcopalem habent, quæ desumitur à sententia Honori III. registr. *in c. His quæ de majorit. & obedien. ubi Abbas n. 1. dicit*, & tenementi, quod Cardinales habent in Titulo suo, & in Ecclesiis subjectis Titulo Jurisdictionem Episcopalem, *Felin. ibid. in princ.* dixit ex mente *Imola in Clementinæ Romani, de elect.* quod Cardinales in suis Titulis habentur loco Episcoporum, quoad Jurisdictionalia, & quoad Episcopalia si sunt Episcopi. *Io. Andr. ibid. num. 11.* ait in suis Ecclesiis habent (Cardinales) Jus Episcopale, 33

le. His consentiunt *Bellam. n. 11. in fin. Cardinalis in 5. oppositione R.P.D. Fagnanus n. 15.* ibi,

Quintò nota Cardinales in suo Titulo, & in Ecclesiis Titulo subjectis habere Episcopalem Jurisdictionem.

Et subjungit.

Hic est Textus, qui ad hoc consuevit quotidie allegari, & non reperitur alibi; quem omnes extollunt.

Et hanc sententiam sequuntur DD. tam antiqui, quàm moderni, nempe *Cardinalis in Clement. Ne Romani, §. Irritum num. 4. in fin. de elect. Abbas in c. Dilectus de Cappellis Monach. Romanus in sermone habito in Concilio Basilien. registr. in fine suorum consiliorum num. 19. Iacobat. de Concilio lib. 2. art. 12. num. 11. Falcon. de Reservat. quæst. 2. princip. n. 10. Villadiego de origine Cardinal. numer. 7. Manfred. de Cardinal. decis. 106. Paris. de Resignat. lib. 2. quæst. 12. num. 10. Alban. de Cardin. quæst. 46. Mandos. ad Reg. 7. Cancellariæ quæst. 2. Grillenzon. consil. 63. nu. 1. Germon. de Indult. Cardinal. §. Tam ratione num. 10. Leo in Thesaur. fori Eccles. part. 2. cap. 1. num. 17. Azor. Instit. moral. tomo 2. lib. 4 cap. 3. quæst 3. Squillant. de privileg. Cleric. cap 2. num. 2. Rubeus in Aphorismis Episcop. ver. Cardinalis, Tuscus littera Conclus. 100. num. 49. subjungit.*

Immò Cardinales etiam non Episcopi in Ecclesiis sui Tituli utuntur pleno Jure Episcopali; *Alterius de Censuris disp. 17. lib. 5. cap. 1. vers. Archiepiscopos, Episcopos, Lother. de re benefic. lib. 1. qu. 8. n. 50. & lib. 2. quæst. 2. num. 7. & eod. lib. quæst. 35. num. 11. Barbos. in tract Iuris univ. Eccles. lib. 1. cap. 4. num. 33.* idem *Barbos. in cap. His quæ de Majorit. & obedien. Moneta de Commut. ultim. volunt. cap. 5. num. 340. Diana part. 5 tract. 2. resolut. 12. Pilava dec. 5. num. 9. lib. 1. Didacus Frances in Pastorali interno tract 3. qu. 2. num. 11. Gabriel à S. Vincentio de Censur. disp. 9. quæst. 7. num. 117. Scipio Redina in promptuar. Iuris tom. 1 tit 1. num 5.* ubi latè *Petr Andr. Gamma. in d. Extravag. Iulii II. num. 126. vers. Tum quia, Franc. Marcus dec. 1286. nu. 4. tom. 2.* inferens ex hoc quod debent postulari secundum *Abbatem in cap. fin. de Postul. Prælatorum, Victorell. in vita S. Higinii de origine S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, vers. Cardinales in suis Titulis. Bottiglier. de succesion. ab intest. tit. de Renunciat. succesion. cap. 2. numer. 2. Merolli. in Theolog. moral. disp. 1. de volunt. & Involunt. 5. diff. num. 525.*

Et quamvis nonnulli ex prædictis DD. dicant Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum habere Jurisdictionem Episcopalem, seu quasi Episcopalem, quod etiam asserit *Sixtus V. in citata Constit. 55. in princ.* Hoc tamen intelligendum est non habere ex sua natura Jurisdictionem Episcopalem, qui non sunt Episcopi; Non enim habent isti ea, quæ sunt Ordinis, ut conferre Sacramentum Confirmationis, & Ordines sacros, habent tamen ea, quæ sunt Jurisdictionis, ut benè distinguit *Moneta de Conservat. cap. 5. n. 34.*

Hinc declaranda est opinio *Cardinalis Bellarmini dum in tom. 2. Controvers. lib 1. cap. 16. de Clericis vers. Pari ratione*, dicit, quod Presbyteri, & Diaconi Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum sunt veluti Parochi Episcopo subjecti, & nihil possunt, nisi quantum eis Episcopus permiserit, cujus opinionem sequuntur *Gironda de Episcopis lib. 1. disput. 2. cap. 5. num. 3. Sebastian. Cæsar. de Ecclesiast. Hierarchia part. 1. disp. 2. num. 9. Zacharias Boner. to. 2. demonst. symbolorum veræ & falsæ Religionis art. 4. sexto symbolo de Cardinalium succesione, Vasquez in 3 par. disp. 242. q. 5.*

Ut scilicet intelligatur de antiquo statu, & jurisdictione ante tempora Bonifacii VIII. & sententiam Honorii III. *in d. cap. His quæ de Majorit. & Obedien.* Aliàs si eorum opinio ad nostra tempora amandaretur, esset non solùm contra Juris communis dispositionem, sed etiam contra Constitutiones Summorum Pontificum Pauli IV. & Sixti V. & Diplomata eorumdem Titulorum; Nam de jure communi Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum possunt exercere ea, quæ non possunt Parochi, nempe excommunicare, suspendere, instituere, & destituere, ut dicunt suprà citati DD. & præsertim *Zabarell. in dict. cap. His quæ in fin. & Felin. in princ.* Nam plebani in suis Ecclesiis non habent ita pingue jus sicut habent Cardinales in suis Titulis *Archid. in c. Nullus, 16. q. 7. n. 5. Præpositi. in c. 1. 21. distinct. 6. vers.* Nam Plebani.

Et opinionem hanc Boverii, & aliorum, benè reprobat *Victorellus in addit. ad Ciacc. in Vita sancti Higinii, de origine S. R. E. Cardinalium, vers. Zaccharias.*

Et hoc jus Episcopale, seu quasi, non solùm habent Cardinales Presbyteri in dictis Ecclesiis suorum Titulorum, sed etiam Cardinales Diaconi in Diaconiis, *Paris. de Resign. dict. lib. 2. qu. 12. num. 10. vers. sive sint Diaconi, Barbos. d. tract. juris univers. c. 4. n. 33. vers. ubi ampliat*, quod etiam statuit Sixtus V. *dict. sua Constitut. 55.* & ex ea *R. P. D. Fagnanus d. c. His quæ, n. 18. & 19.*

Et hoc procedit, sive Tituli, vel Diaconiæ sint Clericorum sæcularium, sive Regularium, cùm Sixtus V. in dicta sua Constitutione pariformiter loquatur de Ecclesiis sæcularibus, & Regularibus, & Summi Pontifices in Diplomatibus Titulorum Ecclesias Regulares plenariè subjiciant Cardinalibus, ut cuique legenti patet, & videbimus infrà.

Hisce sic firmatis. Primò infertur Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum posse promulgare, & ferre leges obligantes in Conscientia, *Castropalao tom. 1. tract. 3. disput. 1. punct. 23. numer. 12. Aougna in cap. 1. dist. 2. num. 4. Alii à Diana dict. par. 5. tract. 2. resol. 7. Baldell. tom. 1. Theolog. de Potest. Legislativa quæst. 50. sect. 9. Suarez de legib. lib. 4. cap. 5. numer. 4. Cottonius Celebr. controvers. lib. 3. de Cleric. controv. 8. cap. 3. n. 55.*

Secundò infertur Cardinales in prædictis Ecclesiis habere jus corrigendi, Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti sententiam ferendi, *d. c. His quæ de Major. & obedien.* & ibi *Canonista R. P. D. Fagnanus ibid. num. 19. Et in c. Ne pro dilatione num. 42. de Pœniten. & Remission.* ubi quod habent auctoritatem cætera faciendi, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis *Germon. de indult. Cardinal. §. Tam ratione n. 18. Barbos. d. c. 4. n. 38.* alios adducit *Diana d. p. 3. tract. 2. resol. 12 Cottonius loc. cit. n. 55.*

Tertiò infertur Cardinales in præfatis Ecclesiis habere jus visitandi, sicut habent Episcopi in suis Diœcesibus, *Felin. in cap. His quæ, in princip. vers. & istis adde, Pavin. de Visitation. part. 2. qu. 2. num. 26. Fagnan. loc. cit. numer. 20.* sunt enim dictæ Ecclesiæ quasi eorum parvæ Diœceses intra fines Episcopatus Romani, *Monet. de Commut. ultim. volunt. c. 5. n. 452. Cotto. loc. cit. n 55. vers. Commutare.*

Quod expressè concessum fuit, imò mandatum à Concilio Basilien. sess. 23. & repetitum in Concilio Lateranen. sub Leone X. ut apparet ex sua *Constitutione 7. in ordine in 1. tom. Bullar. novi*, in qua

qua cavetur, quod Cardinales, si præsentes sint in Curia personaliter, si verò absentes per Vicarium idoneum semel saltem singulis annis visitent Clericos, & Populos Ecclesiarum Titulo suo subjectarum, cum diligentia inquirant circa Cultum Divinum, & Bona dictarum Ecclesiarum, moresque in primis, & vitam Clericorum, & Parochianorum solerter explorent, quod refert *Fuscus de Visitat. lib. 1. cap. 2. num. 5.*

48

Visitatio autem fiet per Cardinalem adhibito ad minus uno ex Regularibus dicto Titulo inservientibus, juxta *text in cap. Debent superioribus suis, in Extravag. inter commun. de offi. io Iudicis Ordinarii*, & ibi *Barbos. in Summar.* Idem *Barbos. de Canonicis, & Dignitat cap. 1. num. 17.*

49

Quartò infertur Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum habere jus instituendi, & destituendi, *cap. Querelam de Election.* ibi A. Cardinali S. Susannæ, cui dicta Ecclesia tanquam Cappella suo Titulo in spiritualibus est subjecta canonicè fuerat institutus. Et sic docet *Innocent. in cap. Dilectus num. 4. de Cappellis Monach.* dicens, institutionem, & destitutionem spectare ad Cardinales in suis Titulis, *Felin. d. cap. His quæ, in princip. Mandos. dict. Reg. 7. quæst. 3. num. 5. Germon. de Indult. Cardinal. §. Tam ratione num. 19. Barbos. d. cap 4. n. 36 Fagnanus d. cap. His quæ n. 21.*

50

Ideò possunt conferre Beneficia sita in dictis Ecclesiis, *Felin. dict. cap. His quæ num. 1. Sarnen. Reg. de Trien. quæst. 31. num 16. Barbos. dict cap. 4. num 36. & ex Panuino, Fagnanus loc. citat. num. 22. Grillenzon. conf. 63. per tot.* sive sint Canonicatus, sive Præbendæ, sive Beneficia curam animarum habentia, sive non, *Azor. Instit. moral. dict. cap. 3. q. 2. vers. ex quo sit*; Nam Sixtus IV. testibus *Felin. Azor. Fagnano, & Barbosa loc. superius citatis*, concessit Privilegium Cardinalibus, ut conferre possint omnia Beneficia sita in Ecclesiis, quas ratione tituli, vel Commendationis, vel Administrationis habent, non obstan. Expectativis, vel reservationibus, nisi vacent in Curia & Summus Pontifex dicta beneficia, nisi de expresso Ordinarii, vel Commendatarii consensu conferre non debeat.

51 52 53 54

Quæ facultas non cadit sub revocatione Indultorum Cardinalium circa collationem Beneficiorum facta à Gregorio XIV. & Paulo V. In eorum enim Decretis prædicti Pontifices declarant nihil velle innovare circa collationes Beneficiorum, quæ ad Cardinales spectant ratione Ecclesiarum Titularium, ut patet ex Decreto, sive Constitut. Gregorii XIV. *in 2. volumin. Bullarii novi sub numer. 19. & in Constitution. Pauli V. Bullar. nov. tom. 3. Constit. 58.*

55

Advertendum tamen est, quod hujusmodi facultate possunt uti Cardinales, dummodo sint præsentes in Curia, *Gonzalez ad Reg. 8. Gloss. 13. nu. 20. Tondut. q. benef. par. 2. cap. 3. §. 8 n. 8.*

56

An autem possint dici Cardinales præsentes in Curia ad hunc effectum si moram trahant in districtu Urbis, non tamen ultra duas dietas; Scio in materia optionis Decanatus Sacri Collegii fuisse resolutum competere optionem Cardinali absenti ab Urbe per duas dietas, ut tempore Clementis VII. die 26. Septembris 1533. accidit in persona Cardinalis Senen. qui cùm abesset ab Urbe per duas dietas admissus fuit ad optionem Decanatus vacantis per obitum Cardinalis de Monte, non obstante contradictione Card. Tranen. qui cùm esset præsens in Curia, prætendebat optionem ad se spectare.

57 58

Ita etiam fuit observatum sub Paulo V. in persona Cardinalis Gioiosæ, qui cùm moraretur in Abbatia Sublacensi, optavit nihilominus Decanatum vacatum per obitum Cardinalis Pinelli, quos casus refert *Chirubinus in addit. ad Constit. Pauli IV. 5. in ordine in tom. 2 Bullar.*

Advertendum secundò, quod licèt Cardinalis Titularis habeat Juris assistentiam in collatione Beneficiorum existentium in Ecclesia sui Tituli, vel Commendæ, illa tamen non sufficit, ut ei possit concedi mandatum de manutenendo, si probetur alium esse in quasi possessione conferendi eadem Beneficia, ut resolvit *Rota decis. 423 num. 3. par. 1. recent.* & post eam *Diana d. tract. 2. resol. 97. nu. 27.*

59 60

Adverte tertiò. Quod facultas conferendi hujusmodi Beneficia intelligitur secundùm qualitates Beneficiorum, quia si Beneficia sint liberæ Collationis, liberè poterunt conferre, si verò sint subjecta Juripatronatus, & Juri præsentandi habebunt tantum institutionem, seu confirmationem, *cap. Decernimus, cap. Piæ mentis 18. quæst. 7. Gloss. in cap. Quamquam de elect. in 6. & in cap. Querelam eod. tit. Grillenzon d. conf. 63. num. 7. & 8 qui nu. 9 subjungit*, quod si Patroni discordent in præsentando, Cardinales sicut Episcopi provident Ecclesiis, *c. Si verò, cap. In quibusdam de Iurepatronatus.*

61 62

E contrariò poterunt Beneficiatos destituere, hoc est deponere, ut ex *Mandos. Gomez. & Paris. tenet Barbos. d. cap. 4. nu. 36. vers. Et destituendi, Grillenzon. d. conf. 63. num. 2. Paris. de resignat. Benefic. lib. 7. quæst. 10. num. 11. & quæst. 14. num. 5.* Immò in destituendo minor solemnitas requiritur, quam in constituendo, *Gonzalez ad Reg. 8. Gloss. 7. num. 12. Barbos. in cap. 1. de Cappellis Monach. nu. 6.*

63

Quintò infertur ad Cardinales Titulares curam animarum Parochianorum suis Titulis subjectorum spectare: Sunt enim suæ oves, & de eis in districto Dei Judicio rationem reddituri sunt, ut benè loquitur Concilium Basilien. *sess. 23* & asserit *Gratian. discep. 298. num. 76. Aversa quæst. 16. de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ sect. 7. pag. 789. vers. Attamen Cardinales.* Ubi quod Cardinales ratione Tituli suarum Ecclesiarum in Urbe habent curam, & regimen Animarum; suntque Superiores Parochis. Et propterea si sint Sacerdotes possunt audire Confessiones Subditorum, *Aversa loc. cit.*

64 65 66

Possunt interesse Matrimoniis, & aliis interessendi licentiam concedere, *Azor. dict. lib. 4. cap. 3. num. 7. Sanchez lib. 3. de Matrim quæst. 28. num. 7. Basil. Ponça eod. tract. lib. 5. cap. 10. Guttierez eod. tract. cap. 66. numer. 9. Boss. eod. tract. cap. 4. §. 23. numer. 61.*

Et denique omnia, quæ ad Parochum spectant, poterunt per se, vel per Vicarium exercere, *Gratian. d. discept. 298. n. 77. Cotton. loc. cit. n 55.*

67

Sextò infertur posse Cardinales in præfatis Ecclesiis uti insignibus Pontificalibus, & solemnem benedictionem impartiri more Episcoporum, licèt Episcopi non sint, *Hostien. & Io. Andr in cap. 1. de supplen. neglig. Prælat Felin. in cap. Inter Monasterium num. 2. de re Iudic. Moneta de conservat. c. 5. num. 34. Barbos. d. cap. 4 n. 35. Cotton. loc. citat. vers. Uti insignibus Fagnan. in d. c. ne pro Dilatione num. 42.* ubi allegat Extravagantem Clementis VII. quæ incipit Sanctissimus in Christo Pater. *Bottigher. loc. cit. n. 8. vers. Immò possunt.*

68

Sed quia Doctores in hoc numero allegati loquuntur de Presbyteris Cardinalibus. Meritò dubitari potest, An hujusmodi benedicendi solemniter Privilegium competat Cardinali Diacono in sua Diaconia.

Et quod non competat, suaderi potest ex eo, quod

quod inter officia, quæ Diaconis assignata sunt, non connumeratur solemnis benedictio; Si enim ad Ecclesiam Apostolorum aspiciamus, munus eorum erat, oblationes colligere, etiam opes Ecclesiæ administrare, ut colligitur, *ex Act. lib. Apost. c. 6. ex Sermone S. Leonis Papæ de S. Laurentio.* Sequentibus verò temporibus Officium eorum fuit Sacerdoti sacrificanti assistere, ac ministrare populo, Eucharistiâ distribuere, Evangeliũ legere, baptizare, prædicare, publicos pœnitentes reconciliare, de quibus latè *Card. Bellarmin. lib. 1. de Cleric. cap. 13. vers. sextus Ordo Diaconorum, usque ad finem Marchin. de Sacram. Ordin. tract. 2. p. 7. de Diaconatu cap. 3. per tot. Fermosin. ad Rubr. de Offic. Archid. q. 1. à n. 6.*

Hodie verò nonnulla ex iis abrogata sunt; Nam à Concilio Nicæno registr. *in c. Pervenit. 1. distinct. 93.* Potestas distribuendi sacram Eucharistiam sublata est Diaconis.

Similiter sublato usu, & potestate à fidelibus communicandi sub utraque specie, & facultas dispensandi populo Sanguinem Christi à Diaconis sublata est. Quamvis aliquis usus ejus in Pontificio Sacello persistat; quia dum Pontifex solemniter celebrat post datam Pacem, ad Sedem suam pergit, & tunc Diaconus post sumptionem corporis, consecratum Calicem, ei propinandum porrigit.

Pariter & si Diaconi in Ecclesiæ primordiis ob Sacerdotum inopiam, & credentium copiam, solemniter sæpe baptizare solebant, nunc autem ob Sacerdotum numerum usus iste in Ecclesia Dei sublatus fuit, In tantum quod si hodie Diaconus solemniter baptizaret, Irregularitatem non effugeret. *Navar. de Cleric. ordinat. ministran lib. 5. cons. 1. & 2. Henriquez. de Sacram. Baptismi lib. 2. c. 29. n. 1. Vgolin. de Offic. Episc. c. 15. §. 6. num. 6.* & alii quos refert *Marchin loc. cit. n. 15. Quamvis ille n. 16. dicat*, tunc effici irregularẽ si baptizet solemniter sine jussu Sacerdotis, secus si ex Sacerdotis delegatione, opinionem tamen Navarri, & aliorum tenet *Fermosin. loc. cit. num. 16.*

Sublata est etiam à Diaconis potestas præsidendi opibus Ecclesiæ, & Eleemosinis fidelium, easque à fidelibus colligendi, & collectas inter paupers distribuendi, quia cum tanto officio intumescerent adversus Presbyteros, & iniquè insolescerent, & ob id reprehensi à S. Cypriano *lib. 3. epist. 9. à S. Hieronymo epist. 85. ad Evagrium, & à S. Bernardo lib. 4. de Consid. ad Eugenium, & prius à D. Augustino quæst. 101. in lib. quæst. utriusque testamenti.* Ideò sublata fuit illis hæc potestas *Marchin. loc. cit. num. 26. Bimus ad vitam Anastasii I. vers. Constituit.* Cùm ergo inter officia & munia Diaconorum non legatur potestas benedicendi solemniter, non est, cur ea Cardinalibus Diaconis concedatur.

Secundò, quia potestas benedicendi solemniter competit ratione Ordinis, ut vult *Gloss. in c. Ecce in verb. Benedicere 95. dist. Archid in c. Denique 21. dist. & ibidem etiam Turrecremata.* Et quidem Ordinis sacerdotalis, ut notat *Isaac Habertus in Pontificali Græcor. ad part. 11. Liturgiæ Ordinum in dissert. de Ritu benedicendi cap. 6. in fin.*

Et propterea *in cap. 28. lib. 8. Constit. Apostolic.* dicitur Diaconus non benedicit, neque benedictionem dat, accipit verò ab Episcopo, & Presbytero, quem locum interpretatur Gretserus *de Benedictione lib. 1. cap. 7.*

Tertiò, quia quicquid sit de benedictione, quæ datur à Sacerdotibus in fine Missæ, quam privatam appellat ex nostris *Præposit. in cap. Ecce 95. distinct. & minorem collector Apostolicarum Constitut. lib. 3. cap. 10.*

Certè quod attinet ad solemnem benedictionem, quæ datur incipiendo ab illis verbis: Sit nomen Domini benedictum, &c. solus Episcopus illam dat, non Sacerdos, neque Diaconus. *Gloss. in dict. cap. Ecce verbo Benedicere il secondo, & ibi Præposit. vers.* Alia est benedictio non privata, sed solemnis, cui videtur favere Concilium Agathen. celebratum *anno 506. can. 30.* Ibi benedictionem in Ecclesia super plebem fundere Presbytero penitus non licebit; Solemnem scilicet Benedictionem interpretatur Isaach Habertus *loc. cit. pag. mihi 298.*

Et quod solis Episcopis competat jus benedicendi solemniter, non autem Sacerdotibus vel Diaconis tenet *Gloss. in cap. Abbates, verb. si Abbas de privileg. in 6. Silvester in sum. verb. Benedictio in princ. & alii Summistæ in dict. verb. DD. in dict. cap. Abbates. Vgolin. de offic. Episcop. cap. 32. §. 2. Barbos. eod. tract. alleg. 72. num. 63. & 66. Ferdinand. Paez in repet. cap. Missas de consecr. distinct. 1. numer. 124. vers.* Dicitur autem solemnis benedictio *Sanchez cons. moral. lib. 7. cap. 1. dub. 17. numer. 10. Quartus de Benedict. Eccles. tract. 1. dub. 5. vers. Dico quartò.*

Quocirca si Sacerdos, & Diaconus solemniter benedicerent cum illis verbis, Sit nomen Domini bededictum, &c. Irregularitatem non effugerent, *ut ex cap. Ministrare, juncta Gloss. 26. quæst. 6. notat Majol. de Irregular. lib. 4. cap. 13. num. 4.*

Quartò, quia sic usus invaluit in Urbe, ut Cardinales Diaconi, dum assistunt Missæ decantatæ in suis Diaconiis, non fundant solemnem benedictionem, ut testati sunt mihi Magistri Cæremoniarum.

Cæterum his non obstantibus, intrepidè sentio, Cardinales Diaconos habere potestatem solemniter benedicendi populum in suis Diaconiis, non quidem Jure proprio, sed ex Apostolico privilegio. Cùm enim Cardinales Diaconi in suis Diaconiis habeant Jura Episcopalia, vel quasi, ut latè firmavi supra *num. 41.* Non est dubitandum, quin stante hujusmodi Privilegio possint solemniter benedicere, ut ultra allegatos tenent *Fagnan. in cap. Ne prodilation. de Pœniten. & Remiss. num. 42.* ubi nulla facta distinctione inter Presbyteros, & Diaconos ait, quod, cùm Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum habeant facultatem corrigendi, Censuras Ecclesiasticas fulminandi, & cætera faciendi, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, conferunt Minores Ordines, utuntur Episcopalibus insigniis, & benedicunt solemniter, licèt non habeant Consecrationem aliquam, sed nudos Ordines sacros. *Iacobat. de Concil. lib. 10. num. 204. vers.* Item aliud Privilegium, dicit, quod Cardinalis etiamsi non sit Episcopus, potest facere solemnem benedictionem.

Idem voluit P. Diana *par. 5. tract. 2. resol. 12.* Ibi possunt Pontificiis insignibus uti, & benedictionis solemnem Ritum more Episcoporum exercere; etiamsi Episcopi non sint, *Azorius instit. moral. par. 2. lib. 4. cap. 3. quæst 2. in fin.* Ibi; & benedicendi solemnem ritum more Episcoporum *Fragos. de Regim. Reip. par. 2. lib. 6. disp. 15. §. 2. num. 2. vers.* Præterea; ubi dicit quod possunt solemniter benedicere instar Episcoporum, quamvis Episcopi non sint, *Sebastian. Cæsar. de Ecclesiast. Hierarch. par. 1. disp. 2. de Cardinal. §. 5. num. 8.* ubi ait, possunt etiam non Episcopi solemniter benedicere; Plures alii

alii possent adduci ex allegatis *num. 41.* Sed in puncto, quod Cardinales Diaconi solemnem benedictionem largiri possint tenet S. *Antonin. in summa 3. part. 2. tit. 14. cap. 16. §. 9. vers. Presbytero, & post eum Hieronymus Manfredus de Card. tit. de S. Collegio dec.* 88, ubi habet hæc verba.

Cardinalis non Episcopus solemnem benedictionem largiri potest, quia Presbyter Cardinalis, vel Diaconus, etiamsi nullum Sacerdotis Ordinem receperit, tamen solemniter benedicit, ut notant Canonistæ *in cap. licet de Elect. & in cap. In nomine Domini 23. dist.* cum aliis ibi per eum allegat. & Manfredum sequitur *Cobelus de notitia Cardinal. cap. 7. de Cardin. Diaconis vers. Interim nosse ne pigeat ibi, & Cardinalem Diaconum.*

Ratio autem potissima est, quia qui jura Episcopalia, vel quasi Episcopalia habent, solemnem benedictionem impartiri potest, ut constat *ex cap. Abbates de privileg. in 6. ubi Canonistæ, Rodriguez quæst. regul. quæst. 18. artic. 1. Azor. instit. moral. part. 1. lib. 12. cap. 20. quæst. 7. Tambur. de jure Abbat. tom. 2. disp. 2. quæst. 7. cum aliis per Barbos. ad d. c. Abbates num. 3. & de potest. Episc. alleg. 3. num. 3.*

Qui textus licet loquatur de Abbatibus, habet tamen locum in aliis Prælatis etiam inferioribus habentibus jura Episcopalia ex privilegio, ut notat *Gloss. in d. c. Abbates, & ibi Archidiac. vers. eis Abbatibus*, ubi dicit quod non est vis, quod textus loquatur de Abbatibus, nam idem dicendum est de his qui super hoc privilegiati sunt, sicut sunt plures inferiores, quia eadem est ratio, *Anchar. ibid. num. 1.* ubi dicit, quod *Gloss.* intelligit de Prælatis. *Præposit. in c. Licet 95. distinct.* ubi dicit, quod licet benedictio solemnis in forma sit nomen Domini benedictum &c. non possit dari nisi ab Episcopo, si habeat ex privilegio, *Pac. Jordan. tom. 1. lib. 5. tit. 15. nu. 18.* & de Archipresbytero Carpi dicit *Ciarlin. controvers. forens. cap. 67. num. 13. & 14.* Et si hoc privilegium competit inferiori Prælato ab Abbate habenti jura Episcopalia, vel quasi, multò magis competere debet Cardinali Diacono, qui major est Episcopo.

Non obstant modo in contrarium adducta.

Non primum, quod inter officia, & ministeria Diaconatus non connumeretur facultas benedicendi solemniter. Quia cùm Cardinalis Diaconus non habeat jus benedicendi ex natura, & officio ipsius Diaconatus, sed ex privilegio, mirum non est, si inter ejus ordinaria ministeria, & officia non connumeretur; quemadmodum dicimus de Sacerdote, inter cujus ministeria, & officia non connumeratur ministratio Chrismatis, quæ ad solum Episcopum jure ordinario spectat, ut statuit Concilium Florentinum sub Eugenio IV. & Tridentinum in Canone 3. de Sacramento Confirmationis, & tamen ex privilegio Summi Pontificis potest Chrisma ministrare, ut de magis communi tenent innumeri relati *à Barbos. ibid. dict. Can. 3. de Sacram. Confirmat.* quibus addo Basilum Pontium *de confirmat. part. 4. cap. 3. per totum. Verricell. de Apostol. mission. titul. 7. quæst. 129. num. 2.* ubi infinitos novissimè *Fermosin.* qui & multos allegat. *de offic. & Sacris Eccles. tom. 2. de Sacram. Confirmat. quæst. 7. num. 22.*

Non obstat secundum, quod scilicet facultas benedicendi solemniter competat ratione Ordinis Episcopalis, vel Sacerdotalis; quia immò facultas ab Ordine non dependet, sed à jurisdictione, ut notat *Card. de Luca de jurisd. & Foro Compet.* egregiè *Præposit. in cap. Eccl. 95. dist.* ubi dicit, quod talis benedictio solemnis non est Ordinis, sed Jurisdictio Episcopalis non concederetur inferiori, & per eandem rationem idem tenet Villadiego de Legato *quæst 6. num. 8. Gratian. post Abbatem, & Cardinalem discept. 467. num. 66. Ciarlinus dict. cap. 67. num. 13. Fagnan. in cap. Ne prodilatione num. 42. de Pœnitent. & Remission.* Sed quamvis esset Ordinis, ejus tamen exercitium est Jurisdictionis, ut notat *Præposit. in cap. denique 21. distinct.* & non est taliter annexa Ordini Episcopali, ut non possit inferiori Episcopo concedi, ut constat *ex c. Abbates de privileg. in 6.*

Præterea aliqua benedictio etiam solemnis in Ecclesia non denegatur Ordini Diaconali, cùm benedictio Cerei Paschalis publicè Diacono concedatur, ut notat *Gavant. in Rubr. Missal. part. 4. tit. 10. sect. 7.* & post eum *Hallier de Ordinibus Hierarchicis lib. 3. sect. 2. cap. 2. art. 3. §. 3. vers.* Primum, saltem de mandato Sacerdotis, ipsoque præsente, ut not. *Andreas de Sanssài. in Panoplia sacerdotali par. 2. l. 2. de munere benedicendi art. 9. in fine.*

Conceditur etiam ei, quod est commune Episcopo, & Sacerdoti, ut in recitatione Horarum Canonicarum dicat verba ista: Dominus vobiscum, quæ salutationis populi, & benedictionis rationem obtinent, ut notant idem Hallier *loc. cit.* & ratio esse potest, quia, ut inquit Divus Thomas 3. *p. quæst. 82. art. 3. ad Primum.* Diaconus tanquam propinquus Ordini Sacerdotali participat aliquid de ejus officio, & D. Thomam sequitur *Aversa quæst. 10. de Ministro Eucharistiæ sect. 3. vers. 4. & Card. de Lugo de Sacrament. Eucharistiæ disput. 18. num. 7.*

Ad locum Constitutionum Apostolicarum respondet Hallier *cit. loc.* ut debeat intelligi, quod Diaconus non benedicat propria auctoritate, sed ministeriali accepta ab Episcopo, vel Presbytero; Nam sicuti Diaconi ab aliis consecrata ministrare possunt, ita & benedictionem Episcopi, vel Sacerdotis nunciare, & tanquam Ministri superiorum Ordinum proferre possunt, ita Hallier *loc. cit. vers. Quia vero Diaconi.*

Ex his tollitur tertium objectum, quod facultas benedicendi solemniter sit solius Ordinis Episcopalis, quia non solùm privilegio, sed consuetudine etiam ab inferioribus acquiri potest, ut notat Isaach Habertus *in Pontificali Eccles. Græcæ ad part. 11. Liturgiæ Ordinis, de Ritu benedictionis*, ubi habet, quod in Ecclesia Parisiensi Presbyteri etiam Parochiales solemni benedictione post Missarum celebrationem iisdem omninò verbis, quibus Episcopus triplicique consignatione populo benedicunt, ubi subdit, quod in Ecclesia Græca nullum discrimen est inter benedictionem solemnem, quam dat Episcopus, & illam, quam dat Sacerdos; Nam in Liturgia Sanctorum Basilii, & Chrysostomi, Presbyter iisdem verbis populo benedicit, quibus Episcopus.

Non obstant, quod sic usus in Urbe invaluerit, quia hoc eveniri potuerit, eo quia non consideratum fuerit privilegium à summis Pontificibus concessum Cardinalibus Diaconis, qui tamen usus non per hoc potest illud auferre; sicuti videmus quod Cardinalibus Diaconis conceditur à Jure privilegium deferendi compages, hoc est sandalia, & mappulas, ut notant *Canonistæ in c. Nonnulli §. Compages & in c. Illud 93. distinct. & præsertim Præpositus, & Turrecremata; Ioannes Dartis distinct. 96.*

Decret. Gratiani pag. mihi 170. 2. *colum. vers. Excipitur secundo Cardinalis Diaconus.*

Quæ Sandalia omninò restitui debent, ut tàm in ministrando Summo Pontifici, quàm in funere uti possint, quia illis competunt ratione Dignitatis amplissimæ Cardinalatus. De quibus latè idem Saussay in Panoplia Episcopali lib. 7. c. 9. atq; juxtà hanc opinionem post hæc scripta ita determinavit Sac. Congregatio Rituum, quod scilicet etiam Cardinalibus Diaconis competunt hujusmodi præeminentiæ, illa præsertim dandi benedictionem, atque ita servatur.

Septimò infertur posse Cardinales in dictis Ecclesiis, suis Subditis, & familiaribus primam Tonsuram, & minores Ordines conferre, *Hostien. & Io. Andr. in d. c.* 1. *de supplen. neglig. Prælat. Idem Io. Andr. in c. Cùm contingat de Ætat. & Qualit. & in d. cap. Ne pro dilatione num.* 42. *Maia observat.* 12. *num.* 40. *post Maja de irregular lib.* 4. *cap.* 20. *nu.* 3. *Lezana in summa verb. Cardinalis num.* 5. *Bottigliger. loc. cit. vers. Immo Iacobat. de Concil. lib.* 1. *art.* 12. *vers. Item Cardinales Lauden. de Cardinal. quæst.* 20. *Rota decis.* 751. *nu. decimo part.* 1. *divers.* multos alios refert, *Barbosa dicto Capitulo quarto. numer.* 40. ubi reprobat *Azorius & Germon.* de hujusmodi facultate dubitantes, *Fagnan. d. cap. His quæ num.* 25. *& in cap. Cum contingat de Ætat. & Qualit. Monet. de Conservat. d. cap.* 5. *n.* 35. Dummodo tamen sint Sacerdotes, aliàs secùs per ea, quæ not. in *cap. Quoniam* 69. *distinct. Fagnan. d. c. His quæ num.* 35. *in fin.* 69

Et quamvis *Sanchez tom.* 3. *consil. moral. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 19. *num.* 21. dicat Concilium Tridentinum *cap.* 10. *sess.* 23. *de reform.* sustulisse hujusmodi Privilegium Cardinalibus quia illud habent ex consuetudine, ut ait idem *Sanchez. ibid. n.* 4. *Marchin. de Sacram. par.* 2. *de legitimo Ordin. Ministro c.* 10. *n.* 1. Consuetudinem verò etiam immemorabilem fuisse super hoc à Concilio sublatam.

Ejus tamen opinio non est amplectenda, quia nec Concilium *d. cap.* 10. loquitur de Cardinalibus, sed de Abbatibus; & quatenùs comprehenderet Cardinales præservat facultatem conferendi primam tonsuram, & Ordines minores suis subditis. Hinc est quod DD. qui post Concilium scripserunt, quos longâ serie enumerat *Diana d. part.* 5. *tract.* 2. *resolut.* 5. *vers. Notandum est*, de hujusmodi Privilegio mentionem faciunt, de revocatione verò nullum verbum; Etin puncto hoc privilegium Cardinalibus Titularibus non esse revocatum à Concilio, tenet *Bonacin. de suspens. in particulari disp.* 3. *qu.* 1. *punct.* 11. *num.* 4. *in fin.* novissimè *Fermosin. ad Rubr. & Tit. de Tempor. Ordinat. quæst.* 5. *num.* 19. & 20. ubi plures allegat. *Lezana loc. cit. num.* 4. ubi dicit contraria consuetudine hoc esse introductum, quæ dat potestatem, vel arguit illam haberet à Papa. *Bottiglier. loc. cit.* qui plures Doctores allegat, & dicit, in Cardinalibus Presbyteris contrarium procedere. 70

Rursus quæstionem hanc, an scilicet Cardinalis in Ecclesia sui Tituli possit conferre primam Tonsuram, & Ordines minores suis Subditis, examinat *Diana in p.* 8. *tract.* 1. *resol.* 33. adversus *Addrian. in* 4. *de Sacrament. confirmat. art.* 3 §. 2. *princ.* & concludit ad favorem Cardinalium, quem sequitur *Fermosin loc. cit. quæst.* 4. *num.* 5. ubi & respondet ad contraria. 71

Octavo infertur, posse Cardinales cum suorum Titulorum Subditis dispensare in omnibus casibus, in quibus possunt Episcopi dispensare de jure, ut vult *Didacus Antonius Frances in Pastorali interno tract.* 3. *q.* 2. *n.* 11. *vers. At supradicta resolutio.* 72

Et licet *Sanchez in Summa lib.* 4. *cap.* 38. *nu.* 2. & ante eum *Suarez. de Relig. tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 10. *num.* 10. dicant Cardinales in suis Titulis non posse dispensare in voto, eorum tamen opinio minimè vera est, quia illis in locis negant, vel saltem dubitant de jurisdictione Episcopali, seu quasi Cardinalium in dictis Titulis, quam tamen alibi fatentur; nempè *Sanchez lib.* 3. *de matrim. disput.* 28. *num.* 7. *& Suarez de Legibus lib.* 4. *c.* 5. *nnm.* 4. Vel intelligenda est, ut non possint dispensare in his, quæ conceduntur Episcopo contemplatione propriæ Diœcesis, secus tamen in his, quæ possunt Episcopi in vim Jurisdictionis Episcopalis, ut benè distinguit *Monet de Commut. dict. cap.* 5. *nu.* 452. *&* 453. & post eum *Diana d. tract.* 2. *resol.* 58. *Didacus Frances loc. cit. num.* 13. & posse relaxare juramenta dicit *Morell. disput.* 1. *de Voluntat. & Involunt.* 5. *difficult. num* 526. *vers. Quartò infertur*, licet Billott *de Absolut. à Iurament. lib.* 1. *cap.* 7. asserat, quod ex communi observantia in Romana Curia non dispensant, quia à Præsentia majoris Prælati, nempè Summi Pontificis, & majoris Pœnitentiarii impediuntur; Sed hæc ratio nihil valet, quia de honestate Cardinales cessant à dispensatione, & relaxatione Juramenti, non autem ex necessitate. 73

Hinc deducitur non posse Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum uti facultate concessa Episcopis à Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* dispensandi in irregularitatibus occultis, præterquam homicidii voluntarii. Licet enim *Henriquez in Summa lib.* 6. *cap.* 26. §. 1. & alii plures, quos citat *Barbos. ad d. cap.* 6. *versic. Contra*, teneant, illam facultatem competere etiam Prælatis habentibus Jurisdictionem quasi Episcopalem; Contrarium tamen putant verius, *Arag.* 2. 2 *quæst.* 88. *art.* 11. *& alii citati ab eodem Barbos. adducto loco num.* 7. & ita fuisse decisum à Sacra Congregatione Concilii refert *Garcias de benef. part.* 7. *cap.* 11. *num.* 13. & 17. & eam declarationem refert *Armendariz ad leges Navarr. lib.* 1. *titlu.* 18. *l.* 7. *de Irregul. num.* 10. *Fagnan. in d. cap. His quæ num.* 16. ubi ait, quod Gregorius Decimus Tertius dixit, se nolle, ut ea quæ concessa sunt Episcopis à Concilio Tridentino, competant Cardinalibus in suis Titulis, & latius *in dict. cap. Ne pro dilatione num.* 42. ubi refert, sic declaratum fuisse à Sacra Congregatione Concilii, quam declarationem Gregorius XIII. approbavit, *& in cap. Dilectus num.* 27. *de tempor. Ordinat.* ubi quod in reliquis salva manet jurisdictio Cardinalium in suis Titulis. 74

Et ratio esse potest, quia cùm hæc facultas sit jure speciali, & exorbitante à communi concessa Episcopis, intelligi debet de veris Episcopis, & non de aliis, qui non sunt Episcopi; *Fagnan in dict. capte His quæ num.* 16. *& in dict. c. Ne pro Dilatione num.* 42. & in terminis, Cardinales non posse uti hac facultate in suis Titulis tenet Didacus Frances in Pastorali interno *loc. cit. n.* 13. *Tolet. in summa lib.* 1. *cap.* 89. *num.* 5. *Baldell. de fide, & infideli. lib.* 1. *disp.* 48. *n.* 24. *Monet de commut. d. c.* 5. *n.* 453. quamvis dicat contrariam opinionem in favorem Cardinalium defendi posse, quod etiam tenet *Diana d. tract.* 2. *resolut.* 59. *vers. Verum liceat mihi.* Quæ opinio non est certè improbabilis, cùm hæc facultas concessa sit Episcopis contemplatione Diœcesis, ut volunt Sanchez, & Henriquez ab eodem Diana citati. At ut suprà diximus Ecclesiæ Cardinalium Romæ sunt veluti eorum Diœceses, ergò non videtur deneganda Cardinalibus in suis Titulis hujusmodi facultas. 75 76

Nonò

Nonò infertur posse Cardinales in Ecclesiis prædictis Indulgentias centum dierum concedere, cùm id habeant à consuetudine etiam quod non sint Episcopi. *Navarr. de Jubileo not. 21. Dunallius de Indulgent. part. 2. quæst. unic. artic. 9. Cotton. d. controv. 8. c. 3. n. 55. Lavor. de Indulgent. par. 2. c. 11. n. 15.* 77

Decimò infertur, secluſa Summi Pontificis prohibitione, seu reservatione posse Cardinales in prædictis Ecclesiis ultimas commutare voluntates *Monet. dict. c. 5. num. 440. Diana d. tract. 2. resolut. 57. Cotton. loc. cit.* & derogare fideicommissis ad eam Ecclesiam spectantibus. *Monet. d. tract. cap. 9. conclus. 22. n. 634. Diana loc. cit. resolut. 61. Cotton. loc. cit. n. 65. vers. Derogare. Lezana in summ to. 3. verb. Cardinalis num. 8. in fin.* 78 79

Multo magis posse disponere de Legatis relictis Ecclesiæ sui Tituli, quia tàm vigore Bullæ Sixti V. quàm Diplomatutu Titularium concessa est illis cura, & regimen bonorum tàm spiritualium, quàm temporalium dicti Tituli, quorum appellatione veniunt prædicta Legata. *Pasqualig. in Selectis quæstion. moral. juridicis quæst. 127. num. 10.* qui tamen malè distinguit inter Titulos antiquos, & noviter erectos à Sixtò V. Nam in antiquis dicit curam & administrationem Legatorum spectare ad Titularem, in novis verò, ad eos, ad quos ante erectionem, cura, & administratio dictorum Legatorum spectabat, ex quo erectio novorum Titulorum facta fuit cum clausula sine alicujus præjudicio; Quia non benè advertit, Vir alioqui doctus, clausulam illam intelligi de præjudicio non expresso. *Oldrad. cons. 330. Paris. cons. 70. num. 12. lib. 1. Rot. dec. 192. part. 1. recent.* & melius ad propositum *dec. 720. nu. 6. p. 3. recent.* Ideò cum cura, & regimen rerum spiritualium, & temporalium Titulorum noviter erectorum fuerit demandata Cardinalibus Titularibus, illa clausula sine præjudicio, non præservat hoc præjudicium expressum; Non enim cura, & regimen dictarum rerum potest esse penès Cardinales, si remanere debet penès alium; Debet ergò verificari in casu non expresso, verbi gratia, si in dicta Ecclesia essent Capellæ de jure patronatus, quarum patronis non censetur factum præjudicium, ut benè *Grillez. d. cons 63. per tot.* 80 81 82 83

Undecimo infertur, Cardinales à subditis suorum Titulorum posse exigere charitativum subsidium. *Remig. Gondi de charit. subsid. qu. 21. Diana, qui alios refert d. tract. 2. resol. 55. Cotton. loc. cit. Lezana loc. cit. Ventriglia in prax. lib. 2. annotat. 2. §. 1. nu. 20. Cassaneus loc. cit. pag. 135. vers. Item etiam dic. quod Cardinales.* 84

Duodecimò infertur, posse Cardinalem Titularem Ecclesiæ Collegiatæ saltem unum Canonicum ad sui servitium, sive obsequium tenere utputa pro Capellano, Secretario &c. ut consuluit *Navarr. cons. 2. de Cleric. non resident. per totum*, quem sequitur *Lother de re benef. lib. 3. quæst. 27. num. 184.* qui extendit etiam ad duos Canonicos; Qui Canonicus lucrabitur fructus suæ præbendæ, non autem distributiones quotidianas, ut consuluit *idem Navarr. d. cons. 2.* 85 86

Hæc omnia cùm possint Cardinales exercere per se ipsos, poterunt etiam exercere per eorum Vicarios; Nam certum est posse in eorum Titulis Vicarium deputare, ut colligitur *ex d. constitut. Leonis X. in ordine 7. in 1. tom. Bullar. novi*, quod dixit *Abbas in d. c. His quæ n. 1 Bursat. cons. 107 n. 7. vol. 1. Fuscus de Visitat. c. 2. n. 5. lib. 1. Sbrozz. de offic. Vicar. l. 1. q. 3. n. 23. Barbos. d. c. 4. n. 39.* Novissimè Carolus Pellegrinus in praxi Vicariorum *par. 1. sect. 1. subsect. 1. n. 8. vers. 4. loco.* 87

An autem in Titulis Regularium possint deputare in Vicarium unum ex prædictis Regularibus, videbimus infrà.

Et cùm jurisdictio, quàm habent Cardinales in prædictis Ecclesiis suorum Titulorum sit Ordinaria, ut notat *Innoc. in c. Dilectus, in verb. de jure communi de Cappellis Menoch. Zabarell. in Clementin. Ne Romani, §. Irritum quæst. 3. de elect. Felin. d. c. His quæ, in princ. Rota decis. 28. num. 20. part. 6. recentior. Fragos. de Regim. Reip. tom. 1. quæst. 5. disput. 13. num. 67.* Et in jure fundata latè est interpretanda, ad tradita per *Cassador. dec. 8 num. 6. de præbend. Caputaq. dec. 88. nu. 6. par. 2.* in terminis *Monet a d. c. 5. n.* 442. Et propterea non expirare Sede vacante dixit Cardinalis *in Clement. Ne Romani §. Irritum quæst. 3. de Elect. Fagnan. in c. cum olim nu. 68. de majorit. & Obedien. qui subjungit num. 84.* Quam tamen (jurisdictionem) non per se ipsos, dum manet in conclavi, sed per suos Vicarios, & Ministros exercere possunt,

Non obstat, quod si hæc omnia de jure procedant; contrarium tamen de consuetudine servari. Huic enim motivo plures adaptantur responsiones. 89

Et primò. Cùm Jurisdictio Cardinalis Titularis sit Jurisdictio Episcopalis, nulla consuetudo introduci potest, quæ præstet impedimentum exercitio prædictæ jurisdictionis, *c. Irrefragabili de offic. Ordinarii, cap. cum ex officii de præscript. Caputaq. decis. 306. part. 1. num. 5. & 6. Posthius de manutent. obs. 44. num. 36.*

Secundò, quod cum asserta consuetudo sit contrà utilitatem Ecclesiæ valere non debet, *c. 1. de consuetud. & ibi Gloss. & Abbas, Rota decis. 265. num. 14 part. 1. recent. tom. 1.* 90

Imò contra nervum Ecclesiasticæ disciplinæ tanquam irrationabilis est rejicienda, utpotè à Jure improbata *Rota dicta decis. 265. num. 23.* Et præsertim cùm Jurisdictio Cardinalis Titularis pendeat ferè ab Auctoritate visitandi Ecclesiam sui Tituli, & cùm jus visitandi sit publicum Auctoritate, & utilitate, nunquam præscribi potest *c. Cum ex officii. de script. Fagnan. in cap. Venerabili numer. 23. de Censib.* Nec consuetudo in hoc est toleranda *c. Nos consuetudinem 12. distinct. Innoc. d. c. Venerabilt n. 6. Fagnan. ibid. num. 23. in fin.* 91 92

Tertiò, cùm plures ex actibus Jurisdictionalibus suprà narratis sint facultativi adversus eos consuetudo aliqua introduci non potest. *Verall. decis. 306. num. 7. part. 1. Rota coram Penia decis. 734. num. 6.*

Quartò, negatur adesse hujusmodi consuetudinem, quia in dies Cardinales in eorum Titulis exercent actus jurisdictionales; Nam & conferunt Beneficia vacantia, & solemnem benedictionem impertiuntur, ut notum est; Certum est autem exercitium unius actus jurisdictionalis conservare jurisdictionem in omnibus aliis actibus. *DD. in d. c. Dilectus de Cappell. Monach.* & præsertim *Innocen. num. 3. Jo. Andr. num. 8. Butr. num. 15. Boich. nu. 11. Felin. in c. Auditis nu. 19. in 3. declarat. de præscript. Menoch. de retinen. remed. 3. nn. 158.* & pluries resolvit *Rota, ut in decisionib. allegat. à Barbos. d. c. Dilectus num. 6.* rursus *decis. 24. num. 35. part. 10. recent.* ubi dicitur, quod pro conversatione universalis jurisdictionis sufficit Episcopo etiam minimum illius actum exercuisse, & ibi plures aliæ allegantur decisiones. Ad retinendum enim usum Privilegii sufficit illius usus, respectu alicujus rei, vel actu *Seraphin. decis. 1043. num. 4. Adden. ad decis. 557. Gregorii XV. num. 9. Penia decis. 734. num. 12. & 13.* & prius *decis. 11. num. 8.* 93

Hinc propterea cautè legendus est Mandosius *in*
94 *Reg.7. Cancel. qu. 2. nu. 7.* qui cùm ex Speculatore & Alvarotto dixisset Cardinales ratione suorum Titulorum posse audire causas concernentes suam Ecclesiam Titularem, & Ecclesias suo Titulo subjectas, quod eriam voluit *Manfred. de Cardinal. cap. 9. vers. Habent enim*, ubi quod Cardinales in suis Titulis habent absolutam jurisdicendi potestatem Civilium contractuum, actionum, atque obligationum, jurium, possessionum suorum Titulorum, & cæterorum, quæ ab hujusmodi Ecclesiis pendent, sequuntur *Paris. de resignat. dicto lib. 7. qu. 12. n. 11. Barbos. dicto c. 4. n. 37. d. cap. His quæ n. 7.*

Subjungit, quod talis jurisdictio non est usu recepta, vel tempore succedente eveniat, quia si conservata fuit per exercitium aliorum jurisdictionalium, evanescere non potuit saltem de jure. Imò modernis temporibus hanc Cardinalium Jurisdictionem agnovisse Summum Sanctæ mem. Pontificem Urbanum VIII. ex eo apparet, Cùm in sua Constitutione moderatoria facultatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Archipresbyterorum, ac Protectorum, & Titularium Ecclesiarum, ac locorum Piorum Urbis, quæ Constitutio, ut in appendice novissima ad Bullarium Romanum Viterbii impressum Anno 1659. est in ordine 158. limitando facultates Cardinalium Archipresbyterorum Sancti Joannis in Laterano, Sancti Petri, & Sanctæ Mariæ Majoris, ac Cardinalium Protectorum Monasteriorum, ac aliorum Locorum Piorum, easdem limitationes voluit servari à Cardinalibus Titularibus, ex quo datur intelligi, non obstante prætensa consuetudine, summum Pontificem agnovisse etiam his temporibus, Cardinales habere Jurisdictionem in causis Ecclesiarum suorum Titulorum, & illis subditorum.

Sed quatenùs adesset consuetudo illa, sublata fuit non solùm per Constitutionem Sixti V. sed in specie per deplomata collationis Titulorum, in quibus habentur hæc verba.

Ac eandem Ecclesiam regere, & gubernare, prout alii Presbyteri Cardinales, qui illi pro tempore
96 præfuerunt, regere, & gubernare potuerunt, sive etiam debuerunt. Ex quibus verbis clarè patet Summos Pontifices voluisse tollere ea omnia, quæ ex negligentia Antecessorum emanere potuerunt: *Rota decis. 240. num. 4. part. 4. diversor. & decis. 332. num. 26. part. 10. recentior.* ubi quod per novam concessionem omnia præcedentia revivisscunt, & in pristinum statum reducuntur, à quibusvis anteactis præjudiciis vindicata. Cui Constitutioni, & Di-
97 plomatibus annexum est Decretum irritans, quod tollit omnem præscriptionem, & consuetudinem, & omnem usum, vel contrarium usum. *Gabriel de clausul. conclus. 3. num. 40 Gonzalez ad Reg. 8. glos. 67 num. 50. cum aliis per Barbos. claus. 40. num. 30. & 35. Rota in pluribus decis. relat. in dec. 20. n. 24. par. 9. & decis. 337. n. 22. part. 10. rec.* & alibi sæpè.

Nullum ergo fundamentum fieri potest in asserta consuetudine; Sed dicendum est omnia privilegia Cardinalium in Ecclesiis suorum Titulorum inconcussa, & illibata manere, quibus si ipsi non utantur, cùm fere omnia tendant ad Divinum cultum reparandum, & augendum, & in utilitatem Ecclesiarum sint concessa, vereor ne strictam de omissis rationem Deo omnipotenti reddere teneantur.

Firmata sic Jurisdictione Eminentissimorum DD. Cardinalium suorum Titulorum, videndum est, quam Jurisdictionem habeant in Monachos, & alios Regulares degentes in Monasteriis dictis Titulis annexis, & inservientes eisdem Ecclesiis Titularibus,

Mandosius *in Reg. 7. Cancellar. q. 2. n. 10. in fin.* dicit, advertendum esse, quod cùm aliqui ex Titulis Cardinalum sint Monasteria, satis dubitabile videtur, decidere, quam potestatem in his Titulis, Mo- 98
nasteriis, & Monachis habeant, & ut ipse dicebat Titularem S. Eusebii Ordinis Cœlestinorum, quorum ille erat Advocatus, non habere Jurisdictionem super Monachos S. Eusebii, & Religionis hujusmodi, alias essent plura capita, videlicet P. Abbas Generalis, & Cardinalis Titularis, quorum uterque in solidum, & principaliter haberet Jurisdictionem, quod non est dicendum, Mandosii doctrinam referunt *Azor. d. c. 3. qu. 3. vers. quæret aliquis Moneta de commut. ultim. volunt. d. c. 5. n. 443. Diana d. tract. 2. resolut. 60.* Novissimè eam sequitur *Cotton. controv. celebr. lib. 3. de Cleric. controv. 8 cap. 3. num. 56. Lezana in summa tom. 3. verbo Cardinalis num. 2.* qui ait, non videre, quod in Eccl. Titularibus, quales sunt SS. Silvestri, & Martini in montibus, S. Chrisogoni, & S. Mariæ Transpontinæ Cardin. exerceant aliquod jus, quod idem credit de aliis Monasteriis.

Augetur difficultas *ex c. Dilectus de Cappellis Mo-*
99 *nach.* ibi, Cùm autem Monasterium Monialium fuerit, & generaliter in Urbe servetur, ut nullum Monasterium sit Titulo subjectum.

Ex quo textu infert *Ricolius lucubrat. utriusque*
100 *juris to. 2. lib. 1. tit. 33. pag. 76.* quod Cardinalis Titularis non habet auctoritatem super Regulares, licet habeant domicilium in Ecclesia sui Tituli.

Sed si hæc res metienda sit à jure communi, non incongruè dici potest, quod Monachi, & Regulares, qui morantur, & deserviunt Ecclesiis Titulari-
101 bus Cardinalium, instar se habeant Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatæ, ut tradunt DD. *in c. causam il primo de judiciis*, & ibi *Hostien. n. 1. Jo. Andr. n. 3. Abbas Antiquus n. 2. Bellam. n. 1. Butr. n. 4. & 8. Decius num. 38. Panormitan. n. 8. Gratian. discept. 270. n. 19. Saraviâ de adjunctis q. 12. nu. 18. Michael. Frances de Eccles. Cathedralibus c. 31. n. 17.*

Omnem Jurisdictionem Cardinalis Titularis habebit in eos, exceptis iis, quæ Regularem observantiam concernunt, *c. 1. Ne Sede vacante, Gloss. in cap.* 102
Nullus, verb. Regularis, vers. ut Episcopus etiam sacularis de elect. in 6. & ibi *Anchar. n. 3. vers. sed adverte, Jo. Andr. n. 3. in gloss. ult. Geminian. n. 7. vers. in gloss. fin.* & ita resolvit *Rota in Montis regalis Jurisdiction, coram bon. mem Coccino, quæ est decis. 157. in eius impres. & decis. 69. par. 1. recent. Barbos. de Canonicis, & Dignitatibus c. 1. n. 12.*

Quæ jurisdictio competit Cardinali privativè quoad Superiorem Religionis, & non cumulativè
103 *Abbas in d. c. causam de judic. n. 10. Francus in d. cap. Nullus n. 3. de elect. in 6. Michael Frances d. c. 31. nu. 56. Lotter. de re benef l. 1. q. 18. num. 18.* & pluries resolvisse Rotam, dicit *Gratia d. c. 170. n. 11.* præsertim *in Montis Regalis jurisdictionis, quæ est decis. 121. part. 1. rec. Valenzuel. cons. 43. n. 5. & 12. volum. 1. Barbos. loc. cit. n. 27. versic. unde provenit.*

Neque obstat auctoritas Mandosii *d. Reg. 7. q. 2.*
104 *in fin.* quia ejus auctoritas non est tanti facienda, quanti eam æstimant scribentes in contrarium in suis allegationibus: Nam Rota *dec. 43. n 9. par. 1. rec.* eum vocat Doctorem, qui nimium se involvit, nec confiderat ea, quæ faciunt ad rem, sicuti in casu nostro non consideravit; Voluit enim nimium indulgere Monachis Sancti Eusebii suis clientibus; Non enim ratio per eum adducta subsistit, cùm non sit monstrum, quod in una Ecclesia duo sint capita diversis tamen respectibus, ut con-

sideravit *Rota in dictis decisionibus Montis Regalis Iurisdictionis 69. & 121. par. 1. recent.* & ex textu *in l. fin. ff. de jurisd. omnium Judic.* voluit Saravia *de adjunct. qu. 12. num. 29.* & propterea illius opinio declaranda est, ut Cardinalis Titularis nullam habeat jurisdictionem in Monachos in iis, quæ respiciunt Regularem observantiam, secus tamen in aliis concernentibus servitium Ecclesiæ Titularis, ut voluit *Azor. d. lib. 4. cap. 3 vers. quæret aliquis in fine, & Mandosium reprobat Cohell. in notitia Cardinalatus cap. 6. privil. 4. litera A. vers. verum pace tanti viri.*

Neque obstat *Textus in cap. Dilectus de Cappellis Monach.* Quia huic textui plures applicantur responsiones.

Primò, ut non habeat locum in Cardin. Titula-
105 ri, sicut non habet locum in Episcopo, ut notat *gloss. in d. cap. Dilectus in verbo Titulus*, sed tantummodò procedit in Titulo simplicis Plebani.

Secundò, respondetur Textum loqui de Monasteriis Monialium, ut apertè habetur ibi.

Cùm enim Monasterium Monialium fuerit; in
106 quo jus instituendi non pertinet ad simplicem Plebanum, ut notat ibi *Anchar. n. 24. vers. vel dic, Anan. num. 13. vers. est speciale. Abbas nu. 12. vers. nec obstat*; sed melius omnium *Butrius n. 2.*

Neque obstat, verbum *nullum*, quod est universale, & aptum comprehendere omne Monasterium tàm virorum, quàm Mulierum, quia hujus-
107 modi dictio non est semper universalis negativa, ut patet *ex Textu juncta Gloss. in cap. 1. de Capit. Conrad & in c. Abbas, ibi, nulla Ecclesia subiciantur 18. quæst. 2.* & tradunt *Abbas, in c. final. num. 35. de præscript. Cened. singul. 76. num. 2. relat. per Barbos. dict. 229. num. 5.* sufficit enim, quod illa dictio possit verificari in aliquo, ut sentit *Abbas loc. cit.*

Tertiò respondetur illum Textum debere intelligi circà ea, quæ concernunt regularem observantiam, *argum. Text in c. Nullam 18 quæst. 2.* ubi
108 etsi Summus Pontifex omnimodam jurisdictionem tribuat Abbati, non egreditur tamen ea, quæ respiciunt Regularem observantiam, ut tenet *Valenzuela cons. 43. à num. 17. usque ad 30 Rota decis. 15. num. 11. part. 1. recent.* Ulterius non obstat, quod ea, quæ dicta sunt de Regularibus inservientibus Ecclesiæ sæculari, non procedant nisi quandò Ecclesiæ sunt Cathedrales, vel Collegiatæ; Nam limitatio à nullo Auctore legitur probata; Etenim ratio, quare subsunt Monachi Episcopo in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata est, quia Episcopus in dictis Ecclesiis est loco Abbatis, ut in illa Montis Regalis jurisdictionis *decis. 157. num. 1.* coram Coccino; Quæ ratio militat in Cardinali Titulari, quia in Ecclesia sui Tituli est loco superioris Religiosorum ei inservientium.

Non enim est differentia inter Episcopum, & Cardinalem Titularem, sed sufficit, quod Religiosi sint Cardinali pleno Jure subjecti, ut uotat *Gloss. in cap. Volentes. verb. Nisi illi Monachi de Privileg. in 6. Campanil. diversor. Juris. rubr. 12 c. 13. n. 116.*

Non enim Cathedralitas, vel Collegium faciunt, ut Monachi, qui inserviunt tanquam Canonici in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis, distinguãtur ab aliis qui inserviunt Ecclesiis inferioribus Ordinario subjectis, *Trull. de Canoni. Regular. lib. 5. cap. 2. relat. à Rodriguez q. Regular. tom. 1. qu. 1. arti. 3. vers. Magnum autem.*

Sed idem in omnibus Ecclesiis servari debet, cùm in materia jurisdictionis Episcopi, nulla detur differentia inter Canonicos Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, & Religiosos inservientes aliis Ecclesiis ut patet ex *text. in c. Sanè de Regular.* Et ita notârunt in terminis *Saravia de Adjunct. qu. 12. nu. 19. Frances. de Eccles. Cathedral. c. 31. n. 52.* Et hæc secundùm dispositionem Juris communis; sed quia in casu, de quo agitur, res definienda est juxtà Constitutiones Apostolicas, indubitanter tenendum est, Cardinalem Titularem omnimodam Jurisdictionem habere in Monachos, sive Regulares, qui inserviunt Ecclesiis suorum Titulorum.

Nam omisso Privilegio Joannis Octavi, de quo meminit Baronius *ad Annum* 882. quod etiam refert *Choel. in not. Cardinalatus cap. 6. Privileg. 14.*

Clara sunt verba Constitutionis Sixti V. de qua suprà; Nam postquam ille Summus Pontifex erexit, & præfinivit Ecclesias Titulares Cardinalium, nulla, ut dictum est, facta distinctione inter Ecclesias Sæculares, & Regulares *in §. sic igitur*, ait.

Sic igitur ipsi Cardinales, quibus hujusmodi Ecclesiarum regimen, cura, & administratio pro 109
tempore commissa erunt, eas in spiritualibus, & temporalibus sollicitè, fideliter, & prudenter regant, & gubernent, ac juxtà Constitutionem piæ memoriæ Leonis Papæ X. Prædecessoris Nostri in Concilio Lateranensi novissimè celebrato editam, frequenter visitent, circà cultum Divinum invigilent, mores, & vitam Cleri, & Populi ei subjecti diligenter explorent, eosque ad rectè, & honestè vivendum paterno moneant affectu, bonorum, ac temporalium reddituum curam gerant.

Et non est dubiũ, quin appellatione Cleri veniant 110
etiam Regulares *c. Cleros 21. distin. c. duo sunt genera 12. quæst. 1. Paul. de Eleazar. in Clement. 1. de elect. Abbas in cap. de juramen. calumniæ in ult. notab. Joan. Baptista Caccialupus inter concil Zabarell. cons. 4. num. 20. Mar. Anton. lib. 1. resol. fin. cas. 50. vers. 1. Tambur. de jure Abb. disput. 25. quæst. 1. n. 225. & 226.*

Sed clarissima sunt verba inserta in Diplomatibus Titulorum, in quibus habetur.

Tibi pro tuo Cardinalatus Titulo concedimus, & assignamus &c. Teque illi in Presbyterum Cardinalem præficimus, curam, & regimen, & administrationem ipsius Ecclesiæ Tibi in spiritualibus, & temporalibus plenariè committendo, Ita quod liceat Tibi, regiminis, & administrationis ejusdem Ecclesiæ, ac membrorum, jurium, pertinentiarum hujusmodi possessionem, sive quasi, per Te, vel per alium sive alios propria auctoritate liberè apprehendere, & de illorum fructibus, redditibus, & proventibus, & emolumentis universis disponere, & ordinare, ac eamdem Ecclesiam regere, & gubernare, prout alii Presbyteri Cardinales, qui illi pro tempore præfuerunt de illis disponere, & ordinare, ac eandẽ Ecclesiam regere & gubernare potuerunt, seu etiam debuerunt. Quocircà circumspectioni Tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs curam & administrationem prædictas sic exercere studeas, sollicitè, fideliter, & prudenter, quod dicta Ecclesia Gubernatori provido, & fructuoso Administratori gaudeat se commissam, Tuque valeas exindè apud Nos non immeritò commendari.

Ac Superiori, ac Conventui dictæ Ecclesiæ, aliisque 111
illius ratione Tibi subditis personis, ut Tibi pareant, & obediant alioquin sententiam sive pœnam, quam ritè tuleris, seu statueris in Rebelles ratam habebimus, & faciemus Auctore Domino usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari.

Ex quibus verbis apparet luce meridiana clarius, Cardinales non solùm in Ecclesiam Regularem

Titularem ; sed etiam in Conventum, & illius Superiorem, omnem auctoritatem habere , cui enim
112 commissum est regimen , merum & mixtum Imperium tributum esse ceusetur , *argum. Text in l. unica in princ.* ibi.

Regimentis Reipublicæ in Imperatorem translatis. *ff. de offic. Prætor. Paul. de Castro cons.* 187. *n.* 2. *vol.* 2. *Borell. de Magist. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 155. *& 156.*

Præsertim , quia Summus Pontifex utitur verbo
113 Plenariè, quod omnem Jurisdictionem, & in quoscumque comprehendit, *Innoc. in c. Præterea, super verb. Plenariè de offic. Delegat. Paul. de Castro dicto consil.* 187. *num.* 1. *vers. maximè.*

Et Superiorem , & Conventum subditos facit
114 Cardinali Titulari, æquiparando eos aliis subditis; Nam dictio, *Aliis* , relata ad personas facit illas ejusdem qualitatis. *Roman. consil.* 485. *num.* 5. *Barbat. cons.* 33. *nu.* 26. *vol.* 2. *cum aliis per Barbos. diction.* 26. *nu.* 1. *&* 3.

Datq; illi expressam facultatem in Conventum, & Superiorem, si ei non pareant, tenquam in Rebelles
115 procedendi, eosque puniendi , quæ facultas ex Jurisdictione dimanat. *DD. in l. omnes Populi. ff. de justit. & jur. & in l.* 1. *ff. si quis & ius dicenti non obtemperaverit, & ibi Cagnol. n.* 46. *Ias. nu.* 17. *Decius in c. Quæ in Ecclesiarum num.* 12. *de constit. Roland. cons.* 99. *n.* 3. *vol.* 4.

Quæ tanto magis locum habere debent cum ex ista subjectione res reducatur ad terminos juris communis, secundùm quod Monachi, & Regulares
116 erant subjecti Episcopis *c. cum personæ de privil. in* 6. *cum contingat, & ibi DD. de foro compet. c.* 1. 18. *q.* 2. *cum aliis per Rotam decis.* 15. *a num.* 2. *usque ad* 7. *p.* 1. *in recent. Tambur. de jur. Abbat. disput.* 16. *qu.* 2. *per totum.*

Et propterea hujusmodi Privilegium latè est in-
117 terpretandum. *Rota decis.* 400. *num.* 33. *par.* 9. *recent. tom.* 2. Nec possunt conqueri Monachi , vel Regulares, etiamsi ab eo sentiant damnum *Gloss. in*
118 *l. si unus, §. Pactus ne peteret. ff. de pact. cap. Ab exordio* 35. *distinct. Rota cit. decis.* 300 *nu.* 42.

Sed quia suprà dictum est , quod ea, quæ potest exercere Cardinalis Titularis per se ipsum , potest etiam exercere per Vicarium. Quæri potest an Cardinalis possit deputare in Vicarium unum ex Religiosis Conventus, qui deserviunt Ecclesiæ Titulari.

Et proculdubio dicendum est posse, quia Regu-
119 laris non prohibetur esse Vicarius Episcopi , cùm id nullo jure contradicatur. *Abbas in cap. fin. de Cleric. Ægrot Cardinal. in Clemen.* 2. *num.* 17. *quæst.* 16. *de rescript. & ibi Imola uum.* 25. *Anchar. nu.* 9. *Rebuff. in Prax benefic. titul. de Vicariis Episcoporum num.* 30. *Navarr. & alii relat. à Sbrozzio de Vicar. Episc. lib.* 1. *quæst.* 38. *num.* 4. *Sanchez. ad præcept. Decal. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 8. *Pellizar. de Regular. tract.* 8. *cap.* 6. *sect.* 4. *num.* 247. *Tambur. de jure Abbat. tom.* 3. *disp.* 17. *qu.* 5. *num.* 7. *cum aliis per eum allegat.*

Et quamvis nonnulli limitent in Regulari ex Or-
120 dine Mendicantium ducti ex *Clementin.* 1. *in §. Ad Priorat us de Regul* Limitatio tamen non est admittenda, quia Clementina solum prohibet, nè Mendicantes , qui ad non Mendicantes transierunt, possit assumi ad Dignitates , Non autem loquitur de puris Mendicantibus, ut benè *Sanchez loc. cit. num.* 88. *in fin. & Pellizar. loc. cit. Acunna in c. si quis alterius dist.* 58. *n.* 17. ubi reprobat contrarium tenentes.

Nec isto casu erit necessarius consensus , sive li-
121 centia Superioris Religionis, quia cùm Cardinalis Titularis habeat superioritatem in Regulares, qui inserviunt Titulo, ut suprà dictum est , sufficit illius deputatio, cum circà hoc non sint exempti, *Gloss. in c. cum Pastoris* 2. *q.* 1. *Dominicus in c. si Religiosi in fin. princ. de elect. in* 6. *& ibi Francus num.* 3. *Sanchez ad Præcept. d. lib.* 6. *c* 13. *n.* 91. *in fin. & n.* 99. Præsertim quia Regularis iste non avocatur à Claustro, nec ei judicia forensia committuntur.

Quæ est causa, quare Mendicantes non assumuntur ad Vicariatum, ut dicit *Rebuff. loc. cit. n.* 32 sed solùm committuntur ea, quæ spectant ad cultum Divinum , & præficiuntur ad alia spiritualia in Ecclesia Titulari & Conventuali peragenda. *Barbos. in c.* 1. *de Capellis Monachorum n.* 2.

Imò debet Cardinalis Vicarium Regularem in dicta Ecclesia sui Tituli deputare , cùm Ecclesia sit 122
Regularis, cùm non debeant homines diversæ professionis in eodem officio sociari. *c. Innova* 16. *qu.* 7. nè ex dispari observantia ex eodem loco scandalum generetur. *c. Deus qui de vita, & honestate Cleric. c. cum causam & c. cum in Magistrum, de elect. c. intelleximus, de ætat. & qualit. Clem.* 1. *de elect. Calder. cons.* 28. *de Regular. Decius cons.* 640. ubi quod 123
habens beneficium Regulare, posito quod possit deservire per substitutum, talis substitutus debet esse Regularis , & eum sequitur *Gravet. cons.* 96. *n. ult.* latè Rota, quæ loquitur in Sacristа *decis.* 238. *coram Coccino.*

Successivè poterit Cardinalis Titularis deputare 124
Parochum in dicta Ecclesia; Cùm enim cura animarum penès ipsum resideat, illam per Vicarium amovibilem exercere poterit, *Oldrad. cons* 67. *in princ.* 125
Gonzalez. ad Reg. 8. *gloss.* 6. *num.* 67. ubi de Episcopo Calaguritano, apud quem cùm cura totius Diœcesis resideat, per Clericos deputatos curam exerceri mandat. *Cassad. decis.* 11. *de præbend. Seraph. decis.* 946. *in princ. Rota decis.* 17. *n.* 1. *p.* 1. *divers.*

Et talis Deputatus non appellatur Parochus, sed Coadjutor Episcopi in officio curæ. *cap. fin. de offic.* 126
Archidiac. Imol. in Clemen fin. num. 14. *de privil. Caputaq; decis.* 340. *part.* 3. *cum aliis per Gonzalez. d. gloss.* 6. *num.* 68.

Et ratio est, quia una Ecclesia non potest habere 127
duos sponsos *c. quoniam de offic. Ordin. cap. cum non ignores de præbend. Rota in pluribus decisionibus relat. a Tonduto resolut. benef. c.* 1. *n.* 1.

Neque hic intrat dispositio *Textus in c. sanè* 16. 128
quæst. 2. *& in c.* 1. *de Cappellis Monach.* quibus statuitur, quod in Ecclesiis Curatis Regularibus Episcopus deputet Parochum de consilio Superioris Regularis, quia illi Textus procedunt, vel quando Ecclesia est de jure patronatus Regularium, ut notat *Abbas in d. c.* 2. *n.* 6. vel quando Ecclesia est unita Monasterio, vel quando spectat pleno jure ad Monasterium, ut declaravit *Rot. coram Durano decis.* 92. *n.* 19. *Barbos. vot decisiv. lib.* 2. *voto* 50. *nu.* 27. secus autem si spectet pleno jure ad Cardinalem Titularem.

Sed quatenùs observanda esset dispositio dictorum Textuum , nihilominùs Cardinalis Titularis 129
habet liberam deputationem dicti Vicarii, quia etsi debeat requirere consilium Superioris Regularis , non tamen tenetur illud sequi. *l. cum Pater* 79. *§. mando, & ibi Bart. ff. de legat.* 2. *c. cum olim de arbitris* , & ideo deputatio spectat ad solum Cardinalem, *Rota decis.* 79. *de rescript. Puth. decis.* 404. *lib.* 2. *in correct. Anan. & Butr. in d. c.* 1. *n.* 5. *& Abbas n.* 3. *de Capellis Monach. Gonzal. ad Reg.* 8. *gloss.* 96. *nu.* 23. *&* 24. *Barbos. d. vot.* 50. *n.* 24. *&* 25.

Itaut talis Regularis sic deputatus non poterit a- 130
moveri à superiore Regulari, quia cũ institutio spectet
ad

ad Cardinalem, ita etiam destitutio, ut dicit expresse idem Textus *in d.cap.*1.ibi.

Ut ex solius Episcopi arbitrio tam ordinatio, quàm depositio,& totius vitæ pendeat conversatio, *Et ibi Gloss.in verb.solius, & omnes Canonistæ, Barbos. cit.num. 25.*

Poterit etiam Sacristam, Concionatorem, Confessarios,& alios Ecclesiæ Ministros deputare;cum ad
131 Cardinalem Titularem ea omnia spectent, quæ tendunt ad Cultum Divinum, & ad salutem animarum procurandam.*c. inter cætera, §.Præcipimus, de offic. Ordin. Silvester in Summa verb. Episcopus num.*11.*Tabien. eodem verb.numer.*17. *Merlin.decis. 743.num.*1.

An autem Vicarius Parochus, & alii supradicti
132 Ministri sint exempti ab obedientia sui Prælati; DD.omnes transeunt cum distinctione. Aut Ecclesia nullatenus subjicitur Prælatis Monasterii, tunc illi Religiosi eximuntur ab obedientia Prælati, & remanent subjecti Episcopo, qui deinceps erit eorum Abbas.

Aut Ecclesia subjicitur Prælatis Religionis quoad sola temporalia,& tunc eximuntur ab obedientia quoad spiritualia.

Si verò eis erit subjecta quoad spiritualia, erunt e empti quoad temporalia.

Si verò sit subjecta Prælato regulari quoad omnia, pariter Ministri erunt in omnibus Prælato Regulari subjecti, sic habetur *in c.in Parochia* 16 *quæst.* 1. *& c. sanè eadem causa quæst.*2.*Henric.Boicch.in c. quod Dei timorem num.*8. *de statu Monach. & ibi Hostien.num.*9. *Joan.Andr.num.*14. *Cardinal.num.* 5. *quæst.*2. *Summisque fere omnes, quos adduxit Sanchez ad præcept.lib.*6. *cap.*6.*nu.*36.*Pellizar.de Regul. tract* 8.*cap.*4.*sect.*4.*num.*115.

133 Finito tamen officio tenentur redire ad obedientiam Prælati, sint in Monasterio & ad Monasterium, si eam exerceant extra Monasterium, sic *Sanchez loc.tit.num.*36. *in fin.*

Superest ultima,& non quidem levis difficultas, an Summi Pontifices in collatione Titulorum eximant Ecclesias prædictorum Titulorum a jurisdictione Prælatorum Regularium.

Sciendum est exemptiones nullis esse alligatas formulis. sed quovis verborum modo,& genere concedi posse *c. si Papa, §. licet autem de privileg.in* 6 *c* 1.§ *Declarationem de verbor.signif in* 6.*Cocchier.de jurisdict.in exempt.par.*1.*qu* 9.*in princip.*

Inter alias formulas concedendi exemptionem illa est, quando concessa est pleno jure. *Abbas d.c. cum inter.num.*3. *Gloss.in c. cum & plantare, verb. pleno jure, ubi Abbas numer.*5.*de privileg.Hostien in c.quoniam. eod. tit. & Abbas num.*3. *Cocchier.latè de jurisdict.in exempt. par.*1.*quæst.*9. *num.*6.7.*&* 8 *plures Barbos.d c. quoniam num.*2.

Tunc dicitur facta exemptio plena Jure,quando
134 Papa concedit facultatem in spiritualibus,& temporalibus, *Gloss in dicto c.Quoniam, verb.utroque jure, & in c.cum & plantare,§.in Ecclesiis,§.Pleno jure,ubi Zabarell. num.*1. *Butrius num.*26. *Dectius num.*12. *&* 16. *Barbos. d.c. Quoniam num.* 2. *& de potest.Episc. alleg.*88.*num.*15. *Fagnan. in c. Tua num.*7. *de Cleric. non resident.*

135 Cardinalibus autem non solum Papa concessit auctoritatem in spiritualibus, & temporalibus in in eorum Ecclesiis Titularibus, verùm & ipsas plenariè illis subiecit; Quare de ex tempioneà Superioritate Monachorum, & Regularium non est dubitandum; sed quia nulla est adeò ampla potestas, quæ onera admixta non habeat, addam hîc obligationes,& onera quæ habent Cardinales erga Ecclesias suorum Titulorum.

Et primo offert se Concilium Basiliense, quod in sess.23.hæc habet.

Pro conservandis Cardinalium Titulis, quo- 136
rum aliqui tam in Divino Cultu,quàm in Ædificiis, nimirùm (Prho dolor) in opprobrium Sedis Apostolicæ, & ipsorum Cardinalium, collapsi sunt, statuit hæc sancta Synodus, ut de redditibus, & proventibus Terrarum Romanæ Ecclesiæ, quorum medietas juxta Constitutionem Nicolai Papæ, ad Cardinales (ut prædictum est) pertineat, Decima pars ejus, quod spectat ad quemlibet Cardinalium proptio Titulo singulis annis applicetur; & nihilominus, vel in vita, vel in morte tantùm proprio Titulo quilibet Cardinalis relinquat, unde communiter una persona substentari possit Quod si non fecit, tam pro hoc, quàm pro dicta decima parte bona omnia ipsius Cardinalis obligata sint usque ad debitam satisfactionem, & ad executionem hujus oneramus primum Cardinalem illius Ordinis, de quo, ille defunctus, erat: Visitet per so quilibet Catdinalis præsens in Curia, absens verò per Vicarium idoneum singulis annis Titulum suum, Clericosque, & populum Ecclesiarum subjectarum, & cum diligentia inquirat & salubriter provideat super Cultu Divino, bonisque ipsarum Ecclesiarum, ac vita, & moribus Clericorum, & Parochianorum de quibus, cum suæ sint oves, in districto Dei judicio rationem redditurus est, & tam quoad tempus visitandi, quàm quoad alia, servet, quæ instituta sunt in Decrero nostro de Concilis Synodalibus.

Addamus & Concilium Lateranense sub Leone 137
X. sess. 9. quod aliqua in parte reformavit Decretum Concilii Basilien,

Tituli sui loca, si præsentes in Curia fuerint, personaliter, si verò absentes per Vicarium idoneum semel saltem singulis annis visitent, Clericos, & Populos Ecclesiarum Titulo suo subjectarum cum diligentia inquirant, vigilentque circa Divinum Cultum, & bona dictarum Ecclesiarum, moresque in primis, & vitam Clericorum, & Parochianorum solerter explorent, eosque omnes, & singulos ad rectè, & honestè vivendum paterno moneant affectu. Pro augumento autem Divini Cultus & salute animæ suæ quilibet Cardinalis, vel in vita donet, vel in mortis articulo relinquat suo Titulo quantum sit satis ad Presbyterum unum commodè ibi substenrandum, vel si Ecclesia indigeat reparatione, vel alia subventione, tantum illi relinquat, vel donet, quantum conscientiæ suæ videbitur.

Tertio loco accedat Constitutio Sixti V. de 138
Præfinitione Titulorum, & Diaconiarum pro S.R.E. Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, in qua §. 12. *hæc habentur.*

Sic igitur ipsi Cardinales, quibus hujusmodi Ecclesiarum regimen, cura, & administratio pro tempore commissa erunt, eas in spiritualibus sollicitè, fideliter, & prudenter regant, & gubernent, ac juxta Constitutionem piæ memoriæ Leonis Papæ X. prædecessoris nostri in Concilio Lateranensi noviſſimè celebrato editam, frequenter visitent, circa cultum Divinum invigilent, mores, ac vitam Cleri, & Populi eis subjecti diligenter explo-

rent, eosque ad rectè, & honestè vivendum paterno moneant affectu; Bonorum, ac temporalium reddituum curam gerant; Sic ad Dei gloriam, & fidelis Populi ædificationem pia, & magnifica structura, & fabrica tuas quisque Ecclesias instaurare studeant, & exornare, & tam in vita, quàm in mortis articulo pro Divini Cultus augmento, & salute animarum suarum ad congruè sustentandum aliquem Presbyterum, qui inibi in divinis deserviat, seu aliàs erga ipsas Ecclesias, si reparatione indigeant, vel alia subventione de bonis sibi à Deo collatis, prout cuique pro modo facultatum conscientia dictaverit, munificos se exhibeant, & liberales, ut earumdem Ecclesiarum decora, & ornamenta tantorum Præsulum respondeant Digeitati, ac ipsæ Ecclesiæ tam sublimibus personis gaudeant se commissas, & eorum amplitudine illustratas, Jidemque Cardinales exinde ipsius S.R.E cujus nobilissima membra sunt, Majestatem, sua pietate, sollicitudine, & prudentia indies magis extollant, & reverentiam omnium Gentium erga illam exemplis bonorum operum insigniter augeant, ac denique præter æternæ retributionis præmia digna quoque laudum præconia à Nobis, & Apostolica Sede, valeant promereri.

Denique inferam hic exemplar Diplomatis, quo à Summis Pontificibus conferuntur Tituli Presbyteris Cardinalibus, ut omnibus pateat, qua auctoritate sint suffulti.

INNOCENTIUS

EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

1139 Dilecto filio Francisco Tituli S. Mariæ in Via nuncupatæ S. R. E. Presbytero Card. Albitio nuncupato salutem, & Apostolicam benedictionem, Decet Romanum Pontificem, quem Pastor ille cœlestis potestatis plenitudine sibi tradita Ecclesiis prætulit Universis, de singulorum præsertim Almæ Urbis Ecclesiarum Statu sollicitè recogitare, & fidem tuam, quàm ad cardinalatus honorem, ut unà secum Universalis Ecclesiæ onera partiantur pro tempore assumit eorumque Personas condignis honoribus sublimare. Quapropter earum regimen pro eorum Cardinalatuum Titulis eis interdum committit, ut per illorum providentiam circumspectam Ecclesiæ ipsæ præserventur auxiliis, ac felicibus in spiritualibus, & temporalibus, adjuvante Deo, proficiant incrementis. Cum itaque Nos aliàs Te ob grandium virtutum merita, quibus personam Tuam illarum largitor Altissimus insignivit de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio & assensu atque de apostolicæ Potestatis plenitudine, in ejusdem S.R.E. Presbyterum Cardinalem ad assistendum Nobis in regimine ejusdem Universalis Ecclesiæ Apostolica Auctoritate duxerimus assumendum, & Ecclesia Sanctæ Mariæ in Via, quæ Titulus Presbyteri Cardinalis existit, certo, quem præsentibus haberi volumus pro expresso modo vacaverit, & vacet ad præsens. Nos cupientes Te prout juris & rationis existit proprio Cardinalatus Titulo decorare Ecclesiam prædictam, ut præfatur vacantem, cum omnibus & singulis illius membris, juribus, & pertinentiis universis Tibi pro Tui Cardinalatus Titulo de simili consilio dicta Auctoritate concedimus, & assignamus, Teque illi in Presbyterum Cardinalem præficimus, curam, regimen, & administrationem ipsius Ecclesiæ Tibi in spiritualibus, & temporalibus, plenariè committendo. Itaque liceat Tibi, regiminis, & administrationis ejusdem Ecclesiæ, ac membrorum jurium, & pertinentiarum hujusmodi possessionem, seu quasi per Te, vel alium, seu alios propria Auctoritate liberè apprehendere, & de illorum fructibus, redditibus, & proventibus, ac emolumentis Universis disponere, & ordinate, ac eandem Ecclesiam regere & gubernare, prout alii Presbyteri Cardinales, qui illi pro tempore præfuerunt, de illis disponere, ac eandem Ecclesiam regere, & gubernare potuerunt, seu etiam debuerunt. Quocirca circumspectioni Tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus curam, & administrationem prædictas sic exercere studeas sollicitè, fideliter, & prudenter, quo dicta Ecclesia Gubernatori provido, & fructuoso Administratori gaudeat se commissam; Tuque valeas deindè apud Nos non immeritò commendari, ac Superiori, & Conventui dictæ Ecclesiæ, aliisque illius ratione Tibi subditis personis, ut Tibi pareant, & obediant, alioquin sententiam sivè pœnam, quam ritè tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus, Auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, Et insuper, ut statum tuum juxta Cardinalatus sublimitatem decentius tenere, & expensarum onera, quæ Te jugiter de necessitate subire oportet, facilius perferre valeas. Motu proprio non ad Tuam, vel alterius pro Te Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate Tecum, ut etiam postquam in vim præfectinnis prædictæ pacificam possessionem, seu quasi, regiminis, & administrationis dictæ Ecclesiæ, ac illius bonorum, seu majoris partis eorum assecutus fueris, omnia & singula Monasteria etiam Consistorialia Prioratus, & Conventuales Præceptorias, præpositatus præposituras cæteraque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura sæcularia, & quorumvis Ordinum, Militiarum, & Hospitalium etiam sancti Joannis Hierosolymitani regularia, quælibet de quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in Titulum, commendam, administrationem, ut aliàs quomodolibet obtines, ac in quibus, & ad quæ jus Tibi quomodolibet competit, quæcumque, quomodocumque, & qualiacumque sint, ut prius quoad vixeris retinere, ac quascumque pensiones annuas Tibi super quibusvis fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis, ac eorum loco fructum ipsorum Apostolica Tibi Auctoritate reservatum, & assignatum, ac reservatas, & assignatas, ac una cum illos, & illas transferendi, ac de rebus, & bonis tuis testandi, nec non beneficia & officia quæcumque conferendi, aliisque facultatibus, & Indultis Tibi concessis, ut prius quoad vixeris percipere, exigere, & levare, ac in tuos usus, & utilitatem convertere liberè, & licitè valeas Nostra, quatenus opus sit, de exprimendo vero annuo valore Beneficiorum per promotos ad Ecclesiarum Regimina obtentorum, in dispensationibus Tibi concedendis super illorum reten-

retentione, alioquin illæ non valeant, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus, ac etiam, quatenus opus sit, dictæ Ecclesiæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus Apostolica Auctoritate earundem tenore præsentium de specialis dono gratiæ dispensamus, decernentes propterea Monasteria, Prioratus, Præceptorias, aliaque beneficia per Te obtenta hujusmodi non vacare, Pensionesque, & fructuum reservationes prædictas non cessare, ac transferendi, testandi, conferendi, aliasque facultates, & indulta hujusmodi non expirare. Irritum quoq; & inane si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem quod propterea in Monasteriis & Prioratibus Conventualibus hujusmodi Divinus cultus, ac solitus Monachorum, seu Canonicorum, & etiam Ministrorum numerus nullatenus minuatur, aliaque beneficia hujusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, & animarum cura, si qua illis immineat, nullatenus negligatur, sed eorum, & dilectorum filiorum Conventuum, Monasteriorum, & Prioratuum conventualium hujusmodi congrua supportentur onera consueta. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, decimo Kalendis Aprilis, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro Eminentissimo Domino Cardinale Barberino Summatore P. Ciampinus.

F. de Aste.

V. Catallus.

Registrata in Secretaria Apostolica.

Visa P. Ciampinus

SECVNDA DISCEPTATIO IN EADEM ROMANA JURISDICTIONIS.

SVMMARIVM

Primæ Quæstionis.

1 *Theologorum dicta attendenda non sunt in iis quæ spectant ad causarum decisionem ac moralem Philosophiam.*

2 *Monachismus à quo tempore inventus.*

3 *Monachi cum eorum Monasteriis per quinque sæcula fuerunt sub jurisdictione Episcoporum.*

4 *Monachos eorumque monasteria aliasque Ecclesias sæculares & regulares subjectos esse Episcopis statuerunt Concilia Aurelian. & Calcedonen.*

5 *Intentionem fundatam habet Episcopus de jure communi exercendi jura Episcopalia quoad monasteria intra suam diœcesim sita & num. 41.*

6 *De exemptionibus ab Episcopo Parisien. concessis aliquibus monasteriis quingentesimo sæculo durante.*

7 *De alia exemptione eodem sæculo durante concessa per Joannem III. alteri monasterio.*

8 *De exemptione monachorum ampliata per Concilium Romanum sub Gregorio I.*

9 *Initium à quo habuerunt hujusmodi exemptiones, & quod exemptio per Concilium Lateranen. sub eodem Gregorio Cassinensibus concessa, est particularis & restricta ad quædam monasteria & idem num. 11.*

10 *Exemptio generalis Monachorum Cassinensium initium habuit ab Eugenio IV. & non anteà.*

12 *Comprobatur conclusio de qua num. 9. ex aliis exemptionibus postea obtentis à diversis Pontificibus pro aliis monasteriis Cassinensibus.*

13 *Concilium Lateranen. sub eodem Gregorio I. circa exemptionem non fuit acceptatum, nec usu receptum.*

14 *Quod comprobatur pariter ex aliis exemptionibus in Gallia pluribus monasteriis concessis & num. seqq.*

16 *Summi Pontifices cessarunt ac se abstinent à concessione dictarum exemptionum præjudicialium potius quàm favorabilium monasteriis*

17 *Exemptiones prædictæ non placuerunt S. Bernardo, prout, nec S. Francisco.*

18 *Exemptionem impetravit frater Elias, carnis potius quàm Divino spiritu ductus.*

19 *Constitutio abrogata vel usu non recepta allegari non potest.*

20 *Monasteria & Monachi in Italia fuerunt Episcopi subjecti.*

21 *Exemptionum privilegia quo tempore per pontifices renovata fuerunt.*

22 *Exemptio præsupponit subjectionem.*

23 *Et concessa Abbati à jurisdictione Episcopi supponit illum in istius diœcesi.*

24 *Non liberat à potestate Papæ, sed ab illa Ordinarii.*

25. *Anastasii Bibliothecarii assertio non est certa circa exemptionem monasterii Sancti Chrisogoni à jurisdictione Cardinalis Titularis*

26 *De opinione Rodriquez circa Regularium exemptionem.*

27 *Ac de illa Tamburini circa eamdem exemtionem.*

28 *Conclusionem textus in cap. nullam 18. quæst. 2. quod Regulares de jure communi exempti sint ab Ordinariorum jurisdictione, declaratur procedere circa ea quæ spectant ad regularem observantiam & n. 30. & 38.*

29 *De opinione fratris Hyacinti Donati circa dictam Regularium exemptionem.*

31 *Refertur opinio Bordoni volentis exemptionem competere Regularibus, quia eorum Privilegia tanquam inserta in corpore juris faciunt jus commune quoad nominatos.*

32 *Sed reprobatur, quia conclusio prædicta locum non habet si privilegum sit insertum in corpore juris per modum privilegii.*

33 *Quomodo probetur dicta Regularium pririlegia esse inserta in corpore juris per modum privilegii.*

34 *Regulares in multis sunt Episcopis subjecti, & eorum privilegiis quotidiè derogatur.*

35 *Refertur opinio Cespedis firmantis contrà communissimam Doctorum opinionem quod Episcopi non habeant jurisdictionem in Regulares nec quoad regularem observantiam & legem diœcesanam, nec quoad jurisdictionem.*

36 *Exemptio in aliquibus, illæsam reddit jurisdictionem Episcoporum in reliquis.*

37 *Exemptioni Regularium à jurisdictione Ordinariorum jus commune non assistit, quinimò resistit.*

39 *Lex diœcesana confundi non debet cum illa jurisdictionis.*

40 *Regulares omnes de jure communi sunt Episcopis subjecti.*

41 *De eadem conclusione de qua num. 5. ut Episcopi ex eodem jure communi intentionem fundatam habeant contrà Regulares.*

42 *Reprobatur opinio Valer. Cespedis & Bordoni de qua n. 31. & 35. & de distinctione ac differentia inter exemptum de jure, & exemptum in jure.*

CONTRA Nostram disceptationem de Jurisdictione, quam habent Eminentissimi Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum scripserunt aliqui Juris Consulti, ac Theologi.

Existimaveram sanè non esse è dignitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis adversus Leguleios, & Theologos in arenam descendere; Dicta enim Theologorum in his, quæ spectant ad Moralem Philosophiam, & decisionem Causarum non sunt attendenda *argum. Tex. in c. 1. in fin. de Consanguinit. & affinitat. Cardinal. Mantica de Tacit. lib. 2. tit. 1. num. 58. Loter. de re benef. lib 3. quæst. 7. à num. 99.* Sed quia de interesse Eminentissimorum Dominorum agitur censui non debere, nec posse pugnam evitare.

Sed ut in hac controversia clarè, & non confusè ut faciunt Adversarii, procedamus, materiam totam in quæstiones dividemus, illasque resolvemus.

Prima erit Quæstio. An exemptioni Regularium assistat Jus commune

Secunda. An vigore exemptionis generalis, qua potiuntur Regulares, Fratres Servorum inservientes Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Via sint exempti à Jurisdictione Cardinalis Titularis in his quæ spectant ad cultum Divinum, & servitium prædictæ Ecclesiæ.

Tertia. An saltem virtute Brevis Leonis X. prædicti Fratres gaudeant prædicta exemptione.

Quarta. An illis assistat Consuetudo immemorabilis deducta *ac. Dilectus de capell. Monach.*

Quinta. An possint se tueri aliqua præscriptione.

Sexta. An de Jure communi habeant Cardinales in suis Titulis Jura Episcopalia; An ex Consuetudine.

Septima, An stante asserta declaratione Gregorii XIII. Cardinales habeant in suis Titulis Jurisdictionem circa ea quæ spectant ad curam Animarū.

Octava. An Cardinales, quoad suos Titulos, & Populum sibi subjectum dici possint, habere Territorium separatum, & exindè potiantur omnibus prærogativis, quæ competunt Episcopis in eorum Diœcesibus.

Nona. An sit derogatum per Bullam Sixti V. & Diploma Cardinalis Titularis exceptioni Fratrum Servorum inservientium dictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Via.

Decima. An necesse fuerit derogare in specie exemptioni dictorum Fratrum, cum tractetur de Jure Tertii.

Undecima. An sit differentia inter Jurisdictionem, quam habent Cardinales Titulares in Ecclesiis suorum Titulorum, & in illam, quam habent Episcopi adversus Regulares in suis Diœcesibus.

PRIMA QUÆSTIO.

AN exemptioni Regularium assistat jus commune. Resolvendum est negativè, jus enim Commune non solum illis assistat sed resistit.

Certissimum est enim, ab initio nascentis Ecclesiæ, quo Monachismus inventus est, teste Cassiano *collat. 18. c. 5.* & ex eo Cardinalis Bellarminus *de Monachis lib. 2. cap. 5. vers. sexto* poederatur quod & Concilium Meldense *can. 9.* affirmat, nempè Ordinem Monasticum à DEO inspiratum ab ipsis Apostolis fundatum & à sanctissimis Patribus excultum, & habetur in Concilio Colonien. *cap. 1. par. 10.* & Monachos, & eorum Monasteria sub Jurisdictione Episcoporum per quinque sæcula absque interruptione fuisse. Omnes enim Basilicæ quæcumque illæ fuissent, potestati, & Jurisdictioni Episcoporum subjacebant. Sic enim statutum fuit in Concilio Aurelianen. *regist. in c. omnes Basilicæ 16. q. 7.* ex quo textu omnes Doctores concludunt, quòd tam Ecclesiæ sæculares, quam Regulares, & monasteria de Jure communi subjacent Jurisdictioni Episcoporum, & Ordinariorum. Quod statuit Concilium Calcedonense *sub Leone I. anno 451. can. 4. regist. à Gratian. in c. Quidam Monachorum 10. 18. quæst. 2.* & in Concilio Aurelianen. 1. *sub Simacho Papa anno 511.* de quo per Gratian. *in c. Abbates 8. eadem causa, & quæst.* & in Concilio Aurelianen 4. *sub Joanne I. anno 524.* de quo per Gratian. *in c. Monasteria 17. eadem causa, & quæst.* & possent allegari hìc infiniti Doctores, sed pro omnibus sufficiat *Fagnanus in c. Nimis prava num. 3. de excess. Prælat.* ubi quod de jure communi Episcopus fundat intentionem super jurisdictione ordinaria, non tantum contra Clericos, sed etiam contra Religiosos suæ Diœcesis, etiam Prædicatores, & Minores. Et ex Regularibus latè *Rodriguez. quæstion. Regular. tom. 2. quæst. 64. artic. 1. Rota in pluribus decis. relat. in decis 238. n. 2. part. 1. recent. & decis. 47 num. 14. post. Tamburin. de Jure Abbat. Idem Tamburin. dicto tract. tom. 3. disp. 5. quæst. 11. num. 1. & 2.*

Durante tamen sæculo quingentesimo exemptiones nonnullis Monasteriis donatæ sunt ab ipsismet Episcopis. Sic enim anno 509. B. Germanus Episcopus Parisien. exemit in aliquibus à potestate Ordinariorum Monasterium S. Vincentii Ordinis S. Benedicti, instante Rege Chidelberto, cujus exemptionis exemplar registratum est à Chopino *in tract. de Jure Cœnobit. lib. 1. tit. 2. nu. 19.* Quam exemptionem confirmatam fuisse à Gregorio I. testatur *Amoyn. rer. Francic. ar. lib. 3. cap. 2.* & ex eo idem *Chopin. loc. cit. Tambur. in d. quæst. 11. num. 10.* & hanc exenptionem fuisse primam testatur idem *Tamburin. loc. cit.*

Eodem sæculo Joannes Papa III. anno 559. Monasterio sancti Medardi apud Successiones Ordinis S. Benedicti amplissimam exemptionem concessit, instante Clotario Rege; hujus exemptionis exemplar refert idem *Chopin. loc. cit.* Et hanc fuisse secundam exemptionem Monachorum visam adstruit idem *Tamburinus loco citato.*

Habito demum Concilio Romano sub Gregorio I. anno 601. exemptio Monachorum ampliata fuit, & tunc fortasse initium habuere hujusmodi exemptiones à Sede Apostolica, ut testatur non minus eruditione, quàm Purpura Eminentissimus Pallavicinus in sua elegantissima Historia Concilii Tridentini, *lib. 8. capit. 17. num. 11. vers. Uno di essi.* Ista verò non fuit exemptio universalis, sed solùm restricta ad certos Monachos Cassinenses, ut dicit idem Eminentissimus *loco cit.* quod innuit *Tamburi*

rin. dusputat. 15. quæst. 11. sub num. 14. vers sicut etiam
10 *Casinensium, & eodem num. 14. in fin.* subjungit, exemptionem universalem Congregationis Cassinensium Monachorum nullam extare ante Eugenium IV.

11 Quod autem exemptio concessa à Concilio Lateranen. sub Gregorio I. fuerit particularis quoad quædam Monasteria Cassinensia, & non universalis, patet ex eo quod si fuisset talis, non oportebat eam petere à Theodoro Pontifice pro Mona-
12 sterio Bobien. anno Domini 643. nec à Zacharia I. pro Monasterio Montis Cassini anno 741. nec à Gregorio III. pro Monasterio S. Petri de Perusio anno 835. nec ab Urbano II. pro Monasterio Caven. anno 1092. nec ab Alexandro III. pro Monasterio S. Mariæ de Florentia anno 1176. nec ab aliis Pontificibus pro aliis Monasteriis ut constat ex Bullis *in Bullar. Casinen. Const. 2, 3 5. 8. 18.* & aliis, & præsertim pro Monasterio S. Pauli de Urbe, quod Innocentius III. anno 1203. Sedi Apostolicæ subiecit *in eodem Bullar. Constit. 12.*

Ex quibus exemptionibus, & præsertim ab illa Innocentii III pro Monasterio S. Pauli de Urbe apparet, Concilium Lateranense non fuisse in hoc usu receptum etiam in ipsa Urbe, cum fuerit ne-
13 cesse per speciale diploma Monasterio prædicto exemptionem concedere, quod negare non potest Passerin. *tom. 3. de Homin. statibus, & officiis quæst. 189 de Profession. art. 10. inspect. 10. sub num. 677. vers. Potuit vero contingere.*

14 Certum est enim in Gallia anno 658. Episcopum Parisien exemptione donasse Monasterium S. Dionisii, Episcopum Ambianensem exemisse Monaste-
15 rium Corbien. anno 664. & Adeodatum Summum Pontificem in fine sui Pontificatus exemptionem concessisse Monasterio S. Martini Turonen. ubi habentur hæc verba.

Parumper autem ambigimus idcirco quod mos, atquetr aditio sanctæ nostræ Ecclesiæ plus non suppetat à Regimine Episcopalis Providentiæ Religiosa loca secernere; Ex quibus verbis Cardinalis Baronius anno 676. qui exemplar indulti affert, hæc habet.

Ex cujus scripto illud sit manifestum jam cessasse
16 Romanos Pontifices ejusmodi Immunitates concedere Monasteriis, cum dicat, Mos atque traditio sanctæ nostræ Ecclesiæ plus non suppetat à Regimine Episcopalis Providentiæ Religiosa loca secernere, id fortasse, quod experimento didicisset, ejusmodi immunitates obfuisse, potius quam profuisse Monasticæ observantiæ,

17 Certè quidem nunquam placuit S Bernardo (quod ex pluribus locis Epistolarum ejus apparet) ut monachi ab Episcopali obedientia hujusmodi Privilegiis se subtraherent, nec grarum fuit sancto
18 Francisco, sed fratres Eliæ hominis, non Divino Spiritu, sed carnis prudentia nitentis, fuit opus, quod repetit *Francesc. de Ecclesiis Cathedral. cap. 3. num. 75.*

19 Non est ergo, cur tanti faciant Theologi Concilium hoc, cum nec usu receptum fuerit, vel saltem more Sedis Apostolicæ abrogatum, ut ex dictis patet. Constitutio enim abrogata, vel
20 non usu recepta allegari non potest. *Rot. coram bo. me. Merlino decis. 461. in fine.* Et propterea successivis temporibus in Italia Monasteria, & Monachos fuisse Episcopis subjectos patet ex *c. Constitutus, & ex c. cum Venerabilis, & ex c. Cum dilectus filius de Religiosis domibus* sub Pontificatu Innocentii III.

Quo autem tempore cœperint de novo Pon- 21
tifices privilegia exemptionum concedere, videndus est *Tamburin. d. disput. 5. quæst. 11. à num. 14. usq; ad. 42.*

Quod verò in Memoriali additionali dicitur, non solùm ponit falcem ad radicem, sed auctoritatem Eminentissimorum Dominorum Cardinalium maximè inservit.

Quia Anastasius, quem sequitur *Baronius anno 741. sub num. 10.* loquitur de Monasterio, non de Ecclesia Tituli, ibi enim dicitur, segregatum videlicet Monasterum à Jure potestatis Presbyteri dicti Tituli; Ergo Cardinalis Titularis habebat potestatem in Ecclesia Tituli; undè si Monasterium non fuisset exemptum, necessario sequebatur, quod deberet subjacere potestati Cardinalis Titularis. Exemptio enim præsupponit subjectionem. *Gregorius XV. decis. 325. Buratt. decis. 578. num. 14. Penia decis. 107. n. 5.* quæ loquitur in terminis de Monasterio. Undè dicimus, quod concessa exemptio Abbati à Ju- 22
risdictione Episcopi, præsupponit Abbatem esse in Diœcesi Episcopi. *Rot. decis. 456. & 491. p. 1. recent.*

Secundo quia ex hac exemptione particulari arguitur, quod tunc temporis Jus non assistebat Monasterio Sancti Crisogoni, ut prætendunt Advertarii; Si enim Jus stetisset & sub generali illa Gregorii I. exemptione Monasterium prædictum esset inclu- 23
sum, frustrà Gregorius III. exemptionem concessisset, ut supradictum est.

Nec declaratio Petri Urbevetani quidquam facit, quia certum est, quod exemptio non liberat à potestate Papæ, sed Ordinarii, quod quidem procedit in re exempta; at hic sumus in Ecclesia non exempta, sed pleno jure subjecta Cardinali Titulari, 24
& propterea benè dicit Petrus, ne quod ideò Monasterium erat exemptum à Cardinali Titulari, ne Monachi duos Abbates haberent. At in casu nostro Monasterium habet suum Superiorem, & Ecclesia 25
Titularem suum, quòd non est inconveniens, ut jam dictum est. Præterea Assertio Anastasii Bibliothecarii non videtur certa. Nam Platina in vita Gregorii Tertii mentionem facit de constructione Monasterii, de exemptione verò altum silentium. Ciacconius pariter de constructione Monasterii neminit, de exemptione nullum verbum.

Sed his relictis videamus, quid in hac quæstione dicant doctissimi Regulares.

Rodriguez *tom. 2. quæstio. Regular. quæst. 2. art. 8.* quærit, an de Jure communi Judex immediatus Re- 26
gularium sit Abbas, vel alius Prælatus, respondet, quod in his, quæ respiciunt Regularem observantiam, Abbas est Superior, secus quoad extranea. Hanc quæstionem latiùs examinat *in quæst. 64. art. 1.* & adducens ea, quæ faciunt pro Abbatibus, dicit illam opinionem non habere solidum fundamentum, & concludit, attento Jure communi, nullum in hac re esse constituendum discrimen inter Clericos Sæculares, & Regulares.

Tamburinus de Jure Abbatum *tom. 1. disp. 15.* 27
quæst. 2. quærit, quo Jure Abbates, Prælati Regulares, & Religiosi sint exempti à Jurisdictione Ordinariorum, & objiciendo, quod videntur exempti de Jure communi per *text. in c. Nullam 18. quæst. 2.* resolvit de Jure communi Monachos esse Episcopo subjectos subjungens, quod nulla extat lex Canonica, per quam rota Jurisdictio in Monachos Abbatibus tribuatur, & Episcopis eximatur.

Nec obstare dictum *c. Nullam*, quia ibi Pontifex 28
loquitur de his, quæ spectant ad Regularem observantiam,

vantiam, & licet ibi dicatur totam potestatem Monasterii ad Abbatem pertinere, non excludit Episcopum, sed Monachos.

29 Frater Hyacinthus Donatus Ordinis Prædicatorum *in praxi rer. Regular. quæst.* 7. quærit. An Regulares possint dici exempti de Jure communi, & respondet, esse exemptos quoad legem Diœcesanam, secus quoad legem Jurisdictionis, à qua non sunt exempti, nisi speciali privilegio sint muniti, sed manent sub Jurisdictione Episcopi, ut ibi *num.* 3. & 5. sequitur opinionem *Rodriguez loco suprà cit.* nempè, quod Regulares, quoad Regularia instituta sunt subjecti Prælato de Jure communi, secus
30 quoad externa. Læzana Ordinis Carmelitanorum *in summa verb. exemptio Regular.* quærit an exemptio Regularium à Jurisdictione Ordinariorum sit de Jure Communi; respondet quod licet videatur de Iure communi comperere per *c. Quam sit necessarium & c. Nullam* 18. *q.* 2. Oppositum tamen dicendum est, residet tamen in opinione eorum, qui dicunt de Iure communi esse exemptos à lege Diœcesana, & quoad ea, quæ spectant ad Regularem observantiam.

Nec Bordonus exadverso allegatus ad rem facit, quia dicit exemptionem competere Regularibus de Iure communi, quia eorum Privilegia inserta sunt in Iure communi, sed valde æquivocatè; Nam licet privilegia inserta in corpore Iuris faciant Ius commune quoad Nominatos, ut voluit *Jo. Andr.*
31 *in c. Ex parte il primo num.* 3. de Decimis, quem sequitur, *Fagnanus in c. His quæ n.* 35. *de Majorit. & Obedient.* Hæc tamen Conclusio non procedit, quãdo Privilegium est insertum in corpore Iuris per
32 modum Privilegii, ut declarat. *Dec. in c.* 1. *in* 2. *lect. n.* 12. *in fin. de Constitut. Jacob. Niger. in repetit. l. Diem functo num.* 17. *ff. de Offic. Assess. Barbos. de Clausul. clausul.* 83. *mun.* 5. Privilegia verò Regu-
33 larium esse inserta in corpore Iuris per modum Privilegii ex eo patet, quia, & quotidiè illis derogatur *ut in c. Volentes de Privil in* 6. Et quia in multis sunt subjecti Episcopis, de quibus latè *Fagnanus in*
34 *c. Grave à num.* 34. *usque ad* 82. *de Offic. Ordinar. Campanil diversi. Juris Rubr.* 12. *cap.* 13. *per tot. Barbos. de potest. Epise. allegat.* 105. *per totam.*

Nec Cespedes dub. 391. Sequendo opinionem
35 Bordoni, immò illam ampliando, dum dicit, quod de Iure communi Episcopus non habet Iurisdictionem in Regulares, nec quoad legem Diœcesanam, nec quoad Iurisdictionem, audiendus est, Tum quia loquitur contra communissimam Doctorum opinionem, de qua *Sanchez lib.* 6. *consilior. cap.* 9. *dub.* 1. Tum quia fundatur *in c. Nimis prava, & nimis iniqua de Excess. Prælat.* in quibus Summi Pontifices in multis, quæ spectant ad legem Iurisdictionis exemerunt ab Episcopis Regulares. Non enim videt ille, quod si in multis per modum
36 Privilegii exemerunt, in reliquis remanet illæsa Iurisdictio Episcoporum, quæ de jure communi illis competit, sic in puncto *Fagnanus in d. c. Nimis prava num.* 3. *de Exces. Prælat.* quod patet in *c. Cum Venirabilis de Religios. domib.* & tenent *in d. c. Nimis prava. Innocent. Hostien. Abbas. Marian. Soccin. à Fagnan. allegat. Lotter. de re benef. lib.* 1. *quæst.* 24. *n.* 96. *Rota decis.* 520. *num.* 2. *par.* 5. *recent. France. d. t.* 30. *num.* 118.

37 Sed in re clarissima divagati sumus præter necessitatem. Concludendum igitur est, Ius commune non assistere Regularibus in exemptione prætensa à Iurisdictione Ordinariorum, & si ali-
38 quid habent à jure communi, habent exemptionem à lege Diœcensana, quam qui negant, vel confundunt cum lege jurisdictionis, nil aliud fa-
39 ciunt, nisi se opponere, nedum modernis, verùm etiam antiquis Canonibus, à quibus recedere nihil aliud est, quam per viam distortam incedere *can.* 1. *& 2. distinct.* 3. *bene Lotter. de re benef. lib.* 1. *qu.* 21. *n.* 45.

Sed post hæc scripta inveni doctissimum Episcopum Barbastren. in suo Pastorali Regula-
40 rium latissimè hanc quæstionem pertractantem *par.* 2. *quæst.* 2. *à num.* 8. usque ad finem capituli, ubi l. tè probat omnes regulares fuisse de jure communi subjectos Episcopis, & habere contra Abbates, & Re-
41 gulares intentionem fundatam ex eodem Iure communi, suamque opinionem confirmat ex *decis.* 78. *par.* 1. *diversor. & decis* 15. *par.* 1. *in recent.* in quibus disputato articulo, Rota firmavit hanc opinionem, respondetque contrariis, *& loc. cit.* Episcopus reprobat Valer Cespedes, & Bordon. exa-
verso allegatos, dicitque aliud esse exemptum de
42 Iure, aliud esse exemptum in jure; nam exemptio de Iure, debet esse omnimoda absque alia limitatione, exemptio verò in Iure est illa, quæ est limitata ad casus expressos in eo, qualis est exemptio Regularium, qui auctor videndus est, nam doctissimè discutit, & resolvit hanc quæstionem; sed ad secundam quæstionem properemus.

SVMMARIVM

Secundæ Quæstionis.

1 *FRatres servorum Titulari Ecclesiæ inservientes, ibique degentes de jure communi in iis, quæ spectant ad servitium dictæ Ecclesiæ exempti non sunt à jurisdictione Cardinalis Titularis.*

2 *Conclusio de qua* tex. in cap. volentes §. in eos de privileg. in 6. *quod privilegium exemptivum Regularibus concessum, tanquam in corpore juris insertum facit jus commune, declaratur ut non procedat in iis, quæ sunt inserta in corpor. juris per modum privilegii.*

3 *De privilegio personis concesso non operante effectum, si persona ratione rei coharentis excludatur à privilegio.*

4 *Exempti ratione ejusdem privilegii de quo num.* 2. *subsunt loci Ordinario, si in istius Diœcesi morantur, vel ibi ad regimen Ecclesiæ non exemptæ assumuntur.*

5 *Quod ampliatur procedere etiamsi exemptio sit plenissima, & ordini concessa, cum declaratione, quod dictum c. volentes nullum generet præjudicium.*

6 *Exemptio generalis concessa Servorum Ordini quantumvis ampla, non suffragatur quoad fratres Ecclesiæ titulari inservientes, vel ibi degentes.*

7 *Exemptus quis pro parte esse potest, & pro parte subjectus.*

8 *Reprobatur opinio volentium Regulares vigore* dicti cap. volentes de privileg. in 6. *habere simplicem exemptionem personalem, & firmatur dispositionem* dicti tex. *habere locum etiam in exemptione mixta, ratione scilicet loci & personæ.*

9 *Imo quod dispositio* tex. in d. cap. volentes *habet etiam locum in exemptione personali.*

10 *Dispositioni* dicti cap. volentes *derogatur per privilegia Regularium.*

11 *Declaratur, in quibus casibus extendatur derogatio prædicta.*

12 *De-*

12 *Derogatio debet esse specifica* ad §. in eos d. cap. volentes, *cum possit quis ratione certæ rei esse exemptus, ratione verò alterius rei, seù loci subjectus.*

13 *Una & eadem res vel persona in hac materia diversis respectibus potest diverso jure censeri.*

14 *Ex quibus causis Regulares exempti à Jurisdictione ordinarii eidem subjiciuntur, Et an si obtineant beneficia Ordinario subjecta.*

15 *Clerici appellatione de jure communi veniunt Regulares Ecclesiis titularibus Cardinalium inservientes & n.* 18.

16 *Ac idem pariformiter determinant Summi Pontifices erga clericos ac Regulares.*

17 *De eadem conclusione de qua nu.* 16. *& quod favorabilis, non odiosa dicatur reductio ad jus commune.*

18 *Favorabilis, an sit materia, vel odiosa arguitur à ratione prohemiali, & à Papæ, ac alterius disponentis voluntate, an principaliter directa sit favori vel odio, & n. sequenti.*

19 *Erectio Ecclesiam titulum est favorabilis prout est omne id, quod in Ecclesia utilitatem statuitur per Summos Pontifices.*

20 *Cardinales sunt pars corporis Papa S. R. E. Filii, ac præcipui Summi Pontificis Consiliarii.*

21 *Papa sicut exemptionem Regularibus concedere potest, ita & tollere quamvis concessam titulo oneroso.*

22 *Clausula dici non potest apposita in parte executiva, Si apposita sit immediatè post perfectam orationẽ.*

23 *Fratres Servorum Ecclesiæ S. Mariæ in via inservientes parere, ac obedientiam præstare debent ejusdem Cardinali Titulari, & in quo consistat obedientia prædicta.*

SECUNDA QUÆSTIO.

AN virtute exemptionis Generalis, qua potiuntur Regulares; Fratres Servorum inservientes Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Via sint exempti à Jurisdictione Cardinalis Titularis in his, quæ spectant ad Cultum Divinum, & servitium Ecclesiæ prædictæ.

Et respondendum est negativè per Textum expressum *in c. Volentes* §. *in eos de Privileg. in* 6. Ibi enim Innocentius IV. in Concilio Lugdunen. statuit, 1
quod exempti, sive Monachi, sive Religiosi, qui Privilegium habent, ne possint suspendi, interdici, vel excommunicari, eis non suffragatur, si ad Monasterium suorum Prioratuum Ordinario subjectum fuerint destinati, ut vel gerant eorum regimen, vel in eis tanquam proprii locorum ipsorum Monachi resideant, iis enim casibus non sunt à jurisdictione ordinaria exempti, *ubi Hostien. num.* 1. *dicit.* Nisi ad Ecclesias, quæ subsunt Ordinariis tanquam Priores, vel Monachi transmittantur; Tunc enim quamdiù ibi moram traxerint, ipsis Ordinariis subjacere noscuntur. 2

Idem voluit Geminianus *ibi n.* 3. ubi, quod Privilegium indultum personis, non operatur effectum, si persona ratione rei cohærentis excludatur à Privilegio, *& n.* 4. subjungit quod si concedatur Privilegium 3
Personis, ubicunque sint, si posteà acquirant rem non privilegiatam, non gaudent privilegio respectu illius rei. Idem tenet *Franch. nu.* 2. sed clarius *Anchar. nu.* 6. ubi ait. Nota quod exempti subsunt Ordinario loci, 4
si in ejus Diœcesi assumantur ad Regimen Ecclesiæ non exemptæ, vel ibi resideant, hos omnes sequitur *Barbos. ad d.* §. *in eos num.* 5. ubi dicit, quod privilegium habentes ne interdici, suspendi, vel excommunicari possint ab Ordinario, ut sunt multi Religiosi, in quorum Privilegiis ponitur, ne suorum Monasteriorum Monachi excommunicentur: Si prædicti Monachi habitent in Prioratibus subditis Ordinariis Locorũ, & ibi regant, vel resideant, possunt interdici, suspendi, & excommunicari ab Ordinariis, dum ibi morantur. Idem tenet *Federic. de Senis cons.* 19. *in fin.* quem sequitur *Tusc. litt. E. conclus.* 565. *numer.* 8 *& num.* 10. dicit hoc procedere etiamsi exemptio sit plenissima, & concessa Ordini, etiamsi sit post *d. c.* confirmata cum declaratione, quod *d. c.* 1. nullum generet 5
præjudicium tali exemptioni *per cons. Geminiani* 72. *toto nu.* 1. *Cocchier. de Jurisdictione in exemptos par.* 5. *quæst.* 14. *n.* 8. & prius *par.* 2. *quæst.* 45. *nu.* 6. *Navarr. cons.* 19. *nu.* 9. *de Cleric. non resid. Capic. decis.* 59. *in fine, latissimè Salgad. de supplicatione ad Sanctiss par.* 2. *quæst.* 45. *num.* 6. *Navarr. cons.* 19. *num.* 9. *de Cleric. non resid. Capic. decis.* 59. *in fine, latissimè Salgad. de supplicatione ad Sanctiss. par.* 2 *cap.* 15. *n.* 10. *Frances. in Pastoral. Regular. qu.* 21. *n.* 31. *Campanil. divers. Juris rub.* 12. *cap.* 13. *nu.* 31. *vers. Quid in Monasterio*, & plenius *num.* 116. *vers. Insuper.*, sed pro omnibus *Fagnan. in c. Quoniam n.* 2. *&* 3. ubi multa Jura concordantia adducit *de Privileg.* & Rota plenissimè *decis.* 165. *à n.* 2. *usque ad* 38. *p.* 7. *recent.*

Cum ergo Fratres degentes in Conventu S. Mariæ in Via sint destinati ad inserviendum dictæ Ecclesiæ Cardinali Titulari subjectæ, nullo modo potest illis 6
suffragari exemptio generalis concessa Fratribus, & Ordini Sanctæ Mariæ Servorum, quantumvis sit exemptio plena, & plenissima, ut dicit *Geminian. d. cons.* 72. cui consilio ferè omnes Doctores Bononienses subscripserunt, ut notat *Fagnan. in c. Ex parte n.* 45. *de Privileg. Rota decis.* 165. *n.* 2.

Et ratio est, quia quis potest esse pro parte exemptus, & pro parte subjectus, *Franch. in c. Si Papa* §. 1. *n.* 2. *de Privileg. in* 6. *Frances. in d. Pastoral. Regular.* 7
loc. cit. n. 31. *vers. Quia. Cocchier d. quæst.* 45. *n.* 6. *Salgad. loc. cit. n.* 44.

Non obstat, quod *d. c.* Volentes non procedat, nisi quando exemptio est ratione loci, non autem quando est Personalis, qualem habent hodiè omnes Religiosi, quia hæc distinctio fuit reprobata à Rota *in Baren. Jurisdictionis* 20. *Maii* 1603. *seu* 1613. juxtà emen- 8
dationem factam à Cantalmagio in suo repertorio Decisionum coram *Card. Verospio seniore regist. post Marchesan. de Commission. par.* 1. *pag.* 1069. *nu.* 3. *vers. Verum nec relevat*, ubi quod dispositio *d. c. Volentes* procedit in quacunque exemptione, & asserit, ita pluries resolvisse Sac. Congregationem Concilii, quod sequitur eadem Rota *in d. decis.* 165. *num.* 7. *part.* 7. *recen.*

Sed quatenus dispositio *d. c. Volentes* non haberet locum in exemptione Personali, non suffragaretur dictis Fratribus Servorum, qui non habent exemptionem simpliciter Personalem, sed mixtam, ut in puncto resolvit *Fagnan. in c. Ex parte num.* 49. *de Privileg.* ubi quod *c. Volentes* loquitur de exemptionibus mixtis, ideſt concessis loco, & Personis simul, quales sunt exemptiones Regularium; Nam isti habent exemptionem Personæ respectu Monasterii, ut notat *Fagnanus in c. Tuarum n.* 6. *de privileg.*

Ultra quod si essemus in exemptione simpliciter Personali, nihilominus haberet locum limitatio apposita *in dicto* §. *in eos*, quia ibi loquitur Summus Pontifex de exemptione Personali, ut notat ibi *Geminian. n.* 9
3. Et propterea cum Fratres Servorum inserviant Ecclesiæ subjectæ Cardinali Titulari, quamvis eorum exemptio sit personalis, nihilominùs ea juvare se non possunt obstante dispositione dicti Textus.

Non obstat quod per Privilegia Regularium sit derogatum *d. c. Volentes*, quia etsi in Privilegiis multotum Regularium, & in specie Fratrum Servorum 10
habeatur derogatio ad *d. c. Volentes*, ut notat *Fagnanus in d. cap. Tuarum de Privileg. sub numer.* 19. *vers.*

11 *Similiter Fratres.* Advertendum tamen est, illam derogationem comprehendere solummodò illos tres Casus, nempè, Delicti, Contractus, ac Rei sitæ, non autem comprehendere dispositionem *d. §. in eos*, quæ habet specialem rationem, scilicet Regiminis, Administrationis, & Residentiæ in loco ordinario subjecto, & propterea nisi ostendatur derogatio specifica dispositioni prædicti §. non cadit sub illa generali illorum trium casuum, in quibus adest diversa ratio, cum unus possit esse exemptus ratione certæ rei, vel loci, & subjectus ratione alterius rei, vel loci, *c. Cum Cappella de Privileg.* ubi notat *Io Andr. Butr. & Cardinalis*, quod quis potest esse subjectus ratione Beneficii, qui ratione alterius censetur exemptus. *Fagnanus ibidem in princ.* in hac enim materia una, & eadem res vel Persona diversis respectibus potest diverso Jure censeri *c. Cum olim de re judic. c. ex Literis de Probat.* cum aliis per *Fagnan. in d. c. Cum Cappella n. 13.* Et ita in puncto tenet idem *Fagnanus in c. Ex parte n. 52. de Privileg.* Ubi quod si exempti specialiter ratione delicti, Contractus, ac rei sitæ obtineant beneficia Ordinariis subjecta, eorumdem beneficiorum ratione Ordinariorum Jurisdictioni declarantur esse subjecti, & confirmat exemplo Regularium, qui accipiunt executionem ultimæ voluntatis, & administrationem Hospitalium, & Confraternitatum, ait enim esse subjectos, quoad eam executionem, & administrationem Ordinario, non obstante quacunque exemptione, & sic declaratum fuisse à sacra Congregatione Concilii *Frances in Pastoral. d. quæst. 31. n. 31. vers. Idem repetit Cocchier.*

12 13 14

Cum assistentia juris concurrit facultas, & potestas data à Sixto V. *in sua Constit. 55. de præsinit. Titulor.* in Clerum, & Populum dictis Titulis subjectos. Nec est ambigendum appellatione Cleri comprehendi Regulares inservientes Ecclesiis Cardinalium Titularibus, quia sic subjecta materia postulat, quæ est attendenda *Felin. in c. Licet num. 9. in fin. de Offic. ordin.* in puncto *Antonin. variar. lib. 1. resol. sin. cas. 50. vers. Primo, quia in d. Constit. Turrecrem. in c. Si quis, nu. 2. & ibi Præposit. n. 2. vers. potest responderi, distinct. 58.*

15

Quod autem materia subjecta sic postulet ex eo convincitur, quia Summi Pontifices, dum concedunt Ecclesias sæculares pro Titulo Cardinalium, quibus inserviunt Canonici, & Presbyteri sæculares mandant Canonicis, & Capitulo, & aliis Presbyteris ratione dictarum Ecclesiarum subditis, ut dicto Cardinali pareant, & obediant. Ubi non sunt Canonici, mandant quibusvis Personis ratione dictarum Ecclesiarum subjectis, ut ex Bullis Titulorum sancti Marci, sanctorum Quirici, & Julitæ, sancti Joannis ante portam Latinam, & in aliis similibus; quando verò concedunt Ecclesias in Titulum, quibus inserviunt Regulares, mandant Guardiano, & Fratribus Domus Regularis, vel Superiori, & Conventui, ut pareant, & obediant, &c. ut patet ex Bulla Diaconiæ sancti Georgii in Velabro, Tituli sanctæ Mariæ in Via, & aliis similibus, ex quo manifestè insurgit, Summos Pontifices Clericos sæculares, ac Regulares pariformiter in subjectione determinare.

16

Et propterea licèt Sixtus V. solùm mentionem fecerit de Clericis, subjecta materia exigit, ut etiam de Regularibus debeat intelligi, ut benè *Felin. loc. cit. Anton. loc. cit.* Præsertim quia sumus in materia favorabili, non odiosa; Nam ex quo Ecclesia sanctæ Mariæ in Via est subjecta pleno Jure Cardinali Titulari, res est reversa ad primævum Statum, hoc est ad jus commune, quo Regulares inservientes dictæ Ecclesiæ subjecti sunt Ordinario *l. si unus §. Pactus ne peteret in fin. ff. de Pact. Gloss. in c. 3. in verb. Numerandum de præben. in 6. Felin. in cap. Cum accessissent nu. 5. 6. & 30. de Constitut. Rot. decis. 457. par. 1. divers. Gonzalez ad Reg. 8. §. 1. Prohem. nu. 47. & rursus §. 6. nu. 28. & 30.* ubi quod ad cognoscendum, An materia sit favorabilis, vel odiosa, est inspicienda ratio prohemialis, & *num. 31.* ait, quod si legislator principaliter est motus ob favorem, actus est favorabilis, licèt secundariò redundet in odium alterius. Rota *dicta decis. 437. nu. 1. & 2.*

17 18

Quod autem erectio Ecclesiæ in Titulum Cardinalitium sit favorabilis non solum ipsismet Cardinalibus, sed & Ecclesiis Titularibus, patet ex verbis Bullæ Sixti V. §. 1. *vers. Nos antiquæ pietatis, & §. 12. vers. Sic igitur.* Ea enim, quæ ibi statuit Summus Pontifex tendunt in utilitatem dictæ Ecclesiæ, & propterea materia est favorabilis. *Abb. in c. Nihil in princ. de elect. Caputaquen. decis. 215. n. 6. & 202. n. 4. lib. 3. Gonzalez d. §. 6. num. 34.*

19

Eò maximè, quia assignatæ sunt Ecclesiæ Titulares Eminentissimis Cardinalibus, qui dicuntur Pars Corporis Papæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Filii in Apostolici muneris functione, atq; in universæ Reipublicæ Christiana administratione præcipui Summi Pontificis Consiliarii, ut ait idem Sixtus V. *d. Constit. §. 1. vers. Quod quidem*; nec datæ illis, de quibus Io. Monachus *in c. Cum ex eo num. 1.* & ibi Probus ante *num. 2. de Elect. in 6. relat. à Gonzalez d. §. 6. Prohem. num. 33.*

20

Sed quicquid sit, an actus sit favorabilis, vel odiosus, sumus extra difficultatem, quia expressè Summus Pontifex mandat Superiori, & Conventui sanctæ Mariæ in Via, ut pareant, & obediant Titulari, quo casu sicuti Papa potest concedere exemptionem, ita illam tollere potest, cum hoc resideat in ejus arbitrio, *Cocchier. de Jurisdict. in exemp. par. 3. quæst. 1. nnmer. 1. 2. & 3.*

21

Et quod Papa quotidiè tollat exemptiones Regularium testatur & ipsa praxis, quamvis titulo onoroso concessæ prætendantur. Alviset. in Murenula aurea *sect. 1. c. 8. §. 2. art. 1. n. 35.*

Vanum est autem dicere, quod mandatum factum à S. mem. Innocentio X. Superiori, & Conventui sanctæ Mariæ in Via, ut obediant Cardinali Titulari, sit in parte executiva Diplomatis; Illud enim esse in parte dispositiva, & substantiali apertè patet ex lectura ipsius Diplomatis; Nam Summus Pontifex committendo Regimen, administrationem, & curam dictæ Ecclesiæ sancta Mariæ in Via Cardinali Titulari, cui Ecclesiæ inserviebant Fratres Servorum in necessariam consequentiam, eorum obedientia erga Titularem requirebatur. Et propterea dictum mandatum non respicit executionem extrinsecam, sed intrinsecam, & substantialem *Rota decis. 642. nu. 6. & 7. part. 1. in recent.* sed melius *in decis. 286. num. 7. vers. Sed negabant. par. 3. recent.* ubi quod non dicitur clausula posita in executivis, quando est posita immediatè post perfectam dispositionem ut in casu nostro, & in aliis decisionibus relatis à Marta *de Clausul. p. 4. clausul. 20. Gratian. discept. 609. à n. 8.*

22

Nec facit ad rem intellectus datus ex adverso dictæ clausulæ, scilicèt, quod Fratres non impediant Cardinalem Titularem in exercitio jurisdictionis, quæ illi competit in dicta Ecclesia, non autem adversus illos. Quia Innocentius X. non dicit, quod non impediant, sed quod obediant, & pareant; Nullo enim casu possunt dicti Fratres impedire Cardinalem Titularem, ne exerceat omnimodam jurisdictionem in Ecclesia prædicta sibi pleno jure subjecta, sed debet intelligi, ut Fratres obedientiam præstent Titulari in his quæ spectant ad cultum Divinum, & servitium Ecclesiæ,

23

Ecclesiæ, cui sunt addicti, quæ obedientia debet esse perfecta, & pura ab omni fæce imperfectionis, ut est illa, de qua in *Gloss. distinct. 93.* quæ consistit in tribus, nempè in exhibendo reverentiam, mandato suscipiendo, & judicium subeundo, ut notat *Geminian. d. distinct. 93. in princip.* & habetur *in c. 3. & in c. Illud, & in c. His quæ de Majorit. & Obedient.* cum aliis per Benedictum Pereyram in sua *Academia* sivè *Repub. Literaria lib. 5. tit. de Rectore n. 713. & 715.*

Ex his remanet absoluta secunda quæstio.

SVMMARIVM
Tertiæ Quæstionis.

1 *Breve Leonis X. Fratribus Servorum concessum evanuit, ac Ecclesiæ sanctæ Mariæ in Via status est immutatus per erectionem in titulum, & num. 4.*

2 *Tituli Cardinalitii dicuntur vacare, ac unio facta per Leonem X. Conventui Fratrum Servorum extincta & de unita effecta est collativa & vacabilis.*

3 *Erectio Ecclesiæ in Titulum dicitur novum corpus cum novo Præsule, ideoq; male infertur de corpore antiquo ad novum, ne detur monstrum quod in una Ecclesia adsint duo sponsi.*

5 *Conclusio quod erectio in titulum censetur facta sine præjudicio tertii quomodo intelligenda, & nu. 6.*

7 *Declaratur in quibus titulis Constitutio Sixti V. de Titulorum præfinitione præservet jus tertii.*

8 *Eadam Sixtina Constitutio, an deroget aliis Constitutionibus Apostolicis circà privilegia Regularium*

TERTIA QUÆSTIO.

AN saltèm vigore Brevis Leonis X. qui concessit dictam Ecclesiam Fratribus, illam subtrahendo à jurisdictione Cardinalis Titularis sancti Marcelli possint dicti Fratres privilegio prædicto se tueri.

Et negativè pariter est resolvendum, quia dicta Ecclesia post Concessionem Leonis X. erecta fuit in Titulum Cardinalitium à Julio III. & propterea Concessio Leonis evanuit; Tùm quia immutatus est dictæ Ecclesiæ status, de Regulari enim effecta fuit sæcularis, undè immutatum est jus prius, & illius effectus. *Seraphin decis. 1445. n. 7. Penia decis. 1058. n. 11.* ubi de simili Privilegio Leonis X. 1

Tùm quia de unita facta fuit collativa, & Vacabilis, Tituli enim Cardinalitii dicuntur vacare, *Butr. in c. His quæ in 1. notab. & ibi Fagnanus n. 27.* Et ideò extincta fuit unio dictæ Ecclesiæ per Leonem X. facta dicto Conventui Fratrum Servorum. Greg. XV. *decis. 77. n. 3.* Nihil enim tam repugnat unioni, quàm status collativus. Gregorius XV. *decis. 112. nu. 3. Tondut. allegat. Canonic. tom. 2. par. 3. cap. 156. n. 9.* & per consequens dicta Ecclesia non potest dici amplius de Mensa Conventus *c. Cùm accessissent de Constit. Clementin. unic. §. Quidam etiam,* & ibi *Vitalin. nu. 82. de Excessib. Prælat.* 2

Tùm quia per erectionem dictæ Ecclesiæ in Titulum Cardinalitium formatum est novum corpus cum novo Præsule; Ideò dictum Breve Leonis dictis fratribus suffragari nequit. *Hostien. in c. cum inferior nu. 12.* & ibi, *Io. Andr. Gloss. 3. ad fin. Cardinal. nu. 1. quæst. 10. Butr. n. 12. Bellemer. n. 8. de majorit. & Obed.* quos refert, & sequitur *Rota decis. 313. n. 4. par. 4. recent.* ubi *n. 3.* dicit, quod malè infertur de corpore antiquo ad novum, Esset enim Monstrum, quod in una Ecclesia sint duo capita *Rot. decis. 54 post Tamburinum de jur. Abbatum tom. 3.* 3

Et proindè cum dicta Ecclesia quæ priùs unita erat Conventui, & Regularis existebat, per erectionem *Card. de Luca de jurisdict. & foro compet.* in Titulum effecta fuerit vacabilis, & sæcularis, Breve Leonis, & Privilegia priori illi statui concessa non possunt fratribus ampliùs suffragari *Gratian. discept. 458. n. 9. 10. & 11. Rota d. decis. 313. n. 5. in fine.* 4

Non obstat, quod dicta erectio intelligatur facta sine præjudicio Tertii, tam de Jure, quàm ex Constitutione Sixti V. §. 10. quia quod attinet ad jus commune, jam dictum fuit in disceptatione *nu. 83.* quod dicta clausula intelligitur de alio præjudicio, quàm de expresso. 5

Ulteriùs dicimus, quod debet intelligi de præservatione juris compatibilis cum erectione, non autem de compatibili, & continente manifestam contradictionem, quale esset si post erectionem duraret adhuc concessio Leonis, *Seraph. decis. 1445. nu. 4. & 5. Adden. ad Buratt. decis. 576. num. 13. & ad dec. 2. n. 286. & seq. par. 3. rec.* 6

Constitutio autem Sixti V. non solùm non prodest fratribus sed omninò nocet, Nam distinguendum est inter Ecclesias Titulares antiquas, & de novo erectas, Quoad antiquas nullum fuit præservatum jus tertii, sed simpliciter in decem de novo ab ipso Pontifice erectis, ut habetur disertis verbis in dicta Constitutione §. 10. Et propterea quicquid sit de novis Titulis, certè quoad Ecclesiam S. Mariæ in Via, quæ est de antiquis, si non de antiquissimis clausula illa non porrigitur, ut in puncto *Pasqualig. in quæst. moral. jurid. qu. 127.* per totam, & præsertim *n. 8.* Quæ Constitutio Sixtina cum in §. 11. verbis rotundis deroget Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum supradictarum, & aliarum quarumcumque, nec non ordinum, Juramento Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, ac litteris Apostolicis, illis, ac quibusvis aliis Personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, omnem tollit difficultatem, quia ut videbimus in quæstione nona, prædicta Derogatio sic amplissimis, & expressis verbis facta tollit omnia, quæ in contrarium adducuntur. 8

SVMMARIVM
Quartæ Quæstionis.

1 *Consuetudo quod Monasterium non sit subjectum titulo Cardinalis debet aliundè probari quàm partis assertione.*

2 *Pontificis assertio non probat consuetudinem negativam Titularium.*

3 *Pontificis enunciativa non emanata motu proprio, & circà factum alienum non probat, præcipuè stante tertii præjudicio.*

4 *Ecclesia non venit appellatione monasterii nisi sit incorporata eidem Monasterio tanquam pars integralis.*

5 *Consuetudo negativa Titularium etiam in futurum sublata per constitutionem Sixti V. & per diplomata Titulorum cum decreto irritanti.*

QUARTA QUÆSTIO.

AN fratribus Servorum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Via infervientibus asistat prætensa consuetudo deducta ex *c. Dilectus de Cappellis Monach.*

Et negativè est resolvendum; Nam ultra responsiones datas in *discept. à nu. 105.* quæ non benè evacuantur ab Adversariis dicimus ex eo Textu non probari assertam consuetudinem. Quia illa verba, & generaliter servatur in Urbe, ut nullum Monasterium Titulo sit subjectum, non sunt Verba Pontificis, sed partis litigantis, cujus assertioni non statur, sed debet 1

bet consuetudo aliunde probari ab illo, qui illam allegat, *Dec. cons. 402. n. 11. Pacian. de probat. lib. 2. cap. 27. n. 14. Rota in plurib. Decision. relat. in decis. 15. n. 21. par. 11. recent.*

Immò si essent verba Pontificis, assertam consuetudinem non comprobarent, ut in puncto de subjectione dixit *Rota decis. 239. n. 18. part. 8. recent.* 2

Verba enim enunciativa Papæ, cum non sint emanata motu proprio, nec contineant factum proprium, non probant enunciatum. *Clement. fin. de sent. Excomm. Paris. cons. 128. num. 22. lib. 4.* cum aliis per *Rotam decis. 197. nu. 70. & 71. par. 5. recen.* Et præsertim cum concernerent interesse partis. *Caputaq. decis. 337. n. 5. part. 3. Rota decis. 147. n. 72.* 3

Sed quod tollit omnem difficultatem est, quod Papa, non obstante allegata prætensa consuetudine pro parte Ecclesiæ Sancti Laurentii in Piscinula, tulit sententiam assertæ consuetudini contrariam; condemnavit enim dictam Ecclesiam Sancti Laurentii, quæ erat Monasterium Monialium ad recognoscendum Ecclesiam Sanctæ Cæciliæ Titularem in Baptismo, & Scrutinio, ut patet ex Textu. Ibi, Nos igitur, auditis propositis, Oeconomũ Sancti Laurentii Sindico vestro condemnamus in Baptismo, & Scrutinio.

Sed quicquid sit etiam quod per prædictam assertam consuetudinem exemptum fuisset Monasterium à Jurisdictione Cardinalis Titularis, nihil ad rem nostram, cum hodie non tractetur de acquirenda jurisdictione in Monasterium, sed de ea conservanda in Ecclesia à Monasterio separata, & sejuncta, quæ appellatio Monasterii non continetur *Gloss. not. in Clement. 1. verb. Monasteriis de Elect. Duran. decis. 92. n. 12.* 4

Nam tunc appellatione Monasterii venit Ecclesia, si incorporata sit Monasterio & sit pars integralis Monasterii, ut dicunt Doctores allegati ab Adversariis.

Et propterea cum Ecclesia S. Mariæ in Via non sit incorporata Conventui, sed tanquam membrum separatum sit pleno jure subjectum Cardinali Titulari, non cadit sub exemptione Monasterii *Ubald. de Can. Episc. c. 4. quæst 8. n. 2. & 3. Gratian. discept. 282. n. 39.*

Cæterum licet hæc asserta Consuetudo posset sustineri, nihilominus per Constitutionem Sixti V. & per diplomata Titulorum fuit sublata, quæ, cum habeant Decretum irritans, inficiunt omnem contrariam consuetudinem, non tantum præteritam, sed etiam futuram, *Felin. in c. Cum accessissent de Constitut. vers. quarto limita. Ruin. cons. 13. n. 13. lib. 2.* cum aliis per *Roias decis. 31. n. 24.* 5

SUMMARIUM
Quintæ Quæstionis.

1 *Præscriptio, subditio adversus superiorem non currit, & n. 7. ubi de ratione.*

2 *Et si Detur, an quoad jura Episcopalia, & de ratione ob quam non intret quoad reverentiam & obedientiam.*

3 *Non datur ubi ex ea sequeretur absurdum, & nu. 4. ubi neque ex immemorabili.*

5 *Abbati datur adversus Episcopalem jurisdictionem ex Papæ privilegio.*

6 *Item præscribere potest Abbas aliqua jura Episcopalia ubi Cappellas habet sibi subjectas.*

8 *Interrumpitur præscriptio Jurisdictionis Titularis ex nova vacatione ac Titulorum provisione adversus quamcumque consuetudinem & contrarium usum.*

QUINTA QUÆSTIO.

AN fratres Servorum inservientes Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Via possint se tueri aliqua præscriptione adversus Jurisdictionem Cardinalis Titularis. Pariter est negativè resolvenda.

Firmato enim, quod dicti fratres subditi sint Cardinali Titulari, nec juvari possint aliqua exemptione, inanis est exceptio præscriptionis, cum subditus adversus Superiorem non præscribat; Textus est rotundus in *c. Cum liceat de Præscription.* ubi Summus Pontifex mandat Prioribus, Monasteriis de Costa, & de Donato, quod reverentiam, & obedientiam exhibeant Archiepiscopo Bracharen, præscriptione temporis non obstante, eo quod nonnullæ Ecclesiæ dictorum Monasteriorum erant in Diœcesi dicti Archiepiscopi, & ibi *Gloss. in verb. Non obstante*, enumerat casus, in quibus subditi non possunt præscribere contra Superiorem. 1

Nullam autem aliam jurisdictionem prætendimus, nec prætendunt Cardinales Titulares, quàm obedientiam, & reverentiam à fratribus inservientibus Titulis in his, quæ spectant ad cultum, & servitium Ecclesiarum Titularium.

Non obstat, quod Jura Episcopalia possint præscribi, quia non negamus, aliqua Jura Episcopalia posse præscribi, sed nullo modo obedientiam, & reverentiam, quæ si possent præscribi, & juri publico nocerent, & confusionem parerent *argum. l. ultima ff. de usuc.* cum aliis per *Barbos. d. c. Cum non liceat nu. 3. vers. ex hoc Textu.* 2

Nocerent autem Juri publico, si posset præscribi obedientia, quia jus publicum consistit in obedientia subditorum *c. ult. verb. Obedientia, 18. q. 1.* Confusionem & inordinationem pareret, si obedientia præscriberetur, quia membrum suo capiti non obtemperaret. *Barbos. loc. cit. & Fermos. in d. c. Cum non liceat n. 6.*

Fingamus ergo, quod Cardinalis Titularis per se, vel per suum Vicarium mandet Parocho, ut visitet infirmos, non sit negligens in administratione Sacramentorum, ut Concubinarios expellat, vel separet, & quid simile. Sacristæ, ut reddat rationem redditum Sacrarii ad Ecclesiam spectantem. Oeconomo, vel Sindico, de redditibus Ecclesiæ. Confessariis, ut sint solliciti in audiendis Confessionibus. Concionatori, ut Conciones habeat statis diebus, Generalis autem id omninò prohibeat, vel sua auctoritate ea mandet fieri, spreta illa Cardinalis Titularis sicut sprevit. Quis unquam sanæ mentis dicere poterit ea facere potuisse sub prætextu, quod præscripserit adversus obedientiam debitam Cardinali Titulari? Nonne ex his actibus erit turbatum Bonum publicum, & omnia ad confusionem, & perturbationnem redacta? Et hoc est illud monstrum, quod daretur, si in ea Ecclesia veluti in uno Corpore essent duo Capita, quod non solùm Jus respuit, sed Natura abhorret; Unum enim scilicet Caput Auctoritate ordinaria, alterum consuetudine vel præscriptione. *Hostien. in c. Cum contingat num. 1. de foro compet. & in c. Quoniam num. 2. de offic. ordin.* Dari enim non potest consuetudo, vel præscriptio, quod faciat possibilia hujusmodi duo capita in eadem Ecclesia, ut notat *Butr. in d. c. Cum contingat nu. 11. Bellam. nu. 15.* Quia esset consuetudo, & præscriptio irrationabilis circa ea, quæ nec consuetudine immemorabili præscribi possunt. *Gabriel de Præscript. conclus 1. num. 8. & 36.* & ita doctissimè ratiocinatur, & resolvit Rota omninò viden. in Constantien. Jurisdictionis coram Ortenbergo *regist. post 3. volum. Tamburin. de Iur. Abb. in ord. 55. n. 13. usq; ad 17.* 3

Non obstat *Text. in c. Cum olim de Præscrips.* quem magni faciunt Adversarii.

Quia Abbas, de quo in Textu, habebat Privilegium Pontificium, per quod liberabatur à Jurisdictione Episcopi Plebs Salmazanæ, & aliæ Cappellæ, & super hujusmodi Privilegio fundabatur præscriptio, quæ absque illo non valuisset, ut notat additio ad illum *Text. in verb Duas. Gloss. in d. c. Cum nõ liceat in verb.* 5

Non

Non obstat. in fin. vers. sed ibi habuit Privilegium, ratione cujus præscripsit *Fagnan. in d.c. Cum olim num.* 46. & 47.

Secundò ille Textus habet locum, quando Abbas habet Cappellas sibi subjectas, in quibus potest præscri-
6 bere aliqua Jura Episcopalia, ut notat *Anan. in d.c. Cum olim n.1. Alexand. de Nevo n.1. Zabarell. in cap. Auditis n.6. de Præscript.*

At in casu nostro Fratres Servorum nullum habent ptivilegium, quia quod habebant, evanuit per erectionem dictæ Ecclesiæ in Titulum, nec Ecclesiam, nec Cappellas sibi subjectas.

Tertiò dictus Textus procedit in illa præscriptione, per quam obedientia ab Episcopo transfertur in Romanam Ecclesiam, cui Monasterium se subjecerat; At in casu nostro Superior Conventus Sanctæ Mariæ in Via non potuit præscribere, ut obedientiam transferret ad Romanam Ecclesiam, quia Romana Ecclesia, & ejus Caput Summus Pontifex illam obedientiam, quam sibi Fratres tanquàm exempti debebant, transtulit in Cardinalem Titularem, nec eam sibi reservavit, undè si daretur prætensa præscriptio, dicti Fratres remanerent Acephali, & sine Capite, quæ ra-
7 tio potissima est, cur præscriptio non competat subditis adversus Superiorem, ut notant *Barbos. & Fermosin. d.c. Cum non liceat. ille n.3. iste n.8.*

Nec dicatur Fratres inservientes dictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Via transtulisse obedientiam in Generalem, quia Generalis in illa Ecclesia est subditus Cardinali Titulari; Nomine enim Superioris continetur tam mediatus, quàm immediatus Superior.

Sed quod tollit omnem difficultatem est, hic nullam posse considerari præscriptionem, quia ex qualibet vacatione Titulorum, & nova provisione interrumpitur præscriptio, Nam ex nova provisione revi-
8 viscit Jurisdictio Cardinalis Titularis adversus quamcumq; consuetudinem, contrarium usum, & præscriptionem, & ad pristinum statum reducitur, & ab omni præjudicio vendicatur. *Roder. quæstion. Regul. tom. 1. quæst. 8. art. 4. in fin. vers. Deficit etiam in hoc casu præscriptio. usque ad fin.* cum aliis per Rotam *decis. 33. num. 26. p. 10. recent.*

SVMMARIVM

Sextæ Quæstionis.

1 *Jurisdictionem Episcopalem Cardinales Titulares habent de jure communi, non autem ex consuetudine in eorum Ecclesiis, & n. 2. & 3. ubi de distinctione inter Cardinales, & simplices Plebanos jurisdictionē habētes ex cōsuetudine*

4 *Cardinales Titulares habentes jurisdictionem in Cappellis Titulo subjectis, multo magis illam habent in eadem Ecclesia Titulari, & n. 5.*

6 *Jurisdictio quasi Episcopalis Cardinalibus Titularibus collata à Sixto V. intelligitur proportionabiliter quoad Cardinales non Episcopos, & n. 7.*

8 *Cardinales Titulares in suis Ecclesiis si sint Episcopi istorum loco habentur quoad jurisdictionem, & Episcopalia, & quid si non sint Episcopi.*

9 *Reprobatur opinio Bellarmini, & firmatur Cardinales, in suis titulis non esse adinstar Parochorum, & Episcopo subjectos, sed pinguius jus habere quam Plebani, ubi de communi Canonistarum.*

10 *Declaratur Constitutio Gregor. XIII. quomodo intelligenda circa jurisdictionem Episcopalem quam Cardinales habent in suis titulis.*

SEXTA QUÆSTIO.

AN de Jure communi, vel solùm ex consuetudine habeant Cardinales in suis Titulis Jurisdictionem Episcopalem.

Card. de Luca de jurisdict. & foro compet.

Et de Jure communi illam habere, non autem ex consuetudine solvendum est. Nam quamvis ex adverso scribentes prætendant ex Doctrina Innocentii *in c. Dilectus de Cappell. Monach.* probare illam habere ex consuetudine; Doctrina tamen Innocentii nec benè intellecta, & imminutè allegata.

Dubitat ibi Innocentius, An Sacerdotibus in Plebe seù Ecclesia Parochiali existentibus competat de Jure communi facultas baptizandi, & alia Parochialia exercendi, respondet, quod ignorat, ubi sit istud Jus commune; Nam licet Parochiani cujuslibet Ecclesiæ à proprio Sacerdote debeant baptizari, & alia Sacramenta, quæ ipsi conferunt recipere. Quod tamen Sacerdotes hoc debeant, hoc non invenio inter Jura Parochialia, nisi specialis consuetudo introducat, *supra de Majorit. & Obed. c. His quæ, &c.* Hæc sunt verba præcisa Innocentii, ex quibus non rectè infertur, non competere de Jure communi Cardinalibus in suis Titulis Jurisdictionem Episcopalem. Non enim potest argumentari à Sacerdotibus in Plebania degentibus ad Cardinales Titulares. Et propterea Innocentius diminutè, ut dixi allegatus resolvendo quæstionē; An Jus exercendi Parochialia competat Plebanis de jure communi *n. 4.* Subjungit, sed potest dici illud (Jus commune) obtinere in Titulis Cardinalium, qui habent pinguius Jus, quam Plebani.

Sed clarius hoc declarat Cardinalis Zabarella *cons. 65. num. 1.* ubi quod Textus *in d.c. Dilectus* non habet 2
locum in Titulis Cardinalium, quia ibi Cardinales fundant intentionem de Jure communi, in aliis verò Titulis Plebanatuum attendendam esse consuetudinem.

Vanum est ergo dicere, quod Cardinalis Titularis 3
Sancti Laurentii in Damaso, de quo *in c. His quæ de Majorit. & Obed.* obtinuerit in eo Titulo Jurisdictionem à consuetudine, & propterea non sit extendenda ad alios Titulos, cum certissimum sit ex supra traditis, Cardinales Titulares fundare suam Jurisdictionem in Jure communi, non in consuetudine, quod & voluit *Felin. in d. cap. His quæ. num. 1. vers. & dicit Cardinalis,* ubi sequitur Consilium Cardinalis Zabatellæ, & ejus doctrinam *in c. Venerabilis de Except.* dicentis quod Plebanus non fundat intentionem suam in Cappellis de Jure communi, nisi Ecclesia Matrix, esset Titulus Cardinalis, quam doctrinam explicat, & sequitur *Fagnan. in d.c. His quæ. n. 38.*

Nec obstat quod Honorius III. *in d. cap. His quæ,* 4
non loquatur de Jurisdictione, quam habent Cardinales in suis Titulis, sed de ea, quam habent in Cappellis sibi subjectis, ut dicunt Adversarii ducti Auctoritate Mandosii *in reg. 7. Cancell. quæst. 2. numer. 1. circa fin. vers. Verum quia. d.c. His quæ;* Nam Honorius III. *in d.c.* enumerat, quæ spectant ad Jurisdictionem Cardinalis Titularis S. Laurentii in Damaso in Cappellis subjectis Titulo. Quæstio enim tunc erat de Iurisdictione Cardinalis Titularis in Cappellis subjectis Titulo, non autem in Ecclesia Tituli. Undè non mirum, si non meminit de Ecclesia Titulari, sed de Cappellis; frivolum ergo, ne dicam, ridiculum est argumentum. Cardinalis habet Iurisdictionem Episcopalem in Cappellis subjectis Ecclesiæ Titulari, ergo non habet eandem in Ecclesia Tituli, sed benè valet argumentum à contrario. Cardinalis habet Iurisdictionem in Cappellis subjectis Titulo, ergò multò magis illam habet in Ecclesia Titulari, à qua Cappellæ dependent in puncto *Rota dec. 233. n. 14. par. 1. divers.*

Hinc omnes Canonistæ, nemine dempto inferunt 5
ex dicto Textu, Cardinalem in suo Titulo, & in Cappellis Titulo subjectis habere Iurisdictionem Episcopa-

lem,sic Abbas ibi *num.1.vers.* Secundo nota, quod Cardinalis in Titulo suo, & in Ecclesiis subjectis Jurisdictionem Episcopalem habet. *Felin.ibidem num.1.* ibi. Cardinales habent in Titulis suis, & Ecclesiis sibi subjectis Jurisdictionem Episcopalem, & novissimè. *Fagnanus ibid.n.15. vers.* Quintò nota Cardinalem habere in suo Titulo,& in Ecclesiis Titulo subjectis Episcopalem Jurisdictionem. Et quamvis *Mandos. loc.cit.* incidenter dicat, quod in dicto textu agitur solum de his,quæ potest Cardinalis Titularis in Cappellis sibi subjectis,non autem in Titulo; Nihilominùs quando ex professo tractat quæstionem circa Jurisdictionem,quam habent Cardinales in Titulo *numer.*10.dicit. Quantùm verò attinet ad Cardinalium Titulos, sivè ad Ecclesias Titulares, omnes concludunt,eos habere Jurisdictionem Episcopalem,& quidem optima ratione. Nam ea omnia, quæ enumerat Honorius *in d.c.His quæ.*spectare ad Jurisdictionem Cardinalis Titularis,sunt eadem,quæ idem Honorius refert,& enumerat *in c.Conquerente de Offic. ordin.* spectare ad Jurisdictionem Episcopalem, & ibi *Gloss. in verb.Canonica* dicit hic benè specificantur Jura Episcopalia. *Butr.ibid nu.*1.ait,quæ sunt Jura Episcopalia declarat,& inferius *num.9.* Nota secundò,hic per ordinem enumerantur Jura Episcopalia,quæ quilibet Episcopus habet in Ecclesia sibi subjecta, etiam dato quod alteri Prælato sit subjecta,*Fagnan.ibid. num.*11. Nota ex integro contextu Jura Episcopalia hic per ordinem enumerari, quæ competunt Episcopis de Jure communi in Ecclesiis seù Cappellis Diœcesis suæ, etiam subjectis inferiori Prælato Sæculari, sivè Regulari. Cum ergo Jura,quæ enumerantur *in d. 6. His quæ* sint eadem, quæ referuntur *in d.c.Conquerente.* Nulli dubium,de Jure communi, non autem ex consuetudine, Cardinales in suis Titulis habere Jura Episcopalia.

Hinc videre est, quàm fœdè erraverint ex adverso scribentes, dum insudarunt in ostendendo Jurisdi-
6 ctionem Cardinalis Titularis non esse Episcopalem, sed solummodò,quasi Episcopalem, & hanc controversiam sublatam fuisse à constitutione Sixti V. & à Decreto Gregorii XIII. Nam quod attinet ad Constitutionem Sixtinam,certum est,illam non fuisse editam ad dirimendam hanc controversiam,sed ad præfiniendos Titulos Cardinalium, & licèt in Proëmio dictæ Constitutionis Sixtus incidenter dicat prædictas Ecclesias auctoritate quasi Episcopali regendas. Cum tamen eas exercerit cum honoribus,insignis, & Privilegiis,& auctoritatibus debitis, & consuetis, *ut in* §.2. dictæ Constitutionis, non videtur sustulisse Jura Episcopalia, quæ de Jure communi competunt Cardinalibus in dictis Titulis,sed dicendum est, Sixtum,singula singulis referendo, intellexisse de Cardinalibus Presbyteris,& Diaconis, qui si non sint Episcopi,Jus Episcopale formaliter habere non possunt, sed quasi Episcopale,& expresè deducitur ab Auctoribus, qui post Sixtinam Constitutionem scripserunt in hac materia relati *in discept.num.*33.& 34. sed pro omnibus sufficiat *Fagnan.qui in d.c. His quæ.*asserit, Cardinales in suis Titulis, & in Ecclesiis Titulo subjectis Jurisdictionem Episcopalem habere,qui cum sit modernissimus Auctor, & Præsul eximius Canonista,& practicus eorum,quæ in Curia gesta sunt, non esset ausus hoc dicere, si Sixtus difficultatem sustulisset;Immò verba Constitutionis explicat *ibid.* ut quasi Episcopalem Jurisdictionem habeant Cardinales Presbyteri,& Diaconi, qui cum non sint Episcopi,non possunt habere potestatem, quæ annexa est Ordini Episcopali, sed in cæteris totam habent Jurisdictionem Episcopalem. Nec Sixtus ullam mentionem fecit de Constitutione Pauli IV. relata *in discept.nu.*32. in qua litteris rotundis ille Pontifex asserit Cardinales in suis Titulis habere Jurisdictionem Episcopalem,quæ assertio cum fuerit facta per modũ causæ,& cum dictione, Cum,quæ æquipollet dictioni,Quia,reddit certam, & indubitatam assertionem *Rota decis.*411.*n.2.part.*4.*in recent.*

Explicatio autem Bullæ Pauli IV. deducta à Baldello, nedum frivola est,sed ridicula, Nam adversarii illum allegant *in Theolog. Moral.tom.*1. *tit. de Potestat.Legislat.quæst.*50.*sect.* 9. quem locum in meo Codice non reperi, benè novi Baldellum *in tract.de leg.lib.*5.*disp.*5.*n.*25.habere hæc verba.

Denique quoad alios Prælatos, qui dicuntur habere Jurisdictionem quasi Episcopalem, ut sunt,verbi gratia,Cardinalis in suis Titulis, ut expresè habetur in Bulla Pauli IV. Cum Venerabilis, quæ est de Decanatu Cardinalium. Sed malè Constitutionem prædictam Baldellus allegavit, cum expresè in ea dicatur Jurisdictionem Episcopalem, non quasi Episcopalem, unde in summariolo in margine dicti numeri appositio habetur, Cardinales in suis Titulis habent Jurisdictionem Episcopalem,& possunt condere leges; Idem eisdem verbis reperitur in Indice dicti Tomi *in verbo Cardinalis.* Et proprerea dicendum est Baldellum errasse allegando pro Jurisdictione quasi Episcopali Cardinalium dicti Pauli IV. Constitutionem,in Summariolo,& in Indice errorem suum emendasse.

Et ex his intelligitur,quàm malè ab Adversariis reprehendatur doctissimus Moneta de *Conservator.c.* 7
*5.numer.*34.qui potiùs erat commendandus. Cum enim potuisset sequi opinionem Ananiæ, Imolæ,Fagnani,& aliorum,qui in *d.c.His quæ,*asserunt Cardinales etiam non Episcopos habere jurisdictionem Episcopalem in suis Titulis, & Cappellis sibi subjectis, voluit moderatius loqui tribuendo jurisdictionem Episcopalem Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, qui sunt Episcopi, quasi Episcopalem verò iisdem Cardinalibus,qui non sunt Episcopi, quæ distinctio prius fuit Baldi *in d.c.His quæ,*ubi dixit,quod omnes Cardinales in omnibus Ecclesiis sibi subjectis habent jurisdictionem Episcopalem, & tamen quæ sunt Ordinis Episcopalis non habent, nisi sint Episcopi. Baldum sequitur Imola *in Clement. Ne Romani in* 4. *quæst.n.*2.*de Elect.& Felin.in d.c. His quæ,*sequendo 8
Imolam,dicit Cardinales in suis Titulis habentur loco Episcoporum,quoad jurisdictionem, & quoad Episcopalia,si sint Episcopi,aliàs quoad jurisdictionem tantùm,Monetam sequitur *Fagnan.in d.c. His quæ n.*26.*Si* ergo esset reprehendendus Moneta, deberent reprehendi Baldus,Imola,Felinus,& Fagnanus, qui absque nota temeritatis reprehendi non possunt.

Hinc enim patet, quam parùm modestè locuti sunt omnes exadverso scribentes, dum conantur auferre omnem jurisdictionem Cardinalibus in suis Titulis,eosque redigere ad simplices Parochos, qui solum baptizandi infantes, & sepellendi mortuos,veluti vespilliones,facultatem habent, ducti auctoritate Bellarmini,& ejus sequacium,quos à mea discceptatione acceperunt *num.*39. licet enim Cardinalis Bellarminus sit de Ecclesia Romana benemeritus, ejus tamen dicta in hoc proposito Antiquorum modestiam non imitantur, ut in simili dixit *Rota decis.*191. *num.* *13.in fin.p.*1.*recent.* adversus opinionem P. Thomæ Sanchez viri alioquin Doctissimi, & Religiosissimi; Nam omnes Canonistæ nemine dempto in *c.Dilectus de Cappell. Monach.* asserunt Cardinales in suis Titulis habere pinguius jus, quam Plebani,sic *Io. Andr.* 9
*num.*9.*Anan.num.*12.*Anchar.num.*13 *Hostien. nu.*3.

& hoc

& hoc dixerunt alii plures Doctores, nempè *Bellenc. de Charit. subsid. quæst. 3. Gomez ad reg. Cancell. de Trienn. qu. 31. pag. mihi 397. vers. Immò majus habent Cermon. de Indult. Cardin. §. Tam. ratione numer 16.* Sed qui expresè confundunt, & falsam reddunt opinionem Cardinalis *Bellarmini*, Baronii & aliorũ, sunt Cardinales Host. & Zabarella dissertissimi Canonistæ, non Theologi, nec Historici, & qui superat omnes Summus Pontifex Innocentius IV. in *d. c. Dilectus n. 4. vers. sed posset dici.*

Quo verò ad decretum, sivè ad Declarationem Gregorii XIII. idem dicendum, quod de Bulla Sixti V. Non enim illa emanavit ad dirimendam hanc controversiam de jurisdictione Episcopali, vel quasi; sed solum ex ea deducitur Gregorium XIII. declarasse, quod ea, quæ conceduntur à Concilio Trident. Episcopis, nolle exerceri à Cardinalibus in suis titulis, ergo sunt inferiores Episcopis, & non habent nisi jurisdictionem quasi Episcopalem. Certè argumentum infirmum est. 10 Quia Summi Pontifices declarant multa non posse per Episcopos exerceri in sua Diœcesi, ergo non habeant in ea jus Episcopale. Quid absurdius? Nonne reservatio unius, est præservatio quoad alia *l. Tribunus §. fin. ff. de Milit. Testam. Rota dec. 10. de rescript. in antiq. Caputaq. decis. 75. num. 7. & 8. part. 3. Gonzal. reg. 8. Gloss. 12. n. 23. Fagnan. in d. c. His quæ num. 10.*

SVMMARIVM

Septimæ Quæstionis.

1 *Vice Cancellario Sedis Apostolicæ credendum est de sibi dictis à Papa.*

2 *Amplia etiam in simplici Cardinali, tribus tamen concurrentibus.*

3 *Facultates extraordinariæ Episcopis à Concilio Tridentino concessæ competunt etiam inferioribus Prælatis.*

4 *Facultas à Concilio Tridentino concessa Episcopis in Parochos, an sit extraordinaria, vel ordinaria tanquam à jure communi emanata & n. 7.*

5 *Exemptio Regularibus concessa non comprehendit Parochos animarum curam exercentes in Ecclesiis Episcopo subjectis.*

6 *Episcopus jure ordinario Regularium Ecclesias visitare non potest etiam quoad ea quæ curam animarum respiciunt, si in illis Superiores Regulares omnimodam temporalem & spiritualem habeant jurisdictionem.*

SEPTIMA QUÆSTIO.

AN stante decreto, seu declaratione Gregorii XIII. habeant Cardinales in suis Titulis jurisdictionem circa ea, quæ spectant ad curam animarum.

Negant fratres Ludovici ea ratione, quia hæc est facultas extraordinaria concessa à Concilio Tridentino Episcopis, quam noluit Gregorius habere locum in Titulis Cardinalium.

Sed in primis negare possumus, extare hujusmodi decretum seù declarationem, cum de ea testentur solummodo Doctores particulares; Nam si Adversarii dictum Bonifacii VIII. impugnant, de quo fidem facit Joannes Monachus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Vicecancellarius Sedis Apostolicæ, cui credendum est de sibi dictis à Papa. *Put. decis. 220. lib. 1. in correct.* cum etiam simplici Cardinali credendum sit 1 de his, quæ asserit sibi dixisse Pontificem, si tria concurrant; hoc est præsentia Papæ, nullum directè Tertio præjudicium, & quod asserta à Cardinali sint verisimilia. *Rota decis. 630. part. 4. rec. Duran. decis. 117. nu. 5. Put. decis. 3. in correct. lib. 1.* ubi dicis hoc procedere, ubi etiam tractatur de præjudicio Tertii, *Vizzan. l. 1. de mandat. Princip. nu. 37. & 38.* cum aliis per *Dianam part. 2. tract. 2. resol. 31.*

Quæ tria in Cardinali Monacho concurrisse certum est, præsertim quod attinet ad verisimilitudinem. Nàm cum Honorius III. qui condidit Decretalem His quæ de *Major. & Obedien.* in qua conceduntur Cardinalibus in Ecclesiis suorum Titulorum ea omnia, quæ spectant ad jurisdictionem Episcopalem, regnaverit anno 1216. Bonifacius verò anno 1294. cum is esset Summus Canonista, non solùm verisimiliter, sed verissimè dicere potuit Joanni Monacho Cardinali, in suis Titulis Cardinales habere jura Episcopalia, ductus auctoritate Honorii III. Antecessoris sui. Secundò dicimus quod non obstante dicta declaratione, sive Decreto Gregorii XIII. multi Doctores, qui post illud scripsere, nulla facta mentione de ea, tenuerunt, facultates extraordinarias à Concilio Episcopis concessas competere etiam inferioribus Prælatis sic 3 *Henriquez, Rodriquez, Sanchez, Flores de Mena, Sair. Avila, Duardus, Moneta, Fr. Sigismundus à Bononia, & Tamburinus relati à Ciarlino controvers. forens. cap. 208. nu. 47.* ubi testatur de communissima opinione. Idem tenet *Portellus, Dalvin. Pharao, Castropalao, Trullench. & Bosius relati à Barbos. cap. 6. Sess. 24. de reformat.* sed in puncto Cardinalium tenet *Moneta de Commutat. cap. 5. nnm. 453. Diana part. 5. tract. 2. resol. 59. vers. Unum liceat mihi.*

Nec est facienda vis in declaratione Sacræ Congregationis Concilii, quia cum de ea authenticè non constet juxta decretum fan. mem. Urbani VIII. nullius est auctoritatis.

Sed demus quod de istis declarationibus legitimè constaret; Ea facultas quæ conceditur à Concilio Tridentino Episcopis in Parochos exercentes curam Animarum in personas sæcularium in Ecclesiis Regularium non est extraordinaria, sed ordinaria, quia 4 emanavit à jure communi, ut expresè colligitur ex Textu in *c. Per exemptionem de privileg. in 6.* ubi exemptio concessa Regularibus non comprehendit Parochum curam animarum exercentẽ in suis Ecclesiis; 5 is enim non obstante exemptione remanet semper subjectus Episcopo, ut notant Canonistæ. Idem habetur ex *c. Cum Cappella de Privileg.* & in individuo habetur in *c. sane 16. quæst. 2. & in c 1. §. fin. de privil. in 6.* Et quod hæc facultas proveniat à Jure communi per dicta, & alia jura benè probat Solorzanus *de jure Indiar. lib. 3. cap. 17. num. 47. cum sequent. Marius Antonin. lib. 1. resol. 112. cas. 50. vers. non fuit autem dubitatum.*

Et quamvis nonnulli velint, Episcopos non posse visitare jure ordinario Ecclesias Regularium, nec etiam quoad ea, quæ respiciunt curam animarum, id tamen habet locum in iis Ecclesiis, in quibus Superiores 6 Regulares habent omnimodam Jurisdictionem Temporalem, & Spiritualem, sic *Barbos. cap. 11. Sess. 25. de Regular. n. 6. Solorzan. loc. cit. n. 54.*

At in casu nostro Superior Regularis nullam habet jurisdictionem in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Via, quia illa est plenariè subjecta Cardinali Titulari in Temporalibus, & Spiritualibus *Solorzan. d. n. 54. in fine.*

Præterea aliud est, quod Episcopus Auctoritate Ordinaria in Ecclesiis Regularium Jurisdictionem exercere non possit, aliud, quod illa auctoritas non descendat à jure communi; Nam primum evenit propter privilegia Regularium, sed non tollitur, per dicta privilegia, quod ea facultas non descendat à jure communi. Solùm enim est suspensa, & non ablata Auctoritas concessa à Jure Communi Episcopis per Regularium Privilegia. *Lotter de re benef. lib. 1. quæst. 24. num. 107.*

Et propterea cum facultas in Parochum Regularem Episcopis sit concessa à jure cummuni, non est, cur obstent, & Declaratio Gregorii XIII. & Sacræ Congregationis Concilii.

SVMMARIVM

Octavæ Quæstionis.

1 *Pontifex potest in sua diœcesi Romana, sicut in aliis Episcoporum diœcesibus territorium separatum constituere.*

2 *Territorium separatum an dicatur à Papa constitutum per subjectionem Ecclesiæ alicui Prælato pleno jure.*

3 *Vicarius Urbis nullam in Ecclesiis Cardinalium Titularium habet jurisdictionem.*

4 *Cardinales Titulares in suis Ecclesiis possunt ea omnia exercere, quæ potest Episcopus in sua Diœcesi.*

5 *Constitutio Pauli II. tribuens Cardinali Vicario facultatem visitandi loca exempta, non se extendit ad Ecclesias Titulares Cardinalium egentes speciali mentione.*

6 *Declaratur quando procedat conclusio quod in dispositione generali comprehendantur etiam Cardinales.*

7 *Constitutio Julii II. subjiciens in genere Clericos Cardinali Vicario non comprehendit exemptos & alio superiori subjectos.*

8 *Observantia subsequuta cum Prælatorum negligentia an noceat successoribus, si præjudicium exinde proveniens tollatur per Principem vel superiorem & n. 12.*

9 *Observantia interrumpitur per actus contrarios.*

10 *In facultativis non datur præscriptio, consuetudo vel observantia, nisi constet de prohibitione vel acquiescentia.*

11 *Observantia æquivoca non inducit præscriptionem quando de bono jure in contrarium apparet, & de decreto irritanti & clausula sublata tollentibus omnem observantiam.*

13 *Ex actu negativo & non usu præsertim in facultativis inferri non potest ad actus contrarios impotentia in successores.*

OCTAVA QUÆSTIO.

AN possit dici quod Cardinales, quoad suos Titulos, & Populos sibi subjectos habeant in Urbe Territorium separatum, ut exindè potiri possint omnibus Prærogativis, quibus potiuntur Episcopi in suis Diœcesibus.

Et affirmativè est resolvendum. Summus enim
1 Pontifex potest tàm in sua Diœcesi Romana, quàm in aliis Episcoporum Diœcesibus constituere Territorium separatum ad effectum de quo agitur. *Hostien. in c. Cum contingat. de foro compet.* & ibi *Butr. numer. 11. Abbas numer. 18. Bellamer. num. 15. Rota decis. 46. nu. 6. & decis. 55. nu. 2. post 3. volum. Tamburr. de Jure Abbat.*

Tunc autem dicitur Territorium separatum constitui à Summo Pontifice, quando Prælatis Ecclesiam, & loca pleno jure subjicit; Idem enim est habere
2 proprium, & separatum Territorium, & habere illud pleno jure subjectum, *Gloss. in Clement. 1. in verb. Aut earum parti. de foro compet. Calderin. cons. 23. Rota decis. 165. n. 2. part. 4. Divers. & decis. 44. n. 5.* post eundem *tract. Tambur.*

Hinc Vicarius Urbis nullam in Ecclesiis Cardinal-
3 um Titularium habet Jurisdictionem. *Manfred. de Cardinal. decis. 106. Paris. de Resignat. lib. 7. quæst. 12. Barbos. Juris. Univers. Eccles. lib. 1. c. 4. nu. 37. Fagnan. in d. c. His quæ de majorit. & Obed.*

Et ideò poterunt Cardinales exercere ea omnia,
4 quæ possunt Episcopi in suis Diœcesibus. *Germon. de Indult. Cardin. §. Titul. nu. 6. Paris. de Resignat. lib. 3. quæst. 15. ferè per tot. Barbos. ad c. Abbates num. 2. de Privil. in 6.*

Nec obstat, quod Cardinalis Vicarius vigore Constitutionis Pauli Secundi 1. Julii Secundi. 28. Pauli Tertii. 36. habeat Jurisdictionem in Populum subjectum Ecclesiæ Cardinalis Titularis, & perindè non
5 habeat Territorium separatum.

Quia Paulus Secundus sua Constitutione dat facultatem Cardinali Vicario visitandi Monasteria, & alia loca exempta, quæ facultas non potest extendi ad Ecclesias Titulorum Cardinalium, qui propter eorum excellentem dignitatem indigent speciali mentione. *Rom. cons. 498. num. 6. Felin. in c. Cum iu Jure sub. numer. 9. de offic. Deleg. Lotter. de Re Benef. lib. 1. quæst. 8. nu. 83.*

Et quamvis in dispositione generali comprehendantur Cardinales, si dispositio non sit odiosa odio
6 irrationabili juxtà opinionem Rotæ, de qua per Eminentissimum Otthobonum *dec. 257. per totam.*

Hæc tamen conclusio non procedit, quando tractatur de auferendo Cardinali Jus ei concessum intuitu Cardinalitiæ Dignitatis, nam tunc nec in dispositione quacumque generali, nec in particulari generaliter concepta Cardinales comprehenduntur, *Mohedan. decis. 10. de Præhend. Germon. de Indult. Cardinalium verb. alioquin, à numer. 33. Lotter. loc. cit. sub num. 90.*

Etiam quod agatur de Confessione facta alteri Cardinali. *Verall. decis. 43. part. 2.* quod admittit Rota in Firmana pensionis 26. *Februarii 1625. &* 23. *Januarii 1626. coram Remboldo registr. post Vivian. de Jure patronat. in ordine 91. & 92. Lotter. loc. cit. numer. 91.*

Julius verò Secundus in sua Constitutione 28. sub-
7 jecit Cardinali Vicario Clericos Urbis generaliter, quorum appellatione non veniunt Clerici exempti, & alio Superiori subjecti. *c. Grave. c. Ex parte de privileg. Gloss. in Clement. Si de beneficio de Præbend.* cum aliis *per Cocchier. de Iurisd. in exempt. part. 1. quæst. 5. num. 4.*

Immò in dicta Constitutione Julius præservat Jurisdictionem aliorum Officialium Urbis in dictos Clericos, ut in §. 3. ejusdem Constitutionis, ibi, aut aliis Clericis, & Officialibus, ad quos spectat.

Paulus verò Tertius in sua Constitutione nihil aliud facit, quàm confirmare Constitutionem Pauli Secundi, quoad visitationem locorum exemptorum, conceditque Cardinali Vicario nonnullas alias facultates, quæ non tollunt privilegium Cardinalium.

Sed cum in singula vacatione Titulorum, Summi Pontifices reintegrent Cardinales in plenariam Jurisdictionem Temporalium, & Spiritualium suorum Titulorum, præsertim in Clericos, & alios sibi subjectos, non videntur posse obstare privilegia concessa Cardinali Urbis Vicario, quemadmodum dictum est supra de consuetudine, & præscriptione.

Nec obstat Observantia subsecuta. Quia, & si negligentia Prælatorum possit nocere Ecclesiæ, ita ut etiam afficiat Successores. *Paris. cons. 3. n. 15. lib. 4.*

Hæc tamen Conclusio non habet locum, si præjudicium, quod peperit negligentia, tollatur per superiorem, sicuti enim Princeps potest tollere præscriptionem *l. Præscriptio. C. de Operib. Public. Soccin. cons. 86. numer. 16. lib. 1. Ruin. cons. 13. numer. 5. lib. 4.*

Soccin.

Soccin.jun.cons.146.n.56.Ceph.cons.4.n.47.Surd.dec. 61.n.3.Mastrill.de Magistr.lib.3.cap.4.n.312.

Ita potest tollere media, quæ ad præscriptionem conducunt, qualis est negligentia, ex qua inducitur præscriptio, *Rota decis.126.n.2.part.2.rec.*

Præterea cum Cardinales Titulares actus Jurisdictionis exercuerint, scilicet conferendo Beneficia, Benedictionem solemnem impartiendo, visitando, &c. per istos actus omnis observantia interrumpitur. *Abbas in c.Illud.de Præscript.Puth.dec.385.n.1.lib.3.Rota decis.126.n.47.* 9

Et cum omnis Jurisdictio Cardinalis Titularis ferè pendeat ab ipsius facultate, certum est, quod in actibus facultativis, nec consuetudo, nec præscriptio, nec observantia obstant, nisi constet de prohibitione, & acquiescentia. *Innocent.in c.Cum Ecclesia.de Caus. possess.& propriet.ubi Ripa n.45.Penia decis.408.nu.7. Gregorius XV.decis.172.n.10.& ibi latè adden.n.5.* 10

In omnem casum vana redditur observantia, cum de bono Jure Cardinalium Titularium constet, & observantia reddatur æquivoca. *Seraphin.decis.1108. n.7.*tam ex Constitutione Sixti V. quàm ex indultis, sivè Diplomatibus Titulorum. Cum clausula sublata, & Decreto irritanti, ex quibus tollitur omnis observantia. *Rota decis.66.n.13.part.7.rec.* 11

Miror autem, Adversarios ad suum sensum trahere illa verba Diplomatis Titulis Sanctæ Mariæ in Via. Prout alii Presbyteri Cardinales, qui illi pro tempore præfuerunt, potuerunt de illis disponere, & eandem Ecclesiam regere, & gubernare potuerunt, seù etiam debuerunt.

Quasi quod Summus Pontifex restringat auctoritatem Cardinalis Titularis, præsertim, ut Adversarii ajunt, quia nulli Cardinales, & zelo, & virtute, ac Sanctitate præstantes, usi sunt aliqua auctoritate in Fratres intervenientes dictæ Ecclesiæ.

Nam tantùm abest, ut dicta verba limitent auctoritatem Cardinalis Titularis, quinimò illam ampliant, adversus omissa ab Antecessoribus, qui si non fecerunt ea, quæ habebant facere, malè fecerunt, ut notat in Terminis. *Gloss.in Clement.Attendentes. de Statu Monach.in verb.Debeant*, ubi ait, malè faciunt Prælati, qui has visitationes omittunt, cum hoc verbum sit præcepti, & necessitatem importet, & ibi notant *Cardin.Zabarell.& Vitalin.nu.16.* ubi quod si Prælati non faciunt, quæ debent facere, cum hic sint in præcepto ex vi Dictionis, Debet, peccant mortaliter. Voluit ergo Summus Pontifex per illa verba tollere malè facta ab Antecessoribus, & eorum negligentia noluit nocere Successoribus. *Buratt.decis.704.n. 9.Rot.decis.337.n.25.par.10.recent.* 12

Præterea notum non est, quod Cardinales prædicti fecerint, vel quod omiserint; Hoc enim probandum est ab Adversariis; Super hoc enim eorum assertionibus non est standum. Certum quidem est, quod ipsi poterant, & debebant deputare Vicarium Titularem juxta facultatem sibi datam à Concilio Lateranensi, & Constitutione Sixti V. deputare Parochum amovibilem, quia Cura residet penès Cardinalem Titularem, deputare Sacristam, Concionatorem, & alios ministros, de quibus *in discept.à n.119.* non obstantibus ex adverso deductis, quibus respondebitur infrà. 13

Et quatenùs ipsi hos actus non fecerint, non tamen ex hoc actu negativo argui potest actus contrarius impotentiæ in successore, præsertim cum actus isti sint facultativi, Abbas *cons.101.num.7.Rota dec. 630.num.15.part.4.tom.3.in recent.*

SVMMARIVM

Nonæ Quæstionis.

1 *IN materia derogationis ad Pontificis mentem recurrendum est.*

2 *Derogatum censetur per Pontifices privilegiis & Constitutionibus antecedentibus per posteriores editas per viam legis.*

3 *Item derogatum censetur ex constitutione ad publicam utilitatem edita.*

4 *De derogatione in specie facta per Sixtum V. privilegiis & Indultis tam Ecclesiis in titulum erectis, quàm illis Regularium.*

5 *Per derogationem cum clausula illorum tenorem pro expressis, &c. derogatum censetur quibuscunque præcedentibus constitutionibus & privilegiis etiam derogatoriarum derogatorias habentibus.*

NONA QUÆSTIO.

AN sit derogatum per Bullam Sixti V. & Diploma Cardinalis Titularis exemptioni Fratrum Servorum inservientibus dictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Via. Ex adverso scribentes multa involvunt, & confundunt circà hujusmodi Derogationem, sed nos paucis quæstionem expediemus.

Et supponendum est in materia Derogationis recurrendum esse ad mentem Summi Pontificis. *Rota decis.137.part.1.divers.& decis.91.n.13.post. Vivian.de Jure Patron.& decis.100.part.5 recent.* 1

De mente autem Pontificis constare dicitur, quando edit Constitutionem posteriorem per viam legis, 2 nam tunc non est opus derogare in specie Constitutionibus, & Privilegiis antecedentibus. *Felin.in c.Nonnulla n.9.de Rescript.Puth.decis.164.num.2.lib.2. in Antiq.Penia decis.1142.nu.5.Rota in Compsana Iuris Patronatus 3.Decembris 1604. Coram Litta registr. post Vivian.de Iure Patron.lib.4.cap.10.n.24.& 267. vers.Quarto fuit responsum.Buratt.decis.390.nu.5.& decis.454.nu fin.post modernos de manut.& decis.8.n. 9.par.1.recent.*

Secundò constat de mente Pontificis, quando edit Constitutionem ad publicam utilitatem. Tunc enim 3 non est necesse aliqua derogatio, Rota in puncto Sæcularizationis Ecclesiæ Regularis *decis.174.n.7.par.1. rec Fagnan.in c.Caterum nu.32.de Rescript.& in cap. Causam quæ nu.38.eod.tit.Frances.de Eccles. Cathedral.c.10.à n.50.*

Quod autem Constitutio Sixtina facta fuerit ad publicam utilitatem, & decorem Ecclesiæ Romanæ, patet ex ipsamet Constitutione *in §.1.*

Sed sumus extra difficultatem, quia Sixtus V. in sua Constitutione Præfinitionis Titulorum derogavit, in specie etiam Indultis, & Privilegiis non solùm earum Ecclesiarum, quas erexit in Titulum, sed etiam Ordinum Regularium hisce clarissimis Verbis. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum supradictarum, & aliarum quarumcumque; nec non Ordinum, Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, illis, ac quibuslvis personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus illorum tenorem præsentibus pro expressis habentes specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ex qua derogatione facta cum clausula, illorum tenorem pro expressis, censetur derogatum quibuslvis Privilegiis, & Constitutionibus habentibus, etiam derogatoriarum derogatorias. *Felin.in c.Nulli num.4.de rescript.& in c. Accedentes nu.5.de Præscription.Mohedan.decis.1.de* 4

Rescript. 5

Rescript. Gregor. XV. in puncto *de Privileg. concessis Religioni Hierosolymitanæ decis.* 109. & ibi. *Adden. n.* 10. ubi quod hæc clausula fuit inventa, qua Papa derogare posset gratiis præsentibus, de quibus notitiam non habet, aliàs nimis arctaretur, si propter ignorantiam illas revocare non posset *Rot. decis.* 630. *n.* 42. & 43. *par.* 4. *rec. tom.* 3.

SVMMARIVM
Decimæ Quæstionis.

1 *Regula de jure quæsito non tollen. non est expresse derogandum, quando gratia de sui natura est juri tertii præjudicialis.*

2 *Quæ sint de sui natura juri tertii præjudiciales, ubi de unione, erectione, & similibus.*

DECIMA QUÆSTIO.

AN fuerit necesse derogare in Diplomate Tituli in specie Privilegiis Summorum Pontificum, qui concesserunt exemptionem Fratribus Servorum, Cum agatur de Jure Tertii, & sic Regulæ de jure quæsito non tollendo.

Et negativè est resolvendum, quia Regulæ de jure
1 quæsito non tollendo, & Juri Tertii non est expresse derogandum, quando Papa facit actum de sui natura præjudicialem Juri Tertii. *Dec. cons.* 113. *n.* 17. *vers. non obstat. Cassador. dec.* 1. *de Privileg. Gonzalez. super Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 36. *n.* 48. *Gratian. discept.* 458. *n.* 11. *Seraph. dec.* 762. *n.* 4. & *n. ult.* & *dec.* 1445. *n.* 7. *Rota in recent. decis.* 48. *n.* 1. & *decis.* 174. *n.* 2. & 7. *par.* 1. & *decis.* 11. *n.* 25. & *decis.* 114. *n.* 11. *par.* 6. *Buratt. decis.* 193. *n.* 4. *Adden. ad eand. decis.* 576. *n.* 13. & 17.

Quod autem Erectio dictæ Ecclesiæ S. Mariæ in
2 Via in Titulum sit actus præjudicialis Juri dictorum Fratrum, non est dubitandum, sic Rota coram *Seraph. d. dec.* 1445. *n.* 6. ibi. Non obstat, quod Regulæ de non tollendo derogatum non fuerit, quia non procedit in gratia de sui natura præjudiciali, ut est unio, exemptio, erectio, & similes. *Millin. dec.* 198. *n.* 4. *Adden. ad dec. Buratt.* 576. *num.* 13. *Gratian. d. discept.* 458 *n.* 15. *Fagnan. in c. Caterum. nu.* 29. qui loquitur in erectione, & sæcularizatione. Idem *in c. Causam quæ n.* 37. *eod. tit.* & *in terminis Francesc. de Eccles. Cathedral. c.* 10. *n.* 52. Nec in hoc potest conqueri Conventus dictæ Sanctæ Mariæ in Via, quia Papa in hoc utitur jure suo, optimè idem *Francesc. loco cit. n.* 55.

SVMMARIVM
Undecimæ Quæstionis.

Regulares in aliqua diœcesi degentes, quibus in casibus sunt exempti ab illius Episcopi jurisdictione.

2 *De differentia circa jurisdictionem inter Cardinales, Titulares habentes pleno jure subjectos Regulares suis Ecclesiis inservientes, & Episcopos nullam jurisdictionem habentes, nisi in casibus à S. Conc. Trid. & Constitutionibus Apostolicis præscriptis.*

3 *Cardinales Titulares facultatem habent deputandi Vicarium in suis Ecclesiis Regularibus ne dum à jure communi, sed etiam à Concilio Basilien. sub Eugenio IV.*

4 *Jurisdictio quam habent Cardinales in suis Titulis est ordinaria, & Sede vacante non expirat, illamque exercere possunt per suos Vicarios, dum sunt in conclavi.*

5 *Vicarius à Cardinali Titulari deputandus in Ecclesia Regulari debet esse Regularis, & de rationibus, & n.* 10.

6 *Cardinales Titulares Monachorum rationem à Monachis habere debent.*

7 *Ecclesiæ Regulari præfici non debent clerici sæculares, neque ab eis illa reformari, præsertim si Vicarius est Regularis.*

8 *De intelligentia* text. in cap. in nova 16. q. 2. & *quando appellatione Cleri veniant Monachi.*

9 *Exemptio Regularis à subjectione sui Superioris Regularis per deputationem in Vicarium, locum non habet in iis quæ respiciunt regularem observantiam.*

10 *Regulares Ecclesiæ Titulari inservientes possunt tanquam subditi per Cardinalem Titularem in Vicarium deputari absque Superioris Regularis licentia ad instar Episcopi assumentis in cubicularium aliquem Religiosum absque Abbatis licentia.*

11 *Declaratio S. Congregationis Episcoporum, & Regularium recipit interpretationem à jure communi, ut procedat si Episcopus vel Cardinales Titulares vellent deputare in Vicarium sibi non subditum.*

12 *Parochi deputatio in Ecclesia Regulari Titulari spectat ad Cardinalem Titularem, & declaratur quando locum habeant Concilii Trid. dispositio, & privilegia Innoc. VIII. & Leonis X.*

13 *De differentia inter deputationem, & approbationem Confessariorum ut deputatio in Ecclesia Regulari spectet ad Superiorem Regularem, approbatio autem Ordinario.*

14 *Conclusio quod in Ecclesia sæculari Prælatus habens jura Episcopalia Confessarios etiam approbat, intelligitur quatenus habeant territorium separatum & Nullius.*

15 *Cardinales Titulares habentes in suis Ecclesiis Regulares sibi pleno iure subjectos, territorium separatum habere dicuntur.*

16 *Papa potest ex privilegio concedere territorium separatum, ac jura Episcopalia.*

17 *Quæ dicta sunt de Cardinalibus Titularibus circa electionem & deputationem Parochorum, Confessariorum, & Concionatorum locum sibi vendicant etiam quoad Sacristas suppellectilium, ac Thesauri Ecclesiæ custodiam habentes.*

18 *Jus visitandi Ecclesiam habens, visitare potest sacrarium vel sacristiam omniaque suppellectilia & ornamenta cultui Divino necessaria.*

19 *Decreta irritantia in Constitutione, & diplomate Tituli apposita inficiunt quæcumque titulum & possessionem.*

20 *In possessorio pendente à negotio principali prius terminandum est negotium principale, quam concedatur manutentio.*

UNDECIMA QUÆSTIO.

AN sit differentia inter Jurisdictionem, quam habent Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum, & illam, quam habent Episcopi in Regulares existentes in suis Diœcesibus.

Hæc quæstio non esset examinanda, quia parùm conducit ad rem nostram, sed quia Adversarii conqueruntur apud Illustrissimos Prælatos, quibus demandata est à SS. D. N. hujusmodi controversia ad referendum Sanctitati Suæ, quod si concederetur Jurisdictio Cardinalibus Titularibus in Regulares intervientes Ecclesiis Titulorum; Episcopi possent eodem Jure prætendere esse sibi subjectos. Ut tollatur hujusmodi æquivocatio.

Dico, quod hodiè propter Privilegia concessa à Summis Pontificibus Regularibus, non habent Episcopi

scopi in illos, qui morantur in eorum Diœcesibus, nisi
1 in nonnullis casibus Jurisdictionum, qui casus enume-
rantur à Fagnano usque *ad* 47. *in c. Grave, & a nu.* 37.
*usque ad fin. de Offic. Ordinarii, quod extendit Bar-
bos. de Potest. Episcop. allegat.* 105. *ad quinquaginta duo
a num.* 14. *usque ad* 89.

In plurimis autem ex istis casibus procedunt Epi-
scopi tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, ea ratione,
quia Summus Pontifex noluit illis auferre exemptio-
nem, sed Apostolica Auctoritate delegare Episco-
pum, ut in eos in dictis casibus exerceat Jurisdictio-
nem.

At Cardinalibus plenam, & omnimodam Jurisdi-
ctionem concessit in inservientes Ecclesiis suorum
Titulorum reducendo illos subjectos Ordinario, si-
cuti ante exemptionem erant de jure cõmuni, ut supra
firmatum est.

Et propterea Episcopi non possunt sumere exem-
2 plum à Jurisdictione Cardinalis Titularis. Cum in
sua Ecclesia habeat eos pleno jure subjectos, quod
non est concessum Episcopis, qui nullam habent Ju-
risdictionem, nisi in casibus præscriptis à Concilio
Trid. & à quibusdam Constitutionibus Apostolicis,
& propterea trepidant timore, ubi non est timor.

Nec ex eo, quod Episcopus in Ecclesia Cathedrali
Regulari habeat omnimodam Jurisdictionem in
Monachos exceptis iis, quæ respiciunt Regularem ob-
servantiam, ut resolvit Rota in Motis regalis Juris-
dictionis coram Coccino, non possunt indè alii Episco-
pi trahere exemplum, ut in Monachos, sive Regulares
animadvertant, ita nec possunt illud trahere à Cardi-
nali Titulari.

Firmata igitur nostra Jurisdictione in Fratres in-
servientes Ecclesiæ Sanctæ Mariæ nostri Tituli, &
sublatis omnibus, quæ ex adverso deducta fuerunt.
Superest videre, An Cardinali Titulari competat fa-
cultas deputandi Vicarium Titularem in Ecclesia Re-
gulari sui Tituli.

Et resolvendum est affirmativè, Hæc enim facul-
3 tas non solùm competit ei à Jure communi. *c. In nova*
16. *q.* 7. *c. Cum simus* 9. *q.* 4. *c. Quoniam* 89. *distinct.* cum
aliis *per Sbroz. de Vicar. Episcop. lib.* 1. *in prohem. nu-
mer.* 6.

Sed etiam tradita fuit ei à Concilio *Basilien.* quod
tunc erat sub obedientia Eugenii IV. Quicquid Ad-
versarii dicant cum nondum fuisset dissolutum, &
Ferrariam translatum, & Concilio Lateranen. dum
mandant, quod per se ipsum, vel saltèm per Vicarium
idoneum Ecclesias Titulares visitent, cujus Lateranen.
decreta in hac parte confirmavit Sixtus V. sua Consti-
tut. *de præsinit. tit. Card.* §. 12.

Et propterea cum Cardinalis Zabarella in Cle-
4 mentina. *Ne Romani* §. *Irritum. q.* 3. *de elect.* dixerit
Jurisdictionem, quam habent Cardinales in suis Ti-
tulis esse ordinariam, & non expirare Sede vacante.
Fagnan. in c. Cum olim. de majorit. & obed. dixit; cum
non possint illam exercere per se ipsos, dum manent in
Conclavi, debere, & posse exercere per suos Vicarios,
& Ministros.

Vicarius autem deputandus à Cardinali Titulari
5 in Ecclesia, cui inserviunt Regulares, non potest esse
Clericus sæcularis, sed omninò debet esse Regularis,
quia cum ea, quæ spectant ad Divinum Officium, &
servitium dictæ Ecclesiæ more Regulari debeant pera-
gi. *Rota dec.* 73. *part.* 1. *in recent.* melius possunt omnia
exerceri sub Vicario Regulari tanquam melius infor-
mato, quam sæculari, ut notant *Io. Andr. & Gemini-
an. in c. Nullus Religiosus de elect. in* 6. *Barbos. de po-
test. Episc. alleg.* 105. *nu.* 92. Cardinalis enim Titularis
6 debet habere rationem Monachorum à Monachis. *c.
Cum Pastoralis* 3. *q.* 7. *Turrecrem. in c. Si quis n.* 2. *vers.
Ad Tertium*, & ibi. *Præpos. n.* 2. *distinct.* 58. & in prin-
cipio dicit, quod Ecclesiæ Regulari non debet præfici 7
Clericus sæcularis, vel inter eos esse Beneficiatus *cap.
Cum inter de religios. domib. & n.* 1. *col.* 2. *vers. Proba-
tur etiam ratione*, dicit, quod Ecclesia Regularis non
debet reformari à Clericis sæcularibus, & multò ma-
gis hoc procedit, quando constituitur Vicarius Regu-
laris in Ecclesia, in qua Episcopus est loco Abbatis.
Turrecrem. loc. cit. vers. Nam idem esset.

Nec obstat textus *in c. In nova* 16. *q.* 2. ubi habetur,
quod Vicarius non debet discrepare ab Episcopo in
professione, & habitu, quia textus ille loquitur de di- 8
screpantia professionis, & habitus laicalis, non autem
de professione, & habitu Clericali. Cum ibi dicatur,
Episcopus laicos non habeat, sed ex proprio Clero, &
hoc casu appellatione Cleri veniunt Monachi. *Turre-
crem. in d. c. Si quis n.* 2. *ad tertium in corpore Præpo-
sit. ibid. n.* 2. *vers. Potest responderi.*

Nec obstat, quod si Regularis constitueretur Vi-
catius, amoveretur à subjectione Superioris Regula-
ris, quia ultrà quod non intendimus illum subtrahere
in his, quæ respiciunt Regularem observantiam; Ni- 9
hilominùs si subtraheretur & hoc debet tolerari pro-
pter majorem Ecclesiæ utilitatem, ut dicunt *Turre-
crem. Præpositus loc. cit. ille vers. Nec obstat, si dica-
tur, Iste vers. Nec obstat quod per hoc.*

Et in simili videmus, quod licet Inquisitores hære-
ticæ pravitatis, & eorum Vicarii, sub sint ratione Offi-
cii Jurisdictioni Sacræ Congregationis supremæ, &
Universalis Inquisitionis, non tamen eximuntur à
Jurisdictione superioris Conventus in his, quæ spe-
ctant ad Regularem observantiam, ut ex Zanardo,
Santarello, Rodriquez, & Homobono, tenet Carena
de Offic. Sanctæ Inquis. par. 1. *tit.* 5. §. 8. *n.* 69. 70. *&* 71.
Et ita pluries ab eadem Sac. Congregatione fuit de-
claratum, aliàs si deputaretur Vicarius sæcularis, esset
arare in Bove & Asino contra *Text. in c. Cum causam,* 10
*post med. ubi Gloss. in verb. Asino de elect. & in c. Pres-
byteros* 16. *q.* 1. *& in Clement.* 1. *de elect. Fagnan. in d. c.
Cum causam n* 9. quod intelligit de mente *Butr. n.* 10.
& Imola n. 1. Si homines disparis professionis associen-
tur ad unum effectum, ita ut sit unum corpus: quod
& resolvit *Rot. decis.* 743. *n.* 21. *coram Merlin.*

Et hoc casu non est necessarium, quod Frater de-
putatus Vicarius Titularis à Cardinali Titulari obti-
neat licentiam à suo Superiore, quia ea omnia ex ad-
verso adducta procedunt, quando vellet Cardinalis
Titularis assumere alium Religiosum sibi non subdi-
tum ad tale officium, secùs quando eligit suum subdi-
tum, qualis est unus ex Fratribus inservientibus in
Ecclesia Titulari; Sufficit enim licentia ejusdemmet
Cardinalis tanquam dicti Fratris Superioris, sic *Na-
varr. cons.* 2. *de Regul. ad fin. Sanchez ad præcept. De-
calog. lib.* 6. *c.* 13. *nu.* 89, & facit quod dicit *Gloss. in cap.
Cum Pastoralis* 2. *q.* 1. quod Episcopus potest assume-
re sibi Religiosum in Cubicularium absque licentia
Abbatis, vel Superioris, si non sit exemptus, eò quia
Episcopus est ejus legitimus Superior. Et hanc doctri-
nam. *Gloss. post Gregor. Lopez.* sequitur Sanchez *loc.
cit. numer.* 99. ubi dicit ita intelligendos esse Do-
ctores, qui licentiam Abbatis volunt esse necessari-
am, & illos qui putant hoc posse Episcopum etiam
invito Abbate.

Nec quicquam facit declaratio asserta Sacræ Con- 11
gregationis Episcoporum, & Regularium, quia reci-
pit interpretationem à jure communi. *Coccin. dec.* 157.
nu. 6. Et propterea intelligenda est, quando Episco-
pus vellet deputare Religiosum sibi non subditum in
Vicarium, & in hoc credimus nullam adesse difficul-
tatem.

Secundò

Secundò poterit deputare Parochum, nam cura
12 Animarum per erectionem dictæ Ecclesiæ in Titulum fuit ablata à Superiore, & Conventu, & translata in Cardinalem Titulatem, ut patet, tum ex Concilis Basilien. Lateranen. Constitutione Sixti V. & Diplomate Tituli registr. in calce disceptationis. Ad ipsum spectat deputatio Parochi. *Rota dec. 2. de excess. Prælat. in novis. Tondut. quæst. benef. part. 2. cap. 1. §. 5. num. 10.*

Non obstat dispositio Concilii Tridentini. *Sess. 25. cap. 11. de de regular.* & assertum Privilegium Innocentii Octavi & Leonis X. quibus cavetur, quod Parochus deputetur à Superioribus Regularibus, quia & Concilium Tridentinum, & prædicta privilegia habent locum in Ecclesia Regulari subjecta Superioribus Regularibus, secùs in Ecclesia Regulari jam sæcularizata, & Cardinali Titulari pleno jure subjecta, quia omne Jus, quod habebat Superior Regularis fuit translatum in Cardinalem Titularem, qui subrogatus fuit in ejus locum. *Rota decis. 252. n. 4. part. 5. recent. latè Tamburin. de Jur. Abbat. disp. 15. quæst. 11. num. 9.*

Et ferè in terminis de Ecclesia Parochiali erecta in Collegiatam, quod cura Animarum debeat exerceri per Præpositum, in quem vigore erectionis cura fuit translata; seù ab eo deputandum, dixit. *Rota decis. 37. nu. 1. & 2. part. 9. recent.*

Quo verò ad deputationem Confessariorum, aliqui ex Adversariis æquivocant inter deputationem, &
13 approbationem. Aliud est enim deputare, aliud approbare; Nam sicuti in Ecclesia Regulari, Superior deputat Regulares ad audiendas Confessiones sæcularium, Ordinarius verò, cui præsentantur, approbat ad præscriptum Concilii Tridentini *cap. 15. Sess 13. de reform.* & habetur in *Clement. Dudum §. Statuimus etiam de Sepult. Barbos. ad d. cap. 15. n. 7.* Sic in Ecclesia sæculari Prælatus, qui ibi habet Jura Episcopalia,
14 Confessarios deputat, immò, & approbat. *Ricc. decis. 22. nu. 4. & 5. part. 4. Suarez. de Pœnitent. tom. 4. disp. 28. sect. 5. n. 3. Tamburin. de Jure Abbat. tom. 2. disp. 6. quæst. 11. Barbos. ad d. c. 15 n. 28. Ciarlin. latè c. 208. nu. 46. 68. & 69.*

Neque obstat, quod Prælati habentes Jura Episcopalia, non possint approbare Confessarios, neque Concionatorem, nisi habeant Territorium separatum, & sint nullius Diœcesis, ut resolvit Sacra Congregatio Concilii, cujus resolutionem refert, & sequitur Rota coram Penia. *decis. 1052. & decis. 332. par. 1. in recent.*

Quia, ut suprà dictum est in octava quæstione,
15 Cum Cardinalis Titularis habeat in sua Ecclesia Regulares sibi pleno jure subjectos, perindè ac si haberet Territorium separatum, ut dixit Rota *decis. 44. n. 5. post Tamburin. de Jure Abbat. tom. 3.*

Nec indè infertur præjudicium Summo Pontifici,
16 quia si vult, potest suo privilegio concedere Territorium separatum, & Jura in eo Episcopalia. *Rota decisione 46. n. 5. & 6. post 3. tom. Tamburin.*

Sed quicquid sit de quæstione. An Cardinalis Titularis possit approbare Confessarios, & Concionatorem, cum hodiè solum de deputatione agatur; quæstio circa approbationem agitanda erit inter Eminentissimos Cardinalem Vicarium, & Cardinalem Titularem.

Quod dictum est de Parocho, Confessariis, & Concionatore, multò magis habet locum in Sacrista,
17 quia cum ad eum spectet cura suppellectilium, quæ sunt destinatæ Cultui Divino in dicta Ecclesia, & curare, ut missæ, quæ præviâ elemosynâ à fidelibus expetuntur, ibidem celebrentur, & habere custodiam thesauri Ecclesiæ, ut in *c. 1. de Offic. Sacristæ. Rota coram Coccino decis. 238. n. 9.* propterea Cardinalis Titularis potest eligere, quem voluerit ex dictis Fratribus, ut resolvit Rota *decis. 203. n. 7. coram Coccino.*

Neque obstant ea, quæ à theologis ex adversò scribentibus opponuntur circa deputationem Sacristæ, & visitationem Sacrarii, ex eo quod Sacrista sit Regularis, & illi ad nullum Cultum Dei teneantur, ut debitum Ecclesiæ Titulari.

Nam certè hæc omnia impertinenter dicta sunt; Si enim Ecclesia Titularis, cui inserviunt Regulares, est subjecta in temporalibus, & spiritualibus pleno jure Cardinali, eam in Temporalibus, & Spiritualibus sollicitè, fideliter, & prudenter regere, & gubernare debet, frequenter visitare, & circa Cultum Divinum invigilare, ut mandatur à Constitutione Sixti V. Quis erit, qui negare audeat sub nomine Cultus Divini non venire deputationem Sacristæ, & Sacrarii visitationem? Et si negligens fuerit semel deputatus, quin possit amoveri à Cardinali Titulari, sicut potest removeri ab Episcopo, Textus est *in c 2. de Offic. Custodis in fine*, qui licèt loquatur de Custode, idem tamen est Custos, & Sacrista, ut notat *Azor. tom. 2. Institut Moral. lib. 3. quæst. 16. Sebastian. Cæsar. de Eccles. Hierarch. quæst. 2. Prohem. nu. 6. Barbos. Juris univers. lib. 1. c. 27. num. 11. in fine.*

Qui autem habet jus visitandi Ecclesiam, certum est posse visitare Sacrarium, sive Sacristiam, ibidem suppellectilem, paramenta, & ornamenta necessaria, redditus Sacristæ, Vasa Sacra, Cruces, Calices, Patenas, Thuribula, Candelabra, & alia, de quibus per Fuscum *de Visitation. lib. 1. cap. 3. Ventriglia in prax. tom. 2. annotat. 24. n. 46. Paz Iordan. lucubrat. tom. 2. lib. 7. tit. 1. nu. 175.* ubi ponit modum visitandi Sacristiam.

Cum ergo Fratres degentes in Conventu sanctæ Mariæ in Via non habeant assistentiam Juris communis, Breve Leonis illis non suffragetur, quia per erectionem in Titulum dictæ Ecclesiæ evanuit, consuetudo immemorabilis nulla adsit, etsi adesset, fuit sublata, præscriptione non possint juvari, nullumq; jus habeant se opponendi in his, quæ spectant ad cultum Divinum, & curam animarum in dicta Ecclesia Cardinali Titulari, & sint pleno jure, & omninò subjecti eidem Cardinali, ablata à Generali, Provinciali, & Superiori omnis in eos Jurisdictio, non est cur petant manuteneri in eorum prætensa possessione, quæ & non adest, & si adesset, per decreta irritantia appositа in Constitutione Sixti, & Diplomate Tituli, quæ insi- 19
ciunt Titulum, & possessionem, ut per plures decisiones Rotales ostendit. *Barbos. claus. 40. nu. 18.* fuit sublata.

Nec potest hodiè dari de possessione, quia solùm tractatur, ut Illustrissimi Domini mei referant Sanctitati suæ, quam auctoritatem habeant Cardinales Titulares in Ecclesiis Regularibus suorum Titulorum, cum ex hoc pendeat bonum Jus, vel Cardinalis Titularis, vel Fratrum inservientium dictæ Ecclesiæ Titu- 20
lari, & quando possessio pendet à negotio principali, ut hic, debet priùs terminari negotium principale. *Gregorius XV. decis. 283.* & ibi *Adden. num. 18.*

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ continentur sub Titulo de Jurisdictione, & foro competenti.

A.

ABBATES REGULARES

Pontificalia exercere possunt in tribus Festivitatibus annuis, disc. 31. nu. 2.

ACCESSORIA

Principalis naturam sequuntur, d. 83. n. 6.

ACTOR

Est creditor quamquam provocatus, d. 60. n. fin.

Est donatarius in causa provocationis pro traditione, qua nondum sequuta donator qui revocat, fit actor, d. 62. n. 6.

Forum rei tenetur sequi, d. 75. n. 1.

Intentans remedium l. diffamari non videtur qui possidens movet hoc judicium contra non possidentem; secus si econtra, d. 62. num. 5. & dis. 69. n. 13.

ADMINICULA

Arbitraria est eorum cognitio, d. 2. n. 5.

ADVOCATI

Juris articulos tantummodo discutiunt, disc. 66. num 2.

Contra opinionem propriam licitè scribere possunt ob varietatem opinionum, & diversos litium exitus, dummodo proprium sensum clientibus aperuerint, d. 94. n. 2.

ÆGIDIANA

Constitutio etiam laicalis, quamvis confirmata per Summum Pontificem, d. 61. n. 2.

Differunt agere de Ægidiana re integra ad effectum appellandi, vel ad effectum excusandi executionem ab attentatis, d. 63. n. 6.

Evitatur ex mixtura interesse Ecclesiæ, sed non declinatur forus, d. 63. n. 5.

Non impeditur ex Clericali qualitate in necessario defensore, d. 63. n. 3.

Habet locum etiam in forensibus, si non obstat qualitas Clericatus, d. 63. n. 10.

Regularium jure statuti particularis, d. 63. n. 7.

Substinetur executio in ejus vim facta contra non opponentem exceptionem Clericatus, disc. 61. num. 2. & 4.

AER

A residentia Episcopos non excusat ob inclementiam, nisi ex accidenti supervenerit post erectionem Cathedralis, d. 24. n. 9.

Tempestatem sæpius mutat, d. 24. n. 9.

ÆTAS

Non præsumitur extendi ultra centum annos, d. 3. num. 9.

ANNONA

Præfecti jurisdictionis generalis non admittitur ex deputatione officialis ad Annonam, d. 85. n. 7.

APERITIO ORIS

Conceditur ob exorbitantem læsionem alteri resultantem, d. 8. n. 3.

Ex capite subreptionis, vel defectus intentionis, d. 10. n. 6.

Comprehensionis cognitio per decretum irritans, vel clausulam sublatam non prohibetur, d. 8. n. 9.

Neganda si non adsit probabilitas justitiæ patentis, d. 10. n. 6.

Negatur gratia jam exequutioni mandata cum diminutione vel annullatione ejusdem gratiæ, d. 8. n. 3.

Ejus species referuntur, d. 8. n. 2.

APPELLATIO

Est de appendiciis primæ instantiæ, d. 72. n. 4.

Defensionis est species regulariter non tollenda, nisi adsit justa, & potentior causa, d. 91. n. 7.

Differt à præfixione termini, d. 68. n. 10.

A qua differt denegata justitia & trina requisitio, d. 68. n. 10.

Electionem tribuit appellanti, d. 84. n. 2.

Interponitur à Prælatis inferioribus ad Papam, dis. 69. n 4.

Ex privilegiis Religionis Hierosolymitanæ non impeditur ad Papam, nec tamen licèt recurrere ad A. C. sed immediatè ad Summum Pontificem, d. 69. n. 6.

Procedit à denegata justitia post trinam requisitionem, præcipuè in criminalibus, d. 68. n. 9.

Prophanis in causis Religionis Hierosolymitanæ in ipsa Insula Melitensi nec datur appellatio, nec fori electio ad Curiam Romanam aut Regiam, d. 69. n. 8.

Ex decisionibus Rotalibus patet in causis in quibus aliter processum fuit adfuisse mixturam causæ Ecclesiarum, d. 69. n. 9

Probetur omisso medio etiam ad Principem, d. 72. num. 18.

Neque ex Provincia quisquam invitus extrahendus, ibid.

Ad Papam appellare licet omisso medio potius in causis Ecclesiasticis, quàm in prophanis, dis. 72. num. fin.

Prohibita si fuerit, non censetur prohiberi, quæ ad Principem, seu Apostolicam Sedem interponitur. Hujusmodi exempla, d. 71. n. 7.

ARBITRARIA

Sunt adminiculorum cognitio, d. 2. n. 5.

Injustitiæ difficilè redarguuntur, d. 2. n. 5.

Sunt remissorialium concessio, vel denegatio, d. 7. num. 2.

ARCHIEPISCOPATUS

Censuras denunciare potest contra Episcopum etiam inconsulto Pontifice, præcipuè si agatur de censuris à jure illatis, d. 52. n. fin.

Ecclesiam possidere potest in aliena diœcesi titulo simplicis Rectoris, d. 54. n. 7.

Pragensis est Legatus natus, d. 52. n. 6.

ARGENTARII

Jurisdictio eorum Consuli concessa non adimitur Magistratui generali, d 85. n. 7.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

ARGUMENTA

Non admittuntur ab Ecclesia primitiva ad moderna tempora, disc. 34. n. 13.

A contrario sensu desumi non possunt ex Doctorum sententiis, d. 72. n. 11.

Necessaria non sunt ad intentionem eruendam quoties verba sunt clara, d. 16. n. 3.

ARTIFICES

Cogi possunt licèt inviti ad exercendam suam professionem, d. 32. n. 9.

Privilegiis concessis exercentibus quasdam artes, fruuntur perpetuo addicti ei exercitio, d. 33. n. 8.

ATTENTATA

Non committuntur in causa omninò diversa, d. 31. num. 11.

Probanda cùm fuerint ex gestis in una causa, non infertur ad alteram, d. 31. n. 11.

AUDITOR CAMERÆ

Competens Judex est omnium causarum extra Curiam in gradu appellationis, d. 84. n. 1.

Secus in causis beneficialibus, d. 84. n. 3.

Competens omnium in Cura viventium, d. 86. n. 5.

Et pro contractibus gestis in Urbe, etiam contra absentes, d. 71. n. 3.

Exequutor est litterarum Apostolicarum, disc. 48. num. 3.

Incompetens extra Curiam in causis primæ instantiæ, nisi ex consensu partium jurisdictio prorogetur, vel agatur de exequutione obligationis Cameralis, dis. 51. n. 8. in fin. d. 53. n. fin. d. 62. n. 2. d. 87. n. 5. d. 90. n. 1.

Recursu firmatur ejus jurisdictio, & in præjudicium Metropolitanorum, & Legatorum, d. 53. num. 2.

Recursus qui ad A. C. conceditur in prima instantia subditis Baronum, non est extendendus ad subditos Ordinariorum Ecclesiasticorum, d. 53. num. 3.

Sententia quam tulit, circumscribi non potest à Judice inferiori, d. 74. n. 2.

AVOCATIO

Vide Causæ.

AUTHORITAS APOSTOLICA

Dispensare potest in omnibus à jure positivo provenientibus, d. 20. n. 23.

Eximere non solet subditos alicujus Principis, ut eos alteri dominio subjiciat, & eo casu clarè constare debet de ejus voluntate, d. 92. n. 5. & 14.

B

BANDITA

Clericos comprehendat nec ne, discursu 66. num. 5.

BARLETTAM

Vide Vicarius.

BARONES

Avocare possunt causas adhuc indecisas, in quibus Vasallus consensit in aliena Curia, d. 51. n. 8.

Avocantur ab iis facilius causæ in prima instantia, quia gratuitam obtinent jurisdictionem, d. 53. n. 5.

Non avocatur à Baronibus causa jam finita, non opposita declinatoria, quæ poterat opponi, d. 51. n. 8.

Concilii Trident. dispositio in causis primæ instantiæ non militat favore Baronum ut in Ordinariis, d. 53. n. 4.

Concussio subditorum facilè præsumitur in laicis Baronibus, d. 53. n. 7.

Consensu non possunt præjudicare Vasallo, dis. 51. num. 8.

Curia Gubernatoris respectu eorum videtur curia Præsidis, d. 88. n. 2.

Officiales Baronum habent jurisdictionem in dominio privativè ad Principem in pluribus instantiis, d. 88. n. 8.

Ex recursu eorum subditis concesso non infertur ad subditos Ecclesiasticorum, d. 53. n. 3.

Remissionem Vasalli, qui in alia Curia consenserit, petere possunt, d. 51. n. 4. & 8.

BENEFICIA

Concursu non providentur, quando eorum cura imminet Prælatis Regularibus, d. 37. n. 2.

In controversiis de jure conferendi, vel super unione, ac similibus, causa non dicitur beneficialis; secus si de titulo, ac perinentia beneficii, dis. 84. num. 4.

Leges recipiunt à voluntate testatorum, d. 40. n. 9.

Et leges, conditionesque apponi possunt quamvis juri contrariæ, d. 41. n. 7.

Pontifex etiam in mensibus Ordinarii concurrere potest cum quolibet collatore, sed non solet nisi ex causa, d. 53. n. 6.

BENEPLACITUM APOSTOLICUM

Nunquam præsumitur, si fuerit contra stylum, non obstante cujuscumque temporis lapsu, dis. 7. num. 13.

Multo magis concessum tempore Pauli III. ibidem.

Constitutio Urbani VIII. tollen. beneplacita præsumpta, non procedit inter duas Ecclesias, d. 7. n. 14. d. 24. n. 10.

Ad effectum ejus præsumptionis cum tempore requiritur observantia per actus univocos, non æquivocos, d. 7. n. 15. & d. 24. n. 15. d. 30. n. 8.

Non præsumitur nisi adsit justa causa necessitatis, ac utilitatis, d. 24. n. 13.

Requiritur in compromisso bonorum Ecclesiasticorum, d. 7. n. 11.

Non supplet justam causam, d. 24. n. 3.

BLANDITIÆ

Licitæ sunt pro inductione ad testandum, quamvis hoc fiat in præjudicium alterius, d. 79. n. 6.

Sed si sapiant sugestionem resultat actio de dolo, d. 79. n. 7.

Reprobatur communiter hæc opinio, ibid.

BONA ECCLESIASTICA

Locus Ecclesiasticus dicitur pius, non econverso, d. 60. n. 3.

Mundana appellari non possunt, d. 48. n. 13.

Prælato, aut Rectori non subsunt, nisi in administratione, d. 48. n. 12.

C

CALUMNIA

Ob ejus suspicionem rejiciuntur etiam legitimæ exceptiones, d. 76. n. 2.

Adest ejus suspicio si petatur remissoria post causam instructam, d. 76. n. 3.

CAMERARIUS RIPÆ ROMANÆ

Causas Ripales cognoscit, d. 83. n. 2.

Ejusque Jurisdictioni subsunt Ænopolæ, dis. 83. n. 3.

Et Nautæ in iis, quæ concernunt commercium Ripale, d. 83. n. 8.

Con-

Controversia excitata super gabella, ejusque quantitate, ejus cognitio spectat Conservatoribus, in reliquis Camerario, d.83.n.2.& 6.

Exempla causarum eidem remissarum, dis.83. num.2.

CAMPANÆ

Concionatorum species sunt ad divina invitantiū, d.33. num. 10.

Erectæ in Ecclesia Confraternitatum faciunt locum Ecclesiasticum, d.42.n.9.

Jurisdictioni Ordinariorum subsunt, quibus principaliter inserviunt, licèt aliquando aliis usibus destinentur, d.33.n.fin.

CANCELLARIA

Ab ejus Regulis non infertur ad ejus vocis Oraculum, d.82.n.7.

CANONICUS

Censendus est Episcopus in ea Ecclesia, ubi Canonicatum possidet, d.21.n.10.

CANONISTÆ

In materia Jurisdictionis, ac Immunitatis Ecclesiasticæ nimis excedunt, d.45.n.6.

CAPITULUM

Eligit Vicarium, tempore quo Sedes Apostolica consulit in casibus, in quibus jurisdictio electionis ad ipsam devolvitur, d.54.n.4.

Sed si adsit aliud impedimentum Prælati, quàm vacatio, electio devolvitur ad Sedem Apostolicam, d.54.n.4.

Aliter statuendum in Ecclesiis exemptis positis sub aliquo Ordinario, ad quem jure suo revertitur jurisdictio, ac in Diœcesi nullius, quæ remanet absque Rectore, & acæphala, d.54.n.5.

Jurisdictionem acquirit decedente Vicario Generali, donec Prælatus absens certioretur, d.54. num.7.

Refutatur Berous contrarium sentiens, d.54. num.9.

Sede vacante deputat suum Vicarium independenter ab alio, d.54.n.2.& 3.

Idemque faciendum in Ecclesiis exemptis cum territorio separato verè nullius vacante Sede in iis casibus, qui morti æquiparantur, ibid.

CAPPELLA

Paulina, & Sixtina in Ecclesia S. Mariæ Majoris impropriè dicuntur territoriorum separatum, d.33.n.9.

Circumstantiæ, quibus hæc inseparabilitas evincitur, d.33.n.11.

Protectoribus Cappellarum non conveniunt decreta loquentia de Cardinal. Titul. & Archipresbyteris Basilicarum, d.35.n.4.

CAPPELLANI

Manuales alii sunt, & alii perpetui, d.33.n.2.

Nomen hoc competit cuilibet aliquod beneficium possidenti, quamvis per alium celebret, disc.33. num.2.

CARCERATIO

Continuatur, quamvis malè fuerit incœpta, si incontinenti constet de delicto, d.48.n.17.

Pœnæ loco aliquando cedit, si fuerit longa, d.19.n. 1.in fin.

CARDINALES

Conveniri non possunt, nisi coram Pontifice cujus Minister est A.C.d.80.n.3.

Quod privilegium in eorum odium retorqueri non debet, si eos interest alibi conveniri, d.80. num.8.

Præcipuè si causa extra Curiam disputanda sit coram Cardinali Legato, d.80.n.9.

Ecclesiæ universalis pars, & membra dicuntur, disc. 34.n.14.

Ecclesias habent Titulares, & ibi de titulorum divisione, d.34.n.1.

Eximuntur in Ecclesiis titularibus à jurisdictione Vicarii Urbis, nisi Pontifex non qua Episcopus, sed qua Papa aliter velit, d.34.n.17.

Titulorum origo quænam fuerit, & jurisdictio in suis titulis, d. 34.n.4.

Formula collationis Tituli Cardinalitii, disc.33.n.2.

Monasteria an Titulis subjici possint, d.33.n.20.

Absolvendi ab Hæresi, ac dispensandi ab irregularitate facultatem Ordinariis concessam non habent, d.34.n.18.

Neque id procedit ex defectu jurisdictionis, sed ex præsentia Pontificiæ Majestatis, disc. 34. num.18.

Immunitatem domibus, vel propriis, vel conductis magis ex consuetudine, quàm de jure obtinent, d.70.n.3.

In domibus ruralibus absente Cardinali, neque ex consuetudine ulla competit immunitas, d.70.n.4.

Immunitate non gaudet domuncula habitata per laicos cum janua in via, d.70.n.7.

In immunitate domus annexæ eorum titulis regulantur jure domus Episcopalis, d.70 n.2.

Jurisdictio in eorum titulis nuncupetur Episcopalis, vel quasi fit per terminos synonimos probatur, d.34.n.8.9.& 10.

Est verè Episcopalis, quamvis ab aliquibus dicatur quasi Episcopalis, d.34.n.11.& 12.

Ordinarii sunt in suis titulis veluti Diœcesis impropriè nullius, d.34.n.8.

Parochi simplices in suis titulis ob auctam dignitatem censeri non possunt, d.34.n.15.

Superiores Regularium fiunt titulares Ecclesiæ Regularis ratione cultus ejus Ecclesiæ, dis. 34.n.25. & 26.

CATHEDRATICUM

Exigitur ab Episcopo, qui ex situatione Ecclesiæ intra Diœcesim habet intentionem fundatam, d.38.n.2.

Est onus accessorium ad convocationem Synodi, d.38.n.fin.

Idem est, ac Synodaticum, ibid.

Ex situatione Ecclesiæ intra Diœcesim resultat fundamentum intentionis pro Episcopo ad id exigendum, d.38.n.2.

CAUSÆ

Vide Signatura.

Appellationis, & principalis una dicuntur causa, d.72.n.4.

Sed variant Auctores, ibid.n 12.

Appellationis extra Curiam judicantur ab Auditore Cameræ, d.84.n.1.

Secus in Beneficialibus, d.84.n.3.

Avocatur à Baronibus in prima instantia facilius, quia gratuitam obtinent jurisdictionem, d.55.n.5.

Ab iis tamen avocari possunt adhuc indecisæ, pro quibus Vasallus consentit in aliena Curia, dis. 51. num.8.

Nec avocantur à Baronibus jam finitæ, non opposita declinatoria, quæ poterat opponi, d.51. num.8.

Avocari ab Episcopis per Pontificem possunt in prima instantia, sed rarò, nec sine causa id fieri solet, d.53.n.6.

Avocatio non inducitur, sed potius præpostera-
tio ex remissione causæ falsitatis Testamenti ad
Judicem civilem, disc. 79. n. 8.
Avocari non possunt ab Ordinariis locorum ex ca-
pite negligentiæ, d. 68. n. 1.
Earum continentiam non causat sola indemnitas
personarum, d. 76. n. 5.
Declinatio, & exceptio causarum debet opponi in
principio, non autem postquam diu fuerit liti-
gatum, & post causas instructas, d. 76. n. 4.
Judicari omnes debent ab Ordinariis locorum in
prima instantia, d. 62. n. 2.
Conciliaris dispositio probabilius in causis
prophanis locum obtinet, d. 62. n. 3.
Locum obtinet solùm in causis primæ instantiæ, &
causis Ecclesiasticis, secus in laicalibus, d. 68. n. 2.
& 3.
In Statu Ecclesiastico causæ Tribunalium laicorum
non subjacent huic dispositioni, d. 68. n. 4.
Ex litis initio tota causa prævenitur, & quomodo
hoc intelligatur, d. 72. n. 5.
Peremptæ dicuntur de Jure Civili, nisi intra certum
terminum expediantur, d. 68. n. 5.
Adversus Peremptionem adhibetur reme-
dium insufflationis spiritus per Principes laicos,
d. 68 n. 5.
Peremptio nulla datur de jure Canonico, & in Cu-
ria similes termini sunt omninò ignoti, d. 68. n. 6.
Peremptio est desertio, neque inducitur per
silentium 30. annorum, nisi bonum jus, & ma-
gnus fumus concurrat, d 68. n. 6.
Propriæ sunt quorum commodum, & incommo-
dum principaliter pertinet, assumenti Judicis
partes, d. 47. n. 16.
Defensio dominii, vel libertatis bonorum
Ecclesiæ non est causa propria Episcopi, disc. 47.
num. 16.
Interesse accessorium non facit causam pro-
priam, ibid.
Remitti non solent à Curia Romana Judicibus in-
ferioribus, intellige re integra, si nondum ab a-
lio Judice fuerit sententiarum, d. 88. n. 4. & 9.
Remitti debent Curiæ Baronis, nisi adsit ju-
sta suspicio, d. 88 n. 3.
Et suspicio influit etiam in omnes officiales,
d. 88. n. 7.
Remissioni aliquando fit locus, ne quis fide
publica decipiatur, d. 88. n. fin.
Non remittuntur ad forum rei ex celebrato con-
tractu in Urbe, nisi quando adimpleto contra-
ctu, agitur de repetitione indebiti, d. 71. n. 8.
Ripales cognoscuntur à Camerario Ripæ, disc. 83.
num. 2.
Sub jurisdictione Camerarii Riparum sunt
Exopolæ, d. 83. n. 3.
Excitata controversia super Gabella, ejusque
quantitate, cognitio spectat Conservatoribus,
in reliquis Camerario, d. 83. n. 2. & 6.
Exempla Causarum remissarum Camerario,
d. 83 n. 2.
Quæ summariæ sunt ab initio in qualibet instantia,
remanent summariæ, d. 72. n. 5.
Uniri debent in concursu plurium creditorum, vel
plurium ad eandem successionem, & de aliis cau-
sis unionis, d. 76. n. 5. d. 83. n. 3.
Inter fratres convenit unio causarum, nisi ex
circumstantiis appareat intentio alterum inuti-
liter vexandi, d 76. n. 6.

CENSURÆ

Absolutio peccati deneganda non est, si validitas
Censurarum sit dubia, disc. 47. num. 2.
Archiepiscopus etiam inconsulto Pontifice potest
procedere per censuras contra Episcopum, mul-
tò magis si agatur de cesuris latis à Jure, disc. 52.
num. fin.
Defensionis causa promulgantur à Prælatis non
propria auctoritate, sed jam à jure illatæ, dis. 48.
num. 13.
Per speciem defensionis Prælatus procedere
potest extrajudicialiter ad Censuras, quamvis sit
pars, d. 49. n. 5.
Ex delicto facti permanentis sit incursus Censura-
rum illatarum à lege, quæ sustinentur, quamvis
essent defectuosæ. Exemplum Judicis laici, disc.
48. n. 16.
Denunciari possunt etiam à non habente jurisdi-
ctionem, d. 29. n. 2. d. 47. n. 3.
Et ab Ordinario etiam in exemptos, si Cen-
suræ sint à Jure illatæ, d. 29. n. 3.
Magis in casu notorio, d. 47, n. 3.
Etiam in non subditos turbantes bona Eccle-
siæ, disc. 47. num. 44. & num. 23. disc. 48. num. 9.
& 10.
Declaratur ibidem *cap. Dilecto de sent. ex-
com. in 6.*
Denunciari non possunt, cùm bracchium sæ-
culare adjuvat Superiorem Ecclesiasticum, ad
quod sub pœnis tenetur, d. 65. n. 4.
Denunciari non possunt ab Ecclesia actrice in lai-
cum, quando agitur de jure laicali, d. 46. n. 2.
Secus cùm agatur contra occupatores bono-
rum, & jurium Ecclesiæ, d. 46. num. 2. d. 47. n. 2.
Et rectè proceditur cum Censuris contra tur-
bantes de facto, urbanius tamen fit, si citatio
præcedat, d. 46 num. 3. d. 47. num. 22. d 48. num.
2. 3. & 6.
Diligentiæ demandatæ à Sacro Concilio Tridenti-
no præcedere debent, antequam denuncientur,
disc. 46 num. 9.
Nullæ requiruntur diligentiæ in casu forma-
lis perturbationis, quando proceditur in forma
extrajudiciali, d. 46. n. 9.
Excusat à Censuris credulitas, ac bona fides, d. 52.
num. 8.
Exempti in casibus, in quibus per Concilium Tri-
dentinum subjiciuntur jurisdictioni Ordinario-
rum, possunt ab eisdem Censuris coerceri cum
omnimoda revocatione privilegiorum, & Cen-
suræ infliguntur ipso jure sola Prælati accedente
declaratione, d. 29. n 7. d. 48. n. 9.
Immunitatis Congregatio, sæpius rescribit, ut a-
motis Cedulonibus censurati conscientiæ suæ
consulant, d. 65. n. 2. & d 67. n. fin.
Judex laicus citans familiarem Cardinalis absen-
tem, & in habitu laicali procedentem, vel Cleri-
cum, qui eodem habitu laicali incedat, Censu-
ras non incurrit, d. 67. n 6.
Magistratus inferior obediens superiori asserenti
ex licentia Prælati Ecclesiasticam personam de-
tineri posse, non est obnoxius Censuris, dis. 65.
num. 5.
Ob fraudes, quæ possunt intervenire, solus
superior mandans Censuris subjicitur, ibi. n. fin.
Ad possessionem tuendam non ad recuperandam
conceduntur, d. 47. n. 24.
In subditos, promulgatæ cùm fuerint, dubitandum
non est de validitate, d 48. n. 8.
In subditos turbantes superiores, quamvis in bo-
nis propriis promulgari possunt, secus in non
subditos, d. 48. n. 13.

Quali-

Qualitas subjectionis, vel non subjectionis inservit ad faciliorem probationem possessionis, disc.47. n.24.
Non subditi facilius audent turbationes; ideò Censuris reprimendi, d.48. n.9.
Fieri non potet à proprio Judice erga subditos habitantes in alieno Territorio, d.20.n.15.
Intellige de citatione reali, secùs de verbali, ibid. n.16.
Influit ejus defectus in totam causam, etiam respectu citatorum, d.83.n.3.

CITATIO

Interesse secundarium habentibus, non est necessaria, d.22.n.3.
Judex aliàs incompetens in citatione debet exprimere causam, ob quam se credit competentem, d.87.sub n.6.
A Judice incompetenti facta inservit ad inducendam scientiam, d.60.n.8.
Jurisdictioni Ecclesiasticæ nullum infert præjudicium, si non sit coarctiva, d.60.n.9.
Clericus tamen invitatur, ut voluntarius defensor, ibid.
Nullitas omissionis citationis negligi solet in facto valde notorio concurrente justitia judicati, d.22. num.4.
Præventionem inducit, d.49.n.2.
Realis continet majorem jurisdictionem quàm verbalis, d.20.n.16.

CITATUS

Absentiæ tempore non potest imputari de negligentia, si se non defendat, d.61.n.6.
Comparere tenetur coram Judice prætendente competentiam ob delictum commissum in suo Territorio, vel ob aliam causam criminalem, d. 79.n.2.
Comparere non tenetur coram Judice incompetente, quo casu non est contumax, d.87.n.4.
Comparere non tenetur expressa causa competentiæ, si postmodum fuerit sublata, disc.86. num.7.
Contumaciam non inducit citatio delegati, nisi inseratur delegatio, d.86.n.7.

CIVES

Qui uxorem duxerint, bona quæsierint, domicilium contraxerint in omnibus Cives reputantur, d.46.n.fin.
In Pagano non datur duplicitas patrimoniorum, nisi statuto aliter disponatur, disc.90. num.3.

CIVILIS ACTIO

Concurrentibus actionibus civili & criminali, quarum unius electio alteram tollit, electio civilis non impedit processum Judicis ex officio etiam criminaliter demandante Pontifice, vel Magistratu supremo, d.77.n.2.
Utraque actione copulativè competente, dum criminalis pendet à Civili, altera prius est terminanda, d.77.n.3.

CIVILITAS

Non admittitur per domicilium occasionale alibi contractum, exemplum in Principibus Romanis, d.89.n.7.
Concedi non potest, nisi à Superiore, & est de Regalibus, d.46.n.fin.
Concessa per Civitatem non suffragatur adversus Episcopum, d.46.n.fin.
Ficta ad sui præjudicium à Civitate, & Dominis temporalibus concedi potest, d.46.n.fin.

CIVITAS

Legationi alicui addita eximitur à Consulta, disc. 85.n.3.§.*Et ultra*.
Et à legatione exempta Consultæ subjicitur, d.85.ibid.
Unita principaliter alicui Provinciæ, vel Regno, retinet primævam naturam, secus si accessoriè ac subjectivè, d.21.n.9.

CLAUSURA

Ejus custodia committi potest Prælato inferiori in diœcesi verè nullius, secus in territorio quod solum ex fictione dicitur separatum, disc.18. num.7.
Eaque non solum respicit clausuram materialem, sed etiam mores non minus Monialium, quàm cæterorum in Monasteriis conversantium, qui debent posse coerceri ab Ordinario, d.18. n.8.d. 26.n.17.d.27.n.8.
Et Ordinariis est committenda, quia sæpius absunt Prælati majores Religionum disc.27. num.9.
Laici deputati, quamvis prætendere non possint assistentiam cum visitatione, vel aliis ab eo deputatis intra Clausuram mulierum, consultum tamen esset eos admittere cum iis ob necessitudinem cordi sit Monialium pudicitia, disc.27. num.fin.
Mulieribus sæcularibus conviventibus in aliqua domo pro majori honestatis conservatione mandari non potest, d.45.n.3.
Potest tamen titulo Reformationis injungi alia habitatio, & prohiberi conversatio cum laicis, d.45.n.10.

CLERICATUS

Ejus cognitio non ad alium pertinet quàm ad Judicem Ecclesiasticum, d.64.n.2.
Declaratur Baldus concedens litteras Clericatus exhiberi posse Judici laico, d.64.n.3.
Si aliter vel ex aliquo ritu, aut consuetudine obtineat, id trahi non debet ad alios Judices, d. 64.num.4.

CLERICUS

Conveniendus coram Judice Ecclesiastico in judicio particulari, qui obtinuit rem à Judice laico, si pro ejusdem rei dimissione conveniatur, d.58. n.2. d.94.n.11.
Concessa per judicem laicum possessione cum clausulis præservativis juris alterius insurgentibus novis oppositoribus, An conveniendus sit coram Judice laico, vel Ecclesiastico, in diversa abeunt Authores, d.58.n.3.
In hoc casu in Principatibus laicis remanet competens Judex laicus, d.58 n.3.
Conveniri potest coram Judice laico, à quo aliquid obtinuit cum clausula præservativa, si perseveret idem Judicium, & eadem causa, d.94.nu.1.
Et coram laico is, qui suscepit munus in statu laicali, vel ex motivo sanguinis, juxta opinionem Civilistarum, d.94.n.4.
Conveniri non debet coram Legatis, sed coram loci Ordinario, d.51.n.2.
Hæres laici pro ære alieno conveniendus est coram Judice Ecclesiastico cùm effectus jam est pacificus possessor, neque hoc casu concurrit praxis, ac reliqua quæ in aliis casibus juvare possent, d.94.n.17.
Hæres declaratus in judicio universali conveniri debet coram Judice Ecclesiastico, d.94 n.13.
Et trahitur ad forum laicalem in quo agitur causa universalis fideicommissi, seu hæreditatis, juxta opinio-

opinionem Baldi disc. 59. num. 3.
Referuntur rationes pro hac opinione, disc. 59. n. 4.
Refutatur opinio Baldi non habens locum, nisi in causa feudi, d. 59. n. 8.
Baldi doctrina procedit dum Clericus non possessor invitatur tanquam defensor voluntarius, secus si tanquam reus necessarius, disc. 59. n. 11.
Declinatoriam non opponens si aliis præjudicet, tenetur ex negligentia, disc. 61. n. 3.
Non tenetur ad expensas si oppositio fuisset inutilis ad victoriam causæ, dis. 61 nu. 6.
Defensor necessarius laici forum declinare non potest aliter inter ditione Ecclesiastica, licèt de Ægidiana dubitetur, disc. 60. n 6.
Ex delicto commisso tempore Clericatus quæritur jus Episcopo, quod ex fori, ac Clericatus renunciatione tolli non potest, disc. 55 n. 3.
Laicus verò pro delicto commisso ante Clericatum non potest puniri à Judice laico, concessa tamen præventione quoad bona, non quoad personam, disc. 55. n. 4.
Dignior reputatur in concursu privilegiorum adversus viduam, d. 69 n. 11.
Electus potest statim se ingerere quando electio, & collatio idem sunt, nec requirenda est Sedis Apostolicæ confirmatio, disc. 54. n. fin.
Electionem fori habet contra viduam, ne à divino cultu distrahatur, d. 80. n. 15.
Ad fidam tamquam pretium justi valoris ipsius pascui, tenentur etiam Clerici, dis. 66. n. 6.
Et ad fidam quæ imponitur tanquam restaurativa damni, dis. 66. n. 7.
Foro laico subjicitur ratione feudi, d. 59 n. 14. d. 94. num. 4.
Forum laici adire tenetur, si fuerit actor, disc. 62. num. 2. & 4.
Forus declinari non potest per dimissionem Clericatus. Afferuntur rationes, d. 55. n. 5. 6. & 7.
Impositionibus, quæ tanquam species pœnæ à laicis imponuntur obnoxia, non sunt animalia Clericorum, d. 66. n. 3.
De bandita vel defensa an Clericos comprehendat, d 66. n. 5.
A Judice laico gesta contra Clericum, quamvis laicum reputatum, sunt invalida, d. 61. n. 5.
Jurisdictionem prorogare non potest absque Superioris licentia, d. 51. n. 7.

Vide Jurisdictio.

Ordinarii potest ab Episcopo ejus diœcesis cujus est domiciliarius, d. 52. n. 3.
Ordines tamen non ab alio petere potest, quàm à proprio Episcopo, d. 52. n. 4.
Numerus præfixus Clericorum ordinandorum in jure non reperitur, sed remanet arbitrio Episcopi, rectè tamen exercendo, disc. 26. num. 8. & 9.
Pastores Clericorum ob damnum ab ipsis datum puniri possunt à laicis in propriis bonis, ac personis absque præjudicio Clerici, d. 66. n. 4.
Et animalia in alieno depascentia possunt à laicis arestari, ratione tamen privata, non jurisdictionali, d. 66. n. 8.
Exempla similium arestationum, discursu 66. num. 8.
Non est tamen admittendus excessus sapiens rationem jurisdictionalem, d. 66. n. fin.
Privilegiis non fruitur, nisi in habitu, & tonsura incedat cum adscriptione servitutis alicui Ecclesiæ, præcipuè si fuerit conjugatus, disc 56. nu. 2.
Ejus privilegia sunt potentiora privilegiis viduæ, d. 80. n. 15.
Author laudatus non communicat suum privilegium laico habenti ab eo causam, disc. 63. num. 2.
Reconveniri potest à Judice laico, qui ab eo aliquid obtinuit cum clausula præservativa, si perseveret idem judicium, & eadem causa, d. 94. n. 1.
Per clausulas præservativas juris alterius inducitur conditio resolutiva, d. 94. n. 14.
Comparentibus jus habentibus jure necessariæ successionis bona jam Clerico concessa cum clausulis præservativis, finguntur vacantia, dis. 94. num. 14.
Reconventionis casus succedere non solet, nisi in eo qui ex post efficitur Clericus, disc. 94. num. 10.
Reus conveniendus est coram A. C. d. 62. n. 4.
Rei qualitates inquiri debent ab actore, d. 61. num. fin.
Spoliatus laicus à Judice laico qui concessit possessionem Clerico, potest appellare ad laicum superiorem, & existit adhuc primum judicium, d. 58. num. 3.
Aliter Clerici admitterent remedia possessoria, & privilegia, d. 58. n. 4. d. 94 n. 12.
Si autem ex reconventione oriatur districtio in persona, & bonis ipsius Clerici, petendus est Judex Ecclesiasticus, d. 58. n. 5.
Exemplum ad casum reconventionis, d. 58. num. 6. per totum.
Subditus sit Episcopi ad cujus diœcesim migravit, carens proprio Episcopo Catholico ob occupationem diœcesis ab Acatholicis, disc. 52. num. 2.

COLLATIO ORDINUM.

Clerico domicilario alicujus diœcesis ab ejus Episcopo conferri potest. d. 53. n 3.
Ab alio Episcopo, quàm à proprio peti non potest, disc 52. n. 4.
Si facilè administretur, varios gignit abusus, dis. 20. n. 10.
Ignorantia allegari non potest ab ordinante Clericos alienæ diœceſis, nisi rectè justificetur in foro externo, dis 52. n. 9.
In Parochialibus unitis propriæ Ecclesiæ fit per Prælatos inferiores absque concursu, d. 15. n. 3.
Non aliter verò quàm si constet de unione, vel non sint juris patronatus, d. 15. n. 5.
Prohibita intelligitur per Sac. Conc. Trident. inferioribus Prælatis existentibus intra limites diœcesnm, non autem in locis verè nullius, dis. 16. n. 1.
Sacra Concilii Congregatio ab hac opinione recessit, d. 16. n. 3.
Modus quo optimè consulitur ordini in locis nullius, d. 16. n. fin.

COLONI

Dicuntur omnes inducti ad culturam alicujus territorii, d. 1. n. 22.
Non eximuntur à jurisdictione alterius superioris concessa jurisdictione Comiti domorum, disc. 85. num. 7.
Privilegiis exemptivis Regularium non fruuntur, quamvis eorum bona colant, d 91. n. 4.
Religionis Hierosolymitanæ licèt vivant in domibus ejusdem Religionis, non sunt exempti, nisi vivant more claustrali, & religioso, disc. 4. n. 9. §. *Verò*, & §. *Clarius*.

Vide

Vide Privilegia Religionis Hierosolymitanæ.

COMMENDA

Non immutat naturam beneficiorum Militiarum, seu Episcopatuum iis ab erectione impressis, disc.92. num.14.

COMMENDATARII

Vide Religio Hierosolymitana.

COMMISSIONES

Non valent, nisi literis expeditis, exemplum Curiæ Neapolitanæ, disc.82. num.3.

Factæ ex Signatura Justitiæ cum clausula *omisso medio* exorbitant à regulis juris & à privilegiato excipi possunt. disc.72.num.1.fin. §. *& licet.*

COMMUNIO BONORUM

Paternorum, & maternorum non inducit universalem, disc.76.n.7.

COMPARITIO

Est necessaria coram Judice prætendente competentiam ob delictum commissum in suo territorio, vel ob aliam causam criminalem, disc.79. num.2.

Quæ necessitas cessat si expressa fuerit causa competentiæ, quæ postmodum fuerit sublata, disc.86.n.7.

COMPROMISSUM

De bonis Ecclesiasticis absque beneplacito Apostolico fieri non potest, disc.7.num.11.

CONCESSIONES

Denegatæ per Superiorem fieri non possunt ab inferiore, quamvis facultatem haberet, disc.52.n.7.

Ex causa onerosa non veninnt sub legibus, ac dispositionibus generalibus, disc.27 num.6.

Populis ac subditis novis multæ faciendæ, quamvis à jure exorbitantes, ut à Clemente, ac Urbano Octavis factum, disc.22.num.fin.

Probant jus concedentis, & quando, disc.2.n.14.

Non suffragantur obtentæ post obitum Episcopi, licet ex confirmatione Apostolica, si non fuerit auditus successor, disc.2.num.17.

CONCILIA GENERALIA.

In derogatoriis Concilii, necessaria est specialis ejus mentio, disc.27.n.3.

Observantiæ proximæ publicationi Concilii est deferendum, disc.41.n.12.

Tridentino derogatum, censetur per derogatoria generalia absque speciali mentione, disc.27.n.4.

CONCURSUS CREDITORUM

Vide Creditor.

CONCUSSIO

Subditorum Baronum laicalium facilè præsumitur, disc.53. n.7.

CONFESSARII

Deputari possunt etiam ab Ordinario impropriè speciei nullius, disc.20.n.22.

Extraordinarii debent ter in anno ab Episcopo pro Monialibus, disc.32. n.1.

Deputati à Diœcesano possunt audire, & absolvere confluentes ex aliena diœcesi, etiam à casibus reservatis per alium Ordinarium, disc.20.n.22.

Fraus quæ posset interesse in eludendo legem proprii Ordinarii, tangit solum conscientiam ipsorum subditorum, disc.20. num.25.

Deputati ad audiendas confessiones in uno Monasterio, non possunt se ingerere in alio absque licentia Episcopi, disc.32.n.3.

Si removeantur ab audiendis Monialibus, non tenetur Episcopus reddere causam remotionis, disc.31. num.3.

Regulares activam vitam profitentes compelli possunt ab Episcopo confessionibus audiendis, disc. 32.n.7.& 10.

Subsunt jurisdictioni Ordinarii loci, etiam in Monasteriis exemptis Monialium, disc.32.num.2.

CONFRATERNITATES

Ecclesiasticus locus dicuntur, si Ecclesiam, & campanas habeant, erectæque fuerint cum Ordinarii authoritate, quibus cessantibus dicuntur locus pius, disc 42.num.9.

Foro Ecclesiastico ut gaudeant, quæ requirantur, & ut ejus bona dicantur Ecclesiastica, disc.60.n.3.

Loca pia quoad aliqua esse possunt, subjici tamen quoad bona temporalia foro laicali, disc.60.n.3.

Æconomi earum successores sibi eligere non debent, disc.43.n.5.

Sacerdotes celebrantes describere possunt ad placitum, disc.42. n.8.

CONGREGATIO CONCILII

Causas contentiosas jam in Rota introductas, solet ad Rotam remittere, disc.15.n.1.

Et quæ egent processu, & tela judiciaria, disc. 28. n.5.

CONGREGATIO EPISCOPORUM, & REGULARIUM

Procedit, ut reliquæ Congregationes extrajudicialiter, & omni appellatione remota, disc.91.n.8.

Nec procedit in causis requirentibus formalem processum, disc.91.in fin.

CONSERVATORES REGULARIUM

Appellationem suspensivam admittunt, si processerint tanquam Judices in casu notoriæ injuriæ, disc.49.n.17.

Ex resolutione Congregationis Concilii appellatum ad Judicem delegatum pro appellationibus, cum effectu tamen devolutivo in casu manifestæ injuriæ, disc 49.n.1.& 12.

Definiuntur viri potentes, & auxiliatores cum majoribus armis assistentes parti, ut se tueatur ab injuriis, & violentiis, disc.49. n.5.

Delegati sunt Pontificii, nec ab iis datur appellatio, nisi ad Summum Pontificem, non ad Legatos à latere, disc.49. n.2.

Facultates eorum reformatæ per Greg. XV. in casibus, in quibus Regulates sunt actores, secus quando sunt rei, disc.49. n.12.

Inhibitionem Judicis delegati pro appellatione spernere possunt, disc.49.n.11.

Judex à sententiis Prælatorum majorum debet etiam judicare gesta per Conservatores, d.49.n.10.

Judiciaria tela procedere non debent in casu manifestæ injuriæ, disc.49.n.6.

Judicum nomine non continetur, disc.49.n.4.& 8.

Secus si aliter important verba deputationis, ibidem.

Exemplum ex authoritate Fagnani de indictione Cruciatæ, disc.49.n.10.

Societatis Jesu possunt duplicem personam Judicis, & partis diversis respectibus inducere, disc.49.n.7

Debet tamen dari recursus ad Judicem delegatum pro appellationibus, ut discernatur quam personam gesserint, ibid.

CONSERVATOR RELIGIONIS HIEROSOLYMITANÆ.

Non eximitur ab Ordinario præter exercitium delegatæ jurisdictionis, disc.4.n.13.

Tribunal erigere non potest, quamvis ei liceat uti quolibet Notario, disc.4. n.14.

CONSTITUTIONES SYNODALES

Vide Synodus.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

CONSTITUTUM

Traditionem factam operatur etiam ad effectum manutentionis, disc.62.num.7.

Multò magis si apud alium remaneat ususfructus, disc.62.n.8.

CONSUETUDO

Attendi non debet contra facultatem competentem Episcopo visitandi, & reddendi rationes piorum locorum, disc.42.n.5.

Benigna censetur, per quam fiat reversio ad jus commune, disc.37.n.7.

Definitur jus non scriptum inductum ex tacito usu illorum qui facultatem habent condendi leges contra eos, contra quos inducitur, disc.34.n.29.

Differt à præscriptione, disc.34.n.16.

Extendenda non est de casu ad casum, nec de persona ad personam, licet cum identitate rationis, disc.53.num.4.disc.64.n.5.

Secus si vigeat aliqua consuetudo in Curia Romana in materiis Pontifici verisimiliter cognitis, quæ tamen observantia concludenter probari debet disc.53.n.5.

Jurisdictionem non inducit in juribus laicalibus absque scientia, & patientia magistratuum laicalium, disc.46.n.6.

Est modus acquirendi jurisdictionem in laicos etiam ratione juris laicalis, eo magis in casibus mixti fori, disc.46.n.4.

Sed nihil operatur absque scientia, ac patientia magistratuum laicalium, disc.46.n.6.

Particularis prævalet generali disc.46.n.5.

Tribunalibus inferioribus non est adaptabilis, quæ aliquid obtineret in magna Vicaria Neapolitana, disc.64.in fin.

CONSULENTES IN JURE

Cavendi sunt, & possunt nunc pro una, nunc pro altera opinione consulere. *Vide* Advocati, disc.2.n.6.disc.22.n.7.

CONSULTA

Jurisdictionem suam exercet jure veteri in Statibus infeudatis & postea vel devolutis, vel certis, disc.85.num.3.§. Et ultra.

Civitas addita alicui legationi eximitur à Consulta, & à legatione exempta subjicitur Consultæ, d.45.num.3.§. Et ultra.

CONTRACTUS

Locus ejus is est, in quo Mandatarius recipit, & exequitur mandata, disc.71.n.4.

CONTUMACES

Condemnati non debent admitti ad defensionem, ex alia sententia possunt admitti, sed coram Judice qui condemnavit, disc.88.n.5.&6.

Non inducitur ex citatione delegati non inserta delegatione, disc.86.n.7.

Neque ex non comparitione coram Judice incompetente, disc.87.n.4.

Et ut procedatur per contradictas requiritur prima citatio personalis, disc.107.n.2.

COPIÆ

Fidem non merentur quamvis antiquæ, disc.10.n.4.

Nisi quædam concurrant adminicula, ibid.

Copia copiæ non facit fidem, disc.2.n.5.

CREDITORES

Actores semper sunt, quamquam provocati, disc.60.in fin.

In concursu major pars in deliberando, quæ concernunt &c. minori parti præjudicat, disc.83.n.3.

Et data æquali judicum competentia, præventioni defertur, disc.83.n.3.

CRIMINALES CAUSÆ

A Judice criminali cognosci non debent, ubi statim criminalitas excluditur, disc.79.n.3.

Neque ejus jurisdictio est ex partium consensu prorogabilis, disc.79.n.4.

Et si criminalitas sit inducenda ex cognitione causæ civilis, simultaneus concursus est incompatibilis, sed demandanda est suspensio Judici criminali, disc.79.n.5.

Judicium criminale locum non habet, ubi prætensus dolus purgari potest ex civili actione dependente ex contractu, disc.80.n.5.

Exempla administrationis hæredis non accusandi de expilata hæreditate, disc.81.n.5.

CRIMINALITAS

In dolosum semper exerceri non potest, disc.79.num.7.

In hæredem exerceri non potest ob falsitatem inventarii, disc.79.n.7.

Intret nec ne adversus inducentem ad testandum ad sui favorem, pendet à facti circumstantiis, disc.79.num.6.

In hoc casu induci non potest ante exitum litis civilis, disc.79.n.7.

Testamentum potest esse invalidum, actus non esse criminaliter punibilis. disc.79.n.7.

CURIA GUBERNATORIS

Respectu Baronum videtur curia Præsidis, disc.87.num.2.

CURIA NEAPOLITANA

Commissiones non admittit, nisi literis expeditis, disc.82.num.3.

Consuetudinem admittit, quæ non est adaptabilis inferioribus Tribunalibus disc.64.in fin.

Jure Longobardico olim utebatur, disc.62.n.13.

CURIA ROMANA

Advocatos habet cæteris nobiliores, disc.7.n.10.

Patria est communis. disc.90.num.2.

Extrà subditos Principatus Ecclesiastici non censetur patria communis ad effectum apprehensionis, à qua opinione recessit signatura, disc.89.num.2.

Reus conventus si sit subditus etiam sola origine, potest in Curia apprehendi, discurs.89.num.3. & disc.90.

Secus si aliqua obstent concordata, ut Galliarum, vel conventus accesserit ad limina Apostolorum, disc.89.num.4.&5.

Cessat exemptio ex concordatis, si conventus sit etiam origine subditus Papæ, disc.89.n.6.

D

DECANUS

FAcultatem habet puniendi delinquentes in Choro, si in eodem fuerit ei concessa præeminentia, disc.17.num.2.

DECIMÆ

Præsumuntur spirituales in dubio, disc.49.n.15.

A Thesaurario Urbis non eriguntur ratione collectoris, disc.85.n.2.§. *quodque jus.*

Pro decimis eidem debitis nulla adest restrictiva intra Italiam, nec pro aliis emolumentis & spoliis &c. d.85.n.2.

Transeunt tanquam onus reale in quemcumque possessorem, quamvis privilegiatum, disc.49.n.15.

DECISIONES ROTALES

Editæ unica tantùm parte informante, sunt valdè periculosæ, disc.18.n.4.

Dicta

Dicta in iis incidenter, alleganda non sunt, disc.80. num.10.

DECLINATORIA

Vid. Causæ.

DECRETUM IRRITANS

Non inficitur cum non agitur de impugnatione, sed de non comprehensione, d. 51. in fin.

Præscriptionem quamcumque impedit, ut ea oriri non possit, d.25.num.9. d.53.num.4. d.3.num.13. d.42.num.5.

Privilegiis adpositum particularibus, & non editis per viam legis ex non usu, non impedit præscriptionem, d.25 num.9.

Comprehensionis cognitio per decretum irritans, vel clausula sublatanon prohibetur, disc.8. num.9.

DEFENSIO.

Appellatio est species defensionis regulariter non tollenda, nisi adsit justa, & potentior causa, d.91. num.7.

Contumaci condemnato non conceditur, disc.88. num.5.

Ex sententia verò aliorum potest admitti, sed coram eodem Judice, qui condemnavit, disc.88. num.6.

DEFENSOR

Legitimus est Rector cujuscumque Ecclesiæ, cui principaliter defensio incumbit, d.2.n.13.

Necessarius non est Episcopus in causis singularum Ecclesiarum, quamvis defendere possit, disc. 2. num.13.

DELEGATIO

Vid. Jurisdictio.

Efficitur ex speciali deputatione Pontificis, disc.85. num.11.

Strictè est intelligenda, nec magis censetur concessum, quàm in ea legatum, d.49.n.3.

DELEGATUS

In actu gesto procul à delegante, tenetur insinuare suam facultatem citato, d.48. n.15.

Secus si habeat ex se jurisdictionem, quamvis dubiam, ibid.

DELICTA

Cognoscuntur ab eo Tribunali, in quo concurrit citato realis, seu verbalis, d.49.n.3.

Ex consuetudine proceditur in iis per inquisitionem, ibid.

Essentia eorum in eo consistit quod ad vindictam, vel injuriam gesta fuerint, d.8. n.4.

DELINQUENS

Non reputatur, qui casualiter amicitiæ gratia associatur cum iis, qui casu delictum committunt, disc.57.num.13.

DEROGATIO

Non præsumitur à Pontifice facta contra jus tertii, disc.27.n.7.

DIFFAMATIO

Remedium *l. diffamari de ingen. & manum. differt ab altero, l. si contendit, ff. de fide jussor.* nisi in tempore prosecutionis judicii, & solent simul cumulari, d.73.num 6.

Probatio diffamationis non adhibito hoc remedio, non videtur esse in usu, d.73 n.6.

DIMISSORIALES

Petitæ per commorantem in aliena Diœcesi à proprio Episcopo, declarant animum retinendi primum domicilium, d.52.n.4.

DIOECESES

Divisæ fuerunt per Dionysium primum Pontificem, d.1.n.3. & d.22.n.8.

Ex divisione materiali territoriorum, deducitur diversitas Dioecesum, d.22. n.8.

Divisio ad solum Pontificem spectat, nunquam principibus sæcularibus, d.1.n.11.d.6.nu.9. d.12. n.21.

Nec præsumitur, sed per allegantem probanda, disc.1.num.13.disc.7.num.8.disc.9.num.3.

Divisæ à Pontifice possunt constitui nullius disc.7. num.3.

In Ecclesia primitiva nullus erat locus, qui in aliqua Diœcesi non esset, d.1.n.4.

Divisionis exempla, disc.8 num.5.

Divisio probatur per situationem, & plurimum plantæ defertur, disc.9. num.4. disc.11. num.2.disc.12.n.7.

Ex privilegio Apostolico expresso, vel ex immemorabili canonizata per tres conformes, & interim manutenetur Episcopus, d.9.n 5.d.11.n.4. d.19. num. 2.

Ex divisione materiali territoriorum deducitur diversitas diœcesum, d.22.n.9.

Nomine aliquando confunduntur cum Provincia, quæ competit Metropolitano, d.12.n 12.

Nullius censetur Lauretana domus, d.20.num.24. d.33. num.1.

Nullius non præsumuntur, d.11. num. 4.

Non semper ex privilegiis exemptivis inducitur qualitas nullius, d.12.num.16.

Et hæc privilegia ex facti observantia interpretationem recipiunt, d.12.num.18.

Locus undique circumdatus ab altera Diœcesi secundum quid potest dici nullius, d.20.n.2.

Datur quædam species impropria Diœcesis nullius d.15.n.2.d 18.num.3.

Prælati Diœcesis nullius veniunt sub nomine ordinarii, d.16.num.1.d 54.num.3.

Plurima oriuntur inconvenientia, & scandala in dd. locis d.16.n.4.

Nec aliter evitari possunt, quàm ex reductione Diœcesum ad antiquiorem divisionem Dionysii, d.16.num.4.

Privilegium separationis, quod dicitur amissum, debet probari per testes valdè peritos, qui de ejus tenore, statu, & qualitate deponant, disc.11. num.6.

Falsitas quæ aliter confici posset, d.11.n.7.

Quando inferatur ex privilegio exemptivo. d.10.num.8.

Probari ab actore debet, quæ loca contineant, d.6. num.4 & 5. d.12.n.5.

Quod fusius ibidem explicatur ad pertinentiam locorum, attenditur voluntas acquirentis, qui est dominus utriusque, d.8. n.8.

Seminaria quamvis substineantur ex contributione Regni, seu Provinciæ, tamen eorum alumni non alteri subjiciuntur, quàm ordinario Diœcesis, in qua situm est seminarium; d.52.n.5.

Situatio Diœcesum probatur ex mappis Geographicis ex silentio non comparentium aliorum Episcoporum & per aliquos actus jurisdictionales, d.1.n.16.d.2. n.14.d.9. n.4.

Et ex Bullis in quibus antiquus situs enunciatur, d.21.num.3.

Ex enunciativis positis in actis consistorialibus super provisione Ecclesiæ, & ex sententiis in judicatum transactis, ex actibus jurisdictionalibus Episcopi vicinioris, & ex aliqua confirmatione à Capitulo Cathedralis sede vacante, d.22.num.5.

Ex directione Cancellariæ, ac Datariæ, tanquam ordinario, d.16. n 2.

Distin-

Distinctio finium temporalium nil probat, utpote facta ad alium effectum, disc.3. num.15. d.1.n.17.d.50.n.6.

Nam plures continent loca diversorum principatuum, d.1.n.17.d.3.n.15. per tot.

Probari debet ab Episcopo, ut fundamentum suæ intentionis si à Prælato inferiori exerceatur jurisdictio spiritualis, d.11.n.3.

Refutatur hæc opinio, quæ locum non obtinet, nisi in concursu duorum Episcoporum,d.11. num.4.

Altero vicino Episcopo non comparente præsumptio favet agenti,d.12.n.6.

Negativa probatur ex non descriptione illius loci, d.12. n.8.

Quod fusiùs explicatur,ibid.n.14.

Æquivoca tamen probatio haberi potest, quando adsunt duo loca ejusdem nominis, d.12. num.10.

Quæ probationes licet non sufficiant, tamen simul unitæ considerantur tanquam adminicula, d.12.n.13.

Onus probandi situationem tanquam fundamentum intentionis incumbit Episcopo, si omni sit possessione destitutus, secus si aliqualiter possideat,d.21.n.8.

In unione alicujus Ecclesiæ suppositio, quod alter sit ordinarius, tollit quamcumque separationem, disc.11. in fin.

Exempla Diœcesum unitarum quamvis non confinent, d.22.n.9.

DOCTORES

Vide Toga.

Ab eorum sententiis desumi non potest argumentum à contrario sensu,d.72.n.11.

Eorum doctrinis maximè deferendum,si non habeant contradictorem, d.88.n.44.

DOMICILIUM

Non contrahitur absque animi declaratione, ejusque veritatis aliqua adminiculatione,d.52.n.4.

Commorans in aliena Diœcesi si petit à proprio Diœcesano literas dimissoriales, declarat animum retinendi primum domicilium,d.54.n.4.

Et qui id contraxerunt cum aliis requisitis, Cives reputantur,d.46. in fin.

Occasionale, neque dat, neque tollit civilitatem, d.89. n.7.

DOLOSUS

Criminaliter puniri semper non potest, d.79.n.7.

DOLUS

Ex sugestionibus ad testandum resultat, & simul actio de dolo, d.79. n.7.

Reprobatur communiter hæc opinio,ibid.

DOMINIUM

A duobus, diversis respectibus potest haberi in eadem re,d.66.n.9.

Fructuum industrialium distinguitur à dominio fructuum naturalium in Provincia Hydruntina, d.66.n.10.

DONATIONES

Plurium bonorum si rescindantur, judicium est universale,d.62. n.11.

Si revocentur,donatarius est actor in casu provocationis pro traditione, qua nondum sequuta,donans,qui revocat,fit actor,d.62.n.6.

E

ECCLESIA

Capita duo, vel duos sponsos habere non potest, secus ex diversitate respectuum, ut alterum Episcopum ritus Latini, alterum Græci, d.1.n.29. d.34.n.22.

In causis propriis differt à causis mensæ, disc.47. num.5.

Censita, ex indulto Apostolico, potest desumere qualitatem Ecclesiæ unitæ,d.15.n.6.

Collegiata esse non potest absque formali erectione cum authoritate Apostolica, quamvis adessent cætera,quæ fiunt in Collegiatis,d.13. n.7.

Cura animarum potest in duabus Ecclesiis exerceri, dummodò una sit principalis, altera adjutrix,d.30.n.5.

Interdicitur in pœnam personarum, & referuntur causæ interdicti,d.29. n.8.

Et qui sunt causæ interdicti, nunquam juvantur ejus exemptione, d.29. in fin.

In numeratas, & non numeratas Ecclesiæ distinguuntur, d.20.n.8.d.34. n.22.

Nusquam reperitur in jure præfixus numerus clericorum ordinandorum vel ministrorum Ecclesiæ inservire debentium, quod remanet arbitrio Episcopi,rectè tamẽ exercendo,d.20.n.8.&seqq.

Ab aliqua præfixus fuit numerus participantium de massa,d.20.n.9.

Hæc præfixio fuit à Rota improbata, ibid.

A primitiva Ecclesia ad moderna tempora argumentatio non valet,d.34.n.13.

Ex privilegio non tenetur justificare possessionem libertatis suorum bonorum, d.47.n.27.

Regularis si fuerit collata prælato sæculari,is censetur superior, & regularis superior hujus minister,& Vicatius, d.34.n.5.

Ejus subjectio provenit ratione populi,non templi materialis, d.38.n.6.

Unita, & fundata intra limites Ecclesiæ matricis,præsumitur nata,subdita, & filialis, d.25. num.5.

Unita sit prædium ejus, cui fit unio, d.21.n.9.

Intellige quoad redditus, proventus, & jura, secus quoad separationem Territorii, discurs.21. num.10.

Unio nativa maximè differt à dativa, disc.25. num.5.

Ex fama, atque ex aliqua obsonii præstatione probatur unio, ac subjectio, d.25.n.6.

Si per novam subjectionem Ecclesiæ inducerentur in ea duo capita, præsumenda est prioris status immutatio,d.34.n.23.

ECCLESIA LAURETANA

Alma domus cum Ministris, & serventibus est Territorium separatum à Cathedrali,& speciesDiœcesis Cardinalis Protectoris, disc.20.n.24. disc.33. num.1.

Votum Eminentissimi Paulucci super controversia cum Episcopo excitata,d.33.n.1.

Missarum simplex celebratio nullam inducit subjectionem Protectori, nisi in concernentibus ipsam celebrationem,d.33. n.4.

ECCLESIA NAZARENA

Constituit quamdam speciem Diœcesis diversam à Diœcesi nullius, d.20.n.21.

Ejus Historica narratio, d.20. à num.1. usque ad 4.

Episcopus Crucem, & Mozzettam per universum Orbem defert, ibid.

ECCLESIA SÆCULARIS

Regularibus ad usum concessa,statum non immutat,d.30 n.6.

In iis Ecclesiis numquam ab ipsis Regularibus vices Episcopi suppleri debent, sed à Vicario, vel à prima dignitate,d.30 n.10.

ECCLESIÆ TITULARES CARDINALIUM
Vide Cardinales.
ECCLESIASTICI
Subjacentes obedientiæ Pontificis non præsumuntur nimis potentiæ, aut delicti, disc. 80. n. fin.
ELEEMOSYNÆ
Admministrantur à Parocho, vel Episcopo, d. 42. num. 4.
Patronatum non faciunt, disc. 41. num. 2.
ELECTIO FORI
Prophanis in causis Religionis Hierosolymitanæ non conceditur, neque ad Curiam Romanam, neque ad Regiam, d. 69. n. 8.
Vide Forus.
ENUNCIATIVA
Nullam constituunt speciem probationis, si enunciato principaliter disputetur, d. 48. n. 5.
EPISCOPUS
Vid. Judex.
Ab Administratoribus locorum Piorum potest petere exhibitionem Inventarii nominum, & omnium tendentium ad beneficium loci, d. 42. n. 7.
Intellige in spiritualibus, secus in temporalibus, d. 42. n. 8.
Prohibitio verò receptionis nominum in solutum, seu adjudicationis, & prohibitio inserviendi per substitutos respicit temporalitatem, disc. 43. num 6.
Arbitrium habet Clericorum numerum præfigendi, d. 26. n. 8. & 9.
Confraternitatibus laicalibus descriptionem celebrationis missarū prohibere non potest, d. 42. n. 8.
Contentiosam jurisdictionem etiam cum propriis subditis in aliena Diœcesi exercere non potest cum affixione Edictorum, d. 20. n. 13.
Secus si quis habeat ordinariam, & Episcopalem in ministros alicujus Ecclesiæ servitio addictos, d. 20. n. 14.
Abusus, qui aliter orirentur, d. 26. n. 16.
Defendere necessariò non debet causas singularum Ecclesiarum quamvis possit, d. 2. n. 13.
Duarum Cathedralium non tenetur duos Vicarios habere, quamvis sint principaliter unitæ, sed subditos potest evocare ad locum Residentiæ, nisi obstet centenaria, disc. 22. num. 10. disc. 24. num. 5.
Declaratur hoc procedere in duabus Diœcesibus confinantibus, cum subditi non cogantur alienas Diœceses intersecare, ibid.
Plures Episcopatus ab eodem possessi, constituunt in propria Diœcesi universitatem independentem ab altera, d. 90. n. fin.
Duo Episcopi eodem in loco, duæque Cathedrales formales inter se distinctæ dari non possunt, d. 20. n. 23.
Quod tamen licet diversis respectibus, d. 20. num. 23.
Eleemosynarum est administrator, d. 42. n. 4.
Examinatoribus synodalibus infra annum defunctis sine consilio Capituli alios subrogare non potest, d. 56. n. 5.
Exemptos in Prædicationibus cura animarum, ac Sacramentorum administratione deficientes coercere potest, d. 36. n. fin.
Exequutor est Legatorum Piorum, d. 44. n. 3.
Vide Legata Pia.
Negligente hærede post annum potest se ingerere in executione, d. 44. n. 4.
Fesulanus in Ecclesia quam habet in Civitate Florentiæ reputatur Ordinarius, nec prohibetur dictæ Ecclesiæ adscribere quot Clericos ei libuerit, d. 20. n. 2.
Exempla plurium Ecclesiarum Prælatorum inferiorum pluribus Clericis, dignitatibus ac Ministris præditarum, d. 20. n. 13.
Jurisdictionem habet nativam, d. 53. n. 6.
Eam dismembrare, aut diminuere non potest, d. 23. n. 7.
Alienare non potest, disc. 2. num. 16.
Et alienatio jurium incorporalium cadit sub dispositione Extravag. ambitiosæ, d. 24. n. 11.
Idem dicendum de transactione, d. 24. n. 12. & d. 30. num. 7.
Compromittere non potest, cùm sapiat speciem alienationis, d. 7. n. 11.
Jurisdictionales actus, nisi constituerit, quod ab Episcopo gesti fuerint jure delegato, tanquam à viciniore, ad eundem referuntur uti ad verè Diœcesanum, d. 12. n. 11.
In jure non expressum Episcopo, vel aliis Prælatis ad quos pertinet, remissum censetur, d. 20. n. 9.
A Metropolitano differt, d. 12. n. 11.
Nazzarenus per universum Orbem Crucem defert, Mozzettam, d. 20. n. 1. usque ad 4.
Ordines conferre non potest, nisi proprios, disc. 54. num. 4.
Nec ignorantiam allegare potest, ordinans Clericos alienæ Diœcesis, nisi rectà justificetur in foro externo, d. 52. n. 9.
Ordinare tamen potest Clericum domiciliarem propriæ Diœcesis, d. 52. n. 3.
Per Pontificem causæ in prima instantia possunt ab eo avocari, & alteri committi, sed rarò, nec sine causa id solet, d. 53. n. 6.
Præsumptio mala non facilè in eo admittitur, d. 53. num. fin.
Præeminentis aliquas in aliena etiam Ecclesia obtinet, disc. 20. num. 18.
Canonicatum possidens, reputatur ut Canonicus in concernentibus Canonicatū, d. 21. n. 10.
Potest gerere personam Prælati inferioris, in loco nullius, d. 22. n. 6.
Ex privilegio veniens ad limina Apostolorum in Curia molestari non potest, d. 89. n. 5.
Nisi sit origine subditus Curiæ, & difficilè extrà Curiam conveniri possit, d. 89. n. 8.
Residens fixè in aliena Diœcesi non censetur Prælatus inferior, sed consideratur tanquam Episcopus, & Ordinarius, & in propria Ecclesia concionari potest. & aliis licentiam præbere, d. 20. num. 29.
Residere tenetur apud Cathedralem temporibus præscriptis à Sac. Conc. Trident. d. 24. n. 2.
Non excusat à residentia aeris inclementia, nisi ex accidenti supervenerit post erectionem Cathedralis, d. 24. n. 9.
Alternativa posita à Conc. Trid. à Civitate in Diœcesim, intelligenda est juxtà dispositionem Sacrorum Canonum, d. 24. n. 4.
Uti sponsus Ecclesiæ non debet diu ab ejus sponsa separari, nec uti caput Capituli Cathedralis ab eo diu abesse, d. 24. n. 8.
Synodum unicam convocare potest, ad quam omnes accedere tenentur, d. 56. n. 6.
Et ex probato interventu manutenetur ad coercendos, qui aliàs ad fuerunt, d. 37. n. 9.
Vide Synodus.
Visitare potest clausuram loci, quamvis exempti, d. 36. n. 2. *Vide* Visitatio Episcoporum.

EUGE-

EUGENIANA

Non comprehendit omnes habitantes in Urbe, sed Curiales dumtaxat, disc. 73. num. 4.

EVICTIO

Omissio denunciationis non nocet, dum constat de justitia evictionis, d. 60. n. 7.

EXEMPTI

Cappellæ Sixti, & Pauli in Ecclesia S. Mariæ Majoris eximuntur à jurisdictione Ordinarii, disc. 33. num. 4.

Censuris coerceri possunt ab Ordinariis cum infliguntur ipso jure, quo casu sola Prælati accedit declaratio, d. 29. n. 7. d. 48 n. 9.

Fori declaratione non opposita, quæ contra eos geruntur, nulla sunt, d. 92. n. 21.

Loca Basilicæ Lateranensis habent omnimodam exemptionem à jurisdictione Ordinariorum, d. 38. n. 5.

Hæc verò exemptio fuit limitata à Sixto V. in concernentibus Curam animarum, & Parochialitatem, d. 38. n. 6. & d. 39. n. 2.

Subjiciuntur tamen jurisdictioni delegatæ per Sac. Conc. Trident. d. 39. n. 3.

Inferiores non possunt absque licentia Pontificis Ordinario se subjicere, d. 25. n. 8.

Monasteria Urbis titularia Cardinalium fieri non possunt, d 34. n. 20.

Subjiciuntur Prælato, à quo dependet extra Religionem Ecclesia iis tradita in respicientibus cultum ipsius Ecclesiæ, d. 34. n. 19.

Et traduntur exempla, ibid.

Nec ea quæ spectant ad Parochos in Ecclesiis quamvis exemptis exercere possunt, d. 31. n. 7.

In præjudicium superioris exemptorum consensus non attenditur, multominus tacitus, d. 92. n. 21.

Processiones in alienis finibus facere non possunt absque consensu Parochi, vel Ordinarii loci, d. 20. n. 17.

Sacramenta administrare non possunt populo alieno absque licentia Ordinarii, d. 20. n. 20.

EXEMPTIO

A competentia fori ob ejus jurisdictionem turbatam non præservat, d. 19. n. 4. d. 29. n. 4. d. 31. n. 8. d. 36. n. 3. d. 48. n. 13.

Quod locum habet non solum in Judice delegato, sed multo magis in Ordinario, d. 29. n. 4.

Differentia, quæ sit inter exemptionem dativam, ac nativam, d. 26. n. 7.

Prærogativa Territorii, & reverentia debita Diœcesano non cessat ob exemptionem, d. 35. n. 5.

EXEMPTIONES DIOECESUM NULLIUS

Admittendæ statim sunt, si fundantur in Privilegio explicito, & clara observantia, d. 1. n. 13.

Si verò in immemorabili. debent canonizari per tres sententias conformes, & Episcopus interim manutenetur in quasi possessione exercendi jurisdictionem delegatam, d. 6. n. 2. d. 9. n. 3. d. 12. n. 15. d. 19. n. 3.

Et cum in causa unius adest Episcopus, censetur fundata intentio pro Episcopo Diœcesis, à qua circumdatur locus exemptus, d. 1. n. 14.

Competentes Monasterio principali, competunt etiam membris unitis, quæ possunt dici de mensa, d. 25. n. 4.

Jurisdictio delegata non est contraria exemptioni, d. 26. n. 10.

Ad jurisdictionem activam in Clerum, & Populum viventem in alieno territorio inferri non potest ab exemptione quamvis nullius, d. 15. n. 4.

EXEMPTIONES REGULARIUM

Compatibiles sunt cum jurisdictione, & prærogativis Cardinalis titularis, d. 34. n. 5. in fine.

Dativæ faciliùs perimunt, & redeunt ad primævam causam, d. 29. n. 5.

Ab Episcoporum jurisdictione plures concessæ fuerunt iis receptis sub auctoritate Sanctæ Sedis, ac B. Petri, d. 1. n. 5.

Monastico ordini generalis exemptio fuit concessa in Synodo habita sub Gregorio Magno, d. 28. n. 3.

Declaratur n. 8. & refutatur, d. 34. n. 7.

Ordo Regularis Universus exemptus est ob communicationem privilegiorum inter Religiones, d. 28. n. 4.

Limitandum in Monasteriis, quæ singulariter reguntur, nisi adsint privilegia peculiaria, disc. 28. n. 9.

Nullæ olim concedebantur, sed omnes subjiciebantur Ordinariis, d. 29 n. 5.

Probantur ex visitatione Nuncii Apostolici, d. 28. num. fin.

Religionis Hierosolymitanæ plures competunt, d. 1. n. 6.

Ejus Ministri quomodo Ordinariis subjiciantur disputatum, ac resolutum in Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium, d 4. n. 2.

Et jurisdictio quæ super iis exercetur ab Ordinariis exprimenda est ut delegata, d. 4. n. 4.

Scriptores morales tanquam regulares sunt testes parum idonei in hac materia, disc. 26. n. 6. disc. 29. num. 7.

EXEQUUTOR

Facultatem retinet in habentibus tractum successivum. d. 15. n. 12.

EXPRESSA

Ex duobus uno tantùm expresso alterum remanet sub regula, d. 41. n. fin.

F

FABRICA S. PETRI

HÆredes coercet ad executionem legatorum Piorum, d. 44. n. 3.

Ingerit se in executione ex negligentia hæredis, d. 44. n. 4.

FAMA

Contraria impedit cursum præscriptionis, d. 3. n. 8. d. 9. n. 7.

FAMILIARES CARDINALIUM

Episcoporum familiaribus, quorum etiam exemptio ubique non est in usu, æquiparari non possunt, d. 67. n. 3.

Eximuntur à foro laico, non ita tamen, ut Judex eos ad se trahens censuras incurrat, d. 67. n. 2.

Et hæc exemptio non resultat ex jure Canonico, sed ex Constitutione Leonis X. d. 67. n. 2.

Fori declinationem excipere possunt ad effectum invaliditatis actorum, non autem violationem Ecclesiasticæ Immunitatis, d. 67. n. 3.

FAMILIARES EPISCOPORUM

Eximuntur à potestate laica, d. 67. n. 3.

FAMILIARITAS

Non contrahitur à locantibus dietim operas suas, nisi in concernentibus idem exercitium, disc. 33. num. 4.

FAMULI

Non censentur locantes dietim operas suas, sed pro majori anni parte d. 33. n. 3.

FESTIVITATES

Funera non censentur, d. 31. num. 2.

FEUDATARIUS

Duplex dicitur homo habens duplex patrimonium discurs. 90. num.4

Princeps respectu feudi consideratur ut Baro, disc. 21. num.10

Et plura sunt feuda Italica, quorum altissimum dominium est reservatum dominis directis, disc. 69. num 5.

Possidens plura feuda, & diversis titulis plures representat personas, disc.90.num.5

FEUDUM

Consolidatum obligat subditos ad petendam Curiam Principis, discursu 22. num.15

FICTIO

Veritatem quidem supplet, sed ultra eam nil operatur, disc.24. num.13

Veritati assimilari potest per Pontificem, disc. 35.num.9

FIDA

Obligat etiam Clericos tanquam pretium justi valoris ipsius pascui, disc.66.num.6.

Multò magis quæ imponitur tanquam restaurativa damni, disc.66.num.7

FIDEICOMMISSA

Contradici legitimè non possunt, si dispositio sit omnino clara, & non competant detractiones, vel possessio non sit vitiosa, disc.87. num.1

Contradictores sunt volentarii nec habent, proprii fori declinationem, disc.87. num.fin.

Esse dicuntur ubi est major pars, & ubi at quomodo major pars esse dicatur, disc.87 num 10

Ab Hærede fideicommissario petuntur coram Judice competente, quem cæteri tenentur adire, præsertim si Judex aditus sit dignior reliquis, disc.74 num. 4.

Et ob conventionem judicii, atque plura inconvenientia fideicommissarius cogi non debet coram pluribus Judicibus comparere, disc.74 num. 4.

Regularibus competere non possunt ex conjecturata mente Testatoris, quamvis sint Religionis capacis, disc.60. num.2

Restituenda sunt non minus in loco domicilii hæredis gravati, quàm in loco, ubi est sita major pars bonorum, disc.87.num 9

Exempla, ibid.

Inconveniens hujus opinionis, disc. 87. num.9. §. *Cum autem.*

Quod quidem locum obtinet in legatis, & fideicommissis particularibus, secus in universalibus, discurs.87.num.9. §.*Quare.*

De authoribus hanc materiam examinantibus, & de sede hujus quæstionis, discursu 87.num.9 §.*Casus igitur.*

FIDEIUSSORES

Foro proprio renunciasse non censentur. Id declatur, discursu 71. num.5

De judicio sisti in prima instantia non tenentur in secunda, disc.72.num.12. §.*Fidejussor.*

FISCUS

Habet interesse ad tuendos Gabellarios, disc.83.nu.5

Et est considerabile cum tenetur de evictione disc.83. num.7.

Privilegia Fisci non alterantur ex diversa applicatione Gabellarum, discur. 83. num.6

Debet tamen Fiscus adsistere coram Judice debitoris mediati, discurs.83. num.7

Ad Thesauratium spectant omnes ejus causæ in prima instantia, in secunda ad Cameram, disc 83 num. 5.

FORENSIS

Litigans in Curia voluntariè se subiacet constitutionibus statutariis concernentibus ipsum judicium, disc.63. num.10.

Multò magis si statutum reintegret dispositiones juris communis, discursu 63.num fin.

FORUS

Competens est etiam ratione absentium, & aliàs exemptorum, d.71. num.2.

Et in Urbe proceditur etiam contra absentes, quamvis non citatos, nisi per contradictas, disc.71 num. 3.

Ratione verò contractus nemo forum sortitur, nisi in eo apprehendatur, disc.71. num.5.

Competit ratione delicti originis, vel domicilii, disc. 57. num.2

Et Judex originis, vel domicilii subditum delinquentem in alieno Territorio punire potest, si procedatur per viam accusationis, disc.57.nu.3

Sed Judex originis contra habentem alibi domicilium procedere non potest, disc.75.num.2

Judex verò loci delicti, quando jam processum fabricavit, potest à Judice loci originis reum petere, si agatur inter Judices ejusdem ditionis, disc.57. num 3

Et si à Judice loci domicilii, qui prævenit, Reus petatur per Judicem loci delicti, ad hunc Judicem remittendus est, ni si alterius præventio ejus negligentiæ imputari possit, secus autem, si bona fide, & absque collusione intervenerit præventio cum citatione verbali, vel reali, discur.57.num.5.7

Competit ob jurisdictionem turbatam etiam in exemptos, discur.19.num.4. disc.29.n.4. disc.31.n.8 disc.36.num.3. disc 48.n.13

Competens est rei sitæ in actionibus realibus, secus in personalibus, disc.75.n.4

Rei sitæ ut sit competens requiritur, ut tam Reus quàm possessor sit præsens in actione, scilicet vel merè, vel accessoriè reali, disc.62.num.9. disc. 75. n.4

Sed si aliquid debeatur ex fructibus rei sitæ ex voluntate, quamvis conjecturata Testatoris, non requiritur præsentia hæredis, disc.75.n.4.

In competentia dnorum Ordinariorum contendentium de remissione Clerici, si nemo eorum prævenit, & Reus sit apud Judicem sæcularem, præferendus est forus loci delicti, disc.57.n.4.

Præventio verò collusiva, & affectata nil juvat, disc. 57. num.6

Et realis superat verbalem, disc.57.num.9

Maxima quidem est negligentia, si præventio præcesserit 40. dies, disc.57.n.10

Connexionis ratione dignior trahit totam causam etiam quoad correos non subditos; nempè in civilibus, secus in criminalibus, discurs.57.num.18 & disc.59. n.5

Multò magis si connexio pariformiter omnes personas non respiciat, disc.57.n.12.

Connexionis regula inter plures foros, procedit in foris ejusdem generis, qui habitualiter sunt competentes, secus in foris omninò diversis, discursu 59. n.9

Declinari non potest à Clerico per dimissionem clericatus, disc. 55. n. 5. 6 & 7.
Ejus declinatoriam Clericus opponere tenetur, nam si aliis præjudicet, tenetur ex negligentia, disc. 61. n. 3.
Declinatoria si fuerit neglecta ab Ecclesiasticis, qui in judicio evictionis laicis adsistere debent iis est imputanda, disc. 60. n. 4
Dignior cætera ad se trahit in judicio universali, & dignior reputatur, ubi reperitur caput assis, disc. 62. num. 11.
Ecclesiasticus reputatur dignior sæculari, disc. 59 num. 5
Confraternitatibus sua privilegia communicat, si concurrant omnia requisita, disc. 60. num. 3
Vid. Fideicommissi.
Electus, non semper suis legibus ligat, præcipuè in eo casu, quo Clericis tollitur beneficium appellationis, discursu 63. num 4
De remedio electionis fori inter personas privilegiatas, disc. 69. n. 2.
Electus, ab accusatoribus privilegiatis cessare facit omnem competentiam, disc. 57. num. 14.
Sed à privilegiatis Metropolitanus eligi non potest non habens jurisdictionem in causis primæ instantiæ, discurs. 57. num. 14
Eligi potest Pontificius, si ad Papam interposita fuerit appellatio, discursu 69. num. 4
Cujus electio tolli non potest per Magnum Magistrum Religionis Hierosolymitanæ, disc. 69 num. 5.
Eligitur ex privilegio obligationis Cameralis, non autem variatur, disc. 71. num. 10
Incompetens omninò est laicalis respectu Clericorum, disc. 59. num 9
Judicium absolvere debet idem qui incœpit ex concordatis Civitatis Mediolanen. disc. 59. num. 6
Quæ concordata locum obtinent tantùm in Clericis actoribus, disc. 59. num 14.
Laicus competit etiam in clericum ratione feudi, disc. 59. n. 14. & disc. 94. num. 4.
Adiri debet ab actore Clerico, disc. 62. num. 2. & 4.
Declinari non potest à clerico defensore necessario, disc. 60. num. 6
Mixtus à sæcularibus Magistratibus facilè impeditur inexercitio jurisdictionis, quæ de jure conceditur Episcopo cum laicis præventivè, disc. 46 num. 2
Ob mixturam clerici tota causa trahitur ad forum Ecclesiasticum, disc. 69 num. 12
Mutari non potest nec à pupillis in secunda instantia, si eo tempore qualitatem privilegiatam amiserint, disc. 62. num. 13.
Possidens plura dominia in diversis ditionibus, non potest pro negotiis unius loci in altero conveniri, disc. 90. n. 5.
Privilegia clerico non tribuit, nisi incedat in habitu, & tonsura, disc. 55 nu. 2
Privilegiatus succedens non privilegiato lite pendente, non trahit causam ad forum suum ex *l. un. C. quando Imp.* disc. 72. num 1. & seqq.
Renunciatus à fidejussoribus non censetur, disc. 71 num. 5.
Variari non potest forus gestæ administrationis ex privileoio L. U. C. Q. Im. disc. 37. n. 3

FRUCTUS.

Industriales distinguuntur à naturalibus, disc. 66. num. 19.

FUNERA

Cardinalium, ac supremorum Principum sunt functiones Pontificales exercendæ ab Episcopo, disc. 31 num. 4
A cœremoniali legem accipiunt, disc. 31. num. 5.
Festivitatis nomine censenda non videntur, disc. 31 num. 2. in fin.
Regularium loca cum ingrediuntur, cessat in iis Parochi jurisdictio, disc. 31. num. 6

G

GABELLA

Principis esse dicitur, & fiscus in ea habet interesse, quamvis privatis usibus sit assignata, disc. 83. num. 6.
Vini septem cadorum antiquior dicenda est Cameralis, disc. 83. n. 6
Moderna verò est augmentum antiquæ, disc. 83. nu. 6

GRATIÆ

Vide Juspatronatus.
Appellatione remota non conceduntur, nisi ex justis causis, quarum aliquæ recensentur, disc. 91 num. 7.
Clausula explicita intelligenda est compatibiliter, & in aliis quàm in exemptis, disc. 34. num 24
Clausula, *sine præjudicio*, præservat quodque alterius jus, & præjudicium, disc. 92. num. 6
In novis erectionibus hujusmodi clausula non operatur solitum munus, neque obstat regula de jure tertii quæsito non tollendo, scilicet in expressis, & incompatibilibus, disc. 92. n 6
Sub conditione concessæ valere non possunt absq; conditionis verificatione, disc. 41. n. 4. in fine.
Executioni mandatæ non conceduntur cum diminutione, vel alienatione ejusdem gratiæ, disc. 8 num. 7
Præjudiciales de sui natura non requirunt derogationem juris tertii, discurs. 34. n. 23
Subsistineri possunt si narrativa verificetur de facto disc. 8. n. 7.
Et fallitas talis esse debet, ut verisimilirer concedentem à gratia retraxisset, disc. 8. num. 7.
Pro gratia verò subsistinenda sufficit verisimilis cogitatio, disc. 8. n. 7.

H

HÆRES

Conveniri debet ubi poterat defunctus, disc 72. num. 2.
Non requiritur ejus præsentia in foro defuncti, ut ibi conveniatur, disc. 86. n. 2
Creditores invitos ad proprium forum trahere non potest, disc. 86. n 2.
Ubi aditur hæreditas, & ubi defunctus habuit domicilium, d. 86. n. 3.
Conventus in loco proprii domicilii exactione personali non potest forum declinare, d. 86 num. fin.
Forum in quo causa erat cœpta cum defuncto ex persona propria declinare non potest, disc. 72 num. 2.

Si declinando impugnaret quasi contractum defuncti, discurs. 72. num. 2

Idque in omnibus instantiis juxta plures authores, disc. 37. num. 4

In secunda instantia cœpta ab hærede privilegiato potest forum declinare, disc. 72. num. 9

Et cessant omnes rationes pro quibus tenetur prosequi instantiam cœptam cum defuncto in ejus foro, disc. 72. num. 10

Quem tamen declinat si conveniatur in persona, & bonis propriis, discurs. 86. num. 3

Minor in instantia cœpta cum defuncto restitui non potest, secus in secunda secum incœpta, disc. 72. num. 14

Puniri criminaliter non potest ob falsitatem inventarii, disc. 79. num. 7.

HISTORICI

Antiquiores tantùm, ac probati, qui amoris, & odii causas procul habuerint fidem merentur, disc 20. num. 7

HOSPITALIA

Visitari debent ab Ordinario, cui administrationis ratio constare debet, disc. 41. num. 41. num. fin.

JESUITISSÆ

Vide Moniales.

IGNORANTIA

Allegari non potest ab ordinante clericum.

IMMUNITAS ECCESIASTICA

Non conceditur domibus ruralibus Religiosorum, quas habeat pro hospitio, discurs. 70 num. 5

Domus quam habitat Episcopus in transcursu diœcesis ipso absente non gaudet immunitate, disc. 70. num. 6

Per Judicem laicum in loco immuni potest recognosci corpus delicti, dummodo non concurrant actus importantes contemptum superioris, & similia, disc. 70. num fin.

Domibus vel proprijs, vel conductis à Cardinalibus magis ex consuetudine, quàm de jure tribuitur, disc. 70. num. 3

Sed neque ex consuetudine competit absente Cardinali, disc. 70. num 4

Domunculæ Cardinalis habitatæ per laicos cum janua in via non competit, disc. 70. num 7

Judicibus Ordinarijs appellationum nullam tribuit facultatem se ingerendi in suis causis, quæ ab iis ad Sacram Congregationem Immunitatis remitti debent, disc. 49. num. 17.

Præscriptioni, aut consuetudini contrariæ non subjacet, disc. 92. num. 17

Præservat à gravamine onerum laicalium, sed nullam tribuit licentiam lædendi justitiam commutativam, discur. 66. num 6

Violatur manifestè, si turbetur ejus possessio laicali authoritate, disc. 49. nu. 16.

Non violatur ob exactionem factam à sæcularibus colonis bonorum Ecclesiasticorum, disc. 49. num. 13

Secus si exigatur onus quod à colono Ecclesiasticis solvitur, ita ut damnum directè ab iis sentiatur, disc. 49. num. 13

INCORPORALIA

Possidentur per contradictionem cum subsequuta patientia, disc. 34. num. 21. disc. 39. num. fin.

INDIVIDUA

Exercenda à possidentibus insolidum debent fieri, vel ab habente majorem partem, vel à digniore ratione ætatis, aut alterius circumstantiæ, disc. 35 num. fin.

Afferuntur exempla, ibid.

Valida ex una parte, & pro alia invalida esse non possunt, disc. 22 num. 2. disc. 87. num. 3

INHIBITIO

Justa, vel injusta timenda est, & inferiori nulla comperit facultas interpretandi potestatem Superioris inhibentis, disc. 49. num. 11. & 18.

INQUISITIO

In delictis de consuetudine procedit, disc. 49. num. 3

INTENTIO

Argumentis non indiget, quoties verba sunt clara disc. 16. num. 3.

Episcopi ejus diœcesis à quo circumdatur locus exemptus censetur fundata, si non adsit alter Episcopus in causa, 8 disc. 1. num. 14

Fundata dicitur si aliqua regula adstitit, præsertim in jurisdictionalibus, donec vel privilegia edantur, vel adsit res judicata beneficio trium conformium, disc. 38. num. 3. & 4

INVERISIMILIA

Inverisimile est Papam cum Ecclesiastico laicum socium adhibere in causa merè Ecclesiastica, disc. 7. num. 12

JUDEX

Competens sit necne inducitur ex universali observantia, disc. 47. num. 19

Exempla hujusmodi observantiæ, disc. 47. n. 20

Hæc observantia plurima tollit inconvenientia, quæ inde resultarent, disc. 47. num. 21.

Competens est rei exercentis plures artes judex ejus artis, in qua is principaliter versatur, discurs. 83. num. 4.

Incompetens ut Episcopus in causa bonorum propriorum, disc. 47. n. 6

Et in injuriis sibi illatis ratione Prælaturæ si notoriæ sint injuriæ, disc. 47. num. 7

Sed super statu controverso beneficiorum neque est incompetens, nec potest recusari, disc. 47 num. 9

Incompetens est Episcopus in contreversiis circa perceptionem fructuum cum ministris ejusdem Ecclesiæ, disc. 47. num. 10

Incompetens in citatione debet exprimere causam ob quam se credit competentem, disc. 87. num 6

Ejus tamen citatio inservit ad inducen. scientiam, disc 60. num. 8

Inferior circumscribere non potest sententiam Auditoris Cameræ, disc. 74. num. 2

Loci delicti quando jam processum fabricavit, potest à judice locum originis reum petere, si agatur inter judices ejusdem ditionis, disc. 57. n 3

Ob negligentiam non pronuncians non amittit causæ cognitionem, neque contra eum per viam querelæ procedi potest, disc. 63. num. 8

De negligentia convinci non potest ex sola termini præfixione, disc. 68. n. 10

Ordinarius in propria causa licet non recusatus judicare non potest, disc. 80. n. 2

Originis vel domicilii subditum delinquentem in alieno territorio punire potest, si procedatur per viam accusationis, d. 57. num. 3.

Sed contra habentem alibi domicilium procedere non potest, disc. 75. num. 2.
Recusabilis est Episcopus in jurisdictionalibus controversiis cum alio Episcopo, vel Prælato inferiori, nisi esset in quali possessione jurisdictionis, disc. 47. num. 8.
In controversiis de dominio, possessione, vel libertate bonorum Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ cum tertio, ex quibus resultat damnum, vel commodum Episcopi, si causa nondum sit instructa Episcopus recusari non potest, disc. 47. num. 11. & 12.
Refutatur hæc opinio juxta communem sensum Canonistarum, discur. 47. num. 13.
Recusabilis rectè judicat de consensu, disc. 47. n. 18.
Omnia gesta ab Episcopo in supradictis controversiis absque objecta recusatione nullitati obnoxia esse non possunt disc. 47. num. 14.
Recusari potest Episcopus in causa mensæ, in qua procedendum sit in forma judiciali d. 46. n. 8. d. 47. n. 1. d. 47. num 25. disc. 48. num. 2. discursu 80. num 2.
Authores loquentes de recusabilitate Episcopi in causa suæ mensæ intelligendi sunt in controversiis pertinentiæ fructuum cum alia mensa, disc. 47. n. 15.
Recusari non potest ob perhorrescentiam nisi ea formiter juretur, disc. 80. n. 15.
Testis esse potest in secunda instantia qui judicavit in prima, disc. 72. num. 12. §. *Judex*.

JUDICIUM

Concursus accedentibus potioribus creditoribus pro bonis alteri assignatis vindicandis novum non dicitur, sed continuatio ejusdem universalis disc. 94. num. 12.
Petitorium non eam habet relationem cum possessorio, ut ab uno ad alterum inferatur, disc. 74. num. 5
Secus quando possessorium pendet à petitorio, disc. 74. num. 6.
Et utrumque ab uno eodemque judice debet absolvi, ibidem.

JURA

Exhibere periculosum est, cum maximè favet rumor & æstimatio, disc. 23. num. fin.

JURISDICTIO LAICALIS

Accrescit Regno, seu Provinciæ cui additur seu revertitur ejus pars, discur. 85. inum. 3.
Activa non semper inducitur ex privilegiis exemptivis, disc. 12. num. 16.
Non adimitur alteri Superiori, quæ conceditur comiti domorum in colonos, disc. 85. num. 7
Annonæ Præfecto non adimitur ex deputatione alterius officialis, disc. 85. n. 7.
Concessa in simplicem administrationem, vel in dominium, valde differt. disc. 88. num. 8.
Consuli argentariorum concessa non adimitur magistratui generali, d. 85. n. 7.
Consuetudine non inducitur in juribus laicalibus absque scientia, & patientia Magistratuum laicalium, disc 46. num. 6.
Ecclesiasticis sæpè conceditur, criminali alicui laico in feudum concessa, disc. 9. num. 1.
Tunc quæ sint onera laicalia quemve ligent, declarari debet per Principem laicum concedentem, disc. 46. num. 3.
Major continetur in citatione reali, quàm in verbali, disc. 20. n. 16.

JURISDICTIO SPIRITUALIS

Vide Prælati inferiores.
Acquiritur in alieno territorio mediante præscriptione, disc. 20. n. 16. in fin.
Et contra Ordinarium privativa si adsit scientia, & patientia, disc 21. n. 6.
Per consuetudinem ex tacito populi consensu in laicos etiam ratione juris laicalis, & magis in casu mixti fori, disc. 46. num. 4.
Sed nihil operatur absque scientia, & patientia Magistratuum laicalium, disc. 46. num. 6.
Activa in clericum, & populum viventem in alieno territorio inferri non potest ab exemptione quâvis nullius disc. 15 num. 4.
Alienari non potest, quo casu nec dominium, nec possessio amittitur, & competit interdictum retinendæ, disc. 30. num. 6.
Cessat supremo Principe certiorato, d. 31. n. 10.
Commissa rei non solitæ exerceri ab eo, cui committitur, dicitur potius delegatio, quàm excitatio jurisdictionis, disc. 85. num. 11.
Concessa alicui in quibusdam casibus alteri adempta non censetur, disc. 85. num. 7.
Idemque procedit in jurisdictione delegata, disc. 85. num. 8.
Concessa pluribus, in dubio cumulativè censetur, disc. 85. num. 6.
Et ea concessa censetur concessa quæcunque requiruntur ad ejus effectum, d. 17. n. 2. d. 20. n. 15 disc. 29. nu 6.
Contentiosa etiam cum propriis subditis ab Episcopo in aliena diœcesi exerceri non potest, cum affixione edictorum, disc. 20. num. 13.
Vide Episcopus.
Controversiæ jurisdictionales in Curia frequentes sunt, disc. 1. n. 1.
In controversiis jurisdictionalibus adeunda Sacr. Congregatio Concilii, disc. 5. num. 3.
In controversiis jurisdictionalibus nulliter agitur non citatis corporibus constituentibus Universitatem, disc. 22. n. 2.
Secus si ei universitati præsit Prælatus sponsum ac caput Ecclesiæ repræsentans, disc. 22. n. 2
Delegata cessat, ubi Concilium Tridentinum acceptatum non fuit, discurs. 25. num. 3.
A delegatis exerceri potest etiam per censuras disc. 27. nu. 5.
Delegata dicitur, quæ in aliquo est alterata, d 85. n. 11
Specialis deputatio Pontificis efficit delegationem, ibidem.
Delegata exerceti potest ab Episcopo in causa extractionis ab Ecclesia etiam in locis nullius, disc. 29. n. 6.
Exempla eorum quæ delegantur Episcopis in locis nullius, disc. 17. n. 1.
Frequentes declarationes Sac. Congr. Episc. & Regul. super causa delegationis in locis exemptis, disc. 3. n. 2.
In casu delegationis factæ Episcopo viciniori, viciniras regulatur ab Ecclesia Cathedrali, disc. 50. num. 7.
Delegata exemptioni non est contraria, d. 28. n. 10
Delegata Ordinariis procedit in Ecclesiis & Monasteriis exemptis secus in habentibus qualitatem nullius cum privilegio exemptionis, disc 18. n. 2 disc. 40. num 8.
Delegatio resultat ex Indulto Ordinariis concesso super collatione beneficiorum reservatorum, d. 29 n. 7. in fin.

De-

Delegatur Ordinariis, in exemptos quo ad curam animarum, & administrationem Sacramentorum, dis. 4. num. 4. §. *Circa verò.*

Etiam extrà actum visitationis, dis. 4. nu. 5.

Idque extendendum circà vitam & mores administrantium, d. 4. num. 6.

Ejus plerique actus incongruè per testes probantur, dis. 3. num. 11.

Et præscribi non possunt, dis. 3. num. 12.

Episcopo non censetur adempta per deputationem Inquisitoris, disc. 85. num. 7.

Qui Regulares jurisdictionem turbantes punire potest, dis. 31. nu. 3.

Ab Episcopo in Diœcesibus nullius potest exerceri per aliquos actus privativè ad Prælatum inferiorem, cui competit jurisdictio universalis ex Sacr. Concil. Trident. in his Diœcesibus nulla delegatur, dis. 5. num. 7.

Fesulano in Civitate Florentiæ quæ competat, disc. 14. num. 2.

In Fesulano, & Nazareno concurrunt quædam specialia, dis. 14. num 6.

Incompatibilis est penès duos Officiales, quo casu daretur corpus cum duplici capite, disc. 85. n. 5.

Secùs si competat diversis respectibus, ibidem.

Non infertur ex temporali, dis. 9. num. 8. §. *Quinimò.*

Declaratio Sacr. Concil. Trident. sess. 25. de Regul cap. 2. dis. 9. num. 8. per tot.

Manutenetur ex sola juris assistentia, discursu 21. num. 4.

Probatur ex actuum jurisdictionalium frequentia, disc. 1. num. 30.

Ex actibus verò æquivocis non declarantibus neque ordinariam, neque delrgatam nihil probatur, dis. 39. num. 4,

Episcopus ex situatione habet intentionem fundatam, disc. 1. num. 18. dis. 11. num. 14. disc. 12. num. 1. dis. 13. num. 6.

In materia jurisdictionis, ac immunitatis Ecclesiasticæ nimis excedunt non minus Canonistæ, quam laici, disc. 45. num 6.

Prorogari non potest in Judice omninò incapaci, dis. 51. num. 6.

In Judice incompetenti, sed capaci prorogatur, non aliter tamen à Clericis, quàm cum licentia Superioris, dis. 51. num. 7.

Licentia à Superiore non petita non annullat gesta, sed prorogantem à suo Superiore punibilem reddit, nè ex delicto lucrum reportet, dis. 51. num. 8 per totum.

A subdito prorogari non potest in præjudicium Superioris, dis. 51. nu. 4.

Religionis Hierosolymitanæ non extenditur ultrà Religiosos professos, Capellanos inservientes, & ministros, dis. 1. num. 19.

Populus verò indnctus ad culturam sui territorii potest dici totus Colonicus dis. 1. num 22.

Magnus magister in Insula Melitensi ea carer magis ex natura Ecclesiasticæ concessionis, quàm ex interprætatione privilegiorum, dis. 1. num. 21.

JUS PATRONATUS

Concessum ob augmentum dotis, si augmentum est inferius dicitur ex mera gratia, secus si præponderet, dis. 41. num. 10.

Conditio apposita in ejus constitutione censetur verificata, si acquiesc at Ordinarius, disc. 41. num. 5.

Concessum ex privilegio, quamvis per fictionem fundationis plures sortiatur effectus veræ dotationis, non tamen potest evitare reservationes Apostolicas, disc. 35. num. 10.

Constituitur congrua dote, disc. 41. num. 3.

Eleemosynæ, & oblationes non faciunt Patronum, disc. 41. num. 2.

Pius locus novissimè dotatus, præsumitur dotatus à Patrono, disc. 41. num. 4.

Inferri non potest ex consultiva electione Parochi concessa ab Ordinario ejus populo, dis. 31. nu. 6.

Legibus per fundatorem adjectis subjicitur quamvis juri contrariis, dis. 40. num. 4.

Si accedat Ordinarii consensus, d. 40. nu. 6.

Secùs in iis in quibus non requiritur Ordinarii consensus, quæ simpliciter sunt legata pia, dis. 40. num. 10.

Et subsequuta observantia comprobat consensum supradictarum legum, disc. 40. num. 11.

Loci pii extiturum per sui erectionem non potest esse ex fundatione, & dotatione, disc. 41. nu. 11.

Privilegiis muniri potest per speciem contractus in limine fundationis, neciis censetur derogatum per Concil. Trident. disc. 41. num. 5. & 6.

Et si omnia in privilegiis subjuncta fuerint à Pontifice nulla facta mentione dotationis, aut conditionis requisitæ à dotante, dicendum est processum fuisse per viam gratiæ, non autem per viam contractus disc. 41. num. 9.

JUS STRICTUM

Ex prudentia ad tollenda scandala, & discordias sedandas, aliquando remittendum est, dis. 22. n 15.

L.

LATRONES.

ARborum ac vinearum vastatores tanquam latrones puniuntur, sed in praxi pœna extraordinaria mitiori, disc. 81. num. 3.

Id procedit in furtiva incisione, secùs pro aliis causis licitis ob necessitatem, dis. 81. num. 4.

LEGATA PIA

Executionem ab Episcopis recipiunt, cum quibus concurrit fabrica Divi Petri ad effectum coercendi hæredes, dis. 44. num. 3.

Et aliud est Episcopos cogere posse hæredes ad executionem, aliud ipsos exequi velle, dis. 44. num. 2.

Nam negligente hærede post annum, Episcopus & fabrica possunt se ingerere in executione, dis. 44. num. 4.

Sed negligentia hæredis utrum privet facultate executionis debet habere speciem delicti, dis. 44. num. 5.

Cogere tamen potest Episcopus hæredes ante lapsum anni.

Hæredes excepto legato pro redimendis captivis debent per se exequi, disc. 44. num. 4.

Et arbitrium à testatore relictum Episcopo intelligendum est circà qualitates, non circà executionem, disc. 44. in fin.

LEGATUM

Est debitum hæredis, disc. 94. num, 18.
Obtineri potest etiam ex Salviano in bona defuncti, ibid.
Pars addita legato cedit legatario, disc. 85. num. 4.
Quantitatis, seu generis petendum est in judicio personali, vel in hæredis domicilio, vel ubi est hæreditas, aut caput hæreditatis, dis. 86. num. 4.
Solutio differri non debet ultrà tempus sufficiens ad confectionem inventarii, dis. 44. num. 5.
Specie obtineri necessariò non debet à manu hæredis, dis. 84. num. 18.
Peti potest in judicio in loco reali domicilii hæredis, vel ipsius rei sitæ, dis. 86. num. 4.

LEGATI PONTIFICII.

Archiepiscopus Pragensis est Legatus natus, dis. 52. n. 6.
Bononiensis in causis primæ instantiæ se ingerere non potest, sed in iis delictis, in quibus fit traditio curiæ sæculari, datur locus præventioni, disc. 51. num. 3.
Ferrariensis substinet vices Ducis, & coram eo facienda est electio fori juxtà privilegia per Pontifices concessa, idemque de statu Urbini, dis. 80. num. 14.
Judices sunt competentes Clericorum concurrentes cum quolibet Ordinario, dis. 51. num. 9.
Sed non possunt se ingerere in præjudicium Ordinariorum in causis primæ instantiæ, disc. 53. num. 1.

LEGES PONTIFICIÆ

Acceptatione subditorum non egent ad propriam efficaciam, dis. 7. num. 4.
Secùs si sint indulta particularia, dis. 7. num. 6.

L. DIFFAMARI.

Qui hoc remedium intentat, si possidens judicium moveat contrà non possidentem, actor non videtur, secùs si è contra, disc. 62. nu. 5. & discurs. 69. num. 13.

LITES

Desertæ dicuntur, si concurrat lapsus 30. annorum & malum jus ejus, qui tenebantur prosequi litem, d. 12. nu. 4. §. *Et quamvis.*
Desertionis effectus procedit ex præsumpta voluntate deserentis, ibidem, §. *Quamvis.*
Instantia earum de Jure Canonico, nunquam perimit, dis. 12. num. 3.
Et nondum consumpta debet terminari à Judice coram quo fuit cœpta, dis. 88. num. 6.
Privilegium superveniens post motam litem non suffragatur in ea causa, dis. 12. num. 2.
Substineri non debent pro eodem negotio coram diversis Judicibus, dis. 81. num 2.

LITERÆ EXECUTORIALES.

Antiquiores absque nova cognitione executioni mandari non debent, dis. 2. num. 2.
Præcipuè si prodierunt in contumaciam, ibid.
Fidem nullam merentur, quæ non sunt originales, præterquam vel si ipsa originalia inspici possint, dis. 2. num. 5.

LITERÆ REMISSORIALES

Arbitraria est eorum concessio, seu denegatio, disc. 7. num. 2.
Concedi debeant nec nè, disc. 3. num. 3.
In materia Remissorialium nomine causæ spiritualis veniunt tantum beneficiales, cæteræ omnes sunt prophanæ, disc. 3. num. 2.

LOCA ECCLESIASTICA.

Confraternitates dicuntur, si Ecclesiam & campanam habeant, erectæ, quæ fuerint cum Ordinarii authoritate, quibus cessantibus, dicuntur loca pia, dis. 42. num. 9.
Erigi debent de consensu Ordinarii, dis. 40. nu. 13.

LOCA MONTIUM

Sita in Urbe dicuntur, quamvis eorum dos alibi sita reperiatur, dis. 87. num. 8.
Transferri difficilius in alios possunt ex pactis privatorum, cùm requiratur consensus Principis, disc. 62. num. 10.

LOCA PIA.

Confratetnitates quoad aliqua esse possunt, subjici tamen quoad bona temporalia foro laicali, disc. 60. num. 3.
Visitari possunt ab Ordinariis, disc. 40. num. 14. dis. 42. n. 2. & 3.
Vide Visitatio Episcoporum.

LÆSIO

Exorbitans obtinet aperitionem oris in signatura Sanctissimi, dis. 8. num. 3.

M.

MANDATARIUS.

Contrahit, ubi recepit, & exequitur mandatum, dis. 71. num. 4.

MEDICUS

Cogi potest licèt invitus ad exercendam suam professionem, prout artifices, dis. 32. num. 9.

METROPOLITANUS

Differt ab Episcopo, & quomodo, dis. 12. num. 11.
Provinciæ præest, & jure metropolitico exercet plures actus Jurisdictionales etiam in locis nullius, ibid.

MILITES

Fori exemptione in re Urbana, & privativa non gaudent, dis. 78. num. 7.
De exceptione hostica, dis. 78. num fin.
Foro proprio renunciare possunt, & Judicis Ordinarii Jurisdictionem prorogare, disc. 78. num. 2
Refutatur Crispoltus aliter sentiens, discu. 78 num. 3.
Supervenientia Militiæ non tollit prosequutionem causæ cœptæ, dis. 78. num. 4.
Multò magis, si non sit in Castris, sed in Urbe, dis. 78. num. 5.
Jurisdictio in Milites exercetur per Generalem S. Ecclesiæ, disc. 78. n. 6.
Ultrà Ducem Belli, vel Magnum militem non alteri nec Clerico Cameræ Apostolicæ, nec Commissario tribuitur disc. 78. num. 6.

In Castris datur Assessor Duci, nullus verò in Urbe, d. 78. n. 6.
Negotiari prohibentur, d. 33. n. 7.
Prælatus est provisor non Judex militum, disc. 78. num. 6.
Privilegiis fruuntur gratis inservientes, dummodò castra sequantur, d. 33. n. 9.
Sunt illi, quorum principale institutum est circà militiam, d. 33. n. 5.
Tres militum species recensentur, discurs. 33. num. 6.
De militia nuncupati non sunt verè milites, sed pars Populi electi ad promptius occurrendum defensioni proprii loci, d. 33. n. 6.
Transgressores puniri possunt à Judice Ordinario ex negligentia Judicis militaris, discurs. 78. num. 5.

MILITIA S. STEPHANI

Ecclesiasticæ personæ ejus milites impropriè dicuntur, ut gaudentes hospitalarii, & templarii, dis. 92. n. 17.
Et verè Religiosi malè appellantur, d. 92. nu. 20. & 22.
Ejus erectio, & Privilegia, d. 92. n. 1.
Non eximit à jurisdictione fori sæcularis, seu potestate proprii Principis, discursus 92. num. 2. & 6.
Forum sortitur ex observantia, idque accidit in tribus militiis de Spata, Calatraua, & Alcantara, d. 92. nu. 16.
Ob vicinitatem ejus Sedis metropoliticæ præsumitur scientia, & patientia cujuslibet observantiæ, d. 92. n. 16.
Nil potest inferri ab observantia Status Ecclesiastici, ubi Pontifex exercet utrumq; gladium, d. 92. n. 19.
Privilegio deducto ne egeat gaudet magis ex qualitate militari, quàm ex Ecclesiastica, discurs. 92. num. 23.
Promissiones quædam in ea emittuntur non constituentes statum Religiosum, sed in aliis militiis veræ Religionis emittitur solemnis professio, & votum continentiæ commutatum fuit in castitatem conjugalem, d. 92. n. 15.
Religionis veræ qualitatem non habet juxtà votum antiquiorum Canonistarum, & Rotæ Romanæ, d. 92. num. 8.
Diversæ opiniones, An militiæ Sancti Jacobi de Spata, de Calatrava, & de Alcantara sint veræ Religiones, d. 92. n. 7.
Et eorum capacitate in successione feudorum, d. 92. n. 8.
Professi trium Religionum ex sententia Canonistarum habendi sunt pro veris Religiosis, disc. 92. num. 8.
In supradictis militiis, sicuti & in Sancti Mauritii, & Lazari, admittitur qualitas Ecclesiastica, disc. 92 num. 9.
Exemptio fori laicalis fuit expressè concessa dictis tribus Militiis, secùs militiæ S Stephani, disc. 92. num. 10.
In illis attenditur conciliaris dispositio circa ætatem, & annum probationis, secus in ista, dis. 92. num. 12.
Subdita nata est invariabilis Principis sæcularis, sed in aliis magnus magister semper fuit electus, d. 92. num. 14.

MINORES

Hæredes in instantia incœpta cum defuncto restitui non possunt, secùs in secunda secum incœpta d. 72. num. 14.
Majores reputantur in Regno Neapolitano excedentes annum 19. dis. 62. num. 12.
An ea Constitutio comprehendat etiam Clericos, d. 62. num. 13.
Restitutionem in integrum facilè obtinere possunt, quamvis Sacramento ætas suppleatur, disc. 62. num. fin.

MISSÆ

Descriptio celebrationis Missarum, & modus ab Episcopis probiberi non potest administratoribus Confraternitatum laicalium, discursus 42. num. 8.

MONACHI

Independentia Monasteria ab aliis Ordinis habent in Religionibus Ultramontanis, discursu 28. num. 1.
Et plures Monachorum Congregationes, quamvis extra Italiam, & non unitæ Cassianensi, temen sunt Ordinis Divi Benedicti, dis. 28. num. 6.
Nigri appellantur Benedictini, non autem Basiliani, dis. 28. num. 7.
Origo, progressus, ac divisio Ordinis Benedictini dis. 28. num. 6.

MONIALES

In Conservatoriis viventes subsunt Magistratibus laicis, dis. 45. n. 8.
Declaratur Menoch. ibid.
Authores excludentes Jurisdictionem Ordinarii à Conservatoriis, & è contra, discursus 45. num. 5.
Aliter dicendum de viventibus sub Religioso formali instituto, dis. 45. n. 7.
Reprobatur Ciriacus, ibid.
Jesuitissæ subpressæ ab Urbano VIII. discurs. 45. num. 7.
Mulieres sæculares viventes in una domo pro majori honestatis conservatione, cogi non possunt ad formalem Clausuram, dis. 45. num. 3.
Potest tamen titulo Reformationis eis injungi alia habitatio, & prohiberi conversatio cum laicis, d. 46. num. 10.
Quæ omnes subjacent visitationi ad evitanda scandala. d. 45. num. 4. & 8.
Et sæpius fuit injunctum Ordinariis à Sacr. Congregationibus Concilii, & Regularium, d. 45. num. 9.
Oblatæ Turris speculorum de Urbe sunt sæculares, d. 45. num. fin.
Species viventium sub quadam forma Monialium habentur, d. 45. num. 3.

MULIER

Vidua censetur virum habens inutilem, & fruitur privilegiis, *l. un. C. quand. Imper.* discurs. 54. num. 6.

N

Jurisdictioni Camerarii Ripæ Romanæ subjicitur in iis, quæ concernunt commercium ripale, & privilegium fundatur in jure communi, disc. 83. num. 8. & 9

NECESSITAS

Inducitur per verba hortatoria, quando procedunt à superiore, d. 24. n. 10

NEGLIGENTIA

Arguitur maxima in præventione, quæ præcessit 40. dies, d. 57. num. 10

Non arguitur ex sola termini præfixione, d. 68 num. 10

Hæredem non privat facultate exequutionis, nisi habeat speciem delicti, d. 84. n. 5

Causæ appellationem, seu avocationem sola negligentia non admittit, disc. 68. num. 8

NEGOTIATORES

Anconitani ex indulto conveniri non possunt, nisi in eo foro Mercatorum, disc. 71. num. 5.

Ab hujusmodi indultis semper excipitur Curia Metropolitana, quæ indiget speciali mentione, d. 71. n. 7

NUNTII APOSTOLICI

Jurisdictionem privativam non habent in Regno Neapolitano quoad Ordinarios locorum in iis casibus, in quibus etiam exemptorum sunt Judices competentes, disc. 36. num. 2.

O

OBEDIENTIA

Species variæ declarantur obedientiæ, disc. 4. numer. 2.

Subjectionis est argumentum obedientiam, & fidelitatem promittere, disc. 28. num. 10.

OBLATÆ TURRIS SPECULORUM

Vide Moniales.

OBLIGATIO

Ex laudo quæ oriatur, disc. 71. num. 5

OBLIGATIO CAMERALIS

Fori electionem tribuit, non variationem, disc. 71 num. 10.

OBSERVANTIA

In ambiguis est maximè attendenda, disc. 92. nu. 17.

Attendenda est proxima publicationi Concilii, disc. 41. num. 12

Præcipuè si adsit præscriptio centum annorum, & sit præscriptio nativa, disc. 92. n. 18

Interpres rerum est optima, disc. 5. num. 8

Non tamen attendenda, si pro facultativa habeatur. disc. 22. num. 13

Præsertim in præjudicium successoris venientis jure suo, cui antecessorum negligentia præjudicare non potest disc. 72. num. 5

Judicis competentiam inducit, discurs. 47. n. 19

Præscriptiva non datur adversus disposita à Sacr. Conc. Trident. disc. 42. n. 4

Sed attenditur tanquam inductiva consensus, & patientiæ Ordinarii, disc. 51. num. 10

Probari debet concludenter, ut consuetudo Curiæ Romanæ, in materiis Pontificii verisimiliter cognitis extendatur de casu ad casum, d. 53. n. 5.

OPINIO.

Advocati contra opinionem propriam licitè scribere possunt ob varietatem opinionum, & diversos litium exitus, dummodò proprium sensum Clientibus aperuerint, d. 94. n. 2.

Multiplex cum multiplicitatione motivorum causis præjudicat, d. 6. num. 3.

OPPIDUM.

Unum & idem dividi potest in duos Episcopatus, dis. 3. num. 16.

Vide Vicarius.

ORACULUM VIVÆ VOCIS.

Credi non debet ex assertione Officialium sine scriptura, nisi concernat eorum officium d. 82. n. 2.

Credendum tamen est Officiali conspicuæ qualitatis in absentia Principis, d. 82. n. 4.

Improbabile tamen est ministrum mentiri velle, si adsit præsentia Principis, d. 72. n. 4.

A Regulis Cancellariæ ad hoc non infertur, d. 82. n. 7

In Signatura publica Gratiæ editum facilius est attendendum, d. 28. n. 5.

Et in ea capitibus Tribunalium ibi convenientibus à Pontifice dirigitur, d. 82. n. 6.

ORDINARII.

Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati habentes Jurisdictionem Episcopalem, vel quasi in locis nullius soli hoc nomine censentur, d. 68. n. 4. & d. 92. n. 2.

Causarum avocationi non subjacent ob negligentiam, d. 68. n. 1.

Censuras denunciare possunt etiam in exemptos, si à jure sint illatæ, discursu 29. n. 3.

Magis in casu notorio, d. 47. n. 3.

Clausuræ Monialium custodiam habere debent, d. 27. num. 9.

Exemptos propriæ Jurisdictioni subjicere non possunt absque licentia Pontificis. d. 25. n. 8.

Judices sunt omnium causarum in prima instantia, d. 62. n. 2.

Jurisdictionem habent delegatam in exemptos quo ad curam animarum, & administrationem Sacramentorum, d. 4. n 4. §. *Circa verò*.

Idque extendendum circa vitam, & mores administrantium, d. 4. n. 6.

Et extrà actum visitationis, d. 4. n. 5.

In exemptis verò qualitatem nullius habentibus eam non exercent, dis. 18. n. 2. d. 40. n. 8.

Jurisdictione à Nuncio Apostolico in Regno Neapolitanon non privantur in casibus, in quibus etiam exemptorum sunt Judices competentes, dis. 36. num. 2.

Legatus, Vicelegatus, eorumque Auditores gerunt partes Pontificis tanquam Principis sæcularis, nec tales dici possunt, d. 68. n. 4.

Præeminentias obtinent etiam in Ecclesiis Regularium quamvis exemptis, ubi possunt Pontificalia exercere, &c. d. 35. n. 6.

Secus in Territorio separato, d. 35. n. 3.

Præsumuntur scire negotia propriæ Diœcesis, d. 40. num. 12.

Regularium causas cognoscunt, si controversiam habuerint cum laicis, ut in casu omisso à Constitutione. 74. Sixti V. d. 91. n. 5.

ORDO S. BENEDICTI

Continet sub se plures Monachorum Constitutiones, quamvis extra Italiam, & non unitas Cassinenſi, d. 28. n. 6.

Ori-

Originem, progressum, ac divisionem, quando habuerit, dis. 28. num. 7.

ORIGO

Retinetur aliquando ejus qualitas sola causa honorificentiæ, dis. 75. nu. 3.

Secus in iis qui occasione officii, feudi, vel mercaturæ absunt à Patria, ibid.

P.

PAPA

COncurrere potest cum quolibet Collatore Beneficiorum, etiam in mensibus Ordinarii, sed non solet, nisi ex causa, dis. 53. num. 6.

PAROCHUS

Jurisdictionem amplius non habet in funeribus, cùm ingrediuntur loca Regularium, dis. 31. n. 6.

Synodo intervenire tenetur, quamvis Rector loci exempti, d. 38. n. 6.

PARS

Effectuatio partis operatur effectuationem in toto, dis. 72. num. 5.

PASCENDI JUS

Competat nec ne Communitatibus, an locorum Dominis cum juris assistentia in ea parte, qua pascua incolarum usum excedunt; dis. 48. num. 3.

Non competit in peculiaribus prædiis, nisi acquisita pascendi servitute, dis. 48. num. 4.

Probari non potest ex sententiis, nisi concurrat actualis, ac recens possessio, disc. 48. num. 5.

Testes examinati parte non citata, nullam constituunt probationem possessionis, discu. 48. num. 5.

PATRONUS

Non constituitur per eleemosynas, & oblationes, dis. 41. num. 2.

Præsumitur dotasse pium locum novissimè dotatum, disc. 41. n. 4.

PECUNIA

Consumpta dici non potest soluta creditori de mandato Judicis cum cautione de restituendo prioribus, & potioribus, disc. 94. num. 9.

PEREMPTIO

Vide Causæ.

POENA

Reputatur aliquando longa carceratio, dis. 19. nu. 1. in fine.

PONTIFICALIA

Exerceri possunt ab Abbatibus Regularibus in tribus festivitatibus annuis, dis. 31. num. 2.

Et à Prælatis inferioribus pro privatis solemnitatibus propriæ Ecclesiæ dumtaxat, eaque differre debent à functionibus Episcopalibus, dis. 31. num 9.

Sunt Cardinalium, ac supremorum Principum funera ab Episcopo exercenda, discurs. 31. num. 4.

POSSESSORIUM RETINENDÆ

Continuativum ex Statuto locum non habet, resistente voluntate defuncti, dis. 69. num. 14.

Nil inservit dicta possessio, ubi factum naturalis possessionis est spectandum, discurs. 69. num. fin.

Examen justitiæ non admittit, sed nudum factum possessionis, discurs. 21. num. 2. discurs 49. numer. 16.

Bonum Jus attenditur, ubi per rem judicatam, vel confessionem certa fit negativa contrariæ probationis in judicio petitorio, dis. 49. num 16.

Nulliter immissio in possessionem, si in continenti constet de justitia, est concedendum, discur. 48 num. fin.

PRÆEMINENTIÆ

Competunt eodem modo, præcipuè in functionibus Pontificalibus, quæ debentur ob exemptionem concessam ab Ordinario, dis. 5. num 7.

Controversias plures gignunt inter Canonicos Cathedralium, & Visitatores Episcopi, & Capitula, vel Parochos Ecclesiarum inferiorum, disc. 43. num. 3.

Debentur habentibus jurisdictionem, quæ competunt ratione jurisdictionis, dis. 35. num. 2.

Decidi debent à Sac. Rituum Congregatione, dis. 20. num. 7.

Episcopo etiam in aliena Ecclesia aliquæ debentur, dis. 20. num. 18. & num. 30.

Facultatem tribuunt Decano puniendi delinquentes in Choro, dis. 17 num. 2.

Ordinariis competunt etiam in Ecclesiis Regularium, quamvis exemptis, ubi possunt Pontificalia exercere, Baldachinum erigere &c. disc. 35. num. 6.

Secus in territorio separato, d. 35. n. 3.

Robur ab antiqua consuetudine desumunt, d. 20 n. 19

PRÆFIXIO TERMINI

Ab ea differt appellatio à denegata justitia, & trina requisitio, dis. 68 n. 10.

Præcipuè in criminalibus, ibid.

PRÆLATI INFERIORES.

Bonorum Ecclesiasticorum non habent nisi administrationem, d. 48. n. 12.

Ecclesiæ regularis eis collatæ censentur Superiores, & Regularis Superior eorum Minister, & Vicarius, dis. 34. n. 5.

Jurisdictionem nullam habent ultrà Monasteriorum, Conventuum, Domorum, vel Ecclesiarum ambitum, qui eorum dicitur territorium, discurs. 1. num. 8. & 20. discurs. 10. num. 9. d. 14. num. 3.

Et in hac specie territorii separati intelligitur Jurisdictio delegata per Sacr. Concil. Trident. in locis exemptis, & nullius, d. 10. in fin.

Jurisdictionem aliqui habent etiam in Clerum, populum sæcularem alicujus loci, & Diœcesis, vel cumulativè cum Ordinario, vel cum aliqua distinctione, dis. 1. num. 19. d. 34. num. 9.

Hæc species Prælatorum ferè est abrogata per delegationes factas Ordinariis à Concil. Tridentino, ibidem.

Et Jurisdictio quam habent extrà proprium ambitum ex privilegio est tantum in quasdam personas ratione certæ qualitatis, d. 1. n. 20. per tot.

Compatibilis est cum jurisdictione Ordinarii visitantis, si exerceatur diverso tempore, disc. 17. num. 4.

Possideri potest à duobus diviso eodem genere in species, quæ species considerantur ut genus, & hoc casu nulla datur monstruositas duorum capitum, dis. 1. nu. 26. & 28.

Ordinarii fiunt novæ Diœcesis, quæ dicitur nullius per separationem territorii ab antiqua Diœcesi, quamvis exercitium Ordinis Episcopalis non habeant, dis. 1. nu 10. dis. 34. u. 9.

Ordines conferre non prohibentur in locis verè nullius, dis. 16. n. 1.

Sac. Concilii Congregatio ab hac opinione recessit, dis. 16. n. 3.

Parochialis unitas propriæ Ecclesiæ exemptæ ipsi conferunt absque concursu, dis. 15. num. 3.

Secus si de unione non constet, vel sunt jurispatronatus, d. 15. n. 5.

Pontificalia exercere possunt pro privatis solemnitatibus propriæ Ecclesiæ dumtaxat, & ea differre debent à functionibus Episcopalibus, discurs. 31. num. 9.

Quæ ab ipsis facta functiones Episcopales turbare dicantur, dis. 31. n. 5.

Ex decreto limitata fuerunt tempora exercendi dictas functiones, dis. 35. n. 8.

Præjudicare non possunt propriæ Ecclesiæ ex propria confessione, præcipuè in iis quæ ab animo aut facto non pendent, d. 12. n. 23.

Et eorum concessiones successoribus nocivæ remanent meræ personales, d. 23. n. 5.

Precariæ potiùs censentur cùm ab eodem impugnari possint etiam in possessorio, discurs. 23. num. 6.

Nec solùm ex remedio reintegrandæ, sed etiam ex remedio retinendæ, dis. 48. n. 12.

Probandi plenam jurisdictionem, & exemptionem ex Constitutione Bonifacii VIII. formam habent, dis. 5. n. 6.

Cujus moderatio emanavit per Sacr. Congregationem Concilii, d. 5. num. 7.

Eademque procedere deberet etiam in locis nullius, ibid.

Probatur prætensa observantia privilegiorum exemptionis ex actibus jurisdictionalibus exercitis à Prælato inferiore, residente in eadem Civitate cum Superiore, dis. 12. n. 18.

PRÆLATI REGULARES

Synodo intervenire non tenentur, nisi habeant curam animarum, dis. 37. n. 4.

Secùs de Præfectis Monasterio non communicante cum universa Religione, dis. 37. n. 5.

PRÆSCRIPTIO

Annorum centum observantiam probat, discurs. 92. num. 18.

Immemorabilis impeditur ex decreto irritante, dis. 3. num 13. discurs. 42. num. 5. discurs. 25. num. 9. d. 53. n. 4.

Interrumpitur ex unico actu contrario, dis. 1. n. 23.

Est modus acquirendæ jurisdictionis in alieno territorio, dis. 20. n. 16.

Conciliatur opinio Hostiensis circà conservationem præscriptionis, dis. 1. n. 27.

Actus verò facti ex delegatione Apostolica nullam interrumpunt præscriptionem, dis. 1. n. 31.

Non oritur ex actibus facultativis, quibus non obligantur successores, disc. 24. numer. 6. disc. 34. num. 21.

Oriri potest non solùm super actibus peculiaribus, sed etiam in parte territorii absque ullo discrimine quod adsint duo capita spiritualia, dis. 12. num. 20.

Probari non potest nisi constet de testium ætate, ut concludenter deponant de visu super observantia annorum 40. ante motam litem, & completam pubertatem, dis. 3. n. 5.

Et in ejus probationem subducendum est tempus litis, disc. 3. num 7. dis. 11. n. 7. discurs. 12. num. 2.

Solus rumor contrarius impedit hanc probationem, & nihil intrà centum annos gestum, dictum auditumve, dis. 3. num. 8. disc. 9. num. 7.

Probari debet cum requisitis, quando allegatur actus præscriptivus tanquam fundamentum intentionis, dis. 7. num. 8.

Potissimum requisitum est quadragenaria de visu, dis. 11. num. 7.

Requisitum verò quadragenariæ est scientia, & patientia Superioris Principalis, dis. 25. nu. 7. dis. 39. num. 5.

Prætensa à Prælato inferiori ex quibus actibus excludatur, dis. 9. n. 7.

Requisita præscriptionis in jurisdictionalibus, disc 34. n. 30.

In servitutibus habentibus causam discontinuam requiritur, dis. 48. num 4.

Titulus melior allegari non potest immemorabili, dis. 34. num. 30.

PRÆSERVATIVA

Censetur semper inesse in provisionibus Papalibus, disc. 34. num. 21.

Nec tollit, nec tribuit quidquam, dis. 14. n. 2.

PRÆSUMPTIO

Delicti non cadit in Ecclesiasticis subjacentibus obedientiæ Pontificis, dis. 80. num. fin.

Derogationis factæ à Pontifice contrà jus tertii non admittitur, dis. 27. nu. 7.

Mala non facilè in Prælatis admittitur, dis. 53. nu fin.

Vitæ non extenditur ultra centum annos, dis. 3. n. 9

PRÆVENTIO

Collusiva, & affectata nil juvat, dis. 57. num. 6.

Inducitur ex citatione, dis. 49. n. 2.

Realis superat verbalem, dis. 57. num. 9.

Valet in concursu judicum æquè competentium, secus ubi agitur de omnimoda diversitate fori, & actionis, dis. 79. num. fin.

PRIVILEGIA

Allegari possunt excipiendo, nè adversarius utatur aliis privilegiis, dis. 72. n. 17.

Amissa probari debent per testes valde peritos, qui de ejus tenore, statu, ac qualitate deponant, disc. 11. num. 6.

Concessa Regi Hispaniarum, comprehendant necnè dominia extrà Hispaniam, dis. 8. n. 8.

Continent quantum in iis scriptum reperitur, dis. 35 num. 10.

In concursu privilegiatorum considerandum est, quis sit majori beneficio dignus, dis. 69. num. 11.

Clericus adversus viduam reputatur dignior, dis. 69. num. 11.

Emanaverunt amplissima à Calixto III. exemptiva Ecclesiæ Carpensis à quacumque Diœcesi, disc. 10. num. 2.

Exemptiva probant territorium separatum, disc. 10. num 8.

Non

Non tamen ex iis privilegiis inducitur qualitas nullius, aut jurisdictio, dis. 12. num. 16.

Eaque ex facti observantia interpretationem recipiunt, dis. 12. nu. 18.

Eximunt Ecclesiam à probatione libertatis suorum bonorum, dis. 47. num. 25.

Militaria, *Vide* Milites.

Personalia non transeunt in secundo in diversum possessorem, dis. 6. num. 7.

Transeunt ab antiqua in novam Ecclesiam si ex Superioris authoritate fiat translatio, discursu. 13. num. 2.

PRIVILEG. *l. un. C. quan. Imp.*

Cessare facit dispositionem cap. *causæ omnes*, disc. 80. num. 5.

Secùs si in loco Ordinarii conveniendi adsit Superior ad quam possit fieri recursus, discursu 80. num. 7.

Cessant & reliqua privilegia, nisi expresè huic derogetur, dis. 80. num. 6. & 10.

In privilegiis concessis Urbi Ferrariensi, nulla facta est mentio hujus privilegii, ut erroneè censuit Rota licèt incidenter, disc. 80. n. 11.

Clausum est in corpore juris, & est maximæ efficaciæ, disc. 33. n. 4.

Competit pupillo, & miserabilibus personis in quacumque instantia, dis. 70. n. 6.

Conceditur ut facilius jura sua deducere, ac probare possint, disc. 72. n. 16.

Facultatem non tribuit variandi forum gestæ administrationis, dis. 73. n. 3.

Hæredi privilegiato non ex alia ratione cessat quàm ex lite cœpta cum defuncto discursu. 72. num. 2. & 7.

Pupillus factus adultus, & vidua uxorata privilegium non retinent, dis. 72. num. 13.

Superveniens post litem adhuc allegari potest, disc. 72. num. 8.

PRIVILEGIA REGULARIUM

Concessa Religioni, Monasterio non competunt à Religione dismembrato, disc. 6. num. 6.

Eximunt à jurisdictione passiva, non tribũnt activa, dis. 6. num. 8. §. *Eademque responsione*, disc. 12. num. 16. dis. 14. num. 5. disc. 19. nu. 3. disc. 25. num. 2. dis. 27. num. 8.

Exemptionum concedendarum causæ, discurs. 10. num. 6.

Exemptiva non extenduntur ad eorum colonos, & ipsis suffragantur in iis quæ propria manu colunt, dis. 91. num. 4.

Non expressa concurrentibus pluribus adminiculis deserviunt ut titulis bonæ fidei pro præscriptione non quadragenaria, dis. 12. num. 19.

Extendi non possunt ad totum ordinem concessa alicui Congregationi, dis. 28. num. 7. in fin.

Facultatem tribuunt causas cognoscendi non in forma contentiosa, sed per juris apices, & summariè intra ipsum ordinem vel coram Cardinali Protectore, aut Sacr. Congreg. Regularium, discursu. 10. num. 7. discursu 91. numer. 2. 3. & 4.

Sed si controversia fuerit cum aliquo sæculari, ut in casu omisso à Constitutione Sixti V. cau- *Card. de Luca de jurisd. & Foro Compet.*

sæ coram judicibus ordinariis erunt cognoscendæ, dis. 91. num. 5.

Religiosus verò effectus sæcularis si frueretur supradicta Constitutione inducta in favorem, retorquerentur in odium, dis. 91. n. 6.

Ordinario non obstant quin procedat ad declarationem censurarum illatarum à jure, discurs. 29. num. 2.

Personalia non transeunt cum re in diversum possessorem, discursu 6. numer. 7. discursu 10. num. 5.

Principum intelligi possunt tanquam legis fundationis à Pontifice confirmatæ, quamvis juri contrariæ, & interviunt tamquam adminicula probationum, discurs. 6. num. 10. disc. 12. nu. 21. disc. 26. n. 8. & 9.

Limitatur si accedat consensus Ordinarii, disc. 27. num. 2.

Cujus vices possunt à Pontifice suppleri, disc. 27. num. 3.

Usu limitato diminui possunt, & vires ab usu recipiunt, dis. 7. num. 9.

Ob non usum non infringuntur si adsit decretum irritans, disc. 7. n. 4.

Quæ opinio refutatur, dis. 7. n. 6.

Non usus probandus est cum requisitis præscriptionis, dis. 7. n. 7.

PRIVILEGIA RELIGIONIS. HIEROSOLYMITANÆ

Acta cum Commendatariis non citata Religione sunt invalida, dis. 2. n. 4. & 8.

Intellige cum agitur de causa universali totius Religionis, secus si de particulari Prioratus Commendæ, &c. dis 2. n. 10.

Appellationem ad Pontificem non impediunt, nec tamen licet recurrere ad A. C. sed immediatè ad Summum Pontificem, dis. 69. n. 6.

Cappellani sæculares Ecclesiarum Religionis non tenentur accedere ad lectiones casuum conscientiæ ab Ordinario mandatæ, dis. 4. num. 15.

Coloni & famuli, licèt vivant in domibus Religionis, non sunt exempti, nisi vivant more claustrali, & Religioso, disc. 4. num. 9. §. *Vero & §. Clarius.*

Inconvenientia quæ indè orirentur, ibid. §. *Ideoque* in fine.

Concurrentibus tribus requisitis Constitutionis Gregorii XIII. Ministri non professi eximuntur ab Ordinariis, præterquam in cura animarum, ac administratione Sacramentorum, dis. 4. n. 6.

Conservator præter exercitium delegatæ jurisdictionis non eximitur ab Ordinario, discurs. 4. num. 13.

Nec potest tribunal erigere, quamvis ei liceat uti quolibet notario, disc. 4. num. 14.

Eximunt à jurisdictione pasiva tantùm, non tribuunt activam, dis. 6. n. 8.

Ministri habitantes sparsim per Civitates, nullam habent exemptionem, dis. 4. n. 8.

Ministri habitantes ædes Religionis Commendatario absente, non dicuntur vivere sub obedientia, dis. 4. n. 7. §. *Deficiebat.*

Præsentia conservatoris non supplet absentiam Commendatarii, si secum coloni, ac famuli non convivunt more claustrali, discurs. 4. num. 10.

Varia referuntur exempla, ibidem §. *Et ne de-ſuper.*

Monetæ authoritas in hac re intereſſe habentis parvi facienda, diſc. 4. n. 9. §. *In contrarium.*

Privilegia Conſtitutionis nonæ Pij V. eximunt tantùm à juriſdictione paſſiva diſc. 3. n. 4. & diſc. 5. num. 4.

Vicarius reſidens in domo annexa domui principali Commendæ, licèt cùm janua particulari, videtur reſidere intra domum, & ſepta Religionis, d. 4. n. 7.

Vide Præſcriptio.

Attentatorum ex geſtis in una cauſa non inferuntur ad alteram, diſc. 31. n. 2.

Ex conceſſionibus probatur jus concedentis, diſc. 2. num. 14.

Diviſionis Diœceſum. *Vide* verbo *Diœceſes.*

In prætenſa diviſione Diœceſum debent fieri ab allegante, diſc. 1. num. 12. diſc. 3. num. 4. diſ. 12. n. 6.

Et non aliter, quàm per privilegium Apoſtolicum, vel per immemorabilem, diſ. 1. num. 12. diſ. 3. n. 8. d. 9. n. 3.

Ex enunciativis nullæ conſtituuntur, ſi enunciatio principaliter diſputetur, d. 48. num. 5.

Ex enunciativis quæ principaliter diſputantur, nullæ haberi poſſunt, ibidem.

Exemptiones Regularium probantur ex viſitatione Nuncii Apoſtolici, d. 28. n. fin.

Exemptionis, & Juriſdictionis, ex Conſtitutione Bonifacii VIII. d. 5. n. 6.

Fieri non debent per teſtes earum rerum, quæ in ſcripturam redigi ſolent, ſi adſint ſcripturæ, d. 32. n. 8.

Juriſdictionalium actuum incongruè fiunt per teſtes, diſ. 3. num. 11.

Juriſdictionis habentur ex frequentia actuum juriſdictioalium, diſ. 1. n. 30.

Vide Juriſdictio ſpiritualis.

Juris paſcendi haberi non poſſunt ex ſententiis, niſi concurrat actualis ac recens poſſeſſio, diſc. 48. num. 5.

Obſervantia probatur ex curſu centum annorum, d. 92. num. 18.

Obſervantiæ debent fieri concludenter præcipuè in conſuetudine Curiæ Romanæ, in materiis Pontificiveriſimiliter cognitis, d. 53. n. 5.

Paſcendi Jus, *Vide* Jus paſcendi.

Poſſeſſiones facilius eruuntur ex qualitate ſubjectionis, vel non ſubjectionis, d. 47. n. 24.

Privilegii ſeparationis alicujus Diœceſis ſi fuerit deperditum, fieri debent per teſtes valdè peritos, qui de ejus tenore, ſtatu, & qualitate deponent, d. 2. n. 6.

Falſitas quæ aliter confici poſſet, diſ. 2. num. 7.

In Regula habens fundatam intentionem, non tenetur probare limitationem, d. 47. n. 27.

Situationis Diœceſum ex quibus eruantur, *Vide* Diœceſes.

PROCESSIONES

Etiam per exemptos in alienis finibus fieri non poſſunt, abſque conſenſu parochi, vel Ordinarii loci, d. 20. n. 17.

PROCURATORES

Generales Religionum non ſunt vocandi ad cauſas ſingulorum Monaſteriorum, diſ. 2. n. 11.

Primæ inſtantiæ non tenentur cauſam proſequi in ſecunda, d. 72. n. 12. §. *Procurator.*

Salarium conventum Procuratori intelligitur de prima inſtantia, cùm in ſecunda novum debeatur, d. 72. n. 12. §. *Salarium.*

PUPILLUS

Privilegium habet *l. unicæ C. quando Imperator*, diſ. 72. n. 6.

Q.

QUADRAGENARIA

Vide Præſcriptio immemorabilis.

R.

RATIONES

Reddi debent in loco geſtæ adminiſtrationis, d. 73. num. 2.

In quo facilius habetur veritas probationis, d. 73. n. 2.

RECONVENTIO

Vide Forus.

Locum non habet in judicio merè voluntario, diſc. 94. num. 15.

Praxis tolerabilis videtur reconveniendi Clericum pro ſolutione debiti vel legati, cùm is in Judicio univerſali coram laico citat creditores, cum hæreditarios, tum legatarios, ibidem.

RECTOR

Defenſor eſt legitimus ſuæ Eccleſiæ, d. 2. num. 13

RECURSUS

Auditori Cameræ firmat juriſdictionem etiam in præjudicium Metropolitanorum, & Legatorum, diſc. 53. n. 2.

Conceſſus in prima inſtantia ſubditis Baronum, non eſt extendendus ad ſubditos Ordinariorum Eccleſiaſticorum, d. 41. num. fin.

REGALIA

Civilitas inter ea computatur, diſ. 46. num. fin.

REGES

Conſiderari poſſunt diverſo reſpectu ut Duces ac Principes, ut de Regibus Hiſpaniæ, & Angliæ, d. 22. num. 7.

Regalia majora Coronæ inſixa inferioribus concedere prohibentur, d. 23. n. 4.

REGULA

Continet ſub ſe quod ex duobus expreſſum non fuit, diſ. 41. num. fin.

REGULARES

Cauſas proprias extra formam contentioſam intra ipſum Ordinem cognoſcunt, vel coram Cardinali Protectore, aut Sac. Congregatione Regularium, diſ. 10 num. 7. d. 91. à num. 2. uſque ad 4.

Vide Privilegia Regularium.

Compelli poſſunt ab Epiſcopo vitam activam profitentes confeſſionibus audiendis, d. 32. n. 7. & 10.

In Eccleſiis ad uſum ſibi conceſſis vices Epiſcopi ſupplere non poſſunt, d. 30. nu. 10.

Exempti ſunt omnes ob communicationem privilegiorum inter Religiones, d. 28. n. 4.

Limi-

Limitandum in Monasteriis, quæ singulariter regnntur, nisi adsint Privilegia peculiaria, disc. 28. numer. 9.
Eximuntur per privilegia à jurisdictione passiva, non autem acquirunt activam, discursu. 6. num. 8. §. *Eademque Responsione*, disc. 12 num. 16. d. 14 num. 5. disc. 19. num. 3. disc. 25. num. 2. disc. 27. num. 8.
A fideicommissis excluduntur ex conjecturata mente Testatoris, quamvis sint Religionis capacis, disc. 60. num. 2.
Ordinariis locorum quandoque infensi sunt, disc. 27 num. 9.
Puniri possunt ab Episcopo turbantes jurisdictionem, disc. 31. num. 3.
Sunt Testes parum idonei in materia exemptionum, disc. 26. num. 6. disc. 29. num. 7.

RELIGIO HIEROSOLYMITANA

Constituitur ex variis ordinibus personarum, disc. 4 num. 12.
Exemptionibus plurimis gaudet, disc. 1. num. 7.
Fori Pontificii electionem Magnus Magister auferre non potest, disc. 69. num 5.
Jurisdictionem non habet ultrà religiosos professos, Cappellanos, inservientes, & ministros, disc. 1. num. 19.
Obtinuit ex munificentia Caroli V. Insulam Melitensem, disc. 69. num. 3.
Nec in feudum, sed jure simplicis donationis, discur. 69. num. 5.
Imò in feudum cum reservatione superioritatis cum altissimo dominio, disc 69. num. 8.
Priores, & Commendatorii sunt manuales, & obedientiarii, disc. 2. num. 9.
Hæc manualitas rarò ad praxim reducitur, discur. 2. num 12.
Religionis veræ habet qualitates, discursu. 92. n. 8.
Succedunt ejus milites in feudis & quomodo, ibid.

REMISSORIA

Deneganda est ob suspicionem calumniæ, disc. 76 num. 3.
Vide Litteræ Remissoriales.

ROTA ROMANA

Causas contentiosas semel coram se introductas, ipsa decernere solet, disc. 15. num. 1.

S

SACRAMENTA

Administrari non possunt ab exemptis populo alieno absque licentia Ordinarii, disc. 20. num. 20.

SCRIPTURÆ

Fidem nullam merentur extractæ ex proprio Archivio ad proprium commodum, disc. 12. num. 9
Probari non debent per Testes, si scripturæ adsint, quod solent in scripturam redigi, d. 37. n. 8.

SEMINARIA

Ordinario subjiciuntur Diœcesis, in qua sita sunt, quamvis substineantur ex Constitutione Regni, seu Provinciæ, disc. 52. num 5.

SENTENTIA

Auditoris Cameræ non potest circumscribi à Judice inferiori, disc. 74. num. 2.
Contumacialis lata ex præsumptivis, ac privilegiatis probationibus non transit in judicatum, d. 88. n. 6
Diversa super eadem re à diversis judicibus ferri non debet, disc. 81. num. 2.
Nulla est, non citatis interesse habentibus etiam quoad citatos, disc. 13. n. 3.
Secus si notoria scientia æquivaleat citationi, discurs. 13. n. 4.
Quæ opinio ibidem refutatur, cum ob claram justitiam talis nullitas rejicitur, d. 13. n. 5.
Lata per Judicem laicum contra Ecclesiam nec citatam, nec auditam, d. 48. n. 5.
Vel si lata fuerit ex præcibus Principum, ibid.
Tamen confirmatur quamvis nulliter lata, si constet in continenti de justitia, d. 48 n. 18.
Lata cum una, quomodo alteri præjudicet, d. 74. n. 7
Nullitas resultat ex collusione, quæ etiam nocet ipsis colludentibus- d. 74. n. 2.

SERVITUTES

Discontinuam causam habentes, requirunt præscriptionem immemorabilem, d. 48. n. 4.

SIGNATURA GRATIÆ

Rescribere solet in articulis justitiæ, ut quis utatur jure suo, d. 8 n 10.
Oraculum vivæ vocis solet Pontifex in ea dirigere capitibus Tribunalium ibi convenientibus, disc. 82. num. 6.

SIGNATURA JUSTITIÆ

Appellationem causæ, aut avocationem ex sola negligentia in non pronunciando non admittit, disc. 68. num. 8.
Cognoscere non potest de causis Religionis Hierosolymitanæ, nisi per signaturam Gratiæ remittantur, disc. 69 num. 6.
Intellige de causis respicientibus Religionem, secus de prophanis in casu appellationis à foro Ecclesiastico Episcopi, vel Inquisitoris, d. 69. n. 7.
Cõmittere solet in Rota causas Leodienses, d. 84. n. 9
Judicare formaliter non potest, quod ageret annullando sententias, d. 74. n. 3.
Remittere solet ad partes causas primæ instantiæ, disc. 86. num. 1.

SOCIETAS JESU

Conservatores habet, qui possunt induere duplicem personam Judicis, & partis, diversis respectibus, disc. 49. num 7.
Et ut discernatur quam personam egerint, recursus dari debet ad Judicem delegatum pro appellationibus, ibid.

SPOLIATUS

Laicus à Judice laico, qui concessit possessionem Clerico, potest appellare ad laicum superiorem, & tunc existit adhuc primum judicium, d. 58. n. 3.

SPOLIUM

Committitur ab eo, qui negat solvere quod exigi solet, d. 46. n. 7.
Et ab eo, qui absque Judicis competentis licentia turbat pacificum possessorem, quamvis habeat prætensionem fundatam, d. 48. num. 7.

STATUTA

Locum obtinent, si concurrat copulativa subjectio personarum, & bonorum, d. 63. num. 8.
Exterus tamen non potest uti beneficio statuti contra subditum discursu, 63. numer. 9.
Siciliæ, locum habent in Insula Melevitana, disc. 69. num. 14.

STIPENDIUM

Duplex debetur eidem personæ, duplex officium gerenti, disc.85. num.12.

SUBJECTIO

Arguitur ex obedientia, & fidelitate, quæ promittitur, disc.28.num.10.

SUPERIORES

Plures esse non prohibentur ad consilium dumtaxat disc.43.num 2.

Et subditi sunt correlativi, discurs.55.num.8.

SUSPICIO

Calumniæ, causat rejectionem etiam legitimarum exceptionum, disc.76.num.2.

Eaque adesse dicitur, si petatur remissoria post causam instructam, disc.76.num.3.

SYNODUS

Actus synodales debent fieri collegiatim, & capitulariter, disc.56. num.4.

Constitutiones synodales sunt leges perpetuæ, secus statuta Episcoporum, quæ cum iis expirant, disc.56. num.5.

Quæ tamen non substinentur, ut synodales, valent ut decreta ipsius Prælati adhuc viventis, ibid.

Quæ pertinent ad munus Vicarii, nil habent commune cum synodalibus constitutionibus, ibidem.

Constitutiones editæ ab Ordinariis nullo quæsito consilio Capituli, non sunt synodales, sed prorsus invalidæ, disc.56. num.2.

Consilium verò petitum ab Ordinario necessariò non est amplectendum, discursu. 56. num.3.

Episcopo duarum Cathedralium unicam synodum convocante, omnes ad eam accedere tenentur, disc.56. num 6.

Et ex probato interventu, conceditur Episcopo manutentio ad coercendos, qui aliàs adfuerunt, disc. 37.num.9.

Sed probatio interventus remanet æquivoca, quoties actus potuit esse facultativus, discurs. 87. num.10.

Examinatoribus synodalibus infra annum defunctis, non possint alii sine consilio Capituli ab Episcopo subrogari, disc.56.num.5.

Exigit cathedraticum tanquam onus sibi accessorium, disc.38. num fin.

Intervenire ad synodum tenetur Clericus sæcularis, quamvis Rector loci exempti, disc. 38. num.6.

Et Parochi nullius ad synodum Episcopi vicinioris, ibid.

Et Prælati regulares, quibus principaliter imminet cura animarum, si verò Parochia spectet tantùm accessoriè, sufficit interventus Vicarii, disc.37.num.3.

Secus si adsit contraria consuetudo, disc.37. num.6.

Sufficiat quadragenaria, vel decennalis, ibid.

T

TEMPESTAS

AEris sæpè mutatur, discursu 24. numer. 9.

TERRITORIUM SEPARATUM

Vid. Diœcesis Nullius.

Dicuntur sed impropriè Capellæ Sixtina, & Paulina in Ecclesia S. Mariæ Majoris, disc.35.num.9.

Intellectuale, & per fictionem quid operetur, disc. 35.num.9.

Non præsumitur, sed probandum est, vel privilegio, vel immemorabili.

TESTES

Deponentes de scripturis ad quas potest haberi facilis recursus, parum sunt attendendi, disc.7. num. fin. §. *Eaque.*

Coactè cum Testibus procedendum ob corruptos sæculi mores, disc.7. num. fin.

Deponere possunt, quæ viderunt in impubertate in materiis cadentibus sub sensu, secus sub intellectu, disc.3.num.6.

Exceptionibus subjiciuntur etiam in judicio summariissimo, quando in continenti constat de defectu, disc.21.num.5.

Nulliter examinantur sine partis citatione, d.21.n.7.

Scientiæ causam assignare tenentur in iis, quæ Juris sunt, quamvis super iis non interrogati, discursu 3. num.14.

Pariter de rebus consistentibus in judicio intellectus, disc. 37. num.11.

THEOLOGI

Parùm sunt attendendi in respicientibus forum externum, disc.52.num.9.

THESAURUS CAMERÆ APOSTOLICÆ

Administrator effectus Provinciæ solitæ administrari ab aliquo Nuncio, eam regulare debet juxta morem locorum non exceptorum, disc 85. nu.2. §. *Ideoque.*

Ideò insula Italiæ, si alicui Nunciaturæ uniretur, ejus naturam assumeret, & pars, quæ à præsidatu, vel provincia dismembratur pertinet Thesaurarii administrationi, discurs. 85. num.12. §. *Finali.*

In causis contraventionis etiam quartam partem ultrà decimam sibi recipere potest, disc 85. nu.10

Administratio Provinciarum, quæ separantur ab aliqua Nunciatura, non est nova delegatio, sed excitatio antiquæ jurisdictionis, disc.85.n.4. §. *Hinc proinde.*

Decimas non exigit ratione collectoriæ, disc.85.num 2. §. *Quodque jus.*

Pro decimis ei debitis nulla adest restrictiva intra Italiam, nec pro aliis emolumentis, spoliis &c. disc 85.nu 2.

Deputatus Judex à Pontifice consequitur duplex emolumentum tanquam Judex, & tanquam Thesaurarius in subjecta materia disc.85.num.12

Jurisdictio quam habet in ordine ad collectoriam, nullam habet connexionem cum jure emolumentorum ratione Thesaurariæ, disc.85.num.2.

Subrogatus in locum Nuncii, debet percipere ejus emolumentum, disc.85.numer.4.§. *Clarius.*

TITULI ECCLESIARUM CARDINALIUM

Vid. Cardinales.

TOGA

Doctori competit, eique prohiberi non potest, disc. 93.num.6.

Secus si ex jure consuetudinario aliter fuerit judicatum, disc. 93. num. 10.
Ex observantia Curiæ Romanæ indistinctè omnibus etiam uxoratis conceditur, disc. 93. num. 9.
Prohiberi potest ad evitanda scandala, ubi ejus usus non admittitur, disc. 93. num. 11.
Exemplum prohibitionis, ibid.
Togatorum nomine Doctores, & professores censentur, disc. 93. num. 6.
Usus eam deferendi per aliam Constitutionem aliquibus concessus, non tollit antiquiorem usum, aut facultatem eam deferentibus, discursu. 93. numer. 9.

TRADITIO

Ex clausula constituti oritur, & licèt ficta, valet ad effectum monasterii, disc. 62. num. 7.
Eo magis, si apud alium remaneat usus fructus, disc 62. num. 8.

TRANSACTIO

Ecclesiasticis prohibetur super bonis Ecclesiæ, disc, 24. num. 12. & disc. 30. num. 7.

V

VASTATORES

ARborum & vinearum tanquam latrones puniuntur, sed in praxi pœna extraordinaria mitiori, disc. 81. nu. 3.
Quod procedit in furtiva incisione, secus in aliis causis licitis ob necessitatem, disc. 81 num. 4.

VERBA HORTATORIA

Inducunt necessitatem, quando procedunt à superiore, disc. 24. num. 10.
Verbum *alius* denotat similitudinem, disc. 92. num. 3.

VESTIS CLERICALIS

Cautum in jure non est, quænam ea sit, disc. 93 num. 3.
Ad Episcopum spectat declarare, qualis sit habitus Clericalis, disc. 93. nu. fin.
Longa introducta majestatis, & honorificentiæ gratia, disc. 93. nu. 7.
Prosusa ad talos non est propriè clericalis, sed potius doctoralis, disc. 93. nu. 3.
Et nimis longa, clericali humilitati non convenit, disc. 93. num. 4.
Prohiberi potest ab Episcopo laicis, disc. 92. nu. 2 & 10.

VICARIUS

Vide Capitulum.
Deputari ab Episcopo necessariò non debet, disc. 22. num. 10. discurs. 23. num. 2. disc. 24. num. 5. discur. 54. num. 9.
Secus ob magnam distantiam in partibus remotioribus, præcipuè si concurrat conspicua qualitas loci, disc. 22. num. 10.
Refutatur hæc opinio, quæ tantùm ex quadam æquitate procedit quoad distantiam, disc. 22. num. 11.
Quoad dignitatem verò jus Cathedræ est considerandum, discur 22. num. 12.
Barlettæ Oppidum prætendens Vicarium particularem, fuit rejectum, ibid.
Exempla similium prætensionum, ibidem.
Deputari debet in partibus remotioribus concurrentibus circumstantiis, præcipuè tenaci populorum opinione, disc. 22. num. 14.
Secus ubi adsit parva distantia, disc. 23. nu. 3 disc. 24. num. 5. in fin.
Deputari non potest per Oppidi Clerum tempore Sedis vacantis, qui debet subiacere deputando à Capitulo Cathedralis, disc. 24. num. 4.
Duplex ab Episcopo duarum Cathedralium haberi non debet, quamvis sint principaliter unitæ, disc. 24. num. 5.
Vid. in Verbo *Episcopus duarum Cathedralium.*
Eligitur à Capitulo, eo tempore, quo prima Sedes consulitur in casibus in quibus jurisdictio electionis ad ipsam devolvitur, disc. 54. num. 4.
Si verò adsit aliud impedimentum quàm vacatio, electio devolvitur ad Sedem Apostolicam, ibid.
Episcopi vices supplere debet etiam in Ecclesiis regularibus ad usum concessis, disc. 30. num. 10.
Cum synodalibus constitutionibus nil habent commune, quæ pertinent ad munus Vicarii, disc. 56. num. 5.

VICARIUS FORANEUS

Deputari debet pro cognitione causarum parvi momenti, disc. 22. num. 11. disc. 23. num. 2. disc. 24. num. 5.

VICARIUS GENERALIS

Deputatus in aliqua parte Diœcesis, quamvis generalis nuncupetur, est tamen foraneus disc. 24. numer. 7.
Electus ab Episcopo, vel à Capitulo, potest se statim ingerere in administratione, disc. 54. num. 10.

VICARIUS RELIGIONIS HIEROSOLIMITANÆ

Residens in Domo annexa domui principali Commendæ, licet cum janua particulari, videtur residere intra domum, & sepia Religionis, disc. 4. num. 7.

VICARIUS URBIS

Consideratur tanquam Vicarius Episcopi Urbis disc. 50. num. 8.
Episcopi agri Romani sunt quasi coadiutores, & Vicarii, ibidem.
Cumulativam habet in concursu Ordinariorum intra districtum Urbis, disc. 50. n. 4.
Et de districtu est Oppidum Sermonetæ, & probabilius etiam Terra Sezziæ, discursu 5. numer. 5.
Cumulativa quam habet cum Ordinarii intra districtum, non fuit sublata per Sacr. Concilium Tridentinum, disc. 50. num. fin.
Jurisdictionem habet, quæ ex modo loquendi dicitur quasi Episcopalis, d. 34. n. 10.
Jurisdictionem nullam habet in titularibus Ecclesiis Cardinalium, nisi Pontifex, non quà Episcopus Urbis, sed quà Papa aliter velit, disc. 34. num. 17.

VIDUA

Vid. Mulier.

Quæ transit ad secundas nuptias privilegium, *l.un. C.quand.Imper.* non retinet, discursu 72.num.13.

VIRGINES

Viduarum nomine veniunt, & iisdem fruuntur privilegiis, quidquid olim dubitatum fuerit, disc.69. num. 10.

VISITATIO EPISCOPORUM

Cumulativè dari potest Ordinariis locorum, & Prælatis Religionis Hierosolymitanæ, secus per concursum alternativum, vel præventivè, disc.4 num 4.§.*Circa verò.*

Alteri delegata non adimit jurisdictionem visitationis generalis, nisi deputatio facta fuerit ad partis postulationem, disc 85. num.8.

Delegata est quam exercet Episcopus in locis, & personis exemptis, d .17.n 1.d.62 n.1.& 2 d.27.n. 2

Duabus personis concedi potest diversis respectibus disc.4.num.4.

§. *Scribens.*

In Ecclesia regulari competit solùm visitatio Sacramentorum, disc.30.num.2.

Episcopus visitare potest clausuram loci quamvis exempti, disc.12. num.2.

Intellige ex decreto conciliari in locis non habentibus Otdinarium Visitatorem, disc.26. num. 3.

Secus si Pontifex aliter mandare voluerit, disc.26.num.6.

Hoc decretum locum non habet in exemptis subjectis administrationi Regularium, disc.26. num. 4.

Et Constitutio Gregorii XV. ad normam hujus decreti regulanda, discurs. 26.num.5.

Exemptio à visitatione potest explicari per æquipollens, disc.40. num.7.

Non facilè est admittenda per interpretationem, nisi constet de legibus appositis in fundatione, disc.40. num.8.

Exemptionem visitatio Nuncii Apostolici probat, disc.28.num.fin.

Exerceri potest quolibet tempore, disc.2 num.5.

Ejus finis non tantùm esse debet materialis, sed etiam formalis cultus Ecclesiarum, ac personarum, disc.17.num.3.

Exerceri potest etiam in domibus mulierum sæcularium simul conviventium ob majorem curam honestatis, disc.45.num.4. & 8.

Expensarum nullum onus, aut præjudicium affert quæ fit in eadem Civitate, in qua commoratur Episcopus, disc.43 num.3.

Jus visitandi non venit sub generali privilegio exemptionis.disc.40.num.5.

Regula ex Conc.Trident. assistit Episcopis, discur.40. num.3.

Secus in locis positis sub protectione Regia, vel quando aliter cautum fuit, disc.40num.4.

Ordinario non competit in loco exempto qui subjacet visitationi Nuntii vel alterius delegati Apostolici, disc.26. num.12.

Competit in locis Piis ratione cultus, ac implementi oneris celebrationis Missarum, disc.40 num.2.

Et in monte Pietatis, ubi petere possunt administrationis rationem, disc.43. num.1. & num.5.

Et convisitatores adhibere, disc. 43. num.2.

Licet etiam Episcopo delegare Revisores rationum Piorum locorum, non tamen ea loca gravare pro expensis revisorum, disc 42 num.6.

Ordinariis competit in locis Piis, etiam laicalibus, disc.40.num.14. disc.42.n.2.&3.

Non tamen, nisi post obitum fundatoris d.sc. 40.num.15.

Sed loca laicalia erecta ex pecuniis Communitatis, quæ nunquam deperit, visitationi non subjacent, disc.40. num.fin.

Visitantes Diœcesim præsumuntur informati de innovationibus in ea contingentibus, disc.40. num.12.

VOLUNTAS

Cortici, ac formalitati verborum prævalere debet, disc.16.num.3.in fine, & discurs.49.num.8.

USUFRUCTUARIUS

Longo tempore usum tantum percipiens, fit usuarius, disc.7.num.9. §. *Sicuti.*

FINIS.

DE PRÆEMINENTIIS

&c.

DISCURSUS PRIMUS.

VRBINATEN. IVRIS METROPOLITICI PRO EPISCOPO ET CIVITATE EUGUBII CUM ARCHIEPISCOPO URBINATEN.

Discursus in Congressu pro directione causæ pendentis in Sacra Congregatione Concilii.

An & quandò erectio alicujus Ecclesiæ Metropolitanæ in parte effectuata, cesset in aliqua Ecclesia suffraganea, ob non usum, seu ob alias particulares circumstantias inducentes defectum intentionis Papæ; Et aliqua de Provincia Romana intrà ambitum 100. milliarium, An in ea detur aliquis Metropolitanus.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 Mensura distantiæ de loco ad locum quomodò facienda sit remissivè.
3 De duplici persona quoad spiritualia concurrente in Papa.
4 Papa habet Jurisdictionem in toto mundo, etiam cum jure territorii.
5 Vicarius Urbis dicitur in ea Ordinarius loci.
6 Territorium seu Diœcesis particularis Urbis quantum se extendat, Et de Urbis districtu.
7 Praxis exercendi jurisdictionem intrà breviorem modernũ distinctũ 40. milliariũ quid operetur.
8 Intrà latiorem districtum 100. milliarium nullus adest Metropolitanus.
9 Qualis dicatur Provincia Romana seu Papæ.
10 Litteræ Apostolicæ, ut executionem obtineant, debent justificari in omnibus narratis.
11 Fallit accedente consensu interessatorum
12 De erectionibus Cathedralium vel Metropolitanarum quomodò fiant, & an egeant justificatione.
13 Solum Decretum Consistoriale etiam sine litteris sufficit ad erectionem Cathedralis vel Metropolitanæ.
14 Erectiones Cathedralium fiunt ad preces Principum.
15 Datur distinctio inter gratias exigentes, vel non exigentes factum hominis.
16 An non usus tollat effectum erectionis seu gratiæ.
17 Quid requiratur ad præscribendam exemptionem à jure Metropolitico.
18 Effectuatio in parte sufficit.
19 Ingratiis de sui natura præjudicialibus, non cu-

rantur præjudicia connaturalia & consecutiva.
20 De erectione Ducatus Urbini remissivè.

DISC. I.

POstquam sub *Paulo III.* juxtà seriem, de qua *in Senogallien. Castrorum sub tit. de feudis, disc. 1.* Ruverei possessores plurium Civitatum, & dominiorum sub diversis titulis, obtinuerunt in eis insimul unitis erigi Ducatum Urbini tanquam speciem unius Provinciæ, seu Principatus, Cupientes ut idem in spiritualibus quoque sequeretur, obtinuerunt à *Pio IV.* consistorialiter, & in forma consueta, Ecclesiam Cathedralem *Urbinaten.* erigi in Metropolitanam, eidem in suffraganeas assignando Ecclesias, *Pisauren. Forosempronen. Callien. Senogallien. Feretran. & Eugubin.* ea assignata ratione, quod sicuti in temporalibus omnet dictam Civitatem in Metropolim hujus Status agnoscunt, ita pro majori suffraganeorum commodo, utilitate, & decore, idem sequatur in spiritualibus absque necessitate in casu appellationis adeundi cum majori sumptu Romanam Curiam, dictæque erectioni assensum præbuerunt omnes alii Episcopi, cum quibus ex tunc illicò jus Metropoliticum absque aliqua contradictione effectum sortiri cœpit, excepto *Eugubino*, attento quod ea Ecclesia tunc in commendam possidebatur per Cardinalem Sabellum, unde propterea in eadem erectione disponitur, illam, dicta commenda durante, suspensam remanere debere, effectum tamen sortituram immediatè post eam cessatam; Cum autem inter dictas Civitates Urbinaten. & Eugubin. antiquæ vigerent æmulationes, unde propterea ista Eugubina hujusmodi subjectionem ergà aliam æmulam nimium

ægrè ferret, ob reverentiam tamen Ducum non auderet se directè opponere, Hinc dicta dominatione durante, studiosè curatum fuit, post cessatam dictam commendam, effugi quo magis fieri posset dictæ subjectionis praxim, ita ut satis rari fuerint casus, in quibus dictus Metropolitanus suas partes in hac Diœcesi exercuerit, usque ad tempus devolutionis feudi, qua sequuta de anno *1631.* levato velo, Episcopus, Civitas, & Diœcesis, dictam subjectionem negando, se conservare curarunt in antiquo statu exemptionis, ac immediatæ subjectionis Sedis Apostolicæ, adeo ut *Ughellius in primo tomo Italiæ Sacræ*, in quo agit de solis Episcopatibus exemptis à jure Metropolitico, & Sedi Apostolicæ immediatè subjectis, inter eos istum collocaverit; Verùm de anno *1661.* modernus Archiepiscopus hujusmodi prætensionem excitando, obtinuit à Sanctissimo rescribi Sac Congregationi Concilii, ut hujusmodi controversiam, *summariè, & sine figura judicii prout de jure cognosceret, & terminaret*, Unde propterea ex parte Episcopi, & Civitatis, plurium Advocatorum, pro directione, ac defensione, convocatus fuit congressus, in quo, ut infrà, varia insinuata fuerunt motiva, quibus tamen, ob difficultates à me inter congregatos juniore excitatas suspensis.

Determinatum fuit, amplectendum esse motivum à me deductum, quamvis ab aliquibus primo aspectu reputatum singulare, ac extrà professionem juristæ, super defectu scilicet intentionis Papæ erigentis, ob ignotam, & fortè non consideratam facti circumstantiam, quæ istam Ecclesiam ab aliis suffraganeis prædictis diversificat, quia nempè esset infra ambitum 100 milliarium, & sic intrà Provinciam Romanam, in qua nullus datur Metropolitanus.

Quod motivum plausum habuit apud Sacram Congregationem, quæ proinde mandavit mensurari distantiam, ad effectum inspiciendi, an dicta Civitas esset intrà hujusmodi ambitum, ut ex hac parte pro constanti supponebatur, vel extrà, ut prætendebatur ex parte Archiepiscopi hujusmodi circumstantiam negantis, & hoc stante, causa ulteriorem progressum hucusque non habuit, unde pro-
2 pterea defuit occasio disputandi super hujusmodi mensuræ modo, an scilicet per aerem vel per terram fieri deberet, & quatenus hoc secundo modo, an per lineam rectam, & per agros, vel potius per vias usitatas vel respectivè inusitatas, seu scortos, de quo aliqualiter habetur actum *in Murana erectionis Conventus sub tit. de Regularibus*.

Dicebam igitur in discursu desuper habito, Papam, quatenus pertinet ad spiritualia, duplicem
3 personam representare, unam, in qua dicitur Christi Vicarius, militantis Ecclesiæ caput visibile, totiusque Orbis Episcopus, ac Ordinarius Ordinariorum, eumdem Orbem habens pro Diœcesi, damnata prorsùs sententia volentium hujusmodi
4 generalem jurisdictionem esse in personas, non autem cum jure territorii, quæ propositio per aliquos circà annum *1650.* in campum deducta, per Sac. Congregationem Inquisitionis, causa maturè cognita, tanquam temeraria, imò hæretica expressè damnata fuit, ut habetur inter illa mea vota, seu annotationes quas occasione efformandi in hoc puncto votum ad petitionem cujusdã Cardinalis, ex prudẽtialibus motivis congruit vivere sub tenebris.

Altera verò persona est illa Episcopi particularis Urbis, ubi tanquam Ordinarius loci hanc legem
5 Diœcesanam exercet per suum Vicarium, qui proinde in Urbe ejusque territorio dicitur Ordinarius, ac venit sub legibus, aliisque decretis loquentibus de Ordinario loci, *Vestr. in praxi lib. 1. c. 7. n. 1. Scaccia de judiciis lib. 1 c. 25. n. 1. Sbroz. de off. Vicarii lib. 1. q. 3. n. 19. benè Rota in Romana hæreditatis 28. Aprilis 1659. coram Mellino impress. post collectationes Bondeni decis. 62.* Et habetur non semel insinuatum supra *in tit. de jurisdict. & foro compet.*

Territorium autem seu diœcesis particularis Ur- 6
bis, ubi Papa hanc secundam personam Episcopi particularis gerit, de jure protrahitur usque ad dictum ambitum 100. milliarium circum circa, ad *text in l. 1. §. initio ff. de off. Præfecti Urbis, ubi Bald. ante num. 1. Tuscus verbo districtus conclus. 516. num. 11. Fenson. ad Statut. cap. 197. num. 95. & sequen.* & habetur actum *in Romana gabellæ equorum*, & *in Romana fidæ, seu dohanæ sub tit. de Regalibus disc. 72. & 94.* occasione examinandi hunc terminum, seu vocabulum *districtus* Urbis.

Et quamvis hodie hujusmodi districtus per moderna statuta sit redactus ad solum ambitum 40. milliarium, ad tollendam eam incertitudinem, quæ prius habebatur, an scilicet restringeretur solùm ad loca subjecta populo circà sal & focaticum, ex deductis præsertim *dicto disc. 72. de Regal.* Nihilominùs id respicit fines temporales, atque principaliter ordinatum est quoad jurisdictionem Senatoris & Populi, & subjectionem statutorum, unde propterea intrat receptissima propositio, de qua *in Toleta. disc. 1.* & frequenter in aliis *sub tit. de jurisdictione*, quod à finibus temporalibus non infertur ad spirituales, & econtrà; Et consequenter ista moderna restrictio attendenda non videtur in ordine ad diminuendam antiquam Urbis diœcesim, in primaria *Dionysii* divisione ex regula Præfecturæ ita constitutam.

Licèt autem in contrarium urgere videretur praxis, seu observantia Tribunalis Vicarii, quod ejus cumulativam jurisdictionem etiam in prima instantia
7 non protendit ultrà dictum modernum ambitum, seu districtum 40. milliarium, Nihilominus ubi etiam ex hujusmodi consuetudine aliis Episcopis intrà 100. milliaria existentibus, aliquod jus super exemptione ab hac jurisdictione quæsitum esset, ut probabilius videtur, & habetur actum sub *sub dicto titulo de jurisdictione in Terracinen. disc. 50.* Adhuc tamen cùm consuetudo, juxtà receptissimam quotidianam propositionem, strictissimè attendenda sit in suo casu individuo, neque extendenda sit de casu ad casum, operativa quidem esse poterit quoad dictam facultatem Vicarii habendi cumulativam cum ipsis Ordinariis, etiam in prima instantia intrà dictum modernum ambitum restringendam, non autem quod dictus antiquus ambitus desinat esse de Urbis diœcesi, seu territorio, ad effectum, ut nullus Metropolitanus in eo detur.

Quod probari observabam ex inconcussa ob-
8 servantia Sedis Apostolicæ, quod non consuevit intrà hunc ambitum Ecclesias Metropolitanas erigere, sive Cathedrales inibi existentes alteri Metropolitano subjicere, & si fortè quandoque id factum est, attamen non habuit effectum, ut præsertim habemus de Ecclesia *Aquinaten.* quam Archiepiscopus *Capuanus* ex quibusdam antiquis Apostolicis diplomatibus prætendit esse ejus suffrganeam, qualem inadvertenter supponit *Barbos. in ejus Provinciali*, Observantia verò docet contrarium, cùm ista Ecclesia se conservet in statu exemptionis ac immediatè subjectionis Sedi Apostolicæ, unde *Ughellius in d. 1. tom. Italiæ Sacræ*, eam inter exemptas collocat.

Ideoque

Ideoque ſtante dicta moderna obſervantia Tribunalis Vicarii, reſtringendi ſuam juriſdictionem intrà breviorem modernum diſtrictum 40. milliarium, Hinc Profeſſores Eccleſiaſticæ eruditionis, dictum antiquum latiorem ambitum 100. milliarium, ad differentiam moderni, & pro excluſione cujuſcumque Metropolitani, appellare ſolent ſub nomine Provinciæ Romanæ, quod tamen vocabulum latius patere ſolet, atque in plurium ſenſu complectitur omnes Eccleſias exemptas, Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectas, per totum Orbem ſparſas; Et quod Eccleſiæ exiſtentes intra Provinciam Romanam non cognoſcant Metropolitanum, refert decilum per Sacram Congregationem, *Fagnan. in c. & ſi membra, num. 36. de his quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu Capituli*; Quæ Provincia exiſtit inter Provincias Capuanam & Piſanam ad *tex. in c. tua nos de officio Vicar.*

Quandò autem dictum facti præſuppoſitum non aſſiſteret, quod ſcilicet hæc Civitas non eſſet intrà dictum ambitum Provinviæ Romanæ, ita ut ceſſaret motivum veriſimiliter deficientis voluntatis Papæ regulandi iſtam Eccleſiam jure aliarum ut ſuprà huic novæ Metropolitanæ Eccleſiæ ſubjectarum ob dictam circumſtantiam diverſificantem; Tunc mea ſententia erat, etiam in ſenſu veritatis, probabiles eſſe oppoſitiones hujus Eccleſiæ & Civitatis reſpectivè ob rationes antiquæ æmulationis, & antipathiæ & ſucceſtivè ſcandalorum & inconvenientium, quæ exindè reſultare poſſent, non tamen leguleicè & pro motivis juridicis coræm judicibus deducendis, cum per iſtam viam ſatis timendum eſſet, Sed potiùs prudentialiter & politicè, recurrendo ad eumdem Pontificem pro moderatione probabiliter omninò concedenda, juxtà exempla, quæ in hac materia habemus frequentia. Præſertim verò tunc deducebam illud Eccleſiarum, *Parmæ, Placentiæ, Imolen. & Cervien.* quas *Gregorius XIII.* Eccleſiæ Cathedrali *Bononien.* per ipſum in Metropolitanam erectæ in ſuffraganeas aſſignaverat, eas vero *Sixtus V.* vel alter ſucceſſor in primævo ſtatu reposuit, Vel ſcilicet exemptionis, & immediatæ ſubjectionis Sedi, Vel reſpectivè reſtituendo Eccleſiæ Metropolitanæ *Ravennaien.* Quod etiam *Paulus IV.* fecit quoad Eccleſias *Pennen. & Adrien.* quas aliàs exemptas *Clemens VII.* ſubjecerat Eccleſiæ Metropolitanæ *Theatin.* & *Pius IV.* ex eodem motivo pacis, & pro ſedandis continuis diſcordiis plurium inconvenientium productivis, Eccleſiam *Anſanen.* ſeu *Lancianen.* eidem Metropolitanæ Eccleſiæ *Theatinæ* ſubjectam, erexit etiam in Metropolitanam; Cum quibus & ſimilibus exemplis ſatis juſtam & probabilem credebam hujuſmodi petitionem, ad quam ſolùm recurrendum eſſet, quatenùs ut ſuprà non aſſiſteret dictum facti præſuppoſitum circà ſituationem infrà ambitum 100. milliarium, quo ſubſiſtente, credebam cauſam eſſe in tuto pro hac parte, ſtante præſertim obſervantia, attendenda tanquam interpretativa hujus motivi, & voluntatis Papæ potiùs quàm tanquam ineffectuatio, ſeu non uſus dictæ erectionis ut alii credebant.

Cæteri congregati, docti quidem Juris Conſulti, ſed nudis legalibus propoſitionibus nimium inhærentes, erant in ſenſu, quod principaliter inſiſtendum eſſet in eo quod iſtæ literæ Apoſtolicæ, quarum exequutionem Archiepiſcopus petebat, utpotè ad partis poſtulationem, præfati ſcilicet Ducis Urbini, deberent in omnibus narratis, juſtificari, ut exequutionem mererentur, ad communiter notata *in cap. ſi capitulo de conceſſ. præbendæ*, & eſt apud beneficialiſtas quotidianum ſuper executione litterarum, proviſionis beneficii, vel reſervationis penſionis, cum ſimilibus; & in proximis terminis neceſſariæ juſtificationis omnium narratorum in litteris Apoſtolicis ſuper erectione Eccleſiæ in Collrgiatam habetur *deciſ 258 283. & 284. par. 7. recent.* & eſt actum infrà *hoc eodem tit. in Meſſanen. erectionis diſc. 9.*

Narrata verò dicebant, nedum juſtificata non eſſe, ſed neque poſſe juſtificari, unde propterea inferebant ad vitium ſurreptionis, & obreptionis, ac defectum intentionis, dum in eiſdem litteris narratur, omnes Eccleſias prædictas conſiſtere in Statu Urbini, iſtamque Eugubinam & alias Civitates in temporalibus agnoſcere alteram Urbinaten. in Metropolitanam, quod in facto corruere dicebant reſpectu iſtius Civitatis, quam Dux poſſidebat in Vicariatum ſeu Principatum cum diverſo titulo, abſque aliqua ſubjectione vel dependentia à Statu Urbini, cum quo æquè principaliter, non autem ſubjectivè per Paulum III. unitus fuit hic Vicariatus ſeu Principatus pro ſola erectione dignitatis Ducalis *ut in d. Senogallien. Caſtrorum ſub tit. de feud. diſc 1.* Prout narratur hujuſmodi erectionem, præfatarum Eccleſiarum, earumque Prælatorum, Cluri, populi, Civitatum, & Diœceſium commoditates & utilitates parituram eſſe, cujus contrarium de directo in iſta Eugubina Civitate & Diœceſi contingeret, cum Prælatus aliàs exemptus, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectus, ita fieret ſubditus Archiepiſcopi, & ſic ejus dignitas minueretur, prout notabiliter præjudicaretur ipſi Civitati ex omnibus circumſtantiis, vel de majoritate, vel æqualitate contendenti cum dicta Urbinaten. quam alias æmulam, ita in ſuperiorem & Metropolim recognoſcere cogeretur, cum aliis præjudiciis reſultantibus etiam clero & populo, tum ob itineris aſperitatem, tum majores expenſas, quæ in litigando ſupponuntur ratione cujuſdam *capoſoldi*, ibi ſolvi conſueti, unde magis expedit in gradu appellationis Romanam Curiã adire.

Ad præſumptionem verò juſtificationis reſultantem ab effectuatione erectionis ſpatio unius ſæculi cum aliis Eccleſiis, reſpondebant id provenire à conſenſu per alios Epiſcopos ut ſuprà initio præſtito, quo concurrente alia non exigitur juſtificatio, ut per ſcribentes *in d. cap. ſi capitulo, Lotter. de benef. lib. 1. quæſt. 23. num. 5. Buratt. & adden. deciſ. 83. num. 2. & 409. num. 1. adden. ad Greg. deciſ. 57. num. 11. & paſſim*; Atque ad aliquos actus geſtos in hac Diœceſi, reſpondebant quod eſſent clandeſtini, ſeu meticuloſi ob Ducum reverentiam, ſemper tamen contradicti.

Quamvis autem ut ſupra, etiam in ſenſu veritatis, crederem ſatis juſtam & probabilem eſſe hujus Civitatis & Eccleſiæ prætenſionem, ſuper continuatione primævi ſtatus exempti, & ſub immediata ſubjectione Sedis Apoſtolicæ, Vel ob dictam ſituationem infrà centum milliaria, qua ſubſiſtente defectus intentionis eſt clarus, Vel iſta facti circumſtantia corruente, ob moderationem in omnem eventum juxtà ſuperius inſinuata & ſimilia exempla, juſtè & rationabiliter à Sede Apoſtolica concedendam, Nimium in idem ſuffragante longævo non uſu, non quod iſte aptus eſſet ad tollendam vel præſcribendam dictam ſuperioritatem, ut infrà ſed pro interpretatione dicti defectus intentionis, ſive pro juſtificatione dictarum cauſarum, ob quas in omnem eventum præfatæ moderationi locus eſſe deberet.

De reliquo præfatæ legales propositiones in suis casibus veræ. non videbantur subjectæ materiæ congruè applicabiles, cum hujusmodi erectio-
12 nes Cathedralium, vel Metropolitanarum, censendæ non veniant jure simplicium gratiarum, quæ ad partium postulationem & narrativam fiunt super provisionibus beneficiorum & similibus, ac etiam super erectionibus collegiatarum, Quoniam præfata erectionum species fit causa maturè cognita in pleno Consistorio & previa cognitione & consultatione Congregationis Consistorialis; Ac propterea litteras Apostolicas super erectione Cathedralis non indigere aliqua justificatione firmatur *dec. 612. par. 2. rec.* Et in specialibus terminis juris metropolitici pro Archiepiscopo Theatino cum Episcopo Ortonen. firmatur *in Theatina juris-*
13 *dictionis 17. Septembris 1607. & 17. Martii 1608. coram Ottembergo*, ubi quod etiam decretum factum in Consistorio absque litteris ad id sufficit.

Neque benè dicebatur istam esse gratiam ad
14 partis postulationem, quoniam licet in litteris erectionis diceretur fieri ad preces Ducis Urbini, Attamen id de consuetudine Sedis Apostolicæ in hujusmodi erectionibus practicatur ob excellentiam & gravitatem materiæ, ut non nisi ad postulationem Regum, vel Principum, ad hujusmodi innovationes procedatur, ut docet praxis actualis, in casu, de quo infrà *in Burgen. erectionis disc 6.* & patet apud *Peniam dec. 540.* ubi de Ecclesia Montis regalis erecta in Metropolitanam ad preces Regis cum similibus, ac etiam practicatur in Canonizationibus Sanctorum, non inde tamen sequitur dici gratias inconsiderate, & ad solam partis postulationem & narrativam factas, ita ut indigeant pro executione consueta formali justificatione narratorum, cum illa jam præcesserit priusquam ad decretum in Consistorio deveniatur.

Ut enim benè advertitur in eisdem præcisis ter-
15 minis consimilis controversiæ juris metropolitici *in Montis regalis jurisdictionis coram Penia inter suas decis. 546. & 761.* præsertim in hac ultima, Aliæ sunt gratiæ, quæ non statim secum executionem trahunt, sed aliquo hominis ministerio indigent, Aliæ verò sunt, quæ absque aliquo ministerio statim trahunt executionem, ut in prima specie requiratur formalis justificatio, secus autem in secunda.

Quoverò ad non usum seu contrarium usum,
16 istud motivum in specie rejicitur *in dicta Theatina coram Ottembergo*, ac etiam in allegata *Montis regalis coram Penia*, quicquid dubitatum esset *in dec. 720. coram eodem*, ex ea ratione, quod hujusmodi juris metropolitici exercitium est dupliciter facultativum, ex parte scilicet Metropolitani, qui potest illud quandoque negligere, & clarius ex parte subditorum, vel quia possunt non appellare, ita ut non contingant casus appellationum, & gravaminum, vel quia cum electio sit appellantis, potuerunt appellare ad Papam, ejusque Curiam omisso medio, unde propterea defuerit occasio, qua cessante etiam per mille annos non intrat præscriptio, ad cujus effectum in hujusmodi juribus
17 incorporalibus necessaria est, vel immemorabilis benè probata, vel saltem præcedente contradictione, subsequuta patientia quadragenaria, juncta cum fama privilegii, ut in specie advertitur *in dicta Theatina jurisdictionis 17. Septemb. 1607. & 17. Martii 1608. coram Ottembergo*, unde propterea istud motivum neglectum fuit *in dicta Montis regalis coram Penia.*

Clarius verò quia de usu & effectuatione constabat cum tot aliis Ecclesiis, ex quibus hæc Provincia constituta erat, unde propterea effectuatio
18 in parte sufficit, ne unus & idem actus diverso jure censeatur, ac eodem tempore validus & invalidus sit, seu effectuatus & ineffectuatus, ut advertitur *dicta dec. 612. par. 2. rec.* & habetur frequenter in materia beneficiali & unionum, ut effectuatio in parte sufficiat pro effectuatione totius gratiæ.

Et quoad minus vera præsuppositi in dictis litteris contenta, quatenus agatur de præjudiciis generalibus resultantibus à diminutione prioris dignitatis, & præeminentiæ, vel subjectionis unius Ec-
19 clesiæ ergà alteram, ista sunt præjudicia connaturalia, & per Papam rectè cognita, & prævisa, tanquam necessariò consecutiva, ideò non attendenda, Unde propterea receptam conclusionem habemus, quod licet ex regula de jure tertio quæsito non tollen. in gratiis alteri præjudicialibus requiratur specialis derogatio dictæ regulæ & juris tertii, non tamen id procedit in hujusmodi erectionibus, utpotè de sui natura præjudicialibus, ut infrà *in Messanen. erectionis Collegiatæ disc 9.* cum similibus, potissimè quia sufficit, utilitates, & commoda per Papam præsuppositas & sperata, verificari in aliis Ecclesiis, cum actio fiat à prædominante.

Leve demùm videbatur illud fundamentum falsi præsuppositi circà jus Metropoliticum Civitatis Urbinaten. in temporalibus ob diversitatem hujus Vicariatus Eugubini à feudo & Statu Urbini, idem enim procedit etiam in Principatu Pisauren. & in dominio Senogallien. & aliis sub diversis etiam titulis & dominiis possessis, adhuc tamen rectè verificabatur dictum præsuppositum saltem de facto ob erectionem, quam de omnibus hujusmodi quamvis inter se diversis feudis & dominiis fecit Paulus III. in Ducatum Urbini tanquam per speciem unius Provinciæ, firmis remanentibus singulorum Juribus, privilegiis & præeminentiis juxtà seriem de qua in dicta *Senogallien. Castrorum sub tit. de feudis disc. 1.* ideoque mihi videbatur assistere magnam probabilitatem huic parti Eugubinæ Ecclesiæ, sed ex dictis aliis motivis, non autem ex istis.

SYPONTANA
CATHEDRALITATIS
PRO
CAPITULO MONTIS SANCTI ANGELI
CUM
CAPITULO MANFREDONIÆ

Casus decisus per Rotam pro Capitulo Manfredonia.

De probatione Cathedralitatis alicujus Ecclesiæ, vel æquè principaliter cum altera Cathedrali unitæ, vel æquè principaliter concurrentis cum altera ad unam Cathedram efformandam seu constituendam, & de probationibus & signis Cathedralitatis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Episcopus debet celebrare missam in ea Ecclesia, in qua conficit Chrisma.* 1

3 De

3 *De Decreto Martini V. quod attenderentur decreta & concessiones Pontificum ante schisma.*
4 *De resolutionibus S. Congregationis & Rotæ in causa.*
5 *Cathedralitas probatur per signa & adminicula.*
6 *Electio Episcopi spectat ad Capitulum Cathedralis, ut si sunt duæ unitæ, spectat ad utrumque Capitulum.*
7 *Antiquis inscriptionibus in marmore est deferendum.*
8 *Sedes Episcopalis in Ecclesia est signum Cathedralis.*
9 *Intitulatio Episcopi sub nomine utriusque denotat Cathedralitatem & unionem æquè principaliter.*
10 *Insignia Ecclesiæ Cathedralis probant Cathedralitatem.*
11 *Possessio in Ecclesia capta per novum Episcopum est indicium Cathedralitatis.*
12 *Habitatio fixa Episcopi penes Ecclesiam, idem denotat.*
13 *Item celebratio Dedicationis Ecclesiæ.*
14 *Historiis in hac materia deferendum est.*
15 *De aliis adminiculis, & quomodo ista ponderanda sunt.*
16 *Una & eadem Ecclesia Cathedralis formalis repræsentari seu efformari potest à pluribus Ecclesiis materialibus.*
17 *Titulus diversus destruit contrariam possibilitatem ex adminiculis resultantem.*
18 *An possint stare simul, quod Ecclesia jam Cathedralis erigatur in Collegiatam.*
19 *De constitutione revocatoria Bonifacii IX.*
20 *De revocatione gestorum durante schismate in Concilio Costantiensi.*
21 *De ratione dicta revocationis.*
22 *Non usus vel usus contrarius sicuti est aptus tollere privilegium, ita etiam est aptus enervare privilegii revocationem.*
23 *Habens privilegium quod prætenditur revocatum, si revocatio est dubia, manutenendus est.*
24 *Observantia Datariæ & Sedis Apostolicæ in hac materia satis deferendum est.*
25 *Respondetur adminiculis Cathedralitatis.*
26 *Quomodo in his materiis procedendum sit.*

DISC. II.

1 Elasio primo sedente, dum Ecclesiam Sypontinam regeret Laurentius Episcopus, quem tanquam Sanctum Ecclesia veneratur, circà annum nostræ salutis 493. in vertice montis Gargani territorii Sypontini, fuit illustris apparitio S. Michaelis Archangeli in quadam spelunca ad Templi similitudinem conformata, quam Episcopus ex Angelica revelatione dedicavit & consecravit, & cujus apparitionis commemorationem Ecclesia Catholica celebrat sub die 8. Maii; Unde propterea iste locus in magna veneratione in toto Orbe Christiano haberi cœpit cum magno peregrinorum, etiam Principum concursu, cujus ratione, ac etiam ob aeris salubritatem, & econversò insalubritatem aeris ipsius Sypontinæ Civitatis, tam Episcopus, quàm clerus & populus ibi moram trahere consueverunt, indeque tractu temporis, diversis utriusque loci populis & cleris respectivè constitutis, inter eos æmulationes & dissidia exorta fuerunt super jure cathedratico, per hanc modernam Ecclesiam S. Michaelis prætenso ex quodam indulto Eugenii III. ita ut duæ essent Ecclesiæ invicem unitæ Sypontina & Garganica, quam controversiam *ad Alexandrum III.* delatam, hic ad favorem Ecclesiæ Sypontinæ terminavit, ut ea unica esset Cathedralis, quod post approbationem *Lucii*, & *Celestini III.* causa magis cognita, denuò statuit *Innocentius III.* in Concistorio sub *datum Kal. Junii anno Pontificatus V.*

Alia item inter has Ecclesias sub *Honorio III.* exorta controversia, Cum enim in die Cœnæ Domini, Episcopus residens in Monte accedere vellet ad chrisma conficiendum in Ecclesia Cathedrali Sypontina, Garganici verò eum cogerent, ut prius ibi 2
missam celebrare deberet, id prohibitum fuit, respondente Pontifice, quod in eadem Ecclesia in qua chrisma conficitur, missa celebrari deberet, ut patet Ex decreto registrato inter Decretales *in Cap. te referente de celebratione missarum.*

Cum autem Manfredus ad radices dicti Montis, vel ob insalubritatem aeris dictæ Civitatis Sypontinæ, vel ob oportunitatem illius sinus maris, novum locum à fundamentis construxisset, ab ejus nomine *Manfredonia* nuncupatum, ad quem populus & clerus dictæ antiquæ Civitatis translatus fuit, Garganici de anno 1401. obtinuerunt à *Bonifacio IX.* dictam Ecclesiam, Sancti Michaelis erigi in Cathedralem, atque æquè principaliter cum Sypontina uniri sub uno Archiepiscopo, qui Sypontinus, & Garganicus nuncuparetur; Verùm paulò post, de anno scilicet 1413. per *Joannem 22. seu* 23. successorem dicta erectio revocata fuit, Atque sopito per Concilium Constantiense Schismate 26. & recurrentibus partibus ad *Martinum V.* pro declaratione, an primæ vel secundæ litteræ attendendæ essent, Pontifex prædictus de an 3
no 1419. ad instantiam Ecclesiæ Sypontinæ rescripsit, *observari solùm debere privilegia & Constitutiones Summorum Pontificum, qui fuerunt ante Schisma*; Quia verò præsertim hoc ultimo sæculo Garganici curabant se confovere in jure Cathedratico, potissimum Sede vacante deputando proprium Vicarium, Hinc exortis novis controversiis de anno 1643. & re delata ad Tribunal AC. in criminalibus, prodiit sententia Garganicorum absolutoria, reservatis partium juribus in civilibus. Cumque hac occasione unus ex Canonicis dictæ Ecclesiæ Garganicæ in Urbe moraretur, curavit, adhibitis diligentiis, habere sumptum authenticum litterarum *Bonifacii IX.* super dicta erectione in Cathedralem, quod fuit causa totius mali præfatæ Ecclesiæ, quoniam Garganici dictis litteris freti, nimis audacter in hoc jure Cathedratico se gerentes, ità jam dormientes Sypontinos, quasi per vim excitarunt ad hujusmodi causam reassumendam, illaque introducta in Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium, de anno 1656. prodiit resolutio, *non constare de Cathedra-* 4
litate Ecclesiæ Montis S. Angeli, adversus quam resolutionem obtento à Signatura Gratiæ rescripto, ut S. Congregatio procederet in causa cum voto Rotæ, assumptaque in hoc Tribunali nova disputatione coram *Cerro* super dubio, *An constaret istam Ecclesiam S. Michaelis esse Cathedralem*, sub die 13. *Januarii* 1659. negativa etiam prodiit resolutio, quæ mihi quamvis pro hac parte succumbente scribenti, justa & probabilis visa est, ab initio etiam prævisa, & parti juxtà stylum liberè insinuata, totum tribuendo propriæ culpæ eorumdem publicantium dictas litteras *Bonifacii*,

eisque eorum jus referentibus cum aliquo exasperanti modo, spretis pluribus monitionibus desuper habitis, ac etiam subsequutis aliquibus scandalis cum Archiepiscopo Theutonico, quæ fuerunt magna pars hujus mali.

In hac igitur disputatione in Rota, scribens tanquam Advocatus, pro hujus Ecclesiæ Cathedralitate probandas plura deducebam ejus signa & adminicula, ex quibus in antiquis Cathedralitatem probari, plenè & luculenter firmatur *in Cæsaraugustana Cathedralitatis coram Coccino decis. 353 par. 5. rec.* & de qua causa habetur infrà *disc. proximè sequenti*, ubi de aliis decisionibus in ea causa editis pro ejusdem Cathedralitatis adminiculativa probatione, ita ut longè majora viderentur in isto, quàm in illo casu concurrere adminicula.

Quorum primum & satis vehemens deducebam ex litteris *Alexandri III.* registratis in antiquo marmore existente in atrio dictæ Sac. Speluncæ, per quas stante Sedis vacatione, prævia narrativa, quod Ecclesiæ Sypontina, & Garganica unam Sedem constituant, injungitur Garganicis, quod unà cum Sypontinis ad novi Præsulis electionem, seu nominationem procederent, quod signum est Cathedralitatis, quoniam jus eligendi 6 Episcopum competit solùm Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, atque ubi sunt duæ Ecclesiæ Cathedrales invicem unitæ, tunc ab utroque Capitulo facienda est electio ad communiter notata per *Bellamer. & alios in cap. & temporis xvj. quæstione 1. Gratian.* qui alios colligit *discept. 893. num. 23.*

Dictis autem litteris utpotè ab antiquo tempo- 7 re in marmore registratis fidem adhibendam esse dicebam auctoritate *glos. in cap. Causam, quæ de probat. ad communiter notat. per scribentes in l. monumenta Cod. de Religiosis & sumptibus funerum Mascard. de probat. conclus. 959 num. 21. Rota in Auximana sepulturæ 28. Maij 1646. Arguelles*, & in his terminis *Gratian. d discept. 893. n. 31.*

Alterum adminiculum deducebam ex Sede Episcopali fixa & marmorea existente in eadem Sa- 8 cra Spelunca, quæ signum est Cathedralitatis, cum non nisi in Ecclesia Cathedrali Sedes Episcopalis fixa haberi soleat, Ut de consimili, quinimò minori adminiculo deducto ex assertionibus historicorum, quod Episcopi in Ecclesia Sedem habuerint, habetur *dicta decis. 353. num. 51. & sequen. par. 5. rec.* Multò magis ea circumstantia accedente, quod in hujusmodi Sede antiquis litteris Gothicis reperitur hæc inscriptio.

Sedes hæc numero differt à Sede Syponti.
Jus, & honor Sedis, quæ sunt ibi, sunt quoque monti.

Unde intrahat eadem supradicta conclusio de fide adhibenda antiquis lapideis inscriptionibus.

Tertium resultabat adminiculum ex antiquis & 9 modernis intitulationibus Archiepiscoporum se denominantium Sypontinos & Garganicos, ut in specie advertitur *apud Cavaler. decis 330. in fine*, ubi firmatur, necessarium non esse, quod in omnibus actibus Episcopi hanc duplicem habeant intitulationem, sed sufficere, quod ita quandoque servetur.

Quartum adminiculum deducebatur ex insignibus, seu sygillis, quibus aliqui Archiepiscopi usi 10 fuerant in illis temporibus, in quibus non proprii & privati, sed Ecclesiarum sygilli usus habebatur, quoniam præsertim cum Cardinalis de Cupis *Tranen.* nuncupatus, commendatas haberet Ecclesias *Tranen.* & istam, in ejus sygillo tres adhibebat Imagines, unam S. Nicolai Peregrini pro Ecclesia Tranen. alteram S. Mariæ pro Sypontina, & alteram S. Michaelis pro Garganica, quod insignium adminiculum in proposito magnificit *Rota dict. dec. 353. n. 66. & sequen. par. 5 rec.*

Quintum resultabat ex actibus possessionis captæ per plures modernos Archiepiscopos in utra- 11 que Ecclesia, quod est clarum indicium eas esse duas Ecclesias Cathedrales æquè principaliter unitas, cum in sola Ecclesia Cathedrali, seu principali capienda sit possessio, ex qua infertur ad illam omnium aliarum inferiorum, quæ reputantur tanquam ejus membra, seu prædia, *ut apud Cavaler. dicta decis. 330. num. 6.* & apud *Peniam dec. 558. juxtà Venetam, aliàs 699 juxtà Lugdunensem.*

Sextum ex palatio Archiepiscopali antiquo exi- 12 stente in Monte, & propè eandem Sac. Speluncam, fixa enim habitatio, & residentia Episcopi penes unam Ecclesiam magnum est Cathedralitatis indicium ex deductis *dict. decis. 353. num. 16. cum seq. par. 5.*

Septimum à celebratione dedicationis hujus Ecclesiæ, quod non convenit nisi Cathedrali, ut in eadem *decis. 353.* & in aliis ejus confirmatoriis.

Octavum satis urgens deductum ex litteris *Julii III.* qui in minoribus fuit Archiepiscopus Sypontinus, dum concedendo huic sacræ Speluncæ aliqua privilegia spiritualia eam vocat suam primam sponsam, qui terminus non convenit nisi Ecclesiæ Cathedrali.

Nonum adminiculum deducebatur ex antiquis Chronicis, & assertionibus, præsertim ex antiquo Provinciali Cancellariæ Apostolicæ, ubi ponitur 14 *Archiepiscopus Sypontinus & Garganicus, & Freccia* probatissimus auctor *in ejus tractatu de subfeudis l. 1. ut. de provinciis*, diligenter describendo omnes Archiepiscopatus & Episcopatus Regni, vocat istum *Sypontinum seu Montis Gargani*, atq; his antiquis accedit modernus Chronista compendiator Regni Neapolitani de anno 1614. ubi de hujus Ecclesiæ Cathedralitate plenè agit; Historicorum autem assertionibus in his terminis specialibus nimium deferendum esse habetur *in dicta Cæsar augustana Cathedralitatis 353. p. 5. rec. num. 23. & seqq.* & in aliis ejus confirmatoriis ubi concordantes; Et generaliter *dec. 193. n. 14 & 15. & 355. nu. 23 par. 5. rec. decis. 60. & 92. par. 8. & 106. num. 9 par. 10.* & in aliis.

Et demum pro adminiculo, considerandam esse dicebam observantiam hujus loci ab aliis locis, 15 & Ecclesiis diœcesis diversam, Tum ex eo quod Dignitates & Rectores aliarum Ecclesiarum singulis quibusque annis in die S. Laurentii Episcopi accedere solent ad præstandam obedientiam Archiepiscopo in Ecclesia Syponti, seu Manfredoniæ, quod ista Ecclesia facere non consuevit; Tum ex eo quod Archiepiscopus pro tempore pro isto loco Vicarium particularem deputare consuevit independenter à Vicario Generali reliquæ Diœcesis, cum titulo etiam & nuncupatione Generalis; Licet enim in effectu esset foraneus ex iis, quæ in proposito hujusmodi Vicariorum particularium habentur *in Tirasonen. & in Acernen. sub tit. de jurisdict. disc. 22. & 24.* attamen exinde adminiculum resultabat alicujus particularis præeminentiæ istius Ecclesiæ.

Et quidem quando non adessent dictæ litteræ *Bonifacii* super nova erectione hujus Ecclesiæ tanquam de Collegiata, ita ut ageretur solùm de hujusmodi adminiculativa probatione, adinstar illius,

quæ

quæ habetur *in dicta Cæsaraugustana*, reflectendo etiam ad veritatem, probabilius pro hac parte respondendum videretur; Licèt enim dicta adminicula singulariter, & de per se considerata suas patiantur difficultates, atque, pleraque ex eis sint levia vel æquivoca, ut de plerisque ponderatur in decisione Rotali desuper edita; Nihilominus ea omnia insimul, & unitim considerata, cum regula, *ut singula, quæ non prosunt &c.* magnam probationem redolere videntur, ita ut facta eorum comparatione cum illis quæ ponderata, & canonizata fuerunt *in dicta Cesaraugustana de qua d. dec. 353. par. 5. rec. & disc. seqq.* utique longè majora & fortiora esse viderentur.

Et quamvis fortiter obstarent dictæ determinationes *Alexandri III. & Innocentii III.* aliorumque Pontificum ut suprà, Nihilominus, quando non urgeret obstaculum resultans à litteris *Bonifacii IX.* & successivè ab aliis *Ioannis XXII.* & à dicto decreto *Martini V.* ut supra, ista difficultas mihi videbatur de facili superabilis, stante immutato rerum statu; Cùm enim vera & propria antiqua Cathedralis Sypontina esset illa, quæ sub invocatione *S. Mariæ* sita est in loco antiquæ hodie penitùs dirutæ Sypontinæ Civitatis; In Civitate autem Manfredoniæ adsit Ecclesia parochialis seu matrix sub invocatione *dicti S. Laurentii*, qui erat Episcopus de tempore Angelicæ apparitionis, Hinc proinde dicebam, rectè dici posse, antiquum dictæ Civitatis populum & clerum, ita divisum esse, partim scilicet morando in dicto moderno loco Manfredoniæ, & partim in dicto alio loco Montis Gargani, ita ut ambæ Ecclesiæ S. Laurentii, & S. Michaëlis æqualiter deservirent loco unicè Cathedralis S. Mariæ, atque utriusque Capitulum esset formaliter unum & idem, ita materialiter divisum seu distributum juxta casum Ecclesiarum *Aretin. & Vercellen.* cum aliis de quibus infrà *in Cesaraugustana disc. seqq.* Quo stante cessabat objectum resultans ex dictis Apostolicis determinationibus *Alexandri, & Innocentii III.* per quas rejecta prætensa duplicitate Cathedralium sub diversis titulis, determinatur unam esse Ecclesiam Sypontinam, quia stant benè simul eam esse unicam Sypontinam in exclusionem alterius diversæ Garganicæ, & tamen eam ita formaliter unicam, per plures materiales repræsentari, ejusque unicum formale Capitulum ita divisum seu distributum esse, ut latiùs infrà in *d. Cesaraugustana*; Seu verius quod unica etiam esset dicta Ecclesia S. Mariæ in Syponto desolata, cujus vice deservirent ambæ prædictæ in effectu Collegiatæ deservientes loco Cathedralis impeditæ.

Verùm insuperabilis difficultas resultabat ex dicta nova erectione concessa per *Bonifacium IX.* qua hæc pars imprudenter, & cum parum sano consilio uti professa est pro suæ prætensionis titulo, cujus
17 infectione detecta corruit quæcumque longæva possessio vel observantia tanquam ex titulo vitioso inductivo malæ fidei ac destructivo tituli melioris juxtà *theor. Innoc. in cap. Dudum de decimis*, ubi cæteri de quibus apud *Capic. Latr. consult. 2. num. 21. Capobl. de baron. pragm. 11. ex num. 146. & tom. 2. cap. 7. Buratt. dec. 792. dec. 218. par. 6. rec. dec. 29. & 56. par. 7.* & frequenter.

Indubitanter enim iste titulus videtur infectus & præjudicialis, dum ibi explicitè firmatur quod de tempore hujusmodi concessionis ista Ecclesia esset Collegiata, ideoque erigitur in novam Cathedralem diversam à Sypontina, cum qua æquè principaliter unitur; Et consequenter ita clarè destructum remanet totum ædificium dicti ratiocinii, quod scilicet non obstantibus dictis Apostolicis determinationibus, ac illa unicitate Ecclesiæ Sypontinæ, quæ per dictas determinationes firmatur, ita per plures Ecclesias materiales repræsentetur, cùm constet de titulo omninò diverso & incompatibili.

Considerabam, an adaptari possent, quæ per Rotam firmantur *in dict. Cæsaraugustana Cathedralitatis, de qua infrà disc. seqq.* quod scilicet non im- 18
plicet plures titulos multiplicari, atque Ecclesiam jam Cathedralem erigi in Collegiatam, Ita in præsenti, ut enunciatus status Collegialitatis non sit omninò destructivus prioris status Cathedratici, Verùm videbatur consideratio parùm tuta, quoniam, quicquid sit de veritate dicti assumpti, quod meus intellectus non de facili percipere potest ut in eadem *Cæsaraugustana*, In hac facti specie neque cadebat applicatio, quoniam juxtà præmissam facti seriem, ista Ecclesia ab initio professa est habere jus Cathedraticum, non tanquam Sypontina seu ejus pars concurrens ad illam efformandam, sed tanquem Garganica, & ab altera diversa, unde dicto titulo destructo, se agnovit eo destitutam, & constitutam in statu simplicis Collegiatæ, à quo curavit, per hujusmodi novam erectionem facere transitum ad omninò novum statum Cathedraticum, ex eadem persona propria, & diversa ab altera æmula & consequenter incompatibilitas videbatur clara; Neque adaptari poterant ea, quæ ad limitationem dictæ theoricæ *Innocentii* habentur dicta *decis. 218. par. 6. & 29. par. 7. rec. apud Lanar. cons.* 94. & in aliis supra allegatis de quibus *in Sabinen. exemptionis sub titulo de Regalibus ad materiam gabellarum disc. 47.* ubi latius de compatibili concursu novi tituli cum priori ex immemorabili vel alio jure competente in exclusionem alterius possibilis tituli melioris.

Infectio autem dicti tituli resultabat ex pluribus, primò ex generali Constitutione revocatoria ejusdem *Bonifacii IX.* edita de anno 1403. & sic biennio 19
post dictam erectionem, in qua, prævia narrativa, quod plura per importunam petentium instantiam concesserat, alia verò per subreptionis malitiam, vel fraudem, aliosque illicitos modos ab eo impetrata fuerant, idcircò omnes uniones, exemptiones, aliasque ibi expressas gratias revocavit, de qua revocatione habetur etiam actum *in Urbevetana feudi sub tit. de feudis disc. 5.*

Secundò per specialem & expressam revocationem hujusmodi erectionis factam de anno 1413. per *Ioannem XXII. seu XXIII.* successorem, causa cognita, & ex certa scientia inserto tenore dictarum litterarum *Bonifacii*; Et tertiò ex duplici revocatione *Martini V.* una scilicet generali facta in Concilio 20
Constantiensi omnium unionum & exemptionum concessarum durante eo schismate 26. quod initium habuit ex morte *Gregorii XI.* de anno 1378. de qua revocatione habetur apud *Gemin. initio consil. 35. Seraph. dec. 612. sub nnm. 4 Gregor. dec. 509.* & alibi, ac habetur actum etiam in dicta Urbevetana *sub tit. de feud. disc. 5.* Et altera particulari, quando ut suprà de anno 1419. rescripsit observari solùm debere Constitutiones, decreta, & privilegia ante schisma.

Meritò autem, tam generaliter, quàm specialiter terminato Schismate *à Martino*, & Concilio 21
ita statutum fuit, quoniam tali tempore, cùm totum jus Papæ, vel ejus, qui pro tali se gerat, consistat in Principum, & populorum obedientia, & adhærentia, unde oportet eorum benevolentiam

captare, & conservare, idcircò multa ad importunitatem præter intentionem per quamdam vim interpretativam concedere oportet, aliàs non concedibilia.

Quia verò in hoc ultimo decreto *Martini* statuebatur terminus alteri parti sex mensium ad deducendum ejus jura, idcircò quando pacifica subsequuta observantia in statu Cathedratico adesset, considerabam, etiam in sensu veritatis, præmissa omnia cessare, quoniam contraria tam longæva observantia, rectè comprobaret, infrà statutum
22 terminum, talia jura, talesque rationes deductas esse, quod idem *Martinus* reponendo ab hoc decreto, mandaverit ex duobus actibus ut suprà gestis per duos Pontifices schismate durante, servari potius primum *Bonifacii* super erectione, quàm alterum revocatorium *Ioannis*;

Et quemadmodum non usus aptus est tollere vim gratiæ, seu privilegii ad notat. *per Bart. & alios in l. 1. ff. de nundinis, Apont. de potestate Proreg. tit. de nundinis, & mercatis num. 13. Capic. decis. 134. ubi add. Seraphin. decis. 113. & 153. Rota in Bonon. gabella coram Otthob inter suas decis. 175.* & admittitur *in Ianuen. privilegiorum coram Roias inter suas decis. 327. & 356. & in eadem coram Corrado decis. 337 p. 10. rec.* in quibus evitatur conclusionis applicatio ex facto, Ita nil prohibet quod non usus tollat vim revocationis, ut ita firmum remaneat privilegium, unde propterea habemus, quod habenti privilegium, de cujus revocatione opponatur, sufficit hanc reddere dubiam, ut ipse in possessione status
23 privilegiativi sit manutenendus *Seraph. dec. 499. n. 3. Lotter. de benef. lib. 2. q. 45. n. 10.*

Hoc autem fundamentum destructum remanebat à contraria observantia, quæ pro meo judicio
24 continere videbatur graviorem & peiorem hujus causæ ligonē, Tum quia ut in decisione causæ ponderatur, in 28. electionibus Archiepiscoporum ab anno 1407. usque ad annum 1652. semper dicitur solam Ecclesiam Sypontinam provideri nulla hujus alterius mentione habita; Tum fortiùs quia in provisionibus Dignitatum, & Canonicatuum hujus Ecclesiæ, aliisque gratiis & litteris Apostolicis, semper illa enunciatur *Collegiata, Cathedralis nuncupata*, dictusque locus enunciatur *Oppidum, Civitas nuncupata*, unde propterea considerabam, nedum adesse observantiam Datariæ & Cancellariæ Apostolicæ, quæ est organum Papæ, sed fortius adesse observantiam, & agnitionem ejusdem Capituli, ita continuò constituti in mala fide, quando ipso sciente, & consentiente hujusmodi litteris Apostolicis data fuit exequutio, præsertim in collationibus Dignitatum, & Canonicatuum, cum aliis in decisione desuper edita ponderatis, ubi etiam respondetur pluribus adminiculis suprà pro Cathedralitate ponderatis;

Circa quæ considerabam, cum distinctione tem-
25 porum, de facili illa tolli, atque æquivoca remanere; multa enim antiquiora, pto ut sunt litteræ *Alexandri III.* circa nominationem Archiepiscopi, & similia continebant actus sequutos in eo statu Cathedratico, in quo Ecclesia in vim privilegii *Eugenii III.* de facto fuerat, priusquam ab eodem *Alexandro*, & successoribus Pontificibus dictæ contrariæ determinationes prodirent, sive in altero intermedio tempore novæ erectionis concessæ per *Bonifacium*, donec sequeretur revocatio; Actus autem moderni remanebant, vel usurpativi, de facto, & contradicti, vel destructi ut supra à contraria observantia Sedis Apostolicæ super actibus Consistorialibus provisionis Ecclesiæ, sive Datariæ, & Cancellariæ super provisionibus beneficiorum, aliisque gratiis ut suprà; Est benè verum, quod licèt in puncto juris, & de stricta ejus censura, hæc ita procederent, attamen iste casus fraterniyare videtur cum 26
altero, de quo *in dicta Tiraqonen. sub tit. de jurisdictione disc. 22.* Quod scilicet videatur nimius rigor leguleicus, non multum fortè commendabilis, cùm in his materiis, antiquitati, ac populorum traditionibus & devotionibus deferendum potius videatur ex quadam epicheia, dum inspecta substantia, juribus Ecclesiæ non præjudicatur, unde in hoc purum, & rigorosum Juristarum judicium mihi nunquam commendabile visum est.

CÆSARAVGVSTANA CATHEDRALITATIS *PRO* ECCLESIA S. SALVATORIS, *CVM* ECCLESIA S. MARIÆ DEL PILAR.

Casus decisus per Rotam pro Ecclesia S. Mariæ.

De eadem materia juris Cathedratici, ejusque signis, & adminiculis, Et quando de antiqua Cathedralitate alicujus Ecclesiæ constare dicatur.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De antiqua Cathedralitate Ecclesiæ del Pilar firmata per Rotam.*
3 *De Cathedralitate actuali, ejusque continuatione etiam firmata.*
4 *Ultima resolutio causæ.*
5 *Distinguuntur inspectiones causæ.*
6 *De constructione Ecclesiæ S. Mariæ del Pilar, & num. 13.*
7 *Dato Episcopo, danda est Ecclesia Cathedralis.*
8 *De adminiculis & signis antiquæ Cathedralitatis.*
9 *Quod dictis adminiculis non sit deferendum.*
10 *Quando historiis deferendum sit.*
11 *Etsi antiquæ, debet constare de identitate.*
12 *De identitate Schedulæ testamenti nuncupativi, nuncupatione implicita remissivè.*
13 *De constructione Ecclesiæ, de qua num. 6.*
14 *Quando Ecclesiarum publica constructio, & consecratio initium habuit.*
15 *Et quando nomen Cathedralis.*
16 *De conclusione, quod dato Episcopo danda est Ecclesia Cathedralis tanquam sponsa ratione conjugii spiritualis.*
17 *Examinantur adminicula Cathedralitatis S. Mariæ, & quando dicantur æquivoca & non concludentia.*
18 *Episcopus potest residere in quacumque parte Diœcesis.*
19 *De adminiculis, quod Ecclesia S. Salvatoris fuerit antiqua Cathedralis.*

DISC.

DISC. III.

1 Electâ soli Deo certa notitia veritatis super antiquo statu rerum, priusquam Civitas Cæsaraugustana redigeretur in Maurorum servitutem sub qua vixit spatio annorum 400. circiter; Cùm circa annum 1418. Rex Alphonsus Primus *Conquistator* nuncupatus, Mauris expulsis, dictam Civitatem pristinæ libertati restituisset, Templum nobilissimæ, & magnificæ structuræ, quod de tempore dictæ captivitatis ad usum Mesquitæ deservierat, vel juxta hujus partis prætensionem pristino statui Cathedratico restitutum, vel pro Cathedrali sub invocatione S. Salvatoris, juxta alterius partis prætensionem, destinatum fuit, prævia Cathedræ translatione ab Ecclesia S. Mariæ, quæ dicto tempore fuerat captivorum Christianorum refugium; In dicta verò Ecclesia S. Mariæ de anno 1141. erectum fuit Collegium Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, quod etiam circa eadem tempora quoad immutationem à statu sæculari ad regularem, sequutum est de Canonicis dictæ Ecclesiæ S. Salvatoris, quapropter cùm omnes utriusque Ecclesiæ Clerici essent æquè Regulares & ejusdem instituti, cum ea charitate, quæ circa ea prima tempora, tanquam in specie primitivæ, seu renascentis Ecclesiæ regnabat, introduci cœperunt concursus, quia nempe in solemnitatibus, aliisque functionibus unius Ecclesiæ, Canonici, & Clerici alterius ad eam concurrebant, qui tamen concursus ex laudabili motivo charitatis introducti, tractu temporis magna cœperunt introducere, occasione præcedentiæ, dissidia & inconvenientia, pro quibus tollendis vel componendis, quamvis Archiepiscopi pro tempore, ac etiam Reges plura protulerint lauda, de quibus infrà in discursu, aliasque adhibuerint diligentias, non inde tamen desideratus effectus oriri potuit, unde propterea usque ab anno 1536. introducta fuit causa in Rota, in qua intitulata *Cæsaraugustana præeminentiarum*, quamplurimæ prodierunt hinc inde resolutiones, quarum nonnullæ in voluminibus impressæ habentur.

Quia verò, majus ac præcipuum Pilarensium fundamentum super præcedentia aliisque præeminentiis, constituebatur in eorum Ecclesiæ antiquiori Cathedralitate, idcircò Capitulum S. Salvatoris, malo ejus fato, ex remedio *l. diffamari*, curavit de anno 1620. committi in Rota causam jactationum super hujusmodi antiqua Cathedralitate *coram Coccino*; a Datoque dubio, *An constet Ecclesiam del Pilar fuisse antiquitus Cathedralem*, post
2 plures disputationes, demum *sub die prima Martii* 1630. affirmativa prodiit resolutio, *Ecclesiam scilicet prædictam fuisse antiquitùs Cathedralem* ut patet ex plenissima decisione desuper edita *impress. inter recent. dec. 353 par. 5.* ad cujus normam prolata sententia, & commissa causa appellationis in eadem Rota coram *Ubaldo*, alia prodiit sententia confirmatoria prævia decisione *impress. inter recent. dec. 177. par. 6.* à qua etiam interposita appellatione neglecta fuit prosecutio, ex eo quod ad preces Regis Catholici, *Urbanus VIII.* Congregationem particularem deputaverat pro istarum Ecclesiarum adeò scandalosis controversiis componendis, unde propterea causa siluit usque ad annum 1653. quando occasione reassumendi concursus interim suspensos, ista etiam causa reassumpta, Pilarenses, negligente altera parte comparere, *sub die 21. Junii* 1655. obtinuerunt *coram Bichio subrogato* resolutionem super re judicata, & appellationis desertione.

Quamvis autem dictæ sententiæ, quæ ita firmantur in judicatum transactæ ad normam decisionum, expresè, & litteraliter agerent de solo statu Cathedratico antiquo, Nihilominus in dicta decisione, vel casualiter, vel studiosè adjecta fuerunt quædam verba, ex quibus etiam ad actualis Cathedralitatis continuationem inferebatur, quorum verborum nimiùm diligens perscrutatio ab aliquibus doctis & zelantibus hujus partis defensoribus habita, majora mala produxit, cùm ita occasione novæ disputationis, altera pars fortè neque de hac prætensione cogitando, ad eam formiter substinendam excitata fuit, (In hoc etenim consistunt fata causarum, quod sæpius nocent ea quæ prodesse debent, & econtra); Quare in nova disputatione coram *eodem Bichio sub die 6. Martii 1656.* formiter firmata fuit etiam Cathedralitas actualis, ejusque continuatio, cum ea notabili circumstantia quod dicta res judicata illam quoque percuteret, dictaque resolutio, occasione denegandi remissoriam confirmata fuit 27. *Maii* 1658. *coram Cerro* in locum *Bichii* interim defuncti subrogato, relaxatisque executorialibus in vim rei judicatæ pro hujus Ecclesiæ & Capituli Sanctæ Mariæ æquali participatione omnium jurium Cathedraticorum & Metropoliticorum, illisque canonizatis per Signaturam Justitiæ cum clausula *sine præjudicio*, sub die 5. *Julii* & 10. *Decembris* 1660. *coram eodem Cerro*, aliæ prodierunt resolutiones, decernentes declaratorias contra Capitulum S. Salvatoris ob non partitionem mandatis Rotalibus, ex quibus decisionibus tres posteriores *coram Cerro* sunt impressæ *decis. 48. 80. & 84. post colluctationes Bondeni*, unde propterea adita fuit Signatura gratiæ sub *Alexandro VII.* qui particularem Congregationem Cardinalium deputavit, super modo, vel componendi controversias vel dividendi inter hæc duo Capitula & Ecclesias exercitium dictorum jurium Cathedraticorum & metropoliticorum, 4
atque post longas discussiones, ex hujus causæ inexplicabili fato, determinatum fuit id, quod ex parte eorumdem Pilarensium ab initio propositum fuerat, super æquali scilicet exercitio per turnum seu alternativam, super qua resolutione emanavit confirmatio Apostolica, atque ita in Curia res finem habuit, quidquid sit in partibus quoad executionem.

Stantibus autem tot Tribunalium & Virorum uniformibus judiciis, probabilius credendum est, hanc esse veritatem, frequenter non de facili perceptibilem ab Advocatorum intellectibus, ex causarum, vel propriæ opinionis affectione fascinatis, sive quod ex aliis occultis Dei judiciis ita sibi placuerit; Utcumque tamen sit, refrigerato etiam disputationum calore, non potui intellectum captivare in obsequium hujusmodi determinationum super omnibus punctis, potissimum verò super duobus, primò scilicet super re judicata in Cathedralitate actuali & continuante ab anno 1118. citrà nunquam disputata nec decisa, & secundò, super æquali possessione ac exercitio illorum jurium, quæ sex circiter sæculorum spatio istud Capitulum sanctæ Mariæ nunquam possedit nec prætendit.

Tres igitur in hujusmodi disputationibus fuerunt puncti sive inspectiones principales, Primò 5
super antiqua Cathedralitate utriusque Ecclesiæ respectivè; an scilicet ante Maurorum invasionem

Eccle-

Ecclesia S. Salvatoris fuerit Cathedralis, ob cujus accidentale impedimentum ejus conversionis per Barbaros infideles ad impium usum Mesquitæ, altera Ecclesia Sanctæ Mariæ durante captivitate, deservierit loco Cathedralis, unde gesta post recuperationem, importarent quamdam reversionem jure postliminii ad statum primævum; Vel potius econversò Cathedra semper & ab initio fuerit in dicta Ecclesia sanctæ Mariæ, translata postmodum ad illam S. Salvatoris per viam novæ applicationis seu conversionis ab impio ad sacrum usum; Secundò, posita antiqua Cathedralitate sanctæ Mariæ, circa ejus actualitatem & continuationem à dicto anno 1118. usque ad præsens, & an dici valeat desuper adesse rem judicatam; Et tertiò, posita etiam dicta actualitate Cathedralitatis, circa exercitium, & participationem jurium Cathedraticorum, tam circa competentiam, quàm circa modum dividendi; De primo autem agitur in præsenti, de secundo, & tertio in duobus proximè sequentibus discursibus.

De primo jam dicto Cathedralitatis antiquæ actum non fuit in modernis disputationibus habitis in Rota, utpote ibi jam sopito coram *Coccino & Ubaldo* in supra allegatis *decisionibus* 353. *par.* 5. & 177. *par.* 6. *rec.* unde ego & cæteri solum scribentes in causa post modernam reassumptionem ab anno 1653. citrà, quamvis essemus in concordi sensu, quod dictæ resolutiones essent parum tutæ, nihilominus determinavimus hanc provinciâ non assumere, solumque de hujusmodi puncto Ego in forma discursiva tractavi in dicta Congregatione particulari, non quidem animo vel spe obtinendi judicati retractationem, sed ad effectum insinuandi majorem exorbitantiam prætensionis circa actualitatem & continuationem, ac æquale exercitium jurisdictionis, ac jurium Cathedraticorum.

Quatenus igitur pertinet ad hunc punctum antiquæ Cathedralitatis, in allegatis decisionibus coram *Coccino & Ubaldo*, præsertim in prima quæ est latior, *dec.* 353. *par.* 5. *ex numer.* 20. plenè statuendo conclusionem, quod in factis antiquis, historicis & Chronistis deferendum est, ex istorum traditionibus firmatur, Apostolum Jacobum, dum in Hispaniis esset, admonitum in somnis
6 à B. Virgine Maria adhuc vivente, sibique comparente super quadam columna seu pilari marmoreo, illam Ecclesiam in ejus honorem construxisse & consecrasse, ejusque servitio unum ex novem discipulis ab ipso conversis *Theodorum* nuncupatum, & presbyterum ordinatum destinasse, deputando etiam in discessu, ex B. Petri auctoritate, *Athanasium* Episcopum Cæsaraugustanum, Atque hinc dato Episcopo infertur ad Cathedralitatem istius
7 Ecclesiæ, quæ tunc unica in hac Civitate aderat, ratione conjugii spiritualis, quod inter Episcopum & Ecclesiam esse dicitur, unde posito sponso, opus est supponere sponsam; Huic initio addendo etiam quàm plura successiva adminicula, plenè deducta in allegatis decisionibus, præsertim
8 *in dicta 353. par.* 5. cum quibus pertranseunt moderniores coram *Bichio*, inter quæ magnifiunt, residentia SS. Valerii & Brauli, aliorumque Episcoporum apud istam Ecclesiam sanctæ Mariæ, & plures Chronicæ antiquæ, præsertim antiqui Scriptoris *Lucii Dextri*, cujus fides etiam *à Divo Hieronymo* probata est, cum aliis adminiculis resultantibus, à retentione insignium Agni Paschalis cum inscriptione Status Cathedratici, à campana interdicti, à celebratione dedicationis Ecclesiæ, à præeminentiis istorum Canonicorum suprà illos S. Salvatoris, & ab aliis, de quibus in dictis decisionibus, & latius per *Lezzanam* in libello super hujusmodi Cathedralitate ex professo examinandi non nulla ex eis.

Quamvis autem omnia adminicula desuper considerata, & simul unita, cum regula, *ut singula quæ non prosunt*, *&c.* præsertim in antiquis magnum probationis gradum præseferre viderentur, Attamen illa rectè considerata utpote æqui- 9
voca, & benè referibilia, vel ad antiquum statum Ecclesiæ primitivæ, quando Christiani sub Gentilium captivitate vivebant, vel ad dictum moderniorem inter medium statum alterius captivitatis Maurorum, verè non concludere videntur id, ad quod ponderantur.

Illud præsertim generaliter ponderando, nullum penitus fundamentum constituendum esse, vel in testibus moderno tempore examinatis, vel in Chronistis, quorum fidei decisiones principaliter inniti videntur, quoniam antiquior historia est illa *Antonii Beuter* primævi scriptoris de anno 1546. quem sequuntur cæteri moderniores, unde est historia conscripta ad partis affectionem jam diu lite pendente, ac per decennium antea introducta in Rota, in qua ut supra pendet ab anno 1536. Cumque dissensiones & jurgia inter istas Ecclesias initium habeant aute annum 1221. in quo legitur promulgatum quoddam laudum Episcopi Sancii, illaque semper continuaverint, ut comprobant lauda Archiepiscopi Tarraconen. tunc Metropolitani de anno 1241. & proprii Archiepiscopi Lupi de anno 1351. Archiepiscopi Garziæ de anno 1391. Archiepiscopi Dalmai de anno 1448. & Archiepiscopi de Aragonia de anno 1513. unde propterea nedum ipsa Civitas sed totum Regnum, & forte major pars Hispaniarum in factiones divisa esset de tempore dictæ primæ historiæ absque dubio vigentes.

Hinc proinde, prorsus vanum dicebam fidem adhibere hujusmodi Scriptoribus, vel tanquam factionariis, vel ad partis collitigantis instantiam scribentibus; Concluso enim super fide historicis præstanda, de qua plenè *dicta dec.* 353. *num.* 23. *& seqq. & in Sypontina Cathedralitatis disc. præce* 10
denti, rectè procedit, ubi agitur de historiis antiquis & probatis, editis tempore non suspecto, secus autem modernis, in quibus affectationis suspicio adesse potest, clarius verò ac indubitanter actuali lite pendente, ut benè hujusmodi conclusionem cæteris allegatis declarat Rota *in Balneoregien. Iurispatronatus coram Otthobono inter suas decis.* 234. *numer.* 6. *&* 253. *numer.* 21. *& seq. & apud Roias dec.* 336. *num.* 17 & in aliis, ac admittitur *in Calaritana primatus dec.* 60. *&* 92. *par* 8. *rec.* ubi latè & magistraliter de fide præstanda Martirologiis aliisque Chronicis.

Et quamvis magnum constituatur fundamentum in quibusdam Chronicis *Maximi*, *Aimonii*, *& Lucii Dextrii* antiquissimorum scriptorum, quorum præsertim *Dextrii* mentionem faciunt *S. Hieronymus*, & alii illorum temporum scriptores, unde propterea infertur, eis omninò deferendum, utpote percutientibus tempus, in quo Hispania erat sub dominatione Gothorum, ante
prædictam Maurorum invasionem; Nihilominus 11
istud mihi videbatur æquivocum nimis clarum, quoniam non negatur adfuisse prafatos illorum temporum scriptores, quorum mentionem faciunt

faciunt *S. Hieronymus* & alii , sed punctus est in identitate , an scilicet hujusmodi chronicæ moderno tempore repertæ , ac traductæ , & luci editæ sub illorum nomine , moderno corpore compositæ sint , ut frequens praxis in hujusmodi chronicis & privilegiis docet , & sive quod data veritate adesset alteratio in traductione ; Unde propterea *in dictis decisionibus 60. & 92. part. 8. rec.* ubi agitur de præstanda fide antiquis Martyrologiis & codicibus , tota disputatio fuit super identitate ac forma probante.

Ad quod etiam probandum ponderabam ea, quæ habemus in materia testamenti nuncupativi nuncupatione implicita juxta formam traditam
12 *per Bart. in l. si ita scripsero ff. de condit. & demonstr.* per relationem scilicet ad schedulam existentem penes tertium, vel in scrinio seu alio loco , quoniam certum est illum testatorem testatum esse , atque in rerum natura adfuisse , vel esse schedulam ab eo confectam , juxta quam testari voluit , sed punctus est in identitate, an scilicet illa , quæ exhibetur , esset ea , de qua testator sentiit , super quo probationes juxta unam opinionem exactæ , & concludentes , vel saltem juxta alteram adminiculativæ desiderantur , ut frequenter in sua materia *sub tit. de testamentis* ; Potissimè quia *Baronius* diligentissimus antiquorum Scriptorum perscrutator testatur hujus *Lucii Dextrii* , antiqui Scriptoris Chronicas non haberi , sed deperditas esse , unde propterea magis concludens , & exacta dictæ identitatis justificatio necessaria est , prævio ipsius S. Romanæ Ecclesiæ maturo judicio examinata & comprobata , ut vel de Laminis Hispaniæ , vel de antiquis Martyrologiis & sacris Chronicis quas reperiri contingat, frequens praxis docet.

Argumentum verò deductum ex primæva hujus Ecclesiæ constructione per ipsummet Apostolum Jacobum , & ex deputatione Episcopi ut suprà,
13 dicebam nil in proposito concludere, quamvis cum pia credulitate , tanquam certam haberem traditionem ab Ecclesia probatam , super dicta Divi Jacobi mora in Hispaniis , Quoniam cùm id pernecesse sequutum sit circa primos annos post passionem Domini , dum præfatus Apostolus , omnium primus ab Herode martyrium passus est de tempore , quo adhuc B. Petrus in Judæa morabatur , postmodum , ab eodem Herode in vincula conjectus , ex quibus ab Angelo liberatus fuit; Hinc proinde sequitur , nimium improbabile videri , ut circa talia tempora , quando neque in ipsamet Hierosolyma, vel alibi aliquod materiale Templum sub nomine ipsius Christi Salvatoris constructum erat, construeretur istud sub nomine Virginis adhuc viventis.

Stant. n. benè simul , quod ille locus , in quo Apostolus dictam apparitionem habuit , haberetur
14 ab illis primis fidelibus in aliqua veneratione, Et tamen quod nullum materiale Templum publicè constructum & consecratum esset , eodem modo quo in ipsa Hierosolyma , in veneratione per fideles habebantur loca S. Sepulchri , Passionis , & similia , & tamen certum est , quod nullum aderat Templum materiale Christo dicatum , Quinimò ut docet sacra legenda inventionis S. Crucis, in dictis locis Calvariæ , & Sepulchri constructa fuerant inanium Deorum Templa ad hujusmodi sacram memoriam abolendam ; Atque in ipsamet Urbe Roma , quam Christo Domino placuit Christianæ Religionis , ac Orbis caput & metropolim constituere , plurium sæculorum spatio usque ad tempora Constantini , habebantur quidem per fideles in veneratione loca martyrii , vel respectivè sepulchri SS. Apostolorum Petri & Pauli , sive fons olei , & similia , in quibus , vel aliquod sacrum mysterium , vel Sanctorum martyrium , aut sepulchrum esset, & in quibus quandoque habebatur Ecclesia formalis, id est ipsorum fidelium congregatio cum orationibus , & divinorum celebratione , vel etiam aliqua mansio ad id destinata , nulla tamen aderat Ecclesiam aterialis, quæ publicè sub nomine Christi, vel B. Virginis , aut Sanctorum dicata , & consecrata esset , dum per gryptas aliaque abscondita loca variabilia juxta oportunitates & tempora missæ celebrabantur , aliaque Divina peragebantur ; Prima etenim Ecclesia materialis , quæ publicè Christo Domino dicata & consecrata fuerit , juxta sacram legendam , quæ in Breviario habetur sub die dedicationis Basilicæ Lateranensis , est ista , quæ proinde se appellat omnium Ecclesiarum primam , matrem , & magistram , Atque ex tunc ex Constantini decreto templorum publica constructio sequi cœpit , ut eadem legenda comprobat , unde ita capiendæ sunt illæ Ecclesiæ quas commemorat *Frances post hac editus in tract. de Ecclesia Cathedrali c. 2.*

Alia etiam nimia improbabilitate accedente, quod hoc nomen seu vocabulum Cathedralis, lon- 15
gè post Ecclesiæ tranquilitatem usu haberi cœpit, quando parochialibus , aliisque inferioribus Ecclesiis per Civitates & reliqua loca diœcesis constructis , contra distinguere oportuit illam Eceleſiam matricem , quæ Episcopi Cathedra erat , & à qua reliquæ inferiores tanquam filiales normam reciperent , eique subjectionem profiterentur , ut latius advertit *Frances ubi supra* , Unde propterea improprium est , quod illis primævis temporibus , & antequam B. Petrus in his partibus occidentalibus Sedem constitueret , daretur erectio Templi materialis sub nomine Virginis adhuc viventis , & cum titulo & jurisdictione Cathedralitatis , ut clarè ad sensum.

Benè autem in decisionibus præsertim prima *353. p. 5.* dicitur , quòd dato Episcopo tanquam spon- 16
so , dare oportet Ecclesiam Cathedralem, tanquam sponsam ratione conjugii spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam ; Sed mihi videbatur fallaciam consistere in applicatione, cùm id procedat quoad Ecclesiam formalem tanquam fidelium congregationem , constitutam ex universo populo fideli totius provinciæ , vel diœcesis illi Episcopo assignatæ; Ipse siquidem B. Petrus Ecclesiæ universalis caput & Episcopus , fuit etiam ab initio quo ad Urbem acceſſit Episcopus Urbis cùm sibi adjacenti regione , Prout & reliqui Apostoli Episcopi seu Patriarchæ fuerunt in sibi distributis regionibus , & provinciis , in quarum singulis Civitatibus , vel ex B. Petri permissione , vel à Christi personali concessione , & facultate eis attributa Episcopos deputarunt , Et tamen, tàm in Urbe , quàm alibi non aderant publica Templa Christianorum , cum contradistinctione Ecclesiæ Cathedralis tanquam matris & majoris , ut dicta sacra legenda, aliæque sacræ historiæ , ac etiam prophanæ docent , quoniam Ecclesiæ vocabulum in ipsa formali tanquam fidelium congregatione verificabile solùm erat ; Sive si aliqua aderat occulta materialis , non aderat hæc distinctio jurisdictionalis, seu præeminentialis, quoniam aliàs, non Basilica Lateranensis constructa per Constantinum sub Pontificatu B. Silvestri esse deberet

beret prima Cathedralis Orbis, sed aliqua ex illis antiquis Ecclesiis seu Ædiculis, quæ sub gentilibus, & istorum persecutione jam prius aderant cum similibus.

Quo verò ad adminicula in dictis decisionib⁹ præsertim prima considerata, observabam illa quidem
17 convenire Cathedralitati, eamque comprobare, quando aliud in contrarium non obstaret, sed ex facti circumstantiis remaneret æquivoca & non concludentia; Plura etenim ex eis, prout sunt, retentio insignium, festum dedicationis, campana interdicti, Dignitas Cappellani majoris, enunciativæ litterarum Apostolicarum, vel aliæ durante tempore captivitatis, cum similibus revera Cathedralitatem denotantibus, remanent æquivoca, utpote congruè referibilia ad dictum statum intermedium, & provisionalem temporis captivitatis, in quo ut dictum est, ob impedimentum Ecclesiæ Cathedralis per infideles ad impium usum conversæ, ista ejus loco deserviit, cumque id non fuerit ad breve tempus, sed ad longissimum 400. annorum & ultrà, idcircò mirum non est, quod tot adminicula impressa fuerint, Atq; hoc est super quo intellectum captivare non potui super tanta fide hujusmodi adminiculis præstita.

Considerabile videbatur solùm illud adminiculum desumptum ex antiquo Breviario super residentia *S. Brauli* Episcopi apud istam Ecclesiam, ibi *dum in S. Maria Majori suam Sedem situasset*, quoniam iste Episcopus rexit Ecclesiam de tempore dominationis Gothorum, antequam casus dictæ captivitatis contingeret, & sic inferri non potest ad dictum tempus intermedium provisionale; Plures autem congruæ responsiones huic adminiculo dabantur, Primò super hujus Breviarii fide non probante, eodem modo quo supra de Chronica *Lucii Dextrii* dictum est, potissimè quia ut constat ex Constitutione *Pii V.* super reformatione Breviarii, frequens erat abusus hujusmodi Breviaria apocrypha componendi, pluribus erroribus plena; Secundò quia cum *S. Braulius* non fuerit primus hujus Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Episcopus, neque in sua facultate positum esset Cathedram transferre, seu de novo erigere, idcircò ex hujusmod residentia inferri non poterat ad jus Cathedraticum, sed solùm ad illam facultatem, quam Episcopus habet
18 residendi in quacumque parte diœcesis, & apud quamcumque sibi benè visam Ecclesiam, absque necessitate continuò residendi apud Cathedralem, cùm solùm certis anni temporibus per Sac. Concil. Tridentinum ad mentem sacrorum Canonum id injunctum sit juxtà ea, quæ habentur *in Acernen. residentiæ sub tit. de jurisdictione disc. 24.*

Tertiò verò clarius, ac probabilius, quia in eodem Breviario dictus Episcopus *Braulius* situatur in tempore tertii Concilii Toletani, & sub Pontificatu *S. Gregorii Magni*, quando, ut patet ex legenda S. Ermenegildi, in ea regione satis dominabatur secta Arriana, cujus Episcopi majorem absque dubio potentiam & dominationem habebant, ob assistentiam Regis, & Magistratuum sæcularium; Idcircò satis probabile est, quod Episcopo Arriano principalem sedem & Cathedralem occupante, Episcopus Catholicus, tanquam de tempore captivitatis penes hæreticos, suam sedem ex divina revelatione apud istam Ecclesiam situasset, eo modo quo deplorabiliter videmus de pluribus Episcopis Catholicis, & hæreticis respectivè in Germania aliisque partibus, & sic istud quoque adminiculum æquivocum dici potest.

Econversò autem pro antiqua Cathedralitate Ecclesiæ sancti Salvatoris, ob cujus accidentale 19
impedimentum ista Ecclesia provisionaliter ejus loco deservierit ut supra, plura urgere meo judicio fortiora videbantur magisque univoca adminicula; Primò scilicet, quod cùm juxta eamdem historiam in causæ decisionibus enarratam, præsertim prima *decis.* 353. *part.* 5. ista Ecclesia Cæsaraugustana constructa sit ab Apostolo Jacobo circa tempora Passionis Domini nimium proxima, & quando B. Petrus adhuc Romam non accesserat, satis probabile est, atque ex Christiana pietate pro certo tenendum, primam Ecclesiam ipsius Domini Salvatoris nomini dicatam fuisse, ut comprobat observantia Ecclesiæ Romanæ, quæ est totius Christiani Orbis caput, metropolis, & magistra, quoniã prima Ecclesia dicata fuit nomine sub Salvatoris, cujus nomen habet ista, idemque docet observantia Urbis Constantinopolitanæ cum similibus.

Secundum adminiculum resultat ex hujus Templi magnifica structura Gothica, & econversò ex depressa & parùm magnifica structura Ecclesiæ sanctæ Mariæ; Improbabile siquidem est, quod quando ista Civitas sub suis Regibus in magnifico, & bono statuerat, suam Ecclesiam majorem & Cathedralem adeò exiguæ & depressæ structuræ haberet, & quod econversò barbari Mauri, omnibus scientiis ac bonis artibus destituti, & speluncis & cavernis vivere assueti, adeò magnificæ structuræ Templum pro Mesquita construere voluerint; Addita etiam hujusmodi infidelium consuetudine, primariam ac nobiliorem Ecclesiam Christianorum convertendi ad hunc impium usum eorum Mesquitæ, ut docet deplorabile exemplum insignis Ecclesiæ S. Sophiæ Urbis Constantinopolitanæ, ubi proinde aliæ depressiores Ecclesiæ loco Cathedralis deserviunt, cum dicta etiam differentia considerata superius circa residentiam *S. Brauli*, quod scilicet Episcopus seu Patriarcha schismaticus cum ejus sequacibus longè meliorem habet sedem seu Ecclesiam, quàm habet Patriarha Catholicus seu ejus Vicarius cum Ecclesia Catholica.

Tertium pro meo judicio fortissimum, ac fortè unicè sufficiens ad concludentem probationem resultat adminiculum à nimia improbabilitate, quod dictus Rex Alphonsus *Conquistator* nuncupatus, atque illius temporis Episcopus *Petrus Librana* Sanctus reputatus & veneratus, illique Christiani à B. Virginis protectione victoriam & libertatem recognoscentes, & qui spatio 400. annorum & ultrà in captivitate Ecclesiam prædictam in unicum refugium & solatium habuerant cum adeò manifesta ingratitudine, ac etiam delicto positivo, absque Sedis Apostolicæ placito, Cathedralitatem ab ista Ecclesia, ad sacrilegum Saracenorum Templum transferre voluerint, ideoque intrat quotidiana propositio, quod inverisimilitudo speciem habet falsitatis, sicuti econtrà verisimilitudo illam veritatis.

Quartum ex pluribus enunciativis contentis in pluribus concessionibus factis, tam per dictum Alphonsum, qui nuncupatur *Conquistator*, quàm per alterum Alphonsum qui nuncupatur *Imperator*, aliosque Reges, ac etiam in litteris Apostolicis super hujusmodi concessionum confirmatione, in quibus ista Ecclesia S. Salvatoris dicitur antiquissima & celeberrima post longam servitutem suæ libertati restituta, Atque in eisdem concessionibus confirmantur hæreditates & bona quæ adipsam Ecclesiam antiquo tempore spectabant; Pro

ut

ut circà eadem tempora per Alexandrum IV. confirmantur antiqui fines Episcopatus juxtà divisionem factam in Concilio Toletano sub Rege Bamba, qui fuit antè Maurorum invasionem.

Quintum in idem, ex concessione, quam idem Rex Alphonsus *Conquistator* fecit huic Ecclesiæ. S. Salvatoris de ipsamet Ecclesia S. Mariæ; Duplex enim adminiculum exindè resultare observabam, Unum scilicet omnimodæ inverisimilitudinis, quod vera & antiqua Cathedralis tantæ veneration is & devotionis, ità subjectivè concederetur illi Ecclesiæ, quæ de novo ac impio cultu ad sacrum conversa fuerat, Et alterum deficientis potestatis, undè resultaret delictum ex præmissis circumstantiis non præsumendum, quoniam per Sedem Apostolicam dicto *Conquistatori* concessa fuit facultas disponendi de Ecclesiis, quæ non essent Cathedrales.

Sextum fortiter, quia ex juribus per utramque partem hinc indè deductis, constat Episcopum *Bernardum*, qui Ecclesiam rexit circà annum 1140. & sic tempore satis proximo annorum *22.* dictæ recuperationi, fuisse satis devotum ac benevolum hujus Ecclesiæ, in qua de anno 1141. erexit Collegium Canonicorum Regularium, gravesque habuit dissensiones cum Capitulo Ecclesiæ S. Salvatoris, ob ejus conversionem à statu sæculari ad regularem, undè propterea sub *Eugenio III.* hujusmodi controversiæ per Congregationem particularem deputatam sopitæ fuerunt, obtenta etiam à Sede Apostolica hujus Ecclesiæ, dictique Collegii exemptione à jurisdictione Ordinarii; Omnino siquidem probabile est, quod tunc curasset istam Ecclesiam suæ Dignitati potius restitui, dum gesta per Regem ex defectu potestatis ità fuissent manifestè invalida ut suprà.

Septimum etiam fortiter, ob translationem Reliquiarum Sanctorum, Valerii, Vincentii, & Laurentii, factam circà ea tempora tanquam ad eam Ecclesiam, cuipsi præsertim SS. Vincentius & Laurentius servierant, & tamen hujusmodi translatio facta fuit ad istam Ecclesiam S. Salvatoris, non ad alteram S. Mariæ.

Octavum, quoniam ut patet ex primo laudo ut supra lato de anno 1220. etiam in ipso primo sæculo, & quando memoria erat recens, graves controversiæ super præeminentiis, & aliis juribus inter istas Ecclesias, & Capitula initium habuerunt, per quatuor sæcula adeò acriter continuata, undè propterea satis probabile est, quod ex tunc ob recentem momoriam, ac facilem probationem veritatis hic punctus deductus esset in campum.

Et demum in idem conferunt omnia alia adminicula, quæ *discursu sequenti* ponderantur pro exclusione continuationis, seu actualitatis, quoniam ex illis infertur etiam ad exclusionem status antiqui jure proprio & primævo, & ad solam probationem intermedii status provisionalis durante captivitate ut suprà, quibus omnibus insimul ponderatis, cum regula, ut *singula quæ non prosunt &c.* mihi videbatur majorem probabilitatem huic parti assistere.

EADEM.

Posita antiqua Cathedralitate unius Ecclesiæ, & moderna actuali Cathedralitate alterius, An dicta antiqua Cathedralitas cessaverit, vel potius continuare censeatur, eaque actualiter existere in utraque; Et de compatibili concursu duarum, vel plurium Ecclesiarũ materialium, ac duorũ vel plurium Capitulorum naturaliter & de facto distinctorum, ad efformandam unam Ecclesiam formalem, vel respectivè unum Capitulum, Et quid concurrente diversa natura, quià unum Capitulum sit sæculare, alterum Regulare; Et aliqua de sententia & rejudicata, quandò lata super uno puncto capiat alterum, nempè an lata super Cathedralitate antiqua, firmare dicatur ejusdem Cathedralitatis continuationem, & actualitatem.

SVMMARIVM.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Quod de sola Cathedralitate antiqua disputatum esset.*
3 *Qualitas semel impressa & possessa, præsumitur continuata, & num. 7.*
4 *Sententia est strictè intelligenda, & in expressis tantùm.*
5 *Stant simul litem introductam esse super pluribus, & determinationem esse super uno ex eis.*
6 *Rota non profert sententias, nisi prævia disputatione dubii, & decisionum editione.*
7 *Declaratur conclusio, de qua nu 3.*
8 *Sententiæ Rotales declarantur à decisionibus.*
9 *Vestigia & reliquiæ conveniunt ei, qui fuit, non autem ei, qui nunc est.*
10 *Una & eadem Ecclesia Cathedralis formalis constitui & representari potest per plures materiales, idemque in pluribus Capitulis.*
11 *Si Cathedralitas transfertur de novo ad unam Ecclesiam, non exindè abdicatur ab antiqua.*
12 *Patronus admittere potest non patronum ad participationem juris patronatus, & quomodo.*
13 *Translatio Cathedræ ab una Ecclesia ad aliam fieri non potest nisi auctoritate Apostolica.*
14 *De adminiculis exclusivis Cathedralitatis.*
15 *Ecclesia Cathedralis pernecesse habet Collegium.*
16 *An Ecclesia Cathedralis possit denuò erigi in Collegiatam.*
17 *An stent simul aliquos esse Canonicos Cathedralis, illique inservire, & esse exemptos ab Episcopo.*
18 *An dari possit, & una Ecclesia sit Cathedralis, recognoscat alteram in superiorem, & magistram.*
19 *An in compromisso inter Ecclesias requiratur Beneplacitum Apostolicum.*
20 *In juribus communibus, & quæ pluribus, competant, possessio unius conservat jus consortis.*
21 *De Ecclesia Cesaraugustana secularizatione.*

DISC. IV.

SUper hoc puncto fuit principalis disputatio in Rota, & in utraque Signatura, Gratiæ, & Iustitiæ, An scilicet præsuppositâ antiqua Cathedralitate Ecclesiæ S. Mariæ, firmata per sententias *Coccini*, & *Pirovani* in judicatum transactas, *ut in præcedenti*, exinde inferretur ad ejus continuationem, & actualitatem, sub dicta re judicata quoque venientem, Hujusque disputationis duæ fuerunt partes, Una ordinis, An scilicet super hujusmodi actualitate judicatum esset, altera justitiæ, an subsisteret dicta prætensa continuatio, & actualitas. 1

Quòad primam, ex tenore dictarum decisionum *Coccini & Pirovani 353. par. 5 & 177. par. 6.* ad quarum normam sententiæ emanarunt, clarum videbatur, de sola Cathedralitate antiqua disputatum fuisse, u in prima in principio *ibi, Dubitavi, an constet Ecclesiam de Pilari fuisse antiquitus Cathedralem*, & sic dubium, ad quod restricta fuit disputatio, in verbis concernit Cathedralitatem antiquam. 2

Idemque comprobat resolutio num. *11.* ibi, *His tamen non obstantibus visum fuit antiquam hujusmodi Cathedralitatem concludenter probari*; Atque cum eodem themate proceditur in tota decisione, præsertim *n.29* ibi, *His ergo firmatis sequitur eamdem Ecclesiam fuisse Cathedralem, & nu.68.* ibi, *adeo ut Jus antiquæ hujusmodi Cathedralitatis &c.* quod etiam habetur *n 72.73.78.79. & 80.86. & 96. in fin.* ubi plura considerantur adminicula tanquàm vestigia antiquæ Cathedralitatis, quæ absolutè supponitur in dictis locis & alibi, translata ad illàm S. Salvatoris. Quod etiam clarè supponir secunda decisio coram *Pirovano 177. par. 6. & nu. 4.* ibi, *pleraque adminicula in decisione D. Decani congesta ad firmandum quod Ecclesia B. Mariæ antiquitus fuerit Cathedralis*; Idemque agnoscit prima decisio edita super re judicata *21. Iunii 1655. coram Bichio in principio*, ibi *Beatissimæ Virginis Mariæ del Pilar, Ecclesiam fuisse antiquitus Cathedralem, in eaque primitus Sedem Episcopalem dicta Civitatis extitisse, his pronunciavit Rota in sententiis de anno 1631. à Coccino, & anno sequenti ab Ubaldo latis &c.*

His tamen non obstantibus in secunda *dec. 3. Martii 1656. coram eodem Bichio*, & in altera *27. Maii 1658. coram Cerro*, firmatum fuit hujusmodi sententias determinare quoquè continuationem dictæ Cathedralitatis usque ad præsens, ejusque actualitatem, ex regula, quod possessio seu qualitas semel probata præsumatur continuata, quodque à statu præterito inferatur ad præsentem ex doctrina *Innoc. in c. 2. de rest. spoliat. Natt. cons. 572. num. 18. Honded. cons. 0 num 12. lib. 1. dec. 237. num. 2. 321. num. 4. & 419. num 1. p. 1. rec.* Ponderando etiam in decisione coràm *Cerro* aliqua verba commissionis & articulorum datorum ex parte Ecclesiæ S. Salvatoris, quæ ad actualitatem quoq; trahi videntur, seu ad eam ex illis inferri potest. 3

Verùm circà hoc nullatenus intellectum captivare potui, dicta enim verba commissionis, & articulorum (ultrà quod per sub intellectum ac remotum argumentum id importare videbantur) ubi etiam fuissent clarissima, considerabam suffragari posse ad probandum, quod causa etiam super actualitate & continuatione introducta esset & penderet, itaut si desuper fuisset judicatum, prætendi non posset nullitas ex defectu jurisdictionis, Atq; ad hunc effectum verba etiam per argumenta & illationes attendenda videntur, ex regula capiè-di quemcunque intellectum pro substinendo actu ac evitanda nullitate, ad quem etiam effectum rectè procedunt dictæ decisionis ponderationes; Secus autem ut sub sententia veniat id quod in ejus verbis non continetur, neque unquam disputatum fuit.

Sententiæ enim strictè intelligendæ sunt in iis, quæ exprimunt, non autem per illationes vel subintellectus, & argumenta trahendæ ad casus non expressos, nisi quoad ea quæ de jure insunt judicato, atque de ejus necessaria consequentia veniunt, ex collectis *per Tiraquell. de retract. lignag. §. 1. gloss. 9. num. 182. Cravett. cons. 74. num. 10. Seraph. dec. 452. num. 7. dec. 667. nu. 1. & 835. nu. 5. Buratt. dec. 788. nu. 5.* 4

Stant enim benè simul, litem super utraque Cathedralitate, antiqua scilicet & moderna introductam esse ac pendere, & tamen unam tantum inspectionem disputatam ac decisam esse, ut quotidie practicatur in materia præsertim fideicommissaria, quod tota causa super immissione ad bona in vim fidei commissi concedenda introducta & ad quem effectum firmare oportet fideicommissi existentiam, necnon purificationem, & pertinentiam, ac etiam legitimationem personarum, identitatem bonorum, consumptionem seu non competentiam detractionum, & alia hujusmodi; Si divisis disputationibus per puncto s, prius disputetur & firmetur, constare de fideicommisso, quod fuerit purificatum, sive constare de filiatione, & descendentia, Non per hoc quod talis punctus firmatus est, sequitur super aliis quoque judicatum esse, ex eo quod super eis etiam causa penderet, quoniam ex pluribus in judicium deductis, etiam sub unica petitione vel summa, nil impedit, judicium in parte proferri, reservato tacitè judicioin parte omissa *ad text. in l. de rebus ff. de recept; arbitr. cum concord. dec. 13. in fine par. 2. recent. & sapius.* 5

Quod si procedit in sententia cujuscumque Judicis, multomagis absque dubio recipiendum venit in sententiis hujus Tribunalis, quod tàm ex stylo inveterato, quàm ex Constitutione *Pauli V.* super reformatione Tribunalium, non judicat, neque sententia profert, nisi prævia formali disputatione dubii, ac decisione desuper edita, ad cujus limites sententia proferri debet. ac aliàs remanet nulla, ut præsertim firmatur in *Barchonen. exceptionis 29. Maii 1665. coram Bourlemont*, de qua habetur in eadem causa *sub tit. de Regalibus disc. 58.* 6

Attento præsertim illorum temporum stylo dividendi causam per puncto s, juxta exemplum suprà datum in materia fidei commissaria, quod scilicet non dabatur dubium generale, ut datur hodiè, an danda sit immissio, sub quo cadunt omnes dicti puncti, sed disputatio distinguebatur per puncto s, primò scilicet an constaret de fideicommisso, quo firmato disputabatur alter super legitimatione personæ, & sic successivè super identitate bonorum & detractionibus &c. atque hinc resultabat, quod tàm decisiones quàm informationes erant breviores.

Ad assumptum verò, quod à præterito inferretur ad præsens, dicebam id continere simplicem juris præsumptionem, neque omnino tutum, plurésque patientem limitationes & declarationes, ex collectis 7

lectis *per Menoch. de præsumpt. lib. 6. cap. 62. & 64. Buratt. ex Adden. dec. 918.* Unde propterea ex hujusmodi tam levi incerta præsumptione videbatur
8 nullatenus inferri posse ad inducendam rem judicatam super eo quod constat non fuisse disputatum, ex eisdem decisionibus, à quibus sententiæ Rotales declarationem seu interpretationem recipiunt, ut sæpius eadem Rota censuit ac declaravit.

Quinimò earundem decisionum tenor clarè comprobare videtur exclusionem actualitatis, nedum quia pluries, præsertim *dicta dec. 353. par. 5.* præsupponitur translatio Cathedræ, ab ista Ecclesia S. Mariæ, ad illam S. Salvatoris, quod prius in altera quæstione præeminentiarum coram eodem *Coccino* de annis 1626. & 1627. explicitè dictum fuerat, quod lis penderet super antiqua Cathedralitate, quodque hodie absque controversia Capitulum S. Salvatoris esset solum Capitulum Cathedralis *ut dec. 658. num. 5. apud Post. de manut. & dec. 111. post num. 20. par. 5. rec.*

Sed clarius quia omnia adminicula considerantur, tanquam prioris & antiquæ dignitatis vestigia,
9 qui terminus excludit actualitatem, quoniam in eo, qui fuit Rex, Episcopus, vel Baro, aut Officialis, cadunt isti termini vestigiorum & reliquiarum antiquæ dignitatis vel officii, non autem in eo, qui in ea dignitate vel munere perseverat, & actualiter est talis *ad text in l. 1. & secunda Cod. de Præfecto Pretorio lib. 12. l. 1. Cod. de primiceriis eod. lib. Andr. de Barol. Joannes de Platea & Jacob. Rebuff. in d. l. 2. Mastrill. de Magistrat. lib. 4. cap. 13. n. 10. 69. & 72. Apont. de Potestate Proregis tit. de elect. officialium §. ultimo num. 19. Rota dec. 70. n. 10. & seqq. par. 1. diverf.* cum aliis *in Romana fidei commissi sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum disc. 84.* ubi de puncto, an Bulla prædicta locum habeat post dimissam Baroniam; Unde non omninò improbabiliter prætendi potuisset, ob firmatum statum antiquum cum terminis prædictis, præsenti & actuali incongruis, potiùs judicatum esse super dictæ actualitatis exclusione; Sed quidquid sit de hoc, aliud prætendi non posset nisi quod punctus actualitatis remaneret integer & indecisus, quodq; tam dicta præsumptio quam alia continuationis, & actualitatis adminicula suffragari possent in disputatione desuper habenda ad illam firmandam, nullatenus verò, quod ex firmatis in uno puncto, inferri possit ad judicatum super altero, de quo, neque actum, neque disputatum fuit.

Quoverò ad alteram inspectionem super meritis, omnes decisiones prædictæ super re judicata, ipsique scribentes in contrarium, non negabant tanquam omninò incontrovertibilem dictam Cathedræ translationem post Maurorum expulsionem ac recuperatam libertatem ad Ecclesiam S. Salvatoris, quæ Cathedralis seu Metropolitanæ figuram de facto gessit & gerit absque dubio, sed dicitur translationem prædictam non fuisse omnimodam & privativam, itaut totum jus Cathedraticum omninò abdicatum esset à prima seu antiqua, & translatum in secundam seu modernam Ecclesiam, sed quod compatibiliter illud translatum fuerit ad modernam, & tamen remanserit penes primam, jure cujusdam unionis seu commuuionis ejusdem juris insolidum.

Quia non implicat, unam Ecclesiam Cathedralem formalem constitui, & representari posse à
10 duabus, vel pluribus Ecclesiis materialibus, absque absurdo, seu monstro plurium capitum in uno corpore, quia formaliter, seu intellectualiter unum est caput, seu una solùm Cathedra, ita constituta à pluribus Ecclesiis materialibus æquè concurrentibus in idem, & successivè, quod duo vel plura Capitula ipsarum Ecclesiarum materialium unum, & idem formale Capitulum constituerent *ad text. cum ibi notatis in cap. 1. Ne sede. vacante*, & firmatum fuit *in Vercellen. unitatis Capituli coram Penia inter suas decis. 558. juxtà Venetam aliàs 699. juxta Lugdunen. num. 8. & 9.* confirmata *18. Aprilis 1614. coram Dunozetto seniori inter suas decis. 35 & 24. Aprilis 1643. coram Dunozetto juniore inter suas decis. 708. & 9. Maii 1644. coram Otthobono inter suas dec. 4.* Idemque firmatum *in Aretina unionis 22. Junii 1643. 2. Jun. 1645. & 1. Aprilis 1647. coram Ghislerio, & 18. Martii 1652. coram Verospio*, quarum ultima est impressa *dec. 224. par. 11. rec.*

Non enim ex eo, quod Cathedra transfertur in
11 aliquam Ecclesiam quæ hujusmodi nova prærogativa decoretur, exindè resultat, antiquam Ecclesiam, in qua prius residebat, illa destitutam remanere, ob dictum compatibilem concursum jure cujusdam communionis, seu verius admissionis ad participationem, ut *ex Vames. cons. 10. num. 4. & Seraph. dec. 1444. nnm. 7. cum sequen.* advertitur in dictis decisionibus coram *Bichio*; Ad instar eorum, quæ habemus in jurepatronatus, quod patronus admittere potest non patronum, & extraneum ad æqualem participationem juris præsentandi, aliorumque jurium patronalium, seu honorificorum ex deductis *per Greg. & add. decis. 349.* 12 *& 417. Postium de manut. observ. 32.* & alios ut in sua materia, non enim exindè augetur juspatronatus, quod unicum est, & individuum residens penes unam solam personam formalem, neque talis admissio tollit jus, & qualitatem patronalem ab admittente, sed solum, illud exercitium quod prius erat penes unum insolidum, ita residet penes duos, vel plures, qui licet materialiter plures constituant personas, unam tamen personam formalem, seu intellectualem patroni ad dictos effectus efformant seu representant; Eodem modo, quo ad feudum dignitatis de sui natura individuum, ex consuetudine præsertim Lombardiæ, datur plurium personarum immò linearum seu generum concursus circà exercitium jurisdictionis, & fruitionem, seu commoditatem, ex deductis *in Mutinen feudorum de Rangonibus sub tit. de feudis disc. 8.* cum similibus.

Ad id autem probandum decisiones ponderant eadem adminicula quæ pro antiqua Cathedralitate considerata sunt in *d. decis. 353. par. 5. recen.* utpotè adhuc actualiter continuantia, ut sunt præsertim, retentio, & usus insignium Agni Paschalis, campana interdicti, celebratio dedicationis, præeminentiæ, & similia; Eo potissimum ponderato, quod omnimoda translatio Cathedræ de una Ecclesia ad alteram, cum abdicatione totius juris ab
13 antiqua fieri non potest sine auctoritate Apostolica *ad text. in c. 1. & 2. de translat. Episcopor. cap. mutationes 57. quæst. 1. cap. felix & cap. præcipimus 16. q. 1. cum concord. per Rebuff. in praxi benefic. tit. de Decreto in Ecclesia Cathedrali num. 1. & 5. Lotter. de benef. lib. 1. q. 14. num. 118. Marsicen. jurisdict. 26. Maii 1651. Corrado dec. 153. par. 11. rec. num. 12.*

Verùm istud motivum præsertim deficientis beneplaciti Apostolici, pro meo judicio videba-

tur satis retorqueri posse, ac esse nimis efficax ad excludendam etiam antiquam cathedralitatem, qua corruente omnia præmissa, tanquàm ex deficiente præsuppositu seu fundamento mole sua corruunt, quoniam defectus potestatis æquè percutit translationem omnimodam, ac etiam alteram accumulativam per viam societatis seu participationis; Sicuti enim solius Papæ est Cathedram ab una Ecclesia tollere, & ad alteram omninò transferre, ità ejusdem, unicè ac privativè est, Ecclesias Cathedrales, Territoria, & Diœceses dividere, seu unire, ut ultrà generalia de quibus in aliis *hoc tit.* & in altero *de jurisdictione*, seu *de beneficiis*, in specialibus terminis hujusmodi unionum, seu aggregationum patet, ex *dictis Aretin. & Vercellen*; ubi totum ex auctoritate Apostolica, & Pontificiis diplomatibus firmatur. Et consequenter unum de tribus; retento hoc præsuppositu deficientis beneplaciti Apostolici dicendum est, vel scilicet, quod Ecclesia S. Salvatoris ità nullum haberet jus cathedraticum, neque in toto neque pro parte, quod prorsus fabulosum esset asserere, vel quod stante longissima penè sex sæculorum observantia, intraret beneplacitum præsumptum, quod ità convenire potest uni ac alteri translationis speciei, Vel demum, & probabilius, quod dictus actus gestus post recuperatam pristinam libertatem per piissimum Regem Conquistatorem, ac S. Episcopum Libranam, illosque Christianos, quos in magnæ pietatis, & Religionis zelo, & feruore constitutos præsupponere debemus, fuerit agnitio veritatis, reintegrando scilicet antiquam veram Cathedralem, ob cujus accidentale impedimentum captivitatis, & conversionis ad impios usus, altera Ecclesia, provisionaliter, & tanquàm subrogata partes vicarias expleverit, undè propterea observabam istas duas inspectiones, Cathedralitatis scilicet antiquæ, & actualis esse simul connexas, atque improbabilitatem secundæ pendere ab improbabilitate primæ, tanquam ex minus vero præsuppositu, ac radice infecta.

Clarius concurrentibus tot adminiculis clarè convincentibus à dicto anno 1118. citrà, cathedralitatis possessionem in sola Ecclesia S. Salvatoris, exclusivè seu privativè ad alteram.

Potissimum verò, ac principaliter, quia si vera esset hujusmodi accumulativa translatio, ita, & taliter quod cathedralitas penes utramque resideret, 14
perneceſſe dare oportet, quod Capitulum, & Canonici, ex tunc, & æqualiter in utraque Ecclesia adesse, ac inservire debuissent, atque potius in ista Ecclesia antiqua continuativè, quàm in ea quæ de novo jure cujusdam societatis, & participationis ad Cathedralitatem admissa fuit, Atque stante existentia, & continuatione Episcopi supponenda est existentia ejusdem Capituli antiqui, quod comprobatum remanet à pluribus tunc temporis litteris Apostolicis, & Regiis de Capitulo etiam mentionem facientibus, & tamen nulla pars Capituli, nullique Canonici remanserunt in ista Ecclesia S. Mariæ, dum ista post annos 22. de anno scilicet 1141. erecta fuit in Collegiatam per Episcopum *Bernardum*, illi assignando in Priorem unum ex Canonicis Capituli Cathedralis.

Et quod magis est, hujusmodi erectio fuit sub natura omninò diversa, Canonicorum scilicet Regularium, & sub omnimoda exemptione à jurisdictione Ordinarii, & sub immediata protectione, & jurisdictione Sedis Apostolicæ, itaut in litteris à *Clemente VII.* & *Sixto V.*, ab eodem Collegio super hujusmodi exemptionis confirmatione obtentis, narretur, istam Ecclesiam Collegiatam ab initio suæ erectionis natam esse omninò exemptam à jurisdictione Ordinarii, aliumque nunquam agnovisse superiorem, nisi Sedem Apostolicam, & proprium Prælatum regularem, qui Prior nuncupatur.

Ex his enim multa resultare videntur incompatibilia cum dicta continuatione, Primò quia omnis Cathedralis de necessitate est Collegiata ad *text. in cap. novit. & cap. quantum de iis, quæ fiunt à Prælato sinè consensu Capituli Bisignett. dec. 13.* 15
num. 3. de prabendis cum concord. per Barbos. de Canonicis cap. 2. num. 2. & in eisdem decisionibus coram Bichio, præsertim secunda; Et consequenter si ista remansisset Cathedralis, jam habebat Collegium, ac propterea prorsus improprium esset, quod post annos 22. erigeretur in Collegiatam sub Prælato assumpto ex Canonicis S. Salvatoris, cum non videretur, ad quod propositum hujusmodi erectio facta sit.

Secundò quia interim dicto spatio annorum 22. fuisset dare Cathedralem destitutam Capitulo & Canonicis, qui perneceſſe, & de natura ut supra sunt in ea præsupponendi: Tertiò quia si juxtà præmissam theoricam, hujusmodi unio, seu accumulatio non præjudicat unitati, itaut verè & realiter dicatur una Ecclesia Cathedralis ità constituta ex duabus materialibus, unumque, & dem sit Capitulum materialiter divisum, seu distributum pro utriusque servitio, hinc sequitur, quod perneceſsè dare oportet unam eandemque naturam, cum aliàs simplice in adjecto, ut unum & idem corpus identificum, ac individuum duas haberet diversas imò contrarias naturas, quales sunt facularis, & regularis.

Et quartò, quod Ecclesia Cathedralis Sponsa Episcopi, istum ob dictam ampliſſimam nativam professatam exemptionem in nihilo cognosceret in suum Sponsum, alium nempè suum Priorem habendo in Superiorem Sponsum, & Rectorem, quæ omnia implicant, quoniam esset aliàs dare, vel duo capita in eodem corpore, vel duos viros ejusdem sponsæ, sivè quod illa quæ est de jure sponsa unius, esset in fruitione, & subjectione alterius, cum pluribus similibus inconvenientibus.

Adversus hæc fortissima, & fortè indissolubilia argumenta, dantur in decisionibus, præsertim secunda coram *Bichio*, nonnullæ responsiones, super quarum subsistentia, ob initio insinuatum motivum fascinationis, qua, ob causarum affectionem, Advocatorum ingenia laborare solent, ac alterum summæ reverentiæ debitæ majestati Tribunalis me refero ad ipsarum decisionum Rectores, fateor tamen mei intellectus, vel imbecillitatem, vel fascinationem, quod illas percipere non poterat; Siquidem quoad erectionem Ecclesiæ in Collegiatam, dicitur illam non implicare, utpote sequutam ad abundantiorem cautelam, cumulando istum titulum explicitum titulo implicito Collegialitatis, jam de natura existenti ob dictam conclusionnm, quod 16
omnis Cathedralis perneceſse dicitur Collegiata; Si enim ista Ecclesia erat jam Cathedralis, suumque habebat Capitulum cum longè majori prærogativa cathedralitatis, non videtur quam probabilitatem haberet ista accumulatio tituli longè inferioris, ac minus digni Collegiatæ, & quod magis, cum dicta circumstantia omnino diversæ, imò contrariæ naturæ, ut clarè ad sensum.

Ad exemptionem verò dicitur, eam percutere solam

solam observantiam disciplinæ regularis, non autem reliqua concernentia ipsam Ecclesiam Cathe-
17 dralem, vel quia in hac parte exemptio non suffragetur, atque Collegium in reliquis Episcopo remaneat subditum, vel quia ipse Episcopus ità implicitè deputatus censeatur etiam Abbas, seu Superior Regularis, cujus alter Prælatus regularis vicarias partes gerat juxtà decisiones *in Montis Regalis coram Coccino* 157. *& 69 par. 1. recent.* cum aliis, de quibus *in Romana Jurisdictionis, seu tituli Cardinalitii sub tit. de Jurisdict. disc.* 34.

Ista responsio tunc pro meo judicio rectè procederet, quando certum esset istam esse Ecclesiam Cathedralem, atque Canonicos Regulares in ea existentes constituere ejus unicum Capitulum, quia nempè alterum non adesset Capitulum, nullique alii Canonici, undè propterea quæstio non esset super jure Cathedratico, & qualitate Capituli Cathedralis, sed his pro certo præsuppositis, sola quæstio esset super jurisdictione, vel exemptione respectivè inter ipsum Episcopum, & Capitulum, quo casu intrat dicta conciliativa distinctio, de qua latius *in d. Romana jurisdictionis, seu tituli Cardinalitii*; In hac verò facti specie punctus quæstionis est in ipsa qualitate, propter existentiam alterius Ecclesiæ, quæ se dicit Cathedralem, & alterius Collegii, seu corporis, quod se dicit ipsius Cathedralis Capitulum, in quibus terminis nulla datur auctoritas, vel ratio congrua, stante præsertim diversitate imò contrarietate naturarum, ac etiam observantia pene sex sæculorum, in quibus nulla datur probatio, vel memoria, quod Archiepiscopus, cum visitatione, vel aliis actibus agnoverit istam Ecclesiam in suam sponsam, & subditam, dictosque Canonicos, & Priorem in subditos, seu membra illius corporis, cujus ipse esset caput, vel quod ipsa Ecclesia, & Canonici respectivè nunquam recognoverint Archiepiscopum in sponsum, ac respectivè caput, & Superiorem, ideoque istius Collegii erectio in omnem eventùm referenda videtur ad illum titulum, seu modum, de quo *disc. seq.*

Alterum fortissimum adminiculum exclusivum hujus Cathedralitatis resultabat ex pluribus laudis suprà insinuatis ab anno 1220. in quibus semper Ecclesia S. Salvatoris præsupponitur superior, domina,
18 & magistra, præsertim verò in laudo anni anni 1313. Archiepiscopi *de Aragonia*, per utramque partem acceptato & exequutioni demandato, in quo expressè determinatur, quod Ecclesia S. Mariæ teneatur recognoscere Ecclesiam S. Salvatoris in matrem, superiorem, & magistram, quod manifestè implicat cum dicto coæquali jure cathedratico, cum non possit una & eadem persona individua, esse eodem tempore dominus & servus, discipulus & magister, superior & subditus, &c. non data præsertim compatibili diversitate respectuum.

Huic argumento respondet secunda decisio coram *Biehio*, dicti laudi sensum esse, quod dicta Ecclesia S. Mariæ teneatur recognoscere alteram S. Salvatoris in matrem, superiorem, & magistram aliarum Ecclesiarum Urbis Cæsaraugustanæ, non autem sui ipsius; Hæc autem responsio minus tuta quoque videbatur, Tum quia nulla contentio erat eum aliis Ecclesiis, sed inter ipsas super præeminentiis, undè prodiit laudum ad lites & controversias terminandas; Tum etiam quia cum obligatio recognoscenoi directa esset ad unam Ecclesiam erga alteram, hinc proindè actio & passio non intrabat nisi inter seipsos, ut ad sensum; Et demum quia si juxtà earundem decisionum intellectum, utraque Ecclesia pariformiter ac æquali jure concurrit ad efformamdam illam Cathedralem, quæ omnium aliarum Ecclesiarum Urbis & diœcesis esset mater, domina, & magistra, hinc sequeretur prorsus improprium esse dictum terminum recognitionis unius ab altera, sed dici debuisset quod omnes aliæ Ecclesiæ ambas in dominas, superiores, matres, & magistras recognoscerent.

Agnoscentes autem scribentes in contrarium in disputatione habita coràm *Cerro* subrogato ut suptà, in subsistentiam hujus responsionis, recurre- 19
bant ad alteram nullitatis dictorum laudorum, præsertim dicti ultimi acceptati & exequuti, ex eo quod non adesset beneplacitum Apostolicum juxtà dispositionem *extravag. ambitiosæ*, quam receptum est extendi etiam ad compromissum, quod fieri non poterat in Archiepiscopum per hanc Ecclesiam exemptam & Sedi Apostolicæ immediatè subjectam, & huic responsioni innititur decisio 10. *Decembris 1660. coràm Cerro dec. 84. post Bonden. numer.* 9. sed pariter ista videbantur minus tuta, ob cessantem necessitatem beneplaciti Apostolici, dum agitur de compromisso facto per duas Ecclesias in persona proprii Archiepiscopi, qui aliàs erat utriusque Judex competens, unde nulla adest species alienationis, ob quam his actus cadat sub dicta extravag. ut contingit, quando fit compromissum in privatum seu aliàs incompetentem, tàm de jure quàm de facto, ex iis, quæ proximè & in terminis jurisdictionalibus habentur *in Astoricen. seu nullius jurisdictionis sub tit. de jurisdictione disc.* 7. & & generalitet apud *Cavaler. dec. 227. n.* 4. & plenius *in Papien. manutentionis* 13. *Martii* 1654. *coram Peutingero*: cum aliis quæ in simili habentur in materia compromissi super feudis *in Camerinen. sub tit. de feud. disc.* 49. Nil obstante consideratione deducta in dicta ultima decisione coram *Cerro*, quod ob plenissimam exemptionem hujus Ecclesiæ à jurisdictione Archiepiscopi, ac subjectionem immediatam Sedi Apostolicæ, ità dicatur compromissum in eum, qui nullam habebat jurisdictionem; Tùm quia id adaptabile non videtur Ordinario habenti, nedum nativam ac originariam jurisdictionem cum Regularibus ab accidentali solùm impedimento privilegiorum suspensam, verùm in plerisque casibus à Sac. Conc. Trident. & Apostolicis Constitutionibus præscriptis actualem quoque, unde omninò incompetens, & merè privatus dici non potest ex iis, quæ pluries habentur in sua materia *sub tit. de jurisdictione*; Tum clarius quia videtur ita deduci contradictoria, dum in decisionibus coràm *Biehio* ut suprà, firmatur subjectio & competentia respectivè quoad concernentia cathedralitatem, ejusque jura seu effectus, cum aliàs omninò implicet unam eandemq; Ecclesiam esse Cathedralem, & tamen nullatenùs recognoscere Episcopum in ejus caput, superiorem & sponsum, & hæc ultrà præsumptionem beneplaciti à tam diuturno tempore resultantem.

Non leve quoque observabam resultare adminiculum, ex eo, quod de anno 1318. jam exortæ fuerant, & vertebantur inter istas Ecclesias graves dissensiones, & tamen cum *Joannes XXII.* Cathedralem Cæsaraugustanam erexerit in Metropoliticam, sola Ecclesia S. Salvatoris de hujusmodi præeminentia solemnitatem celebravit, obedientiam à suffraganeis recepit, aliosque actus Metropoliticos gessit, absque eo quod dicta altera Ecclesia aliquod imaginabile signum hujusmodi novæ præeminentiæ dedisset; Licèt enim Bulla erectio-

nis loquatur de *Ecclesia Cæsaraugustana* in genere, &sic de sola formali, unde convenire potest utrique materiali eam constituenti, quatenùs hoc suppositum subsisteret, Attamen id videtur magnum adminiculum hujusmodi præsuppositi destructivum, cum omninò improbabile sit, quod ex duobus consortibus idem jus æqualiter & pro communi habentibus, & inter se æmulis, magnam prærogativam postmodùm superventam, unus debeat agnoscere & exercere, alter verò omninò negligere.

20 Exercitium siquidem unius, posito certo jure utriusque, illud conservat in totum, etiam respectu alterius, quando non constet quod à consorte actus geratur in solidum & privativè, secus autem isto casu, ex iis quæ præsertim habemus in materia juris patronatus vel juris conferendi cum similibus, sed ubi jus alterius consortis est dubium & controvertitur, tunc hujusmodi non usus est maguum argumentum.

Prout, & in idem, fortissimum adminiculum re-
21 sultare videtur ex hujus Ecclesiæ Cæsarau gustanæ sæcularizatione facta per *Clementem VIII.* de anno 1608. quoniam Ecclesia S. Mariæ, quæ juxtà decisiones est una & eadem, adhuc continuavit, & actualiter continuat in statu regulari; Licet enim litteræ sæcularizationis loquantur pariter de *Ecclesia Cæsaraugustana* in genere, undè utrique dicta sæcularizatio convenire posset, ut suprà, nihilominùs intrat eadem responsio, de qua proximè quoad jus Metropoliticum, ex duplici nimis clara demonstratione, Una jam dicta incompatibilitatis, quod una & eadem Ecclesia fotmalis & individua, atque unum & idem Capitulum constituerentur ex duabus diversis imò contrariis naturis; Et altera clariori, ac ad evidentiam, quoniam in eisdem litteris distinctè enumetantur omnes dignitates & canonicatus, ex quibus Capitulum sæcularizatum constituitur, atque hic numerus adamussim convenit illis Dignitatibus & Canonicis qui sunt in Ecclesia S. Salvatoris tantum; Prout & in eisdem litteris præscribitur modus distribuendi portiones, aliaque gerendi huic Ecclesiæ tantùm convenientia, absque eo quod per imaginationem aliquid diceretur vel disponeretur, quod dictæ alteri Ecclesiæ, ejusque Capitulo, Canonicis, vel portionariis conveniret; Ideoque scribendo in causa, dicebam hanc videri demonstrationem mathematicam, quonam si Ecclesia Cæsaraugustana æqualiter ex hujusmodi Ecclesiis materialibus & Capitulis constituta esset, litteræ prædictæ in omnibus utramque percutere debuissent, ut ad sensum.

Huic adeò convincenti argumento respondebant scribentes in contrarium, atque responsionem admisit prima decisio 17. *Maii* 1658. *coràm Cerro*, quod jura istius Ecclesiæ præservata remansissent ob clausulam *sinè ejus præjudicio* contentam, sivè in ipsis litteris sæcularizationis, sivè in litteris separatis; Verùm responsio non satisfaciebat, quinimò dicebam id potius retorqueri, quoniam si in animo fuisset Pontificis concedentis sæcularizationem, quod ista Ecclesia esset æque Cathedralis & Metropolitica cum altera, tanquam unica, utique prorsùs incongrua imò inepta fuisset dicta præservativa, præsupponens quid diversum, potissimè ob circumstantias in dicto Pontifice concurrentes, Tùm ob eximiam peritiam personalem, ultrà eam, quæ ob doctos Datariæ, & Cancellariæ officiales in quolibet Pontifice præsumitur; Tum ob certam & distnctam notitiam quam hic Pontifex de hujusmodi Ecclesiarum controversiis habebat, tam pro tempore, quo fuit Advocatus, quam occasione sedendi per plures annos in Rota, ubi jam pendebant, ac etiam occasione Nuntiaturæ Hispaniarum per eum exercitæ, & fortius, quia hujusmodi negotium sæcularizationis plurium annorum spatio in Curia & Congregatione Consistoriali ventilatum fuerat, undè erat negotium notorium satis maturè discussum.

Et demùm, magnum adminiculum resultare videbatur ex contraria observantia tot sæculorum, dupliciter concurrente, Primò scilicet ob exercitium & possessionem jurium Cathedraticorum & metropoliticorum per solam Ecclesiam S. Salvatoris, Et secundo ob acerrimam litem tamdiù substentatam per istam aliam Ecclesiam, ejusque Capitulum super solis præeminentiis merè cæremonialibus, neglectis juribus, & jurisdictionibus, aliisque emolumentis ex jure cathedratico & metropolitico respectivè resultantibus, atque curando cum tot affectatis & mendicatis adminiculis solùm substinere, quod illa antiquiùs fuerit Cathedralis, quodque de præterito dictam prærogativam habuerit, ut patet ex *dictis decisionibus* 353. *par.* 5. & 177. *par.* 6. *rec.* undè omnibus his simul & unitim consideratis, pro meo judicio nimis clarum videbatur, quod hujusmodi prætensio nullam haberet subsistentiam, & consequenter decisiones desuper editæ non captivarunt intellectum, id tamen referendo potius ad proprii intellectus imbecillitatem, & fascinationem ut suprà; Ideoque super ista omnibusque aliis causis non intendo dare judicium, sed tantùm sincerè proferre quid sentirem, ità fortè magis meas ineptias demonstrando; atque discurrendo pro sola doctrina.

EADEM.

Posita Cathedralitate plurium Ecclesiarum simul concurrentium ad unam Cathedralem efformandam, An una Ecclesia vel ejus Capitulum præscribere possit privativè ad alteram majores prærogativas, ac exercitium Jurium Cathedraticorum, Et quid quòad Capitula in utraque existentia, An dari possit, quod Capitulum existens in una, dicatur Capitulum utriusque Ecclesiæ, ita ut alterum Capitulum existens in altera, constituat solum Collegium inferius, ac diversum à Capitulo Cathedralis.

Et quatenùs utrumque Capitulum sit ejusdem qualitatis, ita ut unum & idem Capitulum Cathedralis constituat, ac utriusque Ecclesiæ, & Capituli respectivè jura sint æqualia, Quomodò eorumdem jurium possessio, & exercitium dividi debeant, vel qui melior esset modus hujusmodi controversias terminandi & componendi.

SVMMARIVM.

1 *Casus disputationis.*
2 *De distinctione jurium, quæ sunt Cathedralitati pernecessè annexa, eisque consequutiva*

ab aliis diverso jure competentibus, ut in istis etiam unum Capitulum possit considerari tanquam duo diversa & distincta.

3. *Decisiones editæ in uno dubio sunt præsupponendæ in disputatione alterius dubii.*

4 *Sub expresso venit totum id, quod sub eo de jure continetur.*

5 *Jus individuum, quod habitu residet penes unum corpus vel genus, potest in exercitio competere uni & non aliis de eodem genere.*

6 *Jus Capituli Sede vacante potest in exercitio competere uni tantùm Capitulari.*

7 *Possessio temporis valdè considerabilis est manutenibilis etiam ubi jus resistit.*

8 *Quandò in concordiis inter Ecclesias, & super jurisdictione, aliisque juribus incorporalibus requiratur Beneplacitum Apostolicum.*

9 *Dari potest in Ecclesia Cathedrali erectio novi Collegii, quod sit quid diversum à Capitulo Cathedralis.*

10 *Dantur exempla plurium Collegiorum in eadem Ecclesia.*

11 *Quæ sit Ecclesia Catbedralis Urbis, & qui constituant Capitulum hujus Cathedralis.*

12 *De modis dividendi exercitium præeminentiarum & jurium cathedraticorum inter duas Ecclesias & duo Capitula.*

13 *In divisione desideratur æqualitas, & divisio inæqualis rescinditur.*

14 *Quando & ex quibus causis sit supprimendus aliquis Couventus vel status regularis.*

15 *Expenditur* Vames cons. 10. lib. 1.

DISC. V.

VMin vim rei judicatæ, extensæ ad Cathedralitatem actualem, nunquã, nec disputatam nec decisam, *ut disc. præcedenti*, relaxatæ essent litteræ exequutoriales, amplissimè demandantes Capitulo S Salvatoris admissionem Capituli S. Mariæ ad æqualem possessionem & participationem omnium jurium, jurisdictionum, & præeminentiarum ratione cathedralitatis, ac juris metropolitici competentium, ex parte verò dicti Capituli S. Salvatoris, me & aliis ejus Advocatis consulentibus, facta esset declaratio, se esse promptum parere mandatis Rotalibus, reservatis iis, quæ sibi jure particularium privilegiorum, contractuum, transactionum, sententiarum & legitimæ præscriptionis privativè competerent; Hinc prætensum fuit per alteram partem hujusmodi declarationem esse captiosam, atque inobedientiam, & contumaciam potiùs continere, proindeque locum esse declaratoriæ, unde assumpta de super disputatione sub die 5. *Julii* 1660. super dubio, *An constaret de sufficienti paritione*, negativa prodiit resolutio confirmata 10. *Decembris ejusdem anni*, ut liquet ex decisionibus desuper editis, *coram Cerro* impressis *post collectationes Bondeni decis.* 80. *&* 84. 1

In hujusmodi autem disputationibus, scribentes pto Ecclesia & Capitulo del Pilar dicebant, & Rota eorum assumpta recepit, quod firmata actuali cathedralitate, exindè de necessario consequenti resultabat competentia exercitii, & possessionis omnium jurium cathedralitati annexorum, ejusque consequutivorum, proindequè super eis omnibus parendum erat, reservato jure alteri Capitulo agendi super illis juribus, & jurisdictionibus particularibus, quæ sibi, & Ecclesiæ ex præscriptione vel aliis titulis, privativè competere prætenderetur, *ut in decisione 5. Iulii in fine.*

Cumque ex hac parte doceretur istam Ecclesiam possidere multa bona & jura ex unionibus factis per Summos Pontifices, seu Regum donationibus, aliisque piis dispositionibus, dicitur in ultima decisione *5. Decembris* 1660. §. *fin.* per Pilarenses non prætendi, nisi jura corporalia, & incorporalia quæ sunt annexa, connexa, & dependentia à jure cathedratico competentia his Capitulis tanquam unico corpori formali ex eis constituto; Cætera enim perneccsse non dependentia à cathedralitate non sunt communia, cum in istis rectè dici possint duo Capitula, & duæ Ecclesiæ distinctæ & separatæ juxtà decisionem *Vercellen. coram Penia, 699. n. 9. confirmatam coràm Dunozetto seniore, & juniore & in Aretina unionis, ut in disc. præcedenti.* 2

Ad transactiones verò & sententias arbitramentales deductas ex parte Capituli S. Salvatoris, ultrà quod dicitur esse exceptiones altioris indaginis examinandas postquàm paritum fuerit, Respondetur transactiones esse personales, sententias autem arbitramentales esse invalidas ex defectu beneplaciti Apostolici, sinè quo in Archiepiscopis aderat defectus jurisdictionis cum ista Ecclesia ejusque Capitulo ratione amplissimæ exemptionis cum immediata subjectione Sedi Apostolicæ; Ad Immemorabilem verò per aliquos ex scribentibus pro Ecclesia S. Salvatoris deductam, respondetur illam ex continua lite & contradictionibus interruptam seu impeditam fuisse, ex qua causa cessavit etiam observantia, sine qua lapsus temporis nullius est operationis circà præsumptionem beneplaciti Apostolici vel in transactionibus, vel in compromisso requisiti.

Scribens autem pro Capitulo S. Salvatoris, præsuppositaetiam, antiqua, quàm actuali qualitate cathedratica & metropolitica in utraque Ecclesia jam firmata per præcedentes decisiones, quas juxtà receptum stylum in disputationibus super novo & diverso dubio impugnare non licet, sed præsupponere oportet; In Congressibus de super habitis dicebam, duas efformandas esse inspectiones, seu duos punctos assumi debere, Primò, posito quod Capitulum Pilarense dici posset etiam Capitulum Cathedralis circa concursum & participationem jurium cathedraticorum habitu, adhuc tamen rectè dari poterat quod exercitium uni & non alteri parti ejusdem Capituli ex præscriptione aliisque titulis competeret; Et secundum fortius quod neganda esset in dicto Capitulo S. Mariæ hujusmodi qualitas, quodque potius illud dicendum esset Collegium regulare diversum à Capitulo Cathedralis, quod respectu utriusque Ecclesiæ materialis seu unicæ formalis constituerctur solùm à Dignitatibus & Canonicis enunciatis in bulla sæcularizationis residentibus apud Ecclesiam S. Salvatoris, qui proindè dicendi etiam essent Canonici S. Mariæ consideratæ tanquam Cathedralis vel Metropolicæ. 3

Quatenus pertinet ad primam, de qua solùm in Rota actum fuit, dicebam quod licet vera sit dicta distinctio inter jura cathedralitati consecutiva, eique connaturalia, seu ab ea inseparabilia, & alia alicui Cathedrali accidentaliter competentia ut suprà, quodque de jure, posito jure cathedratico, dicta consecutiva etiam sine expressione venire dicantur ex deductis *apud Coccin. dec. 136. num. 3.* 4

Burat.

Buratt. dec. 125. *num.* 4. quia sub expresso venit totum id, quod sub eo de jure continetur; Nihilominùs id rectè procedit quoad jus habituale, quod utpotè individuum residet penes totum corpus constitutivum unius personæ intellectualis, & 5 successive penes singula membra ejusdem corporis constitutiva in solidum, Secùs autem quoad actum seu exercitium vel commoditatem, quod non implicat esse penès unos privativè ad alios de eodem corpore seu universitate, Ut frequens habemus in materia juris patronatus competentis alicui familiæ seu generi personarum, quia ipsum jus tanquàm individuum residet penes omnes de eo genere in solidum, & tamen quoad exercitium juris præsentandi, aliorumque jurium honorificorum, illud esse potest & solet penes aliquos tantùm putà penes seniorem, vel primogenitum &c. Idemque habemus in jure conferendi competente alicui Capitulo, cujus exercitium ex consuetudine vel alio titulo sit penes Canonicum hebdomadarium seu turnarium; Et in feudis dividuis juris Longobardorum competentibus omnibus agnatis, quorum tamen jurisdictio vel administratio sit penes unum tantum, vel econtrà in feudis individuis, quorum exercitium & commoditas potest esse dividua ex iis, quæ in hac materia habentur deducta *in Mutinen. feudorum de Rangonibus sub tit. de feudis disc.* 8. & non semel sub tit. de fidei commissis in materia majoratuum.

Et in terminis specialibus juris annexi Cathedralitati, ut est jurisdictio & administratio Ecclesiæ 6 sede vacante, ut exercitium hujusmodi juris esse possit penes primam Dignitatem, vel alium Capitularem tantùm, privativè ad alios, habetur *dec.* 194. *apud Post. de manut.*

Undè cùm in hac facti specie concurrerent quàplures sententiæ arbitramentales, necnon concordiæ, ac etiam longissima observantia pene sex sæculorum, circa exercitium omnium jurium cathedraticorum, & metropoliticorum penes istam partem Capituli S. Salvatoris privativè, absque eo quod altera pars S. Mariæ unquam in hujusmodi juribus se ingresserit, cum solùm ejus prætensio, super qua tandiu litigatum fuit percuteret præeminentias in concursibus; Idcircò posito etiam æquali jure Cathedratico & Capitulari, adhuc improbabile videbatur, ut illa pars, quæ per sex penè sæcula in hac possessione fuerat privativè ad alteram, ità de facto hujusmodi antiqua possessione privata remaneret, ex dicta juris regula seu compatibilitate ob distinctionem inter jus habituale & actuale, seu exercitium ut supra.

Et quoad prætensam invaliditatem laudorum 7 ac transactionum, dicebam istum esse punctum petitorii sub cujus prætexta antiquissimus possessor sex sæculorum spoliari non debebat, quoniam etiam in iis, in quibus ob juris resistentiam regulariter possessio non suffragatur non justificato titulo, adhuc illa operativa est, & manutentionem exigit quando est temporis valde considerabilis. *Capic. dec.* 209, *num.* 18. *Capic. Latr. consult.* 68. *num.* 23 *Rot. dec.* 534. *p.* 1. *diver. nu.* 2, *add. ad Gregor. dec.* 370. *& ad Burat. dec.* 131. *nu.* 9.

Verum neque in petitorio hujusmodi defectus aliquam subsistentiam habere videbatur. Tum ex iis, quæ circà compromissa seu sententias arbitramentales *disc. præced.* habentur deducta, Tum etiam quia licet vera sit propositio quod dispositio *extravag. ambitiosæ* locum sibi vendicat etiam inter duas Ecclesias, licet ageretur de jurisdictionibus ac juribus incorporalibus & per viam transactionis ex deductis *in Acernen. Vicarii coram Otthobono inter suas dec.* 220. *& in eadem* 1. *Junii* 1652. *coram Bichio* & habetur actum in ead. causa *Acernen. sub tit. de Jurisdictione disc.* 24. cum similibus; Nihilominus id rectè procedit, quandò agitur inter duas Ecclesias diversas, & diversa Capitula, atque de tollendo ipsum jus uni, illudque transferendo in alterum; Secùs autem ubi ipso jure penes eamdem Ecclesiam formalem, idemque Capisulum residente, agitur de solo exercitio inter ejusdem Ecclesiæ ministros, seu ejusdem corporis membra, tamquam per speciem cujusdam divisionis, Quia tunc non intrant termini prohibitæ alienationis, & successivè non requiruntur solemnitates requisitæ per sacros canones, præsertim per dictam *extravag. ambitiosæ*, que neque de tempore aliquorum compromissorum vel transactionum prodierat, *ad text. in cap.* 1. *& finali de pactis in sexto Seraph. dec.* 36. *&* 161. *nu.* 2. *Rot. dec.* 218. *nu.* 3. *cum sequen. par.* 7. *rec. dec.* 402. *nu.* 1, *par.* 5. *dec.* 160. *par.* 11. & in aliis.

Quoverò ad alteram inspectionem, quod scilicet posito etiam jure Cathedratico seu metropolitico penes dictam Ecclesiam S. Mariæ æque principaliter concurrentem, juxtà sensum decisionum, ad efformandam ipsam Cathedralem seu Metropolitanam, Adhuc tamen Prior & Canonici Regulares apud eam existentes non concurrerent ad efformandum Capitulum, quod solum resideret penes Dignitates & Canonicos Sæculares enunciatos in Bulla sæcularizationis, ita ut istud aliud Capitulum S. Mariæ esset Collegium Regulare existens in ipsa Ecclesia Cathedrali sæculari, ut quid diversum à Capitulo Cathedralis.

In congressibus desuper habitis, aliis hujus partis defensoribus visum fuit istud motivum continere nimis subtile ratiocinium, non de facili recipiendum, quodque solùm insistendum esset in jam dicto primo motivo, unde propterera acquiescendo, ut par erat, voto majoris parsis, motivum negectum fuit; Verum nisi proprii partus affectio deciperet, illud mihi videbatur considerabile, quodque, ut nostri dicere solent, poneret gladium ad radicem, quoniam ità admissis etiam omnibus resolutionibus quoad ipsius Ecclesiæ honorificentiam & præeminentias in genere, cessabant effectus, dum nil intererat, vel interest Capitulo sæculari S. Salvatoris, ipsum dici, ac esse Capitulum etiam Ecclesiæ S. Mariæ, quodque ista sit quoque Cathedralis, quoties dictum alterum Capitulum Regulare non esset Capitulum Catredralis, sed Collegium Regulare diversum,

Dicebam igitur, retento themate earundem decisionum, præsertim priorum 21. *Junii* 1655. *&* 6. *Martii* 1656. *coram Bichio*, quod illi Canonici, qui existebant de tempore recuperatæ libertatis residentes cum Episcopo apud Ecclesiam S. Mariæ & constituentes Capitulum Cathedralis, non fuerunt suppressi, ideoque mutata solum localitate materiali, illud Capitulum sæculare, quod ab ipsa Civitatis conversione ad fidem aderat, quodque à dicto anno 1118. usque ad annum 1141. in quo istud Collegium regulare erectum fuit, in rerum natura extitit, esset illud idem quod prius aderat; Et Consequenter, dictum Collegium noviter erectum, cujus caput fuit unus ex dictis Canonicis antiqui Capituli, fuit corpus omninò diversum, quoniam impossibile est dicere, ut corpus jam creatum, & ab antiquo existens, possit denuò ex integro

tegro tanquàm ex nihilo creari, cum solùm in hujusmodi corporibus politicis jam extantibus detur aliqua extentio vel diminutio circà numerum majorem vel minorem canonicatuum, qui erigantur vel supprimantur, semper tamen est unum & idem corpus.

Multomagis accedentibus tot aliis circumstantiis, & demonstrationibus, Primò nempe stante diversa natura, quod unum erat sæculare, alterum Regulare, quod implicat ut *in disc. præcedenti.*

Secundo ob omnimodam exemptionem & independentiam ab Episcopo, quod istud novum corpus Regulare in ipsa sui creatione obtinuit, ut etiam *dicto disc. præced.*

Tertiò fortiter, quia ut dictum est, Bulla sæcularizationis loquens de Ecclesia formali, & successivè de ejus Capitulo etiam formali & in genere, individuat numerum, qualitatem, futuram collationem, aliasque minutas circumstantias omnium Dignitatum & Canonicorum, quæ omnia adamussim correspondent huic Capitulo S. Salvatoris, nil verò congruit dicto alteri Capitulo seu Collegio; Et demum magni facienda venit observantia à dicto anno 1141. usque ad præsens, quod nunquam istud Collegium aliquem gessit actum Capitularem cum Episcopo, vel sine, Neque econverso Episcopus aliquid gessit, ob quod ipse tanquàm caput istos agnosceret in membra, hujus corporis constitutiva, ideoque pro meo judicio ista veritas videbatur palpari manibus.

Neque novum vel incongruum est, quod in Ecclesia Cathedrali adesset Collegium inferius ac distinctum à Capitulo, quinimò diversæ naturæ, eodem modo, quo non implicat in Ecclesia sæculari adesse aliqua beneficia regularia, vel econversò in regulari adesse sæcularia, juxtà ea, quæ de Conventu seu Collegio Regularium existente in Ecclesia sæculari habentur in *Romana jurisdictionis seu Tituli Cardinalitii sub tit. de jurisdictione disc.* 34. Undè videmus quod in Metropolitana Ecclesia Neapolitana adest Collegium Hebdomadariorum erectum pro Ecclesia S. Restitutæ ibidem
10 existente constituens Capitulum seu corpus distinctum à Capitulo Cathedralis, cujus caput *Cimiliarca* nuncupatus, reputatur prima dignitas in Collegiata, ut *dec. 99. par. 10. rec.* Et in Ecclesia S. Mariæ Majoris Urbis, ultrà Capitulum, adsunt duo Collegia distincta cum diversis capitibus in cappellis *Sixti & Pauli V.* ex iis quæ habentur *in Romana Cappella seu præeminentiarum sub tit. de jurisdictione disc.* 35. cum similibus.

Atque altius rem assumendo, ultrà illam Ecclesiam universalem totius Orbis, cujus Episcopus est
11 Papa tanquam Christi Vicarius & Episcopus Episcoporum, Ecclesia Cathedralis Urbis, cujus est particularis Episcopus idem Papa; ità reduplicativè consideratus ex deductis *in Urbinaten. Juris Metropolitici hoc eodem tit. disc.* 1. & alibi frequenter, juxtà unam opinionem est Basilica Lateranensis, & juxtà alteram constituitur ab omnibus Basilicis Patriarchalibus ita simul concurrentibus ad unam Ecclesiam formalem constituendam; Capitulum verò Papæ est Collegium Cardinalium, quod originaliter & in Ecclesia primitiva constituebat Clerum seu Capitulum Romanum, deindè verò per eumdem Papam ut Papam, ob Ecclesiæ dilatationè & negotiorum multiplicitatem, admissum etiam fuit ad aliquam participationem administrationis Ecclesiæ universalis ex deductis per *Lotter. de Benef. lib. 1. qu. 8. cum aliis in dicta Romana jurisdictionis, seu tituli Cardinalitii, sub tit. de jurisdictione disc.* 34. & in disceptationibus Cardinalis de Albicis de quibus infrà in calce. Et tamen, tam in dicta Ecclesia Lateranen. quam in aliis Basilicis adsunt Capitula habentia in caput seu primam dignitatem unum ex Cardinalibus, Qua Capitula dici non possunt cõstituere Capitulum Cathedralis Urbis utpote constitutum à Collegio Cardinalium, sed pernecesse dicendum est quod sunt Collegia inferiora, quorum aliqua sunt sæcularia, alia verò regularia, ut est in Basilica sancti Pauli existentia in Ecclesia Cathedrali, sed omninò diversa ab ipsius Cathedralis Capitulo, & hic mihi videbatur casus præcisus.

Demum quoad punctum divisionis inter hæc duo Capitula, posito etiam eorum æquali jure cathedratico & metropolitico, de quo puncto solùm 12
actum fuit in Congregatione particulari ut suprà, Duo proponebantur modi, unus ex parte Pilarensium, qui juxtà hujus causæ fatum in reliquis, admissus etiam fuit, æqualis scilicet alternationis inter hujusmodi Ecclesias & Capitula in omnibus functionibus cathedraticis, & metropoliticis, ut ità tolleretur in futurum occasio discordiarum; Alterum verò ego proponebam ex parte Ecclesiæ S. Salvatoris. ut suppressis Canonicatibus regularibus, istud Collegium quoque sæcularizaretur, eodem modo quo *Clemens VIII.* fecit de dicto altero Capitulo, itaut, tàm materialiter quàm formaliter, verè & de facto esset unum & idem Capitulum, ita in solo numero accretum; Atque nè in futurum orirentur controversiæ, seu continuarent antiquæ æmulationes inter eos, qui essent de una vel de altera Ecclesia, eodem modo quo in primitiva Ecclesia ortæ fuerunt inter Christianos dicentes, *ego sum Pauli, ego sum Petri, ego sum Apollo, ego Christi & sic divisus est Christus &c.* Quod scilicet omninò tolleretur hæc distinctio, sed omnes Canonici æqualiter constituentes Capitulum utriusque Ecclesiæ, utrique pariformiter & indistinctè servirent per turnum seu hebdomadas, itaut nullus dici posset Canonicus unius magis quàm alterius Ecclesiæ.

Ex his autem duobus modis, mihi longè melior videatur iste secundus, Tum quia esset eradicativus omnium hujusmodi æmulationum, quæ ita in futurum continuabunt pejores; Tum quia nullum continet justitiæ, vel convenientiæ detrimentum, ut primus continere videtur, quinimò hujus Ecclesiæ S. Mariæ longè majorem honorificentiam, & decorem, ac majorem cultum contineret, quia loco habendi unum Priorem, & tres, vel quatuor Canonicos Regulares, exiguum conventum constituentes ita ejus servitio addictos haberet omnes dignitates, & Canonicos adeò numerosos & qualificatos.

Et conversò autem hujusmodi divisio collegiativa, seu in stirpes per turnum, mihi injusta, & incongrua videbatur, ita enim datur, quod ille frater quem incertum est an sit talis, & qui ex quadam juris subtilitate talis declaratus est, nunquàm possidens paternam hæreditatem, ità constitueret corpus æquale alteri constituto ex pluribus fratribus, indubitatam habentibus filiationem, ac paternam hæreditatem per longissima tempora pacificè, ac privativè possidentibus, qualis propriè videbatur casus. Et sic inæqualitas est manifesta contra naturam divisionis, cui connaturalis est æqualitas, ita ut si inæqualis detegatur rescissionem

pati

13 pati debeat ex deductis, *dec. 600. par. 5. recen.* & in terminis spiritualibus habetur *in Nevarien. divisionis Parochialium sub tit. de Parochis*,

Prout contrà omnem decorem, & convenientiam videtur, ut illæ cathedraticæ, & metropoliticæ functiones primariæ, quæ spatio sex sæculorum in adeò sumptuoso, & magnifico Templo fieri consueverunt per Archiepiscopum, cum adeò numeroso, & qualificato Capitulo, ità fierent in adeò magis angusta, & depressa Ecclesia, & cum sola assistentia modici numeri Regularium, Quodq; Sede vacante parvus Conventus Regularis, & acephalus non habens connexionem cum aliqua Religione in universum, regere, & administrare deberet tàm diœcesim, quàm provinciam, cum plerisque aliis inconvenientibus deductis iu quodam discursu desuper materna lingua, seu Italico idiomate edito.

Aliqui de Congregatione in hujusmodi ratiociniis non immorantes, juxtà consuetum modernum deplorabilem abusum, captivarunt intellectum cùm sola auctoritate speciali perscribentes in contrarium deducta *Vamesii cons.* 10. *lib.* 1. *consil. Canon*; ubi ità putat componendam esse consimilem controversiam inter quamdam Ecclesiam Collegiatam sæcularem, & Monasterium Regularium, attestando ita servari inter Ecclesiam Cathedralem Parisien; & Ecclesiam Canonicorum Regularium Sancta Genovesiæ.

Alii verò difficultatem habebant in sæcularizatione prædicta, ex eo fundamento, quod suppressio Regularium concedenda non est nisi, vel de ipsorum consensu, vel in pœnam ob relaxationem disciplinæ regularis, quorum neutrum in præsenti verificabatur.

Nullum verò ex his motivius mihi videbatur probabile, non quidem hoc secundum, cum dicta
14 conclusio procedat, quando ex hujusmodi suppressione præjudicium, vel injuria resultaret universæ Religioni, quæ se offerret malo occurrere cum restitutione disciplinæ, in quibus terminis loquuntur DD. de materia agentes, de quibus *apud Fagnan. in cap. inter quatuor de Religiosis domibus, & in cap. relatum, nè Clerici, vel Monachi*, & habetur actum *in Majoricen. sub tit. de Regularib*; Quæ ratio non erat ad rem adaptabilis, quoniam licet isti Canonici profiterentur Regulam S. Augustini, attamen cum ista Religione in universum non connectebant, non habentes Generalem, vel Provincialem, aliosque Visitatores, vel Superiores. undè dicebam ex hoc solum ad hujusmodi suppressionem deveniendum esse; Si enim Sedes Apostolica adeò sollicita fuit sub *Innocentio X.* supprimendi parvos Conventus quamvis cum universa Religione connectentes sub Generali, Provincialibus, aliisque Superioribus, & Visitatoribus, multò magis id faciendum erat de isto parvo Conventu acephalo.

Quo verò ad alterum fundamentum deductum ex auctoritate *Vamesii dicto cons.* 10. dicebam prorsus erroneum videri deferre auctoritati hujus Doctoris. utpotè pecuniæ, vel clientis oportunitati inservientis, atque sivè ex malitia, sivè ex imperitia ita respondentis, cum manifestis æquivocis, & erroribus facti, & juris.

Casus enim *Vamesii* est, quod cum in eodem loco adessent duæ Ecclesiæ Collegiatæ, una sæcularis, altera Regularis, atque Regularis ratione antiquitatis, vel privilegii præcederet sæcularem, sivè inter eas servaretur alternativa; Cum dicta Collegiata sæcularis effecta esset Cathedralis, subsistinet ipse, quod ob clausulam *sinè præjudicio*, in hujusmodi erectione contentam, & ob regulam *de jure tertio quæsito non tollen*; non dicatur per hujusmodi erectionem innovatus antiquus status, neque præjudicatum dicto Collegio Regulari.

Hoc autem est assumptum omninò falsum, ex iis quæ in hoc proposito habentur infrà *in Messanen. erectionis Collegiatæ hoc eodem tit. disc.* 9. ubi de conclusionibus ad rem facientibus, & sic manifestus est hujus Auctoris error in jure; Magisque manifestus est alter error in facto circa exemplum Cathedralis Parisien, & Ecclesiæ S. Genovesiæ, quoniam istud Monasterium Regulare, nullam nec quidem immaginabilem habet prætensionem Cathedralitatis, vel præcedentiæ cum Ecclesia Metropolitana ejusque Capitulo, sed quia in ea Ecclesia Regulari Canonicorum Lateranensium asservantur reliquiæ præfatæ Sanctæ Genovesiæ, illius Civitatis præcipuæ Patronæ, quas urgentibus necessitatibus, pro illius populi devotione ad implorandum divinum auxilium, consuetum est processionaliter deferri; Idcircò consuetudo induxit in hujusmodi processionibus, præcedente universo clero regulari, & sæculari juxtà ordinem cæremonialis etiam ipso Archiepiscopo, deferri, & associari ipsas reliquias à præfatis Canonicis Regularibus tanquam ministris, & custodibus, unde propterea apud ignarum vulgus videtur, quod isti præcedant etiam Capitulum Cathedralis, sed est æquivocum clarum, quoniam iste locus non occupatur jure præeminentiali, & ratione præcedentiæ, sed jure ministerii, & custodiæ reliquiarum, eodem modo, quo videmus in consimilibus processionibus, etiam per confraternitates sæcularium post universum clerum, ac etiam Episcopum deferri sacras imagines, vel reliquias, quoniam exindè inferri non potest ad præcedentiam, ideoque error istius consulentis remanet manifestus; Atq; exindè edocemur, quantum deferendum sit in judicando auctoritati hujusmodi Doctorum ad pecuniam, vel affectionem, & pro sola causarum oportunitate consulentium, non curando veritatem, contra quam, seu propriam opinionem sæpiùs responderi solet, quod cessante mendacio facti, & super iis, quæ consistunt in solo puncto juris, non videtur prohibitum, ut Curiæ, ac totius Orbis praxis docet, non indè tamen hæc responsa facere debent auctoritatem, atque hic est unus de magnis erroribus, & abusibus nostri sæculi.

BVRGEN. ERECTIONIS CATHEDRALIS AD PETITIONEM REGIS CATHOLICI. *PRO* ECCLESIA COLLEGIATA. OPPIDI S. ANDREÆ, seù SANTANDER.

Casus disputatus in S. Congregatione Concistoriali, ubi pendet.

De divisione alicujus territorii, vel Diœcesis ob ejus amplitudinem, & populorum in commoditatem, Ac de erectione no-

væ

væ Cathedralis, Et de causis, seu requisitis ad id necessariis, & quorum oppositio in proposito attendenda sit.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De requisitis necessariis pro erectione novæ Cathedralitatis cum dismembratione alterius Diœcesis.*
3 *De novis erectionibus, & divisionibus factis.*
4 *Dicitur ista materia arbitraria.*
5 *Quomodò hoc arbitrium sit regulandum.*
6 *Mos regionis satis attendendus.*
7 *De Episcopatibus provinciæ Baren.*
8 *Non habetur respectus, nè minuantur divitiæ, sed nè prima Ecclesia depauperetur.*
9 *De statu in quo remaneret Ecclesia antiqua.*
10 *De statu Ecclesiæ novæ.*
11 *Capitulum Cathedralis est interessatum in causa Ecclesiæ.*
12 *In gratiis de sui natura præjudicialibus, ut sunt erectiones, necessaria non est derogatio juris tertii.*
13 *An Capitulum sit citandum in alienatione bonorum Ecclesiæ.*
14 *In novis erectionibus Cathedralium satis attenditur persona, quæ illam petit.*
15 *Principis voluntas, seu consensus, an in hac materia attendatur.*
16 *Refertur casus, in quo nova erectio in Cathedralem justè denegata fuit.*

DISC. VI.

1 CUM ob magnam Diœcesis Burgen. amplitudinem, ac itineris asperitatem, quia termini tam in latitudine, quàm in longitudine sunt milliarium circiter 160. & quod magis, inter locum Cathedralis, ubi residet Archiepiscopus cum Tribunali, & aliquam remotam partem Diœcesis existen. ad oras Maris Oceani, asperrimi intermediant montes ac flumina, unde pro majori parte anni durissimum satisque periculosum est iter, compertum esset dictam remotam diœcesis partem ferè omninò Pastore destitutam esse, undè propterea tàm circa animarum curam, & Sacramentorum administrationem, quàm circa Ecclesiarum cultum, & Ecclesiasticam disciplinam, clericorumque vitam, & mores multa resultarent inconvenientia, eò magis considerabilia, quia in Oppido S. Andreæ aliàs S. Ander. notabilis adest portus maris Oceani, undè frequens est commercium Anglorum, Ollandensium, aliorumque hæreticorum occasione navigationis Indiarum; Hinc proinde Rex Catholicus, prævio plurium annorum maturo, & diligenti negotii examine in ejus consiliis, habitis etiam desuper pluribus relationibus ab Archiepiscopis pro tempore, aliisque gravibus Prælatis, & viris Ecclesiasticis, determinavit supplicare Sedem Apostolicam pro dictæ diœcesis divisione, cum erectione novæ Cathedralis in Ecclesia Collegiata dicti Oppidi S. Andreæ vulvò *Santander*, assignando pro diœcesi dictam remotam partem versus Oceanum à reliqua diœcesi per dictos asperos montes intersecatam, Remissoque negotio de more Sacræ Congregationi Consistoriali, cum se opponeret pro ejus interesse Capitulum ipsius Ecclesiæ Metropolitanæ Burgen; atque per ejus Agentes, & defensores controverterentur illæ facti circumstantiæ, quæ supponebantur incontrovertibiles, & notoriæ, idcircò per eamdem Congregationem commissæ fuerunt Nuntio Hispaniarum probationes, quibus factis, atque ad Curiam delatis, assumptaque disputatione super puncto, an constaret de requisitis, ac justis, & sufficientibus causis dictæ dismembrationis, ac erectionis respectivè.

Scribens tanquam ordinarius Advocatus Regis, sub cujus nomine causa tractabatur, tres constituebam inspectiones, Unam in puncto juris in genere super requisitis, ac justis causis, ex quibus Sedes Apostolica de congruo debet hujusmodi precibus annuere, Alteram facti & applicationis, an scilicet in casu, de quo agitur, concurrerent dicta requisita; Et tertiam super prætenso interesse Capituli oppositoris, an scilicet illud in proposito esset considerabile.

Quoad primam, juxtà dispositionem *Extravag. Salvator*, editæ occasione dismembrationis diœcesis Tolosanæ per *Joannem XXII.* in alias quatuor Cathedrales divisæ, & quæ est hujus materiæ norma, & magistra, Tria sunt requisita, ex quibus justa causa resultat; Primum ac præcipuum consistit in 2
amplitudine diœcesis, itaut (sunt verba præcisa extravagantis *(unus pastor singulorum vultus inspicere nequeat, aliasque partes boni pastoris implere, quod que durum sit, atque difficile per talem latam diffusam diœcesim ad unum tantùm à personis Ecclesiasticis, & mundanis recursum haberi.*

Alterum est, ut locus, in quo facienda est nova erectio, sit talis, quod decenter in eo Cathedra collocetur, itàut Episcopalis dignitas non vilescat tam in qualitate materiali loci, quàm in reddito, & provisione novi Episcopi, ac etiam in populo & diœcesi.

Et tertium, ut antiqua Ecclesia notabiliter præjudicata non remaneat, tam in reddito quàm in populo, itaut ejus dignitas nimiam non patiatur diminutionem, ut post *glos. Hostien. Zabarell. Ancaran.* & alios antiquiores *in cap. sicut unire de excessibus Prælatorum*, & alibi habetur apud *Rebuff. in praxi beneficial tit. de erectione Cathedralis nu. 2. cum sequen. Mandos. in tract de Signatura Gratiæ §. erectiones* benè & late de materia *Lotter. de Benef. lib. 1. quæst. 11. per tot. Solorzan. de jure Indiarum tom. 2. lib. 3. cap. 5. Modern. Frances in tract. de Ecclesia Cathedrali cap. 6. per totum.*

Quibus causis accedentibus, mos est Apostolicæ Sedis hujusmodi divisiones, ac respectivè novas erectiones facere, ut ex eadem *Extravaganti Salvator* constat factum esse per *Joannem XXII.* de diœcesi Tolosana, in quatuor alias Cathedrales divisa, Et per *Paulum V.* de diœcesi *Miclinien.* in Flandria, divisa in undecimum alios Episcopatus, Quod frequentius practicari vidimus in Italia, in novis erectionibus etiam moderno tempore sequutis, quando magis circumspectè in materia proceditur, novarum scilicet Cathedralium *Ripan.* sub *Pio V. Montis alti, S. Severini*, & *Tolentini* sub *Sixto V. Urbamen.* sub *Urbano VIII.* neglectis exemplis antiquioris temporis, quandò magis eadem Sedes in hac materia se facilem reddidit; Deducendo quoque in eadem Hispania exemplum pariter modernum, & sæculi currentis novæ erectionis Ecclesiæ *Vallisoletanæ* prævia dismembratione aliquorum locorum respectivè à Diœcesibus *Salamantin. Palentin. & Oxomen.* 3

Quo-

Quoverò ad secundam inspectionem facti seu applicationis, profitendo loqui, non more Advocati, sed cum sensu veritatis, dicebam desuper certam, ac uniformem regulam seu decisionem generalem tradi non posse, cum dicatur materia arbitraria, ut *ex glos. in cap. finali 80. distinct.* & aliis advertunt *Menoch. de arbitrar. casu 497. Frances d. tract. de Ecclesia Cathedrali cap. 6. nu. 2.* Hoc autem arbitrium non ubique pariformiter interponendum est, sed juxtà singulorum casuum particulares, ac individuas circumstantias, ex quibus, adinstar eorum, quæ *sub tit. de fideicommissis*; & alibi frequenter in arbitrariis habentur, sæpè contingit, aliquas causas in uno casu sufficere, in altero verò, easdem ac longè majores, esse omnino insufficientes.

Potissimum verò inspecta consuetudine regionis, & provinciæ; Sienim frequentius diœceses sunt nimis amplæ, itaut aliàs divisio seu diminutio, Episcopalis dignitatis existimationi præjudicare possit, tunc magis circumspectè procedendum est, secùs econverso, ut est in Italia, ubi præsertim in Regno Neapolitano, majori parti Episcoporum potius congruit titulus parochorum, seu plebanorum usum pontificalium habentium; Ideoque scribens pariter in eadem Congregatione, tanquam Regius Advocatus pro nova erectione Ecclesiæ Collegiatæ *Altamuræ Nullius Provinciæ Baren.* de Jurepatronatus Regio, cum tota diœcesis consistere deberet in ipso oppido, *Civitate* nuncupato, quod S. Congregationi incongruum videbatur, dicebam in hoc deferendum esse moribus regionis, seu provinciæ, in qua ultrà duos Archiepiscopatus *Baren.* & *Tranen.* satis exiguam diœcesim habentes, adsunt duodecim Episcopatus, nempè *Andrien, Bitetten. Biturtin. Conversan. Gravinen. Iuvenacen. Melphicten. Minervinen. Monopolitan. Polinianen. Ruben. & Vigilien.* ex quibus unus tantum nempè *Conversanen.* aliquam pariter exiguam diœcesim habet, reliqui verò nullam, sed omnes consistunt in ipsismet Civitatibus, quarum major pars, neque dimidiam, ac aliquæ neque tertiam, & respectivè quartam partem habent, tam in numero, quam in qualitate populi, quo istud Oppidum ditatum est, unde propterea figuram faceret unius ex primariis Episcopatibus in hac regione; In altera verò regione, in qua Episcopatus sunt ampli, absque dubio esset Episcopatus nimium exiguus, ac omninò incongruus, ideòque regula pendet à qualitate, & moribus provinciatum, seu regionum.

Admittebam igitur diversos esse mores Hispaniæ, ubi econversò diœceses frequentius sunt amplissimæ, atque Ecclesiæ Cathedrales ditissimæ, & consequenter Episcopi sunt in majori existimatione, Sed stante magna amplitudine hujus diœcesis, adhuc, cum sensu etiam veritatis, credebam ita utramque Ecclesiam remanere satis benè provisam, tam in populo quam in redditu, quoniam antiqua diœcesis, facta separatione hujus partis remotæ, à natura quodammodò per dictam montium intersecationem divisæ, adhuc remaneret in longitudine & latitudine respectivè milliarium 100. & ultrà, cum locis, seu parochiis 1305. & sic etiam esset de amplioribus diœcesibus, quæ sint in Orbe Catholico. & in ipsamet Hispania, itaut adhuc remanere major insigni, & celeberrima diœcesi *Toletana*, quæ minorem habet districtum seu territorii ambitum, solumque parochias 802. licet oppidum *Matriti*, ob residentiam Regis ejusque Curiæ, hujusmodi diœcesim satis qualificet, Undè in populo & territorio remaneret adhuc ampla & benè provisa, prout etiam in redditu, qui non obstante hujusmodi dismembratione supponitur scut. 30. m. ideoque aliqua diminutio summæ majoris, solum præjudicare videretur majori ditationi, per sacros canones non consideratæ, cum spectetur solum, nè sequatur depauperatio, ob quam proportionabiliter, & respectivè, attenta qualitate Ecclesiæ, & more regionis, dignitas non vilescat.

Atque propterea primum & tertium requisitum dictæ *extravagantis salvator*, absq; dubio verificabantur, Primum scilicet nimiæ amplitudinis diœcesis, ac asperi, & incommodi itineris, unde verificatur, quod pastor singulorum vultus respicere nequeat, atque durum & difficile sit ad eum recursum haberi, Et tertium congruæ provisionis, itaut si fieret proportionata peræquatio diœcesis *Tolosan.* per dictam *Extravagantem* divisæ in quatuor, ac etiam diœcesis *Miclinien.* cum magno fidei Catholicæ profectu divisæ in undecim, constaret hanc esse magis proportionatam divisionem.

Secundum requisitum qualitatis loci, in quo facienda est erectio, pariter satis benè verificari videbatur; Tum ob Ecclesiæ materialis nobilem & sumptuosam structuram; Tum ob ipsius Oppidi qualitatem, Civitati congruam, in numero Ecclesiarum, Monasteriorum, populo, redditibus, & amplitudine territorii, itaut in Italia esset Ecclesia de primariis, & Cardinalitiis, & in Hispania, si non esset primi ordinis, neque inferioris sed medii, cum in facto doceretur, quàm plures adesse Ecclesias Cathedrales, tam in redditu, quàm in amplitudine diœcesis, ac loco residentiæ, aliisque qualitatibus longè inferiores, quia diœcesis esset in longitudine, & latitudine milliarium circiter 60. cum locis seu parochiis 450. & redditu scutorum circiter 10. m.

Demum quoad tertiam inspectionem interesse Capituli oppositoris, dicebam illud dupliciter considerari posse, Primò generaliter pro juribus Ecclesiæ in universum, in cujus præeminentiis, ac jurisdictionibus, etiam Capitulum dicitur interessatum tanquam constitutivum unius corporis cum Episcopo, ad quem effectum citari debet, seu legitimam personam habet standi in judicio tanquam legitimus defensor, juxta decisionem *in Montisregalis jurisdictionis coram Penia inter suas decis. 1233. nu. 9. aliàs 118. num 4. par. 1. rec.* cum aliis *in Tirasonen. jurisdictionis*, & *in Conversana disc. 2. & 22. sub tit. de jurisdictione*; Et tunc istud dicitur interesse generale, ac remotum, quod in proposito, concurrentibus suis requisitis non attenditur, quoniam hujusmodi erectiones, reputantur in jure gratiæ perneccesse, & de sui natura præjudiciales, ideoque impossibile est dare erectionem novæ Cathedralis perneccesse supponentem dismembrationem partis territorii ab una vel pluribus adiacentibus Cathedralibus sinè istarum præjudicio, & consequenter receptam conclusionem habemus, quod in hujusmodi gratiis necessaria non est derogatio juris tertii, vel regulæ de jure quæsito &c. *Seraph. decis. 1445. num. 4. & 5. Buratt. decis. 193. in fine Adden. ad eum dec. 576. num. 13. & in Massanen. erectionis Collegiatæ hoc tit. disc. 9.*

Ac etiam quia, eum hoc interesse sit accessorium & remotum, receptum quoque habemus, quod etiam in alienationibus vel dismembrationibus bonorum Ecclesiæ faciendis in executionem beneplaciti

Placiti Apostolici, quamvis adesset clausula *vocatis*
13 *vocandis*, opus non est citare Capitulum. *Martin. Andre. dec. 54. nu. 17. Seraphin. decis. 338. nu. 3. dec. 260 num. 6. par. 4. rec. tom. 2. 590. nu. 10. p. 5. 222. n. 11. p. 7 & frequenter, glossa in cap. ad audientiam, secundo* verbo *indulgemus de Eccles. ædifican. Bal. in cap. cum olim de consuetud. num. 4.*

Alterum esse potest interesse proximum & particulare, seu verius bursale, quia nempe ita redditus præbendarum, vel distributionum diminuerentur ob diminutionem decimarum, aliorumque jurium ex lege diœcesana resultantium, de quibus Capitulum participaret, ut frequentissimum est in Hispania ex deductis in sua materia *sub tit. de Decimis* & super hoc intrant eadem proportionabiliter, quæ dicta sunt circa tertium requisitum, ut scilicet antiqua Ecclesia non remaneret notabiliter depauperata, ita ut ejus dignitas vilesceret, quod æquè respicit Episcopum ac Capitulum, cum ab utroque ipsa Ecclesia repræsentetur; Sed ut dictum est, non attenditur diminutio ditationis & superfluorum redditum, sed inspicitur, an sequatur depauperatio, cum aliàs, ut suprà, inpracticabiles essent hujusmodi novæ erectiones sine aliquo interesse, & præjudicio antiquæ Ecclesiæ, à qua fit dismembratio.

Satis quoque considerabilem in proposito dicebam eam circumstantiam personæ, hujusmodi no-
14 vam erectionem, ac respectivè divisionem petentis, quod scilicet non essent ipsi Oppidani, qui id peterent ex causa æmulationis, vel ambitionis, & ad effugiendam subjectionem alteri Ecclesiæ juxtà casum *Acernen.* de quo proximè infrà, sivè alterum, de quo suprà *in Sypotina disc. 2.* sed ad instantiam Regis aliud interesse non habentis, nisi illud salutis populorum; Si enim aliquorum sensus est Prin-
15 cipe se opponente ad hujusmodi dismembrationes, & respectivè erectiones procedendum non esset quasi quod in proposito ejus placito, & voluntati, deferendum sit, quod tamen minus verum esse latè probat *Lotter. d. quæst. 11. lib. 1. num. 58. cum sequen.* Multò magis per argumentum à contrario, ubi cum justis causis & juridicis requisitis, concurrit etiam voluntas Principis supplicantis, Attento præsertim stylo Sedis Apostolicæ, ita concedendi hujusmodi gratias, quæ sunt de majoribus, ut advertitur *in Urbinaten. juris metropolitici disc. 1. hoc tod. tit.*

Fortius quia Rex est patronus hujus Ecclesiæ *Burgen.* undè verisimiliter ejus antiquam dignitatem minui non pateretur; Et magis, quia vel pro dotanda nova Ecclesia, vel pro aliqua recompensa præstanda antiquæ, offert præstare consensum subjectivæ unioni aliquarum Abbatiarum, seu Beneficiorumde ejus jurepatronatus, ac etiam in perpetuum abstinere à gravando pensionibus, seu verius à supplicando Papæ, ne istam Ecclesiam gravet in summa scut 5. m. minus quàm esset solitum, Unde propterea ista facti serie retenta, cum sensu etiam veritatis ita precibus annuendum videbatur; Verùm post hæc scripta negotium faciem omninò immutavit, Quoniam mortuo Rege Philippo IV. Burgenses curarunt obtinere à Regina Regente declarationem neutraliratis, Ac etiam Archiepiscopus, qui priùs assensum dederat, omninò dissentiri professus est, attestando Sac. Congregationi omnia dicta facti præsupposita nullam habere subsistentiam; Talia enim sunt causarum fata, in quibus opportunitates satis prosunt, & nocent, adhuc tamen negotium pendet, Ista verò facti, & circumstantiarum diversificatio impedit, ne judicium de super pro veritate efformari valeat, cum sit punctus facti, & non juris.

Econversò in una *Acernen.* Cum in Sacra Congregatione Episcoporum, inter Episcopum, & Capitulum Cathedralis, litigatum esset super necessaria residentia in ipsa Cathedrali; Ac etiam inter idem Capitulum & Clerum Oppidi Montis Corvini illius partis, quæ est de hac diœcesi super jurisdictione, ac deputatione Vicarii sede vacante, post terminatam utramque controversiam, tam in dicta Congregatione Episcoporum, quàm in Rota ex deductis *sub tit. de jurisdictione disc. 24.* Episcopus, clerus, & populus prædicti, ex motivo tenuitatis redditum Episcopatus, & respectivè oblati augmenti dotis à dicto clero, & populo, ac etiam ex altero incongruitatis residentiæ apud Cathedralem, supplicarunt *Innocentio X.* pro erectione Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri dicti Oppidi in Cathedralem unico contextu æquè principaliter uniendam cum eadem *Acernen.* juxta id quod gestum esse per *Bonifacium IX.* habetur *in dicta Sypontina disc. 2.* sed remisso negotio, præter tamen stylum, consultationi Sacr. Congregationis Concilii, cùm hæc negotia pertineant ad hanc Congregationem Consistorialem, & assumpta desuper formali disputatione, satis facile fuit reportare negativam resolutionem, ob exiguitatem hujus diœcesis, & incongruitatem loci, in quo novæ Cathedræ erectio petebatur, dum cessabant omnia requisita *dicta Extravag. Salvator.*

Dupliciter enim incongruitas concurrebat, Primò quia istud non est Oppidum insimul unitum, ac muris recinctum, juxtà generalem & consuetam Civitatum, & Oppidorum naturam, & qualitatem, sed juxta illius provinciæ consuetudinem, idem Oppidum intellectualiter constituitur ab Universitate 14. pagorum, seu villarum, quæ per territorium sparsæ sunt, unde oporteret erigere Cathedralem in uno pago, seu villa, ubi est Ecclesia Collegiata, quod utique omninò incongruum est; Et secundò fortius, quia ex hujusmodi 14. pagis, seu villis, quæ vulgò ibi casalia nuncupantur, Universitatem hujus Oppidi constituentibus, quædam pars, licet major, & notabilior, pertinet ad hanc diœcesim *Acernen.* altera verò pars adiacens diœcesi *Salernitanæ* ad istam pertinet per quandam speciem divisionis hujus territorii, Unde propterea omninò incongruum dicebam, ut unum & idem corpus esset diversæ naturæ, quodque in parte esset Civitas & caput, in parte verò esset Oppidum, & membrum; Et quamvis hujusmodi Constitutio unius corporis, seu Universitatis ex omnibus dictis pagis diversarum diœcesum respiceret solùm temporalia, receptaque conclusio sit, quod à finibus spiritualibus non infertur ad temporales vel econtrà, ut *sub tit. de jurisdictione in Toletana disc. 1.* & in aliis frequenter, attamen videbatur nimia incongruentia, cùm de facto reputetur unum Oppidum, & unum territorium.

***
**
*

AMPVRIEN. ET CIVITATEN.

UNIONIS CATHEDRALIUM

PRO

CLERO ET DIOECESI CIVITATEN.

CUM

CAPITULO AMPURIEN.

Discursus pro directione in congressu.

De unione duarum Cathedralium, seu Episcopatuum, quando dicatur æquè principaliter, ita ut utraque retineat ejus præeminentias, & jurisdictiones, vel potius una dicatur alteri unita accessoriè, & subjectivè; Et quatenus ab initio sit æquè principaliter, an tractu temporis per observantiam effici valeat subjectiva. Et de effectibus ex una vel altera specie unionis resultantibus, præsertim, An clerus unius diœcesis evocari possit ad Synodum, quæ in altera per Episcopum celebratur; Et Sede vacante, quatenus unius Capitulum actualiter dissolutum sit, & non extet, An deputatio Vicarii aliorumque officialium spectet ad Capitulum alterius, vel potius ad Metropolitanum, Et de aliis effectibus ex una vel altera specie unionis resultantibus.

SVMMARIVM.

1 *Acti series.*
2 *Decisiones, quod clerici unius diœcesis tenentur accedere ad synodum celebrandam in altera diœcesi unita.*
3 *Decisiones decernentes Capitulo jus deputandi Vicarium Sede vacante, etiam in altera diœcesi unita.*
4 *Quod Capitulum Cathedralis possit prohibere alicui Collegio, ne Capituli nomen assumat.*
5 *An & quando Capitulo Cathedralis vel ejus Canonicis competat præcedentia in Ecclesia Collegiata vel Parochiali suprà ipsius Ecclesiæ Collegium vel Rectorem.*
6 *Quando duæ Ecclesiæ Cathedrales uniuntur æquè principaliter, tunc retinent suas præeminentias, & jura omninò distincta.*
7 *Decisiones Rotæ sunt præsupponendæ, & non revocantur incidenter.*
8 *De punctis, seu inspectionibus controversiæ.*
9 *Quando dicatur constare, quod unio sit æquè principaliter.*
10 *Unio in dubio præsumitur potius æquè principaliter, præsertim in Cathedralibus, & de ratione.*
11 *Quando unio est subjectiva, Ecclesia unita extinguitur, & fit prædium alterius.*
12 *Quando est æquè principaliter, facilius probatur, secus econtra.*
13. *Decisiones Rotæ non attenduntur in iis, quæ dicuntur incidenter.*
14 *Per deficientiam actualem Canonicorum non cessat qualitas cathedratica vel collegiativa.*
15 *De Ecclesiis Cathedralibus, vel earum Civitatibus, quæ actu non extant.*
16 *Non incongruit beneficia unius diœcesis uniri illis alterius.*
17 *Ad solum Papam pertinet territoria dividere & unire, & Ecclesias Cathedrales erigere, vel supprimere, & quomodo fiat.*
18 *Observantiæ Cancellariæ vel Concistorii in hoc satis deferendum.*
19 *Confessio quando non attendatur.*
20 *Sæpè utraque Ecclesia unita sub uni tantum nomine enunciari solet.*
21 *Episcopus duarum diœcesum potest in una Tribunal erigere, & subditos alterius diœcesis ad se advocare, ac etiam ad synodum convocare.*
22 *Concursus ad Prochiales unius Diœcesis coram examinatoribus synodalibus alterius diœcesis unitæ non valet.*
23 *Quando duo diœceses sunt æquè principaliter unitæ sede vacante, quodlibet Capitulum deputat suum Vicarium.*
24 *Quid ubi in una diœcesi de facto non adest Capitulum actuale Cathedralis.*
25 *Capitulo negligente infrà octo dies deputare Vicarium, transfertur potestas ad Metropolitanum, vel Episcopum antiquiorem.*
26 *De eodem casu de quo num. 24.*
27 *An in hac materia operetur observantia, vel detur præscriptio favore Capituli alterius diœcesis.*
28 *Ob decretum irritans contentum in confirmatione Concilii Tridentini non datur contrà ejus dispositionem præscriptio vel consuetudo.*
29 *Negligentia prædecessorum non præjudicat successori venienti jure suo.*
30 *De aliis inspectionibus remissivè.*

DISCURSUS VII.

AD preces Catholici Regis *Ferdinandi de Aragonia, Iulius II.* ex causa tenuitatis redditum, Ecclesias Cathedrales *Ampurien. & Civitaten.* insimul adiacentes, quarum singulæ tunc proprium Episcopum habebant, insimul univit, sub ea lege, ut uno dictorum Episcoporum prius cedente vel decedente, superstes utriusque Episcopus remaneret, atque ita in futurum utraque Ecclesia sub unius Episcopi regimine continuare deberet, absque jurium utriusque Ecclesiæ læsione, quodque titulum seu primam nuncupationem in actibus accipere deberet ab illa Ecclesia, in qua respectivè eum residere contingeret, & sic ubi in *Ampurien.* diceretur *Ampurien. & Civitaten.* & econversò ubi *in Civitaten.* diceretur *Civitaten. & Ampurien.* Cum autem, dicta unione effectum sortitâ, tractu temporis casus dederit, ipsam Civitatem, ubi sita est Cathedralis *Civitaten.* vel dirutam, vel 1

vel nimium deterioratam esse, nimiumque diminutos esse redditus illorum canonicatuum, Hinc sequutum est, quod illi desierint provideri ob carentiam impetrantium, unde propterea resultavit, quod quamvis ipsa antiqua Ecclesia Cathedralis materialis adsit, Capitulum tamen actuale à longo tempore defecit, atque Capitulum alterius Ecclesiæ *Ampurien.* etiam in ista diœcesi, perinde ac si effecta esset unica cum propria, sede vacante & plena, ejus præeminentias & jurisdictiones Capitulo Cathedralis de jure vel ex Sac. Conc. Trid. competentes exercere consueverit, Nec non pleraque beneficia, ac etiam dignitates dictæ Ecclesiæ & diœcesis *Civitaten.* aliquibus dignitatibus vel canonicatibus præfatæ *Ampurien.* Apostolica vel respectivè ordinaria auctoritate in tempora unita fuere; Cumque Ecclesia major oppidi, nuncupati *del tempio*, quod ex populo dictæ antiquæ Civitatis vel constructum vel adauctum ferrur, moderno tempore sub *Gregorio XV.* Apostolica auctoritate sub narrativa, quod esset de diœcesi Ampurien. erecta esset in Collegiatam, tractu temporis istud Collegium prætendens subrogatum esse loco antiqui Capituli *Civitaten.* ac non esse de diœcesi *Ampurien.* nullamque subjectionem illi Capitulo debere, renuere cœpit accedere ad Synodum ab Episcopo in ecclesia *Ampurien.* celebrandam, quod dedit causam liti introductæ *in Rota coram Meltio*, atque Episcopo intentante in-
2 terdictum possessorium retinendæ, pro eo responsum fuit *sub diebus 22. Junii 1642. 29. Maii 1643. & 13. Februarii 1645.* quarum duæ priores decisiones sunt impressæ *par. 9. rec. decis 103. & 191.*; Deindè alia exorta est lis super Archipresbyteratu prima dignitate ejusdem Ecclesiæ inter *Civitaten.* impetrantem, ac idem Capitulum *Ampurien.* cui unitum fuit; Et introducta pariter causa in Rota coram *Cerro*, duæ prodierunt resolutiones impetranti favorabiles *sub diebus 24. Martii, & 3. Julii 1645.* quæ sunt impressæ *post Dianam resol. Moral. par. 8.* In secunda verò instantia *coram Bichio* diversimodè ad favorem Capituli decisum fuit sub diebus 14. *Decembris 1646. & 26. Novembris 1649.* quarum decisionum prima est *impressa 433. par. 9.* & altera 354. *par. 10. rec.*

Sequuta vero vacatione Sedis per obitum vel translationem Episcopi Capitulum dictæ Collegiatæ renuit obdire Vicario deputato per Capitulum *Ampurien.* sed ad formam *Sac. Concil. Trid. Sess 24. de reformat. cap. 16.* proprium Vicarium pro diœcesi *Civitaten.* deputavit, Unde introducta etiam causa *in Rota coram eodem Meltio*, pariter in possessorio re-
3 tinendæ, & successivè super declaratoria ob non paritionem, quinque prodierunt decisiones Capitulo Ampurien. favorabiles sub diebus 19. *Januarii 1646.* 22. *Junii 1648.* 20. *Octobris 1649.* 13. *Januarii & 13. Maii 1651.* quarum prima est impressa post *Dianam dicta par. 8.* duæ sequentes sunt in *parte 10. recent. dec. 227. & 347.* duæ posteriores *in par. 11. dec. 105. & 376.* Atque initio hujus introductionis litis in Rota, post editam primam resolutionem ad favorem
4 Capituli *Ampurien.* ab isto coram eodem *Meltio* introducta fuit alia causa super jure prohibendi dicto Collegio, ne nuncupationem, seu nomen Capituli Civitaten. assumeret vel uteretur, atque sub intitulatione *Ampurien. & Civitaten. denominationis Canonicum sub die 20. Aprilis 1646.* resolutio pariter Capitulo Ampurien. favorabilis prodiit, super dicta prohibitione, quæ decisio hucusque non habetur in voluminibus impressa; Omnes tamen decisiones prædictæ pro majori parte prodierunt ipso Capitulo Ampurien. tantùm informante, quoniam dictum Collegium, vel ob paupertatem, vel ex alio accidenti, solitum est, adinstar solis de mense Martii, multa excitare & promovere, sed non prosequi, neque oportunè resolutiones obtinere.

Provisa deinde Ecclesia de novo Episcopo, circà annum *1658.* alia exorta est controversia præ- 5
cedentiæ inter dictum Collegium & Canonicos Capituli Ampurien. qui Episcopum in visitatione ad præscriptum Sac. Conc. Trid. associantur, Et introducta etiam super hoc causa *in Rota coram eodem Meltio*, sub intitulatione causæ *Ampurien. & Civitaten. præcedentia* sub die 28 *Novembris 1659.* prodiit resolutio favorabilis etiam Capitulo Ampurien. super ejus canonicorum præcedentia suprà dictum Collegium etiam in propria Ecclesia; sed reproposità causâ, *sub die 19. Aprilis 1660.* dicta resolutio moderata seu declarata fuit, quod scilicet dicta præcedentia debita esset Capitulo Cathedralis, quandò collegialiter & in figura Capituli in ista Ecclesia Collegiata interveniret, secus autem respectu Canonicorum singularium ex iis, quæ in dicta causa habentur tractata infra hoc *eodem tit.*

Me autem in ista sola causa præcedentiæ scribente pro dicto Collegio de Templo, quod perpetuam succumbentiam passum fuerat, in disputationibus desuper habitis, non solùm insistebam in dicta distinctione, quam secundo loco Rota agnovit & probavit, inter casum, in quo interveniat Capitulum Cathedralis collegialiter, ac alterum interventus aliquorum Canonicorum singularium, sed negabam quoque applicationem primæ partis distinctionis ad factum, ex eo quod cum istæ essent duæ Cathedrales & diœceses æquè principaliter unitæ, cujus unionis species operatur, ut excepta persona Episcopi, qui est utriusque unicus sponsus & Prælatus, in reliquis omnibus absque dubio quælibet retineret suum primævum statum, suaque jura, absque eo quod una misceatur cumaltera, perindè ac si essent verè & realiter distinctæ, ex deductis *per Mandos. cons. 27.* quod reputatur in materia magistrale, ubi agitur de Ecclesiis *Brunduſin. &* 6
Uritan. tunc insimul unitis, *Gratian. discept. 895.* ubi de Ecclesiis *Sulmonen. & Valven. Cavaler. dec. 330.* ubi de Ecclesiis *Viterbien. & Tuscanen.* in *Frequentina nullitatis concursus 13. Junii 1635. Coccino*, ubi de Ecclesiis *Avellin. & Frequentin.* & passim, quia est principium absolutum non negatum *in Marianen. & Accien. coram Rojas inter suas dec. 373. & 423. & in eadem coram Corrado & Bichio dec. 108. & 221. par. 11. rec.*

Undè propterea dicebam, quod ubi etiam ipsum Capitulum *Ampurien.* collegialiter, seu capitulariter in ista Ecclesia Collegiata, vel in aliis hujus diœcesis *Civitaten.* Ecclesiis interveniret, dictam præcedentiam, aliasque præeminentias capitulares prætendere non posset, quia in ista diœcesi tanquam omninò diversa, nullam gerit personam, val facit figuram Capituli, sed censeri debet jure meri privati; Verùm in prædictis decisionibus, occasione præsertim deputationis Vicarii sede vacante, magis verò in illis Archipresbyteratus supponitur seu enunciatur istam Ecclesiam *Civitaten.* subjectivè unitam esse alteri *Ampurien.* ejusque partem & membrum factam esse, Atque inconcussus Rotæ 7
stylus est præsupponendi decisiones super aliis dubiis editas, in disputatione, quæ habeatur super dubio diverso, & non revocandi incidenter decisiones, sed cum particulari disputatione, an sit

ſtandum vel recedendum à deciſis; Idcircò dicto præſuppoſito retento iſtud motivum quamvis verum & ſolidum, ex dicta ratione rejectum fuit, ut patet ex deciſionibus editis in dicta cauſa præcedentiæ; Unde propterea ego conſului agentibus pro dicto Capitulo Collegiatæ, ac reliquo clero ſibi adhærenti, quod hunc punctum principalem aſſumerent, prout ſequutum fuit coram *Otalora*, firmato dubio, *An & cujus ſpeciei ſeu qualitatis eſſet hæc unio*, cujus diſputatio proſequi non potuit, ſed pendet, ob interim ſequutam Sedis Epiſcopalis vacationem, qua durante, ſuperſedendum eſt *ex Capit. 1. & 2. ne ſede vacante in 6.* Redarguendo imprudentiam defenſorum hujus Collegii & Cleri, quod inutiliter terendo tempus & impenſas ſuper tot incidentibus, non aſſumpſiſſent ab initio hoc dubium, quod apud cauſidicos vulgò dicitur *mortale*, cum ab eo de conſequenti pendeant reliqua.

8 In congreſſu igitur deſuper habito pro directione, ac etiam in diſcurſu à me edito occaſione vacationis ſedis pro inſtructione etiam Metropolitani, ut hinc Civitatenſi, Clero aſſiſtentiam præſtaret, pro ejus jure deputandi Vicarium ſede vacante, ſtante actuali deficientia Capituli Cathedralis, Reaſſumendo totam cauſam omneſque controverſiarum punctos, Quinque conſtituebam inſpectiones; Unam ſuper ipſo principali unionis, an ſcilicet illa fuiſſet æquè principaliter, eamdemque qualitatem de præſenti retineret necnè; Alteram ſuper acceſſu ad Synodum in altera Eccleſia, vel diœceſi celebrandam; Tertiam ſuper regimine, & juriſdictione ſede vacante; Quartam ſuper unione beneficii unius diœceſis beneficiis alterius; Et quintam ſuper præcedentia Capituli Ampurien. in Eccleſiis hujus alterius diœceſis.

Quatenus igitur pertinet ad primam, cum ſolo ſenſu veritatis, cum quo ſincerè, ac liberè in hujuſmodi congreſſibus alloquendum eſt, Dicebam nimium clarum videri, quod hujuſmodi unio eſſet æquè principaliter juxta primam ſpeciem, nullatenus autem dici poſſet ſubjectiva juxta ſecundam, abſque neceſſitate id expetendi ex juris regulis, & præſumptionibus, dum litteræ Apoſtolicæ *Julii*
9 *Secundi* expreſsè, & in verbis præſervant jura utriuſque, ac diſponunt, quod Epiſcopus pro tempore, utriuſque Eccleſiæ nuncupationem adhibere debeat, cum omnimoda æqualitate, deſumendo præcedentiam à loco reſidentiæ, undè propterea caſus videtur incapax quæſtionis, ac de plano intrat vulgaris regula textus in *Ille aut ille*, *ff. de legatis* 3. quod in claris, & litteralibus non intrant interpretationes, præſumptiones, & argumenta. Et nihilominus ubi etiam ad juris præſumptionem recurrendum eſſet, adhuc illa juxtà receptiſſimam propoſitionem, non conſtito clarè de unione ſubjectiva, aſſiſtit dictæ primæ ſpeciei unionis
10 æquè principalis ex deductis per *Mandoſ d. conſ.* 27. *Gratian. d. diſcep.* 893. *Cavaler. dec.* 303. *in d. Frequentina nullitatis concurſus* 13. *Junii* 1635. *Coccino*, & paſſim. Quod ſi procedit generaliter in quibuſcumque unionibus inferiorum Eccleſiarum, ſive beneficiorum, clariùs, ac extrà omne dubium in Eccleſiis Cathedralibus, & Epiſcopatibus, ſtante ſtylo Sedis Apoſtolicæ hujuſmodi uniones in hac forma faciendi, nec de facili ſupprimendi cathedram, vel diœceſim, illamque faciendi membrum, ſeu prædium alterius Eccleſiæ, cui fiat unio,
11 ut ſequi dicitur in caſu unionis ſubjectivæ ex deductis *per Gonzal. ad reg.* 8. *glof.* 5. §. 7. *Adden. ad Gregor. dec.* 112. *& omnes*; Undè propterea receptum habemus primam ſpeciem unionis dici magis favorabilem ſeu minùs odioſam, ideoque levioribus probationibus contentam eſſe, Econverſò autem ſubjectivam eſſe magis odioſam, & ſucceſſivè rigoroſas, & concludentes exigere pro- 12
bationes juxtà diſtinctionem, de qua *in Eccleſien. unionis coram Dunozetto inter ſuas dec.* 911. *& ſæpiùs.*

Et quamvis in prædictis deciſionibus, ut plurimum unica tantùm parte informante editis, incidenter dicatur hujuſmodi unionem vederi potiùs ſubjectivam, nihilominus dici non poſſunt deciſiones, dum de hoc diſputatum non eſt, ſed incidenter aliud agendo, id ſolum ennnciatur, Atque Rota antiqua, media, & moderna, perpetuò, & rationabiliter quidem, proteſtata eſt, deciſiones dici ſolùm ſuper puncto principaliter diſputato, & deciſo, 13
non autem in iis quæ incidenter dici contingat, *ut apud Seraph. dec.* 299. *in fine dec.* 17. *num.* 9 *par.* 7. *rec. dec.* 196 *num.* 38. *par.* 11. & frequenter.

Argumenta verò hujuſmodi ſubjectivæ unionis, quodque iſta diœceſis *Civitaten.* eſſet effecta membrum alterius *Ampurien.* ex parte ſcribentium pro Capitulo, & aliqualiter enunciata in dictis deciſionibus ſunt levia, & nullius momenti; Tria enim ponderari ſolent; Primò omnimoda deſtructio Capitulis *Civitaten.* Secundò unio ejus beneficiorum, & dignitatum beneficiis, & dignitibus alterius Eccleſiæ, Et tertiò confeſſio iſtius Collegii in erectione, quod eſſet diœceſis *Ampurien.*

Quo enim ad primum, actualis deficientia Canonicorum non tollit qualitarem cathedraticam, ſeu collegiativam, quæ ita habitu adhuc durare, & exiſtere dicitur. *Innocen. in cap. poſtulaſti* 14
num. 1. *de jur. patr. & cæteri per Merlin. deciſ.* 87. *num.* 14. *& per Adden. ad Buratt. dec.* 255. *num.* 6. *cum ſequen.* Atque ita docet praxis, cum præſertim in Italia quamplures habeamus Cathedrales, & Civitates reſpectivè omninò deſolatas, cum aliis Cathedralibus unitas, quarum quæliber retinet ſuam prærogativam, ac fines diſtinctos, ut præſertim eſt *Satrianen.* unita cum *Campanien.* quoniam iſta eſt in rerum natura, altera non; Ita pariter *Valuen.* cum *Salmonen. Cannen.* cum *Nazarena.* & *Montis Viridis*, &c. Aliæque adſunt Cathedrales non unitæ, quarum tamen Civitas non eſt amplius in rerum natura, neque actuale Capitulũ adeſt, ut eſt præſertim inſignis, & ſpatioſa diœceſis *Caputaquen. & Cannen. Angronen. Theleſina. & ſimiles*, & ſic iſtud argumentum nullius eſt momenti. 15

Minuſque alterum unionis beneficiorum unius diœceſis illis alterius factæ per Epiſcopos, vel etiam auctoritate Sedis Apoſtolicæ; Tum quia eſt allegare inconveniens, Tum etiam, quod cum poſita quoque unione æquè principaliter, ac omnimoda diſtinctione Eccleſiarum, & diœceſum inter eas, adhuc tamen quoad Epiſcopum ambo pro unica haberi videantur, idcircò non omninò incongruit, ut beneficia unius diœceſis illis alterius ex aliqua probabili cauſa uniantur, ut in ſpe- 16
cie habetur p'lenè deductum *in d. Marianen. & Accien. coram Roias deciſ.* 373. *& 423. & in eadem coram Corrado, & Bichio dec.* 108. *& 221. par.* 11. *rec.* & de qua cauſa habetur actum *ſub tit. de beneficiis*, dum ego in ea ſcribebam.

Cum enim ex frequenter deductis *hoc eodem tit.* & in altero de *Juriſdictione*, occaſione territorii ſeparati, & *Nullius*, receptum, ac indubitatum princi

principium sit, quod ad solum Papam singulariter, ac privativè quoad omnes spectat Ecclesias Cathe-
17 drales erigere, vel supprimere, ac territoria dividere, vel unire, Idcircò prorsùs vanum est ex hujusmodi actibus gestis per Episcopos, vel alios inferiores id deducere, cùm solùm illi deservire possint pro conjecturis, & adminiculis ejus, quod supponeretur per ipsam Apostolicam Sedem gestum, cujus tamen perfecta, & concludens probatio non haberetur. Potissimè verò, ubi agitur de supprimendis Episcopatibus, & Ecclesiis Cathedralibus, cum id non nisi ex magna causa, & in Consistorio, prævio maturo examine in Congregatione Consistoriali fieri soleat, eodem modo, quo habemus in novis erectionibus, quæ sunt magis favorabiles, ac facilius concedendæ sunt ex suprà deductis *in Burgen. erectionis disc. præcedenti.*

Omnisque difficultas in proposito cessare videtur stante continuata observantia Sedis Apostoli-
18 cæ, dum tam in actibus consistorialibus, quàm in Cancellaria occasione expeditionis litterarum, ac solutionis emolumentorum officialium, haben ur tanquam duæ Ecclesiæ, cui observantiæ magis, a: omninò deferendum est, ex iis, quæ habentur suprà *in Sypontina disc.* 2. Accedente etiam observantia de facto circà denominationem utriusque Ecclesiæ semper continuatam, quod evidenter excludit unionem subjectivam, cujus operatio est, ut suprà, omninò extinguendi, tam essentiam, quàm nomen, & titulum prioris Ecclesiæ, illamque faciendi membrum, ac simplex prædium alterius,

Levissimum demùm, nulliusque penitus momenti videbatur alterum argumentum deductum à confessione, seu enunciativa occasione erectionis hujus Collegii, Quoniam in iis, quæ non pendent ab animo, & facto ipsius confitentis, sed
19 à facto alieno, vel à dispositione juris, confessio nullum gradum probationis constituit, Ut etiam in rebus minoris momenti passim receptum habemus, potissimè, & frequentiùs in materia fideicommissaria, quod si quis fatetur fideicommissum durare, seu bona esse illi subjecta, non per hoc exindè resultat fideicommissi probatio, si aliundè non conster, Potissimè quia confessio clericorum unius Ecclesiæ præjudicare non potest universæ diœcesi, ac etiam quia hujumodi narrativæ frequentiùs fiunt per Curiæ procuratores, seu expeditores, de his non benè informatos, atque narrare solitos illam diœcesim, à qua tanquam residentiali Episcoporum, isti vulgò, & de facto denominationem habent, ut advertitur in suprà allegatis decisionibus 108. *& 221. par. 11. recen.* & apud *Rojas decis. 373. & 423.* in quibus agitur de puncto alternativæ per Episcopum duarum Ecclesiarum insimul unitarum acceptatæ subsola denominatione unius Ecclesiæ, quæ ita solùm demonstrativè stare dicitur; Ideoque iste primus punctus omninò planus videbatur pro unione æquè principaliter juxtà primam speciem, absque eo quod probabilis difficultas desuper caderet.

Quo verò ad secundum punctum convocationis clericorum unius diœcesis ad Synodum ab Episcopo in altera celebrandam, quamvis decisio-
20 nes desuper in solo possessorio retinendæ editæ, principaliter insistant in sola possessione, non multum immorando in discussione negotii principalis juxta naturam hujus possessorii, in quo quæri non solet de justitia vel injustitia, sed ipsum nudum possessionis factum spectatur, Nihilominus eodem sensu veritatis retento, dicebam dictas decisiones etiam in negotio principali videri justas & probabiles, quoniam licet duæ diœceses quoad utriusque jura & præeminentias, alioque effectus dicantur omninò distinctæ, Attamen quoad ipsum Episcopum, qui est utriusque rector & caput, habentur pro unica, unde propterea quoties non resistit centenaria vel immemorabilis observantia, in qua potissimum fundamentum constituit, *Mandos. d.* 21
consil. 27. verius ac receptissimum est, Episcopum duarum Ecclesiarum non teneri habere duos Vicarios Generales, duoque distincta Tribunalia, sed per unicum Vicarium, vel etiam nullo Vicario retento, per seipsum in quocumque loco unius ex diœcesibus residere, seu reperiri contingat, posse tribunal erigere, & evocare subditos alterius diœcesis; ut in specie firmatum fuit *in Viterbien. & Tuscanen. coram Cavaler. inter suas decis.* 418. quæ reputatur in materia magistralis, cum aliis deductis pluries sub *tit. de jurisdictione*, præsertim *in Tirasonen. disc.* 22. ubi quando ista propositio moderationem mereatur, & sic nil prohibet convocare ad Synodum.

Et licèt discurrendo more Advocati, ponderarem in contrarium, & pro hac parte satis assistere dictam decisionem *in Frequentina nullitatis concursus* 13. *Junii* 1635. *coram Coccino*, ubi in specie 22
firmatur invalidum esse concursum habitum in Ecclesia parochiali coram Examinatoribus synodalibus deputatis pro altera diœcesi insimul unita, Nihilominus id rectè procedit, quando vel Episcopus duarum Ecclesiarum duas distinctas celebrat synodos, vel quando in eadem distinctos deputat examinatores pro qualibet, non indè tamen inferri potest, quod Episcopo volente unam tantùm synodum pro utraque convocare & celebrare, ut licitum reddatur subditis non obedire, unde in hac parte econversò planum videbatur bonum jus Episcopi, Neque exindè aliquod præjudicium generari dicitur, cum id æquè se habeat ad commodum & incommodum, quia id tam in una, quàm in altera, pro Episcopi libito alternatim sequi potest.

Circa tertium punctum deputationis Vicarii ac administrationis Ecclesiæ, Sede vacante, vel impedita, Quoties utriusque Ecclesiæ Capitulum actuale existit, casus, tam theoricè quàm practicè est indubitatus, quod scilicet quodlibet Capi- 23
tulum, proprium deputat Vicarium, suamque diœcesim administrat, ita docente communi & inconcussa praxi, atque tanquam absolutum supponunt *Mandos. Gratian.* & cæteri ubi supra, ac habetur in *Acheruntina & Materanen. sub tit. de jurisdictione. vel sub altero de electione*, & alibi. Sola verò dubitandi ratio in hac facti specie posse cadere videtur ob actualem deficientiam Capituli hujus Ecclesiæ, unde propterea non remanet, à quo hujusmodi actus explicari possint, Verùm omninò verius credebam non exindè hanc præeminentiam seu jurisdictionem translatam esse in dictum aliud Capitulum, quoniam posita dicta qualitate unio- 24
nis æquè principalis, per quam, excepta unitate Episcopi in reliquis omnibus, istæ Ecclesiæ seu diœceses habentur pro omninò diversis & distinctis, exindè sequitur istud Capitulum *Ampurien.* remanere omninò extraneum nullamque urgere juris dispositionem vel rationem, ob quam tale jus ei competeret; Licet enim discurrendo considerarem, an inter istas Ecclesias earumque Capitula ob hujusmodi unionem dici possit contracta quædam socie-

tas seu communio, ob quam quilibet ex sociis dicitur possidere totum pro ejus quota, unde propterea uno ex sociis impedito, alter totam rem communem possideat & administret, (quod mihi videbatur unicum fundamentum in bono jure pro isto Capitulo considerabile,) Attamen illud non videbatur tutum, deficiente hoc præsuppositio communionis, quæ per hujusmodi unionem æquè principaliter nulla contrahi dicitur, nisi ad solum effectum habendi unum, eumdemque Prælatum & Rectorem, Adinstar duorum pupillorum inter se extraneorum, quorum quilibet habet suum patrimonium distinctum, viventium sub tutela unius, quoniam moriente tutore, non per hoc ille qui est tutor legitimus unius pupilli, erit tutor alterius qui ob defectum consanguineorum, nullum habeat legalem seu legitimum tutorem, tunc enim locus est dativo per judicem deputando; Sive adinstar plurium Regnorum, vel Provinciarum, & Principatuum existentium sub uno Rege, vel sub regimine unius Præsidis, cum omnimoda tamen distinctione inter se, juxtà ea quæ habentur *in Pampilonen. decimarum de Taffalla hoc eodem tit. disc.29.* quoniam mortuo, seu aliàs impedito Rege vel Præside, consilium unius Regni vel provinciæ nullum habet jus regendi alterum Regnum, vel provinciam distinctam, ex eo quod casualiter careat actuali consilio proprio, quoniam tunc jus transfertur ad ipsius Regni seu Principatus populum, qui pro eo intermedio tempore vacationis de Rectore sibi providebit, cum similibus.

Clarius verò, quoniam super hoc jam providit *Sac. Conc. Trid. dicta sess.24. de reformat. cap. 16.*
25 dum capitulo negligente infrà octo dies Vicarium & Oeconomum deputare, transfertur hæc facultas in Metropolitanum; Et quatenus agatur de ipsa Ecclesia Metropolitana constituta ex duabus diœcesibus insimul unitis, ut est præsertim Archiepiscopatus *Acheruntin. & Materanen.* transfertur ad suffraganeum antiquiorem; Siquidem juxtà ea quæ in jure habemus in materia substitutionis vulgaris vel simili, casus nolentiæ & impotentiæ æquiparantur, atque id quod dispositum est, si noluerit, dispositum quoque censetur, si non potuerit; Ideoque sicuti Capitulo nolente seu negligente, hæc facultas Metropolitano demandatur, ita de plano dicendum est, Capitulo accidentaliter non extante, ob deficientiam Canonicorum, ut in præsenti, sivè eo extante, sed impedito, quia nempè censuris innodatum esset juxtà casum, de quo *in Cæsaraugustana Canonicatus 16. Junii 1653. coram Albergato 4. Februarii 1654. coram Bichio & 19. Januarii 1656. coram Zarata* quarum secunda *est decis.14. post Tondut. de pension.* & de qua causa habetur *sub titulo de Canonicis & de Capitulo* cum similibus.

Atque ita dicebam in individuo fuisse decisum per Sac. Congregationem Concilii, vel alteram Episcoporum, ac de facto practicari in dictis Ec-
26 clesiis insimul unitis, *Campanien. & Satrianen.* quarum prima habet Capitulum actuale, altera verò neque Capitulum, neque Civitatem, quoniam Sede vacante vel impedita, pro hac secunda diœcesi proprio Capitulo actuali carente, deputat Vicarium aliosque officiales Metropolitanus *Consanen.* neque in hoc se ingerit Capitulum *Campanien.* Atque si Capitulum *Acheruntin.* infrà octo dies negligeret deputare Vicarium, seu aliàs malè deputare, non per hoc jus devolveretur ad Capitulum Ecclesiæ *Materanen.* unitum, sed ad Episcopum *Venusinum* Suffraganeum antiquiorem, ut, dum essem puer, audivi fuisse practicatum sub Episcopo Perbenedicto cum similibus.

Difficultas solùm consistere videbatur in antiqua contraria observantia, an scilicet ex indè re-
27 sultaret consuetudo vel præscriptio, per quam de jure, etiam in alieno territorio, jurisdictio acquiri potest, ad notata per *Canonistas in cap. auditis, & cap. cum olim de præscript. cum concord. per Rovit. in pragm. 1. de jurisdictione invicem non turban. & alios, de quibus plures sub tit. de jurisdictione, præsertim in Toletana disc. 1. & latius in Nazarena disc.* 1. Verùm stante dicta Conciliari dispositione, credebam, quod ubi hic punctus disputandus esset cum Metropolitano, pro isto potius responderi deberet, meusque sensus erat desuper consulendam esse Sacr. Congregationem Concilii, quæ ita absque judicialibus dilationibus ac distinctionibus petitorii & possessorii id decideret, Quoniam cum *in Bulla Pii IV. super ejusdem Sac. Conc. Trid.* confirmatione & publicatione, contineantur *decretum irritans* & clausula *sublata*, exindè resultat, quamlibet contrariam possessionem vel observantiam non attendi, ut in specie Decretorum Concilii ad
28 aliud propositum habetur cæteris collectis *dec.104 num. 12. par. 10. recent. & in Alerien. Vicaria 26. Junii 1654. Bichio & in aliis frequenter*, occasione concursus non dandi in vicariis, cum similibus, ex ea clara ratione, quod hujusmodi clausulæ inficiunt etiam possessionem, ideoque impediunt, non solùm, ut non perficiatur, sed quod neque nascatur contraria consuetudo vel præscriptio, quæ sine possessione dari non potest, ut benè advertitur præsertim *in Cesenaten. & Sarsenaten. laudemiorum 19. Junii 1656. coram Albergato post colluctat. Rondeni dec.35. & in aliis;*

Ac etiam quia cum non agatur de continuo exercitio jurisdictionis juxtà materiam textus *in d. cap. auditis de præscript.* sed de materia discontinua & contingente juxtà casus vacationis, qui sæpius longa spatia inter unum & alterum habere solent; Id circò secluso etiam obstantia dictarum clausularum adhuc in puris terminis juris communis, difficilè est in hac materia concludere præscriptionem contrà Metropolitanum successorem venientem jure suo & independenter à prædecessoribus, quorum negligentia ei præjudicare non po-
29 test, ex iis, quæ in similibus ac minoribus terminis fideicommissi vel jurispatronatus gentilitii cum similibus habentur apud *Peregr. de fideic. art. 41. n. 16. & seq. Gratian. discept. 557. n. 44. Ciarlin. controv. 107. num. 61. & seq. Rota dec. 220. num. 26. par. 11. rec.*; Ultrà quod quandò sopitus esset punctus principalis quod scilicèt ista unio declararetur æquè principalis, cessaret in radice occasio quæstionis, quoniam juxtà consilium quod pariter Ego dabam, per eosdem Canonicos dictæ Ecclesiæ Collegiatæ, aliosque clericos hujus diœcesis, impetrari possent antiqui canonicatus seu dignitates, atque ita reintegrari Capitulum actuale, quo existente, omnes istæ quæstiones cessarent, non obstante quacumq; possessione & observantia, tanquam causativa durante impedimento dicti proprii Capituli, quo sublato sine dubio cessaret.

Atque exindè dicebam defacili resultare posse reintegrationem ad Archipresbyteratum, aliæ-
30 que dignitates & canonicatus unitos, cum ita pariter in radice tollerentur ac cessarent omnia fundamenta, quibus inituntur superius enunciatæ

ultimæ

ultimæ decisiones super Archipresbyteratu coram Bichio, quæ sunt impressæ *dec. 433. par. 9. & 354. par. 10. rec.* Et pariformiter cessaret etiam in radice dicta altera quæstio seu ultima inspectio præcedentiæ, de qua *infrà hoc eod. tit. disc. 17.* De istis tamen penultima & ultima inspectione obiter solùm actum fuit cũ principalis discursus percuteret dictum primum ac magistralem punctum unionis, ac alterum jurisdictionis Sede vacante.

ALIPHANA COLLEGIATAE PRO CAPITULO PEDIMONTIS CUM ECCLESIIS CASTRI, ET VALLATÆ.

Quando Ecclesia dicatur Collegiata ex solis signis non docto de Erectione, Ad quem pertineat Collegiatas erigere; Et an ista facultas competat Ordinario, & quatenus constet de Collegialitate, an & quando dici possit Collegiata Insignis, & de istius requisitis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Causarum avocatio odiosa non de facili concedenda.*
3 *Ad Sac. Congregationem Rituum pertinet decidere controversias præeminentiarum, & Rota ejus declarationibus defert.*
4 *Gratia aperitionis oris vel reductionis litterarum quando concedenda.*
5 *Signaturæ stylus cognoscendi de meritis, & de ratione.*
6 *An Episcopus possit erigere Ecclesiam Collegiatam, & num. 9.*
7 *De signis exclusivis Collegialitatis.*
8 *De eiusdem Collegialitatis signis æquivocis.*
9 *De eadem conclusione, de qua num. 6.*
10 *Collegialitas absque titulo explicito probatur per signa.*
11 *Qualia sint signa univoca, & qualia æquivoca, & quomodo in materia procedendum.*
12 *Omissio Missæ conventualis an excludat Collegialitatem,*
13 *Titulus diversus an & quando præjudicet, & tollat possibilitatem tituli melioris.*
14 *Quando dicatur Collegiata Insignis.*

DISC VIII.

CUM ob insalubritatem aëris *Aliphanæ* Civitatis illius Episcopus pro majori parte anni residere soleat in Diœcesano Oppido *Pedimontis*, atque ita successivè functiones pontificales pro majori parte peragere in ejusdem Oppidi Ecclesia matrice sub nuncupatione S. Mariæ Majoris, in qua ab antiquo adsunt Archipresbyter prima Dignitas, & duodecim Canonici honorifica insignia gestantes, ita ut de facto, ista potiùs, quàm vera Cathedralis, istius figuram gerere videatur; Hinc pariter ab antiquo ista Ecclesia nuncupari & reputari consuevit Collegiata insignis; Ad exuberantem tamen cautelam, ejusdem Ecclesiæ Capitulum de Anno 1650, prævia de infrascriptis requisitis informatione, obtinuit à Sacra Congregatione Rituum esm talem declarari, obtenta etiam hujusmodi declarationis Apostolica confirmatione in forma Brevis, Quod reputantes sibi præjudiciale Canonici Ecclesiarum *Castri* & *Vallatæ*, quasi quod hujusmodi qualitas Collegiatæ insignis tolleret illam præeminentiam, quam dictæ aliæ Ecclesiæ ratione majoris antiquitatis fortè prætendebant, Idcircò adierunt Signaturam Gratiæ, petentes reductionem dictæ Apostolicæ confirmationis ad viam juris, & commissionem causæ super hujusmodi Collegialitate in Rota, prævia ejus avocatione à dicta Sacra Congregatione Rituum, & habita desuper in plena Signatura cum Advocatis & Procuratoribus formali & acri disputatione, prodiit resolutio negativa huic parti favorabilis, super hujusmodi petitionis rejectione, quod mihi pro hac eadem parte scribenti, reflectendo etiam ad veritatem, visum fuit probabile.

Tum quia non nisi ex magna causa, & constito de gravamine, non de facili concedenda est causatum avocatio, quæ in jure odiosa reputatur, utpotè quamdam injuriæ speciem inferens illi judici, à 2
quo causa avocatur *Cassad. decis. 2. num. 2. de appellat. & decis. prima num. 1. de rescriptis cum concord. per Marches. de commiss. part. 1. fol. 1257. nu.* 26. Potissimè ubi non agitur de simplici Judice pedaneo, seu aliàs inferiori, sed de tam supremo Magistratu, ad quem ex ejus instituto juxtà *Constitutionẽ* 3
74. Sixti V. propriè pertinet hujusmodi præeminentiarum seu præcedentiarum controversias inter Ecclesias & Ecclesiasticos decidere, adeò ut ipsamet Rota profiteatur ejus declarationibus reverenter deferre, *ut decis. 214. num. 6. part. 4. recent. tom. 2. decis. 254. num. 4. part. 10. apud Celsum decis. 5. num. 12.* & aliàs frequentissimè.

Tùm etiam quia hujusmodi gratiæ aperitionis oris adversus clausulas contentas in literis Apostolicis earumque reductionis, concedi non solent nec debent, nisi constito de gravamine, & injustitia, vel saltem vehementi fumo, seu probabili dubietate accedente, cum concedendæ non sint gratiæ 4
injustarum litium excitatoriæ, ex quo partes Principis sunt lites resecare, illisque potiùs occurrere, non autem eas suscitare ex deductis *per Gratian. discept. 954. num. 1. & 2. Rot. decis. 40. part. 1. recent. num. 5. & seqq. 485. num. 2. & seqq. part. 4. tom. 2. & 358. part. 11.* ubi latè, Undè propterea in hujusmodi disputationibus, quæ in hoc supremo Tribunali habentur, quamvis solum Ordinem concernentibus, de Justitia etiam, ac meritis negotii principalis discuti solet, cùm ab ipsius justitiæ gustu pendeat, an petitis annuendum sit, nec nè, 5
Quod etiam frequentius practicat Signatura justitiæ super modo rescribendi de appellatione, etiam ad effectum suspensivum in illis causis, in quibus aliàs ex earum regulari natura & judicii qualitate illa non intrat.

In dicta igitur disputatione, scribentes pro oppositoribus, dicebant quod licèt una opinio assistat Episcoporum, seu Ordinariorum potestati su- 6
per erectione Collegiatarum, quam tenent *Abb. Antiqu. fo. Andr. Butr. Panormitan. Imol.* & cæteri antiquiores *in c. quoniam de vita, & honest. Cler.* Et hoc tenere visa est Rota *decis. 618. num. 1. part. 4. recent. tom. 3.* Nihilominùs contraria opinio in Romana Curia constanter retinetur tanquam verior, illaque de facto est usu recepta, quod scilicet id sit de reservatis Papæ, ad quem solum pertineat erigere Ecclesias Collegiatas *Rebuff. in praxi benef. tit.*

tit. de erect. collegiat. Lotter. de benef. lib. 1. q. 14. n. 49. quod dicit ita decisum per Sacr. Congregationem de Anno 1626. *Add. ad Bnratt. dec. 912. num. 14. decis. 99. num. 9. par. 7. rec.* Ideoque cùm non doceretur de aliquo privilegio Apostolico, ita dicebant deficere ipsam substantiam collegialitatis, & successivè multò magis controversam qualitatem accidentalem insignis.

Quod clarius comprobatum remanere dicebant ex eo, quod constabat de hujus Ecclesiæ erectione
7 in simplicem Parochialem cum certo numero beneficiatorum, qui status erat exclusivus collegialitatis, Additis etiam aliquibus signis ejusdem Collegialitatis exclusivis, illo præsertim, quod hujus Ecclesiæ Canonici soliti non essent quotidie recitare Officium Divinum, & horas Canonicas, minusque Missam Conventualem, cùm hæc solùm agerentur in diebus festivis, in quibus etiam in Parochialibus vel aliis simplicibus Ecclesiis non Collegiatis hujusmodi functiones peragi solent.

Neque attendi debere dicebant aliqua Collegialitatis signa, ut sunt sygillum, & arca communis,
8 Sindicus, seu Economus, Congregationes Capitulares & similia, quoniam ut in specie antiquioribus allegatis firmatur *in Venusina Archiepiscopatus coram Carillo inter suas decis. 41. & 60.* aliàs *decis. 143. & 216. par. 7. rec.* & latius *in Materanen. Archipresbyteratus coram Corrado dec. 147. par. 10. rec.* ac habetur *in Marsicen. jurisdictionis sub tit. de jurisdictione disc. 13. in Vincentina sub titul. de Beneficiis, seu de Parochis* & alibi, cùm in Ecclesiis etiam Parochialibus plures beneficiati, seu portionarii aliàs Presbyteri participantes adesse soleant, frequenter etiam in magno numero, Hinc resultat, quod Capituli quamdam figuram facere videantur, multosque actus gerere Collegiis convenientes, cum in effectu sint simplices Congregationes beneficiatorum seu Cappellanorum, & sic sunt signa æquivoca.

Et ad fortissimum adminiculum resultans à numero præfinito, & nuncupatione Canonicorum, cum prima dignitate, honorifica etiam insignia gestantium, respondebant id frequenter contingere ex usurpatione, seu concessionibus Episcoporum, quibus hæc facultas non competit, juxtà ea, quæ in specie habentur *in dicta Marsicen. ac etiam in Acernen. residentiæ, & Vicarii eodem titul. de jurisd. disc. 24.* Atque in præfatis *Venusin. & Materanen.* in quibus pro non Collegialitate responsum fuit, & tamen concurrebat determinatus numerus aliquarum dignitatum, quæ conferri solent in titulum, & cum insignibus, sed dictum fuit esse signum univocum non concludens.

His tamen non obstantibus, reflectendo, ut dictum est, ad solam veritatem, istam dicebam huic Ecclesiæ assistere pro firmitate & observantia eorum, quæ per Sac. Congregationem determinata fuerant; Distinguendo siquidem controversiam in duas inspectiones, unam super collegialitate in genere, alteram, ea posita, super qualitate insignis;
9 Quatenùs pertinet ad primam, licèt ex mente Canonum, ac sensu antiquorum Canonistarum, verius esset, etiam Episcopis competere facultatem erigendi Ecclesias Collegiatas, attamen ex quodam jure non scripto resultante à Datariæ, & Curiæ usu, admittebam in praxi receptam esse contrariam opinionem, à qua in consulendo, & judicando recedendum non est, ut scil. id non nisi Apostolica auctoritate fieri valeat, sed ubi non agitur de actu recenti, seu aliàs non constat de negatione dictæ Apostolicæ auctoritatis, prout constabat in allegatis *Acernen. & Marsicen.* quia nempè agatur de facto antiquo, quod incertum sit qua auctoritate sequutum esset, Tunc rectè legitima erectio allegari potest absque justificatione, quam sufficit deducere ex 10
signis & actibus illam denotantibus, ad communiter notata per *Hostien. Jo. Andr. Abb. & alios in c. nobis de Jurepart. Mascard. de probat. conclus. 584. Capntaquen. decis. 141. part. 1. Canaler. dec. 266. n. 5 Rotas in Terdonen. dec. 293. decis. 221. par. 6. recent. Adden. ad Buratt. dec. 455.* & admittitur *in dict. Materanen. 147. part. 10. recen.* ubi latè de materia.

Quate ista quæstio videtur potiùs facti quàm juris, non de facili uniformem & generalem admit- 11
tens determinationem, pendentem ex singulorum casuum particularibus circumstantiis, ex quibus adinstar conjecturalium, & adminiculativarum probationum, eadem adminicula in uno casu sufficiant, & in altero non; Omnes etenim scribentes pro adminiculis in proposito ponderant, sygillum, arcam, & massam communem, Syndicum, Congregationes Capitulares, celebrationem Missæ Conventualis, & similia, & tamen frequens experientia docet, omnia hæc signa esse æquivoca, eaque verificari in similibus Parochialibus, seu matricibus, & receptiis, exquibus juxtà locorum qualitatem plures adsunt, præsertim in Italia (in qua Cathedrales sunt frequentes & exiguæ) facientes majorem figuram quàm faciant Cathedrales primariæ, Undè in hac parte benè dicebant scribentes in contrarium, ideoque hujusmodi signa generalia, sed æquivoca connectanda sunt cum aliis signis univocis & specialibus, cum regula in adminiculativis perpetuò attendenda, *ut singula quæ non prosunt, &c* Et quod magis, ponderando ea, quæ urgent in contrarium, ad effectum desumendi præponderantiam, ut conijcitur ex allegatis decisionibus *Venusin. & Materanen. coram Carillo & Corrad.* super Collegialitatis exclusione, quoniam licèt concurrerent multa collegialitatis signa, plura tamen fortiora urgebant in contrariũ, tàm circà enunciativas & tractatus, quàm fortius circà observantiam ejus, de quo ibi erat quæstio, super provisione scilicet Archipresbyteratus, quem contendebatur, an esset nec nè prima dignitas Collegiatæ cadens sub reservatione regulæ tertiæ hodie quartæ.

Applicando igitur ad rem, ultrà dicta signa generalia, sigilli, Syndici, arcæ, & massæ communis Congregationum Capitularium ad sonum campanæ, & similia, satis urgebat præfinitus numerus Canonicorum, ejusdemque numeri qualitas, ex frequentiori usu congrua Collegiatis, nec non antiquus usus insignium, ac antiquæ & frequentes enunciativæ, tàm in synodis, ac aliis actibus Episcoporum, quàm in literis Apostolicis; Et quod magis est, observantia circà fixam reservationem Apostolicam Archipresbyteratus, qui tanquam prima dignitas in Collegiata juxtà *regulam tertiam, seu quartam* per Sedem Apostolicam semper provideri consuevit; Prout etiam Canonicatus provideri consueverunt in titulum à Sede Apostolica, vel Ordinario respectivè juxtà regulam mensium, absque eo quod in contrarium urgerent signa exclusiva, Undè propterea dictæ decisiones *Metaranen. & Venusin.* ac similes, facta comparatione casuum, potius huic parti assistere videntur per argumentum à contrario; Magni etiam faciendo eam circumstantiam ferè continuæ residentiæ Episcopi, ita ut de facto ista, potius Ecclesiæ Cathedralis figuram facere videatur.

Ea verò, quæ in contrarium ut suprà deducebantur, non videbantur considerabilia, seu præponde- 12

rantia;

tantia; Omissa enim celebratio Missæ Conventua-
12 lis in diebus feriatis parùm concludit, nam etiam in ipsamet Urbe habemus plures Collegiatas, in quibus non nisi diebus Festivis Missa Conventualis celebratur, istud enim signum quotidianæ celebrationis dictæ Missæ, & officii, benè procedit affirmativè, sed non concludit negativè, cum in proposito deferri soleat consuetudini.

Et quoad justificationem alterius tituli diversi,
13 antiquæ scilicet erectionis in Parochialem, cum aliquo numero Beneficiatorum, Tunc unus titulus præsumitur melior, ac dicitur alterius tituli exclusivus, quando principaliter producitur ab ipsa parte tanquam suus titulus, suæque intentionis principale fundamentum, quodque talis titulus sit cum altero incompatibilis, ita ut unus sit alterius exclusivus, ut benè per *Lanar. cons. 94. Gregor. & Adden. decis. 353. Rot. decis. 29. part. 7. recent. cum aliis in Sabin. sub titul. de Regal. disc. 47.* ubi magis ex professo de ista conclusione.

Hæc autem in præsenti cessabant, quoniam dicta erectio in Parochialem, exhibita non erat ab hac parte pro fundmento suæ intentionis, sed ab oppositoribus, Et quod magis, non est titulus incompatibilis, quoniam stant benè simul, prius istam Ecclesiam erectam fuisse in Parochialem, deindè verò tractu temporis, ejus redditibus, aliisque qualitatibus excrescentibus, mutasse statum, atque erectam fuisse in Collegiatam, ut ferè omnium Collegiatarum, ac multarum Cathedralium conditio fuit, ut patet ex *diso. seq. in Messanen.* & aliis.

Quoverò ad alterum punctum, seu inspectionem super qualitate insignis, Dicebam pariter istam esse quæstionem facti potiùs quàm iuris, quoniam
14 ut benè & latè habetur *decis. 29. part. 2. divers.* quæ est in materia magistralis, ista dicitur materia arbitraria, adinstar probationis nobilitatis, regulanda ex publica voce & fama, & communi reputatione, necnon Ecclesiæ structura, numero & qualitate Canonicatuum, & similibus circumstantiis, quibus omnibus in hac facti specie spectatis, videbatur pro hujusmodi qualitate probabilius respondendum esse, etiamsi res esset in fieri, atque ex integro decidenda, Tum ob Ecclesiæ structuram materialem, ejusque statum, Tum ex communi fama & reputatione, ac etiam ex qualitate hujus Oppidi, quod stante frequenti usu Civitatum, in Regno Neapolitano plures ex istis in populi numero, opulentia, & aliis qualitatibus superat; Fortius verò ex dicta circumstantia residentiæ Episcopalis, ita ut Cathedralibus partes potius explicet, ac figuram faciat; Multò magis cum sit res jam decisa per Sacr. Congregationem; Si enim in arbitrariis difficile, ac rarum est convincere simplicem Judicem de injustitia, *Gregor. decis. 106. num. 2. Rouit. super pragm. in rubr. de appell. num. 25. & seqq.* ubi allegantur *Bal. Innocent. & cæteri* Multò minùs id practicabile dicebam in declaratione tàm supremi Magistratus, munita etiam confirmatione Apostolica, pro quarum retractione patens injustitia desideranda videtur.

***

MESSANEN. ERECTIONIS COLLEGIATÆ PRO ECCLESIA S. MARIÆ TORTORETI, CUM ECCLESIA S. NICOLAI.

Casus disputatus in Rota decisus, pro Ecclesia S. Nicolai.

Erectio Collegiatæ an concedenda sit Ecclesiæ filiali, seu inferiori in præjudicium Ecclesiæ Matricis, seu dignioris, Et quatenùs concessa sit, quæ requiratur pro hujusmodi concessionis justificatione & exequutione, Et de effectibus exindè resultantibus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Decisio causæ.*
3 *De punctis seu inspectionibus controversiæ.*
4 *Si Ecclesia filialis & inferior novum Collegialem, seu Cathedraticum statum assumat, præcedit eius matricem seu digniorem.*
5 *Etiamsi non adesset derogatio juris tertii, vel adesset clausula sine præjudicio.*
6 *Si eadem dignitas vel qualitas postea obvenit digniori, non per hoc præcedit illum, qui alias minus dignus, qualitatem obtinuerat.*
7 *Declaratur.*
8 *Literæ Apostolicæ sunt justificandæ, ut executionem mereantur.*
9 *Quando omnia in litteris narrata sint justificanda, & quæ non.*
10 *Falsitas expressorum quando non vitiet gratiam.*
11 *Quæ sint requisita substantialia erectionis Collegiatæ.*
12 *Narrativa consolationis populi, de quo populo intelligi debeat.*
13 *Quomodo considerètur incrementum Divini cultus.*
14 *Petita reintegratio supponit possessionem penès alium.*
15 *Sufficit justificare narrativam de facto.*
16 *Gratia quæ scandalum parere possunt, sunt retractandæ.*
17 *An & quando ad executorem pertineat inspicere de gratiæ vitio non legali.*
18 *Principi est replicandum, & interim ab exequutione abstinendum.*

DISC. IX.

INOppido Tortoreti antiquitus una aderat Ecclesia Parochialis sub 1
invocatione S. Nicolai, cum Rectore, seu Presbytero ritus Græci, sub quo ille populus vivebat; Cùm autem tractu temporis ritus etiam Latinus inibi introductus esset, Hinc proindè erecta etiam fuit altera Ecclesia Parochialis sub invocatione S. Mariæ, cum Presbytero, sub Rectore ritus Latini, ita distincto populo sub utro que ritu vivente, donec

donec ex Archiepiscoporum diligentia, per omnes ferè utriusque Siciliæ Regni Præsules adhibita, totus populus ad ritum Latinum redactus est, ad quem proindè dicta Ecclesia S. Nicolai conversa fuit, undè remanserunt duæ Ecclesiæ Parochiales, cum distinctione Regionum, seu contrararum, quarum singulæ juxtà ferè communem eorum Regnorum, ac etiam Hispaniarum usum, ultrà Rectorem habere consueverunt, ob populi amplitudinem, magnam copiam Cappellanorum, & Clericorum nationalium, quorum sunt receptitiæ, ita ut de facto duarum magnarum Collegiatarum figuram facerent, Atque, vel ob antiquam ritus diversitatem, vel ob ferè communem usum, inter istas Ecclesias, earumque respectivè Clerum, & populum, ab antiquo multæ fuerunt æmulationes, & controversiæ, ex quibus diversis temporibus gravia prodierunt scandala, præsertim verò circà præeminentiam matricitatis, quam Ecclesia S. Nicolai prætendebat, utpotè naturaliter prima, & antiquior in loco, ill. verò S. Mariæ utpotè prima, & antiquior in ritu, ad quem altera successivè conversa fuerat, Undè usque ab Anno 1606. reperitur desuper commissa causa *in Rota*, ubi aliquibus testibus hinc indè inductis, ulteriorem progressum non habuit, sed controversiis, & æmulationibus continuantibus, de facto Ecclesia S. Mariæ in possessione matricitatis fuit, atque in Synodis, aliisque congressibus dignior reputata; Obventis autem aliquibus hæreditatibus, & bonis in Ecclesiam S. Nicolai, ad hunc præcisum effectum relictis, parandi scilicet expensas pro obtinenda erectione in Collegiatam, erectio prædicta à Sede Apostolica obtenta fuit, expeditisque literis Apostolicis directis Archiepiscopo, coram isto ad impediendam dictarum, litterarum exequutionem se opposuerunt Rector, & Clerus S. Mariæ, undè dictus Archiepiscopus ad evitanda scandala, negotium denuò remisit ad Sanctissimum, vel Datariam, ideo que plures habitæ fuerunt disputationes coram Datario, qui demum commisit causam in Rota, ubi coram *Cerro* dato dubio, *An literæ super hujusmodi erectione essent justificandæ, ita ut essent exequendæ*, sub die 26. *Junii* 1661. affirmativa prodiit resolutio ad favorem Ecclesiæ S. Nicolai, cui oppositores acquieverunt, dum quod sciam, causa ulteriorem progressum non habuit, nisi juxtà illius Regni usum, lis in ea Monarchia desuper introducta sit.

2

In prædictis igitur disputationibus habitis, tàm coram Datario, quàm in Rota, in quibus ego scribebam pro Ecclesia S. Mariæ succumbente, ac etiam in congressibus Advocatorum pro causæ directione, juxtà laudabilem Curiæ stylum habitis, cùm ageretur de gratia facta, literis jam expeditis, quamvis hæc pars instaret pro d. gratiæ revocatione, attamen ab initio desperatum opus reputatum fuit auctoritativam retractationem obtinere, ideoque de duobus principaliter actum fuit, Primò dum res agebatur *coram Datario*, an expediret impetrare consimilem erectionem, à Dataria jam oblatam, ita ut exindè resultaret finis conservandi antiquam præeminentiam, cujus respectu hujusmodi oppositio fiebat; Et secundò *in Rota*, An dictæ litteræ essent sufficienter justificatæ, ita ut mererentur executionem necnè, & quæ partes narrativæ in hujusmodi erectionibus ad earum validitatem, & executionem perneceſsè justificari deberent, & quæ non.

3

Quatenùs igitur pertinet ad primum punctum, de quo actum fuit solùm in congressibus, & aliquali-

4

ter coram *Datario*, Ego scribens pro Ecclesia Matrice S. Mariæ, fui in voto, cui cæteri adhæserunt, istam esse diligentiam cum inani sumptu non profuturam, quoniam quicquid erroneè dicat *Vamesius cons.* 10. *in Canonicis*, cujus auctoritati proindè satis mirabar adeò deferri *in Cæsaraugustana Cathedralitatis*, de qua suprà *eodem titul. disc.* 5. Certum est, quod dicta Ecclesia S. Nicolai, in Collegiatam præcedenter jam erecta, quamvis aliàs esset filialis, & inferior, ita effecta erat dignior, & major, ob novam supervenientem majorem qualitatem, novumque statum, diversi, ac majoris ordinis, juxtà magistralem passimque receptam *decis.* 1445. *Seraphin.* ubi firmatur id procedere, quamvis nova erectio nullam contineret derogationem juris tertii, ac regulæ de jure tertii quæsito non tollend. quoniam cùm hujusmodi gratiæ sint pernecessè, & de sui natura præjudiciales, ideò dicta derogatio non requiritur, ut habetur etiam *in Burgen. erectionis hoc eodem titul. disc.* 6. & in aliis.

5

Quinimò, etiamsi adesset expressa præservativa clausula, *sine præjudicio*, adhuc tamen illa in proposito non est operativa, quia intelligitur in aliis, quàm in expressis, ac iis, quæ de jure, ac natura rei resultant, Et consequenter ubi etiá ista aliàs major, & dignior Ecclesia in statu Parochialitatis hunc novum statum Collegialitatis assumpsisset, attamen cùm esset posterior, non potuisset præeminentiam prætendere, cum in hoc novo, & diverso statu dicta altera Ecclesia esset antiquior.

6

Si enim junior, seu inferior Episcopus efficeretur Archiepiscopus, utique præeminentiam obtineret suprà Episcopum aliàs antiquiorem, & digniorem, qui si deindè Archiepiscopus pariter crearetur, locum cedere deberet dicto Archiepiscopo priùs creato, quamvis in statu Episcopali iste posterior Archiepiscopus esset antiquior, & dignior, quoniam attenditur concursus in hoc novo, & diverso statu majori, non curato statu antiquiori, nisi promotio utriusque ita sequeretur, quod licèt naturaliter, & de facto diverso tempore sequuta esset, attamen reputaretur contemporanea, quo casu tanquam inter insimul promotos attenditur antiqua præeminentia, ut contingit in promotionibus Cardinalium, quoniam si in eodem Consistorio eademque promotione aliqui declarentur, alii verò reserventur in pectore, Tunc illi, qui reservati sunt, quamvis ex temporis intervallo, & ad annos publicarentur, utpotè ex tunc promoti, suum occupant locum, & præcedunt jam antecedenter declaratos, quia dicuntur Cardinales ab initio, atque successiva publicatio nihil facit de novo, sed solùm aperuit quid jam factum sit, & insit, juxtà textum *in l. adeo 7. ff. de acquiren. rerum dominio*, ubi ponitur exemplum excutientis grana à spicis, & habetur præsertim actum *sub titul. de pensionibus* in proposito pensionis, quæ super Ecclesiis in Consistorio reservatur pro una, vel pluribus personis nominandis, quia si nominationes diversis temporibus sequantur, non tamen exindè resultat prælatio, sed jure retrotractionis omnes dicuntur æquales, & contemporanei, nisi aliàs expresè cautum, ex ibi deductis cum similibus.

7

Quo verò ad alterum punctum disputatum in Rota super deneganda executione literarum hujusmodi erectionis, non dubitabatur de jure, litteras prædictas esse justificandas, ut executionem mererentur, ut ultrà generalia, de quibus satis frequenter

8

quentet in materia beneficiali, in his terminis specialibus patet ex decisione 258. 283. & 284. *part.* 7. *recent.* ubi disputatur de consimili erectione Collegiatæ, quam Inquisitor Melevitanus exequi recusaverat, undè causa commissa fuit in Rota, eodem adamussim modo, quo in præsenti sequutum est; *Et in una Siracusana præeminentiarum*, cùm *Gregorius XIII.* erexisset in matricem Ecclesiam S. Agrippinæ Oppidi Mincii, se opponentibus Ecclesiis S. Petri, & S. Mariæ, commissa fuit causa *in Rota*, quæ sub *die* 26. *Febru.* 1586. *coram Bubalo* respondit gratiam non esse justificatam, & non mereri executionem, cum similibus.

Quare disputationis punctus erat in eo, an, & quæ narrativæ partes essent justificandæ, quoniam
9 dicebant scribentes in contrarium, & benè, tunc omnia in literis narrata justificanda esse, quando quælibet narrativa de per se non sufficiat, ita ut omnes partes coæqualiter concurrerent ad gratiæ concessionem, juxtà decisionem *Caputaquen.* 240. *nu.* 2. *part.* 2. Secùs autem ubi agitur de illis narrativis, quæ non concernunt substantialia, quoniam falsitas expressorum, quæ necessaria non sunt, non vi-
10 tiat gratiam, ubi præsertim non constat eam fuisse dolosam *dec.* 70. *num.* 2. *de rescriptis in antiquis Put. dec.* 187. *num.* 2. *lib.* 1. *Coccin. dec.* 236. *num.* 3. *Merlin. decis.* 563. *num.* 6. *decis* 288. *nu.* 1. *post.* 2. *volum. cons. Farinac.* 536. *n.* 2. *part.* 4. *recent. tom.* 3.

In hoc autem erat discrepantia inter scribentes hinc indè; Ego enim & cæteri scribentes pro oppositoribus dicebamus, omnes narrativæ partes justificandas esse, non solum circa congruam dotem, & populi frequentiam, sed etiam circa ejusdem populi consolationem, & desiderium, divinique cultus incrementum, quorum neutrum justificabatur, quoniam in facto constabat, majorem partem populi vivere sub cura Ecclesiæ S. Mariæ, & consequenter tristitiam, & afflictionem de hoc potius sentire, Nullumque resultabat Divini cultus incrementum, dum etiam ante hujusmodi erectionem, adinstar Ecclesiæ Collegiatæ. Missa Conventualis, aliaque Divina officia celebrari solebant, ijdemque aderant Sacerdotes, & Clerici, ita ut ex hujusmodi statûs innovatione, neque in numero ministrantium, neque in ipso ministerio, minusque in augmento distributionum, vel emolumentorum adesset tale incrementum.

Verùm, reflectendo ad veritatem, ista videbantur parum tuta fundamenta, undè propterea dicta resolutio probabilis visa est, quoniam duo videntur hujusmodi erectionum requisita substantialia, quæ
11 Papam movere solent ad gratiam concedendam, scilicet congrua dos, & popul frequentia, seu qualitas, juxtà formulam positam per *Pirr. Corrad. in praxi beneficial. lib.* 2. *sub n.* 4. & habetur in specie apud *Seraphin. decis.* 330. *num.* 1. *& dicta decis.* 258. *num.* 9. *cum sequent. part.* 7. *recent.* Reliqua verò proveninut ex consueto formulario, & ad cohe-
12 hestationem; Ac etiam quia de natura erectionis perneceſse ista inesse dicuntur, quoad consolationem scilicet populi ejusdem Ecclesiæ, cui præeminentialis qualitas conceditur, Et sic discretivè de populo illius, non autem de illo aliarum Ecclesiarum, seu totius loci in universum, nam aliàs nunquam hujusmodi gratiæ essent verificabiles, cùm ut suprà sint de sui natura præjudiciales, atque posita lite super gratiæ exequutione, perneceſsè supponere oportet oppositores, quibus, eorumque subditis, & adhærentibus id parum gratum existat.

Et quoad cultum, adhuc ille incrementum recipere dicitur, quamvis ejus usus de facto non al- 13
teraretur, dum alteratio resultat ratione habitus, seu necessitatis, quoniam Missa Conventualis, aliaque divina Officia, quæ prius erant in facultate, ita evaserunt necessitatis.

Objiciebamus quoque de vitio subreptionis, vel obreptionis, ob narratam qualitatem matricitatis, quæ movere potuit Papam, ita agnoscentem nemini præjudicare, dum circumscripta etiam hac nova qualitate, tanquam Ecclesia matrix super alias præeminentiâ habebat; Verùm, & hoc erat leve fundamentum quoniam narrata nonfuerat matricitas actualis, ejusq; pacifica possessio de præsenti, sed
14 solùm prætensio hujusmodi antiquæ qualitatis, cũ pendentia litis in Rota super reintegratione, quæ supponit possessionem penès alios existere *dec.* 523. *n.* 4. *& 5. & 595. n.* 1. *& 2. apud Post de manut. & possim*, ideoque sufficit narrativam justificari de facto,
15 eo modo, quo sequuta fuit *dec.* 305. *n.* 11. *part.* 9. *rec.* & in materia beneficiali frequenter.

Insistebamus demum super scandalis, & inconvenientibus, de quibus, juxtà ejusdem Archiepiscopi relationem, ex hujusmodi innovatione satis timeri poterat, undè propterea dicebamus, gratias, quæ scandalum parere possunt, exequendas
16 non esse, sed retractandas *ad text. in cap. cum teneamur de prabendis, benè Oldrad. cons.* 262. *num.* 2. *in fine*, ibi, *quia ex hoc populo dicitur graviter scandalizatus, & propter scandalum nedùm fallum Episcopi debet cessare, sed etiam gratia Domini Papæ*; Sed pariter istud erat fragile fundamentum, præsertim in Rota, quoniam ad Judicem, cui commissa est gratiæ executio, pertinet solum inspicere, an illa esset justificata, ita ut juxtà tramites juris mereatur executionem, non autem inspicere de iis,
17 quæ politicos ac prudentiales respectus percutiunt; Potissimè verò ubi Princeps qui gratiam concessit, est præsens, undè ad eum promptus est recursus, cùm per executorem de hujnsmodi motivis respectus haberi debeat Principe absente, ad effectum eum certiorandi de inconvenientibus vel respectivè præjudiciis, quoniam Principi est replican-
18 dum, ac interim à gratiæ per eum concessæ executione abstinendum, quoties constat probaliter eundem Principem de facti circumstantiis certioratum non fuisse concessurum, vel esse retractaturum, ut cæteris allegatis *Rugerius cons.* 24. *Farinac. qnæst.* 97. *num.* 39. *Ciriac. contr.* 59. *nu.* 13. *Apont. de potestate Proreg. titul. de abundat. Civitat.* §. 3. *num.* 14. *& seqq. Capic. Latr. decis* 190. *num.* 31. & practicmus quotidie in Cardinalibus Legatis Papæ replicantibus, ac interim abstinentibus ab exequendis gratiis per eum concessis, frequentius verò in Proregibus Regnorum utriusque Siciliæ, & Gubernatore Mediolani super gratiis à Rege Catholico concessis, Atque inter plura frequentia exempla meo tempore practicata, illud præsertim Egomet habui præ manibus, concessionis factæ per Regem Catholicum Principi Nicolao Ludovisio de Principatu Salerni, quoniam Comes de Ognatte Prorex Neapolis, denegando executionem, Regi replicavit, atque non contentus prima replicatione, secundam adjecit post reiteratos ordines, ita & taliter, quod concessio effectum sortita non fuit, Potissimè verò ac extra controversiam in hac facti specie, quoniam hæc oppositio facta erat Papæ seu Datario qui est ejus organum, & tamen ea neglecta remissa fuit exequutio ad Rotam prout de jure.

Multa

Multa etiam ex hac parte dicebantur circà insufficientiam dotis, ob vincula & malas qualitates bonorum, de quibus tamen utpotè in facto consistentibus, non pertinebat ad Advocatos agere, sed adhuc Rotæ visum fuit objecta, nullam vel modicam habere subsistentiam ad effectum de quo agebatur.

MEDIOLANEN. ERECTIONIS CONFRATERNITATIS

& aliæ controversiæ aliarum Diœcecesum inter partes respectivè ut infrà.

Casus disputatus in Sacris Congregationibus Concilii, Episcoporum, & Rituum & decisum ut infra.

An & quando uni Ecclesiæ; Collegio, Confraternitati, vel personæ competat jus seu præeminentia impediendi alteram, nè easdem celebret solemnitates, seu eadem utatur denominatione vel titulo, aliosque actus præeminentiales consimiles exerceat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De Constitutione Gregor. XIII. moderatoria Privilegiorum Regularibus concessorum per Pium V.*
3 *De intelligentia Constitutionis Pii V. super Congregatione Rosarii.*
4 *Auctoritati Ordinarii loci non censetur in Privilegiis derogatum.*
5 *Regulares dicuntur ministri Episcopi, eiusque subditi in concernentibus Divinorum ministrationem populo.*
6 *Congregationes, & Confraternitates non nisi de Ordinarii loci licentia erigi possunt.*
7 *Quomodo intelligenda sint privilegia Religionis S. Dominici circà Rosarium.*
8 *De Constitutione 115. Clem. VIII. non erigendi plures Confraternitates eiusdem tituli, vel instituti.*
9 *In eadem Ecclesia permittenda non est erectio plurium Altarium ejusdem Invocationes.*
10 *An quis possit prohibere alteri ejusdem nominis vel cognominis usum.*
11 *De distantia servanda inter Ecclesias, & Monasteria.*
12 *De conclusione, de qua n. 8. & quomodo illa practicari ac intelligi debeat.*
13 *Quatenus eiusdem instituti plures adsint Confraternitates, quomodo solemnitàs per eas celebrari debeat.*

DISC. X.

CIrcà initia Advocationis, quibus ex Curiæ stylo hujusmodi negotia magis congrua esse solent, plures tractavi controversias in Sacris Congregationibus Concilii, Episcoporum & Rituum, super præeminentiis Ecclesiasticis, præsertim verò in una *Mediolanen.* Cùm enim in Ecclesia Collegiata S. Laurentii Mediolani, aliisque Ecclesiis, cum Archiepiscopi auctoritate erectæ essent aliquæ Confraternitates sub invocatione Sanctissimi Rosarii, se opposuerunt PP. S. Dominici, prætendentes hujusmodi erectiones fieri non potuisse, Tum ob alias Confraternitates sub eadem invocatione, & titulo jam erectas & existentes, Tum ex *Constit. 86. Pii V.* disponente, ut non nisi de consensu Pat. Generalis d. Religionis, ad hujusmodi erectiones procedi valeat, Undè introducta causa in Sacra Rituum Congregatione, prodiit resolutio pro ipsarum Confraternitatum valida erectione, dummodò tamen major solemnitas Rosarii diversis temporibus & debus respectivè ad tollendas confusiones ac æmulationes celebraretur.

In hac autem disputatione, scribens pro dicta Ecclesia S. Laurentii aliisque Confraternitatibus, seu Ecclesiis, duas constituebam inspectiones, Unam circà *dictam Constitutionem 86. Pii V.* Alteram in terminis juris communis; Quoad primam, quicquid sit, an hujusmodi Constitutio contineretur sub generica abrogatione facta *per Gregorium XIII.* successorem *Constit. IX. §. 6.* de privilegiis quæ cum nimia liberalitate per *Pium V.* Regularibus concessa fuerant, redactis ad terminos juris communis, & Sacr. Concil. Trid. Adhuc admissa ejusdem Constitutionis subsistentia, dicebam, etiam cum sensu veritatis, eam procedere, ac intelligendam esse respectu aliorum Regularium, seu etiam sæcularium inferiorum, nè scilicet in eorum Ecclesiis vel Capellis hujusmodi erectiones facere possent sine consensu Generalis illius Religionis, cujus istud est particulare institutum; Secùs autem ubi id sequitur cum auctoritate Episcopi, seu alterius Ordinarii loci, qui pro animarum salute, vel populorum spirituali consolatione, ita expedire judicet, quoniam, cùm dicta Constitutio nullam Episcoporum seu Ordinariorum mentionem faciat, neque eorum adimat auctoritatem, ista semper in hujusmodi particularibus privilegiis excepta censetur, ex collectis *apud Roias dec. 28.* & habetur occasione privilegiorum super exemptione frequenter *sub tit. de jurisdictione.*

Ut enim habetur *dict. tit.* de jurisdictione præsertim *in Panormitana, disc. 31.* Regulares quantumvis exempti & privilegiati, circà ea quæ concernunt Divinorum administrationem populo, dicuntur operarii in vinea Domini, subordinati proindè Episcopo vel Ordinario, qui est illius vineæ Præfectus, & major Custos, sive dicuntur ministrantes illius gregis, cujus Episcopus, vel Ordinarius est Pastor; Et consequenter prorsus improbabile dicebam, quod Ordinarius, & Superior, dependentiam habere debeat à subditis & inferioribus, solumque ponderabam, hujusmodi Religiosos, ex dictæ Constitutionis dispositione vel ratione, dicendos esse legitimos contradictores, atque aliquod peculiare jus habere se opponendi hujusmodi novis erectionibus coram Ordinario, cujus tamen potestas exindè coarctata non remaneat, determinandi id quod ex locorum qualitate, aliisque circumstantiis magis expedire judicaverit.

Quod clarè comprobari observabam *ex Constitutione 21. Sixti V. §. 5.* per quam dicto Generali conceditur facultà erigendi hujusmodi Societates vel Congregationes, ubi jam erectæ non adessent, de Ordinarii tamen loci licentia & consensu, ergo prorsùs vanum est assumptum, quod hujusmodi facultas competeret privativè ad ipsum Ordinarium; Et clarius

clarius per *Constitut. 115. Clementis VIII.* disponentem hujusmodi facultates, & præeminentias Regularibus, aliisque inferioribus competentes, locum non habere nisi accedentibus licentia, & consensu Ordinarii loci, ad quem regulariter & privativè pertinet hujusmodi novas erectiones Confraternitatum, & Congregationum auctorizare, ut decisum per eamdem Sac. Rituum Congregationem testatur *Barbos. de universo jure Eccl. tit. lib. 2. cap. 11. numer. 77. & in summa Apostolicarum decisionum* verbo *Confraternitas collect. 207. n. 15.*

Quodque facultates & præeminentiæ PP. Sancti
7 Dominici competens, circà Congregationes vel respectivè festivitates Rosarii, procedant solùm in eorum Ecclesiis, non autem extrà, decisum per Sac. Congregationem Episcoporum & Regularium testantur *Ricciul Gavante, Lezana* & cæteri collecti per *eumdem Barbos. in eadem summa* verbo *Rosarium, Collect. n. 657. num. 4.* unde propterea quo ad hanc primam inspectionem casus videbatur planus pro hac parte.

8 Quo verò ad alteram inspectionem, circumscripta etiam dicta peculiari præeminentia, admittebam quod ex dispositione vel intentione juris communis vel Apostolicarum Constitutionum, hujusmodi novæ erectiones, quoties jam adsunt aliæ ejusdem instituti, regulariter admittendæ non sunt, ut disputavi in una *Baren.* in Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium pro impedienda nova erectione Congregationis, seu Confraternitatis sub invocatione *sancti Antonii Patavini*, stante quod in Ecclesia Minorum Conventualium ejusdem Civitatis illa jam aderat erecta, dum eadem *Constitutio 115. Clementis VIII.* prohibet hujusmodi pluralitatem Confraternitatum seu Congregationum ejusdem nuncupationis & instituti in eodem loco, Quam Constitutionem esse in viridi observantia constat ex pluribus declarationibus ejusdem Sac. Congregationis Rituum, præsertim *in Albinganen. 11. Novembris 1641. in Eugubina 23. Martii ejusdem anni, in Casalen. 12. Ianuarii 1647.* & in aliis.

Idque summa ratione ob æmulationem exinde
9 resultantem, scandalorum & inconvenientium frequentius productivam, Unde propterea, etiam ex juris dispositione vel ratione si in una Ecclesia adest Altare cum devota imagine permittenda non est erectio alterius Altaris cum eadem imagine, & sub eadem invocatione, ut per *Genuen. in praxi Archiep. Neapolis cap. 109. num. 8.* & benè confert. *dec. 847. Seraphini*, & advertitur etiam *in Romana commemorationis defunctor. 9. Iunii 1666. Otalora.*

Et in simili habemus in eo qui prævenit, in se
10 denominando de aliqua familia seu cognomine, ut jus habeat prohibendi alteri in eodem loco novam ejusdem cognominis seu intitulationis assumptionem, quoties de præsenti, vel tractu temporis id aliquod præjudicium sibi generare potest, quia licèt nomina sint ad placitum, secùs tamen est, ubi exinde alterius præjudicium oriri potest *Cassan. in catalogo glor. Mundi par. 1. consider. at. prima conclus. 21. Cavaler. decis. 549. num. 2. Rota in Ampurien. denominationis Canonicorum seu Capituli 20. Aprilis 1646. coram Meltio*, de qua habetur suprà *in Ampurien. Cathedralitatis, seu unionis, disc. 7.* Ad quod etiam conferunt, quæ pluries ha-
11 bentur *sub tit. de Regularibus* de non erigendo Monasterio vel Ecclesia intrà certam distantiam, de quo *in Ianuen. privilegiorum coram Rotas dec. 327. & 356.* & latiùs in eadem coram *Corrado par. 10. rec. decis. 337.* cum similibus.

Dicebam tamen, etiam cum sensu veritatis,
12 istam esse quæstionem potiùs facti quàm juris, non admittentem proinde certam generalem regulam seu decisionem, quæ tota pendet ex locorum qualitate, populi numero, more regionis aliisque factis circumstantiis, ex quibus pendet, an id sit concedendum vel denegandum, unde propterea in dicta *Baren.* Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium, in qua ea controversia, disputata fuit, id remisit arbitrio Ordinarii; Idemque sequutum fuit in una *Andrien.* per me pariter disputata in Sac. Congregatione Concilii; Cùm enim in dicta Civitate, nullas habente Parochias distinctas, cura animarum absque limitum distinctione promiscuè exerceatur in Ecclesia Cathedrali, & in Ecclesia Collegiata sancti Nicolai, quarum utraque numerosum habet Clerum, Atque in Collegiata erecta esset quædam Confraternitas sub invocatione *B. Mariæ de Monte Carmelo* cujus dies festivus cum magna solemnitate celebrari solita erat, Hinc ob nimiam æmulationem inter has duas Ecclesias & Capitula vigentem, erecta fuit etiam in Cathedrali consimilis societas sub eadem invocatione, atque recurrente prima societate ad Sacram Congregationem Concilii pro ea prohibenda, attamen stante qualitate Civitatis ac populi numero, rejecta fuit oppositio, remittendo totum arbitrio Ordinarii, cum ea tamen lege ut solemnitas diversis diebus celebrari deberet ut etiá in Urbe servatur ut infrà.

Si ergò multiplicatio admittitur in hujusmodi inferioris ordinis Civitatibus, multo magis & indubitanter in magnis & Metropoliticis primæ classis, in quibus, ut præsertim docet observantia Urbis, quæ longè minorem habet populum, quàm dicta Civitas Mediolanen. hujusmodi multiplicatio Confraternitatum seu Congregationum ejusdem instituti passim practicatur, ideoque deferendum est judicio Ordinarii, quod præsumitur rationabile, donec constet de irrationabilitate, juxtà ea, quæ habemus in proposito judicii Ordinarii in præelectione, in concursu ad Ecclesias Parochiales ad formam Concilii, cum similibus.

In dicta verò *Andrien.* postquam determinata
13 fuit prima controversia super utriusque Confraternitatis continuatione, alia exorta fuit super celebratione festivitatis cum processione, aliisque solemnitatibus, quia cùm id per utramque eadem die fieret, stante æmulatione Cleri, & successivè populi, multa exinde resultabant inconvenientia, unde propterea re denuò delata ad eamdem Sac. Congregationem Concilii, quamvis Ego scribens pro Collegiata, præsupposito, juxtà Urbis observantiá, quod hujusmodi solemnitas diversis diebus demandanda esset, insisterem ad istam Ecclesiam Collegiatam ratione antiquioris instituti spectare debere præeminentiam celebrandi dictam solemnitatem in ipso die festi 16. Julii, Nihilominus ob præeminentiam Ecclesiæ Cathedralis, Sac. Congregatio, & quidem probabiliter, contrarium decrevit, quod scilicet in ipso die festi solemnitas celebraretur per Cathedralem, per Collegiatam verò in Dominico subsequenti, aliæq; plures habitæ fuerunt controversiæ super terminis faciendi utramq; processionem respectivè, ac super ejusdem processionis modo, quæ omnes cum quibusdam prudentialibus temperamentis sopitæ fuerunt, satis deferendo, ut par est, Ordinarii judicio & arbitrio.

ASSISIEN.
OBLATIONUM.
PRO
MINORIBUS CONVENTUALIBUS,
CUM
MINORIBUS OBSERVANTIBUS.

Casus variè decisus per Rotam.

De præeminentia quam Conventuales habent celebrandi solemnitatem Portiunculæ in Ecclesia S. Mariæ Angelorum, & percipiendi oblationes eadē die in Ecclesia factas, Et an hoc jus percipiendi oblationes dicatur de congruo compensabile cum consimili emolumento pecuniario in aliis effectibus assignatis. Et aliqua de dominio & pertinentia hujusmodi oblationum in Ecclesiis minorum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De causa decisionibus.*
3 *Distinguuntur puncti, seu inspectioones quæstionis.*
4 *Læsio ut dicatur enormis, & apta ad rescissionem, debet excedere dimidium.*
5 *Rigorosa probatio valoris regulatur à decennio.*
6 *Incerta non computantur in valore, seu fructu.*
7 *Ad regulandam læsionem attenditur tempus contractus, non autem futurus incertus eventus.*
8 *Læsio, ubi est ultrà bessem dicitur enormissima.*
9 *Tempus calamitosum non attenditur pro regulando valore, & num. 11.*
10 *Quando incerta computentur in valore.*
11 *Declaratur conclusio, de qua n. 9.*
12 *Quomodo facienda sit recompensa æstimatio de redditu ad redditum.*
13 *Redditus habentes admixtam jurisdictionem, seu præeminentiam longè plus æstimantur.*
14 *Bona & jura Ecclesiarum, & Conventuum Religionis Minorum sunt in dominio Ecclesiæ universalis.*
15 *Lædi non dicitur ille, qui precario possidet rem, si hæc ei à Domino tollatur.*
16 *Declaratur conclusio, de qua n. 14.*
17 *Oblationes pertinent ad Rectorem Ecclesiæ, cui fiant.*
18 *Papa est Dominus bonorum Ecclesiarum, & potest ea unt tollere, & alteri dare.*

DISC. XI.

1 POstquam circà annum 1400. in Sacro Conventu Assisii aliqui Religiosi quamdam strictioris vitæ normam, seu reformationem introduxerunt, redeundo ad primævum summæ paupertatis institutum, à quo Religio Minorum ex privilegiis in aliquo deviaverat; Cùm hujusmodi vitæ diversitas in eadem domo aliqua pareret inconvenientia, Hinc proinde de anno 1415. inducta fuit quædam separatio, quod scilicet Patres dicti Sacri Conventus juxtà privilegia viventes, *Conventuales* ferè ab initio Religionis nuncupati, ut constat *ex Constitutione 7. Innocentii IV.* assignarunt dictis Patribus reformatis, qui *Observantes* nuncupantur, Ecclesiam S. Mariæ Angelorum, reservata præeminentia celebrandi solemnitatem consecrationis ejusdem Ecclesiæ, quæ vulgò *Portiuncula* nuncupatur, & jure percipiendi oblationes ejusdem diei, quæ est secunda mensis Augusti, atque ita observantia dedit, quod scilicet Guardianus & Patres dicti Sac. Conventus, processionaliter dicta die accedunt ad prafatam Ecclesiam S. Mariæ pro hujusmodi solemnitate celebranda, dictasque oblationes percipere consueverunt; Cùm autem tractu temporis, dictæ oblationes aliqua causarent dissidia & scandala inter ipsos utriusque instituti Religiosos, Hinc proinde *Urbanus VIII.* de anno 1642. de consensu etiam P. Generalis Conventualium, ad hujusmodi scandalorum occasionem tollendam, oblationes prædictas concessit ipsis Observantibus Conventus Sanctæ Mariæ, dando in recompensam Conventualibus Sacri Conventus scuta bis mille investita in tot loca Montium cameralia, quorum fructus ad rationem, tunc currentem quatuor cum dimidio pro quolibet, constituebant summam scut. 90. ad quam, ex peræquatione proximè elapsi decennii, compertum fuit dictas oblationes ascendere; Verùm eorumdem Conventualium Generalis immediatus successor, judicans hujusmodi innovationem, tam dicto Conventui, quàm universæ Religioni nimis præjudicialem esse, non tàm in interesse bursali, quàm in jurisdictionali præeminentia, recursum habuit *ad Innocentium X.* immediatum *Urbani* successorem, à quo in plena Signatura gratiæ, utraque parte audita & informante, prævia aperitione oris adversus clausulas contentas in Brevi Apostolico desuper expedito, ejusque reductione ad viam juris, commissa fuit causa in Rota *coram Albergato.*

Et dato dubio, *An constaret de læsione*, sub diebus 4. *Martii 1652.* & 4. *Ianuarii 1653.* affirmativè responsum fuit, quarum prima est *dec. 222. par.* 2 *11. rec.* quibus decisionibus editis, ac juxtà stylum in alia disputatione præsupponendis, datum fuit novum dubium, *An Breve Urbani suffragaretur*, quod pariter ad favorem Conventualium sub die 30. *Aprilis 1660.* resolutum fuit negativè; Verùm concessa nova audientia, in repositione dubii, an standum esset, nec ne in hoc ultimo loco decisis, mandatum fuit revideri dictas priores decisiones super læsione, unde assumpta desuper disputatione, *sub die 9. Decembris 1661. coram eodem Albergato*, ab eis recessum fuit, dictaque resolutio confirmata 20. *Ianuarii 1663.* & in hoc statu causa reperitur, probabiliter ulteriorem non habitura progressum.

In hujusmodi autem disputationibus habitis, tàm in signatura gratiæ, quàm in Rota, duo fuerunt principales puncti, seu inspectiones, primò scilicet, posito dominio & pertinentia hujusmodi 3 oblationum ad Sacrum Conventum, atque considerando dictam innovationem tanquam simplicem conventionem, & contractum inter partes, ita ut beneplacitum Apostolicum considerandum foret tanquam solemnitas necessaria ad formā *Extravag. ambitiosæ* in alienatione bonorum & jurium Eccle-

six,

siæ, etiam si in aliam Ecclesiam fieret, An scilicet adesse diceretur læsio talis, quæ contractus nullitatem, vel rescissionem induceret; Et secundò, an in hujusmodi actu, Papa adhibuisse videretur suam supremam potestatem disponendi de hujusmodi oblationibus tanquam spectantibus ad ipsum, & Ecclesiam Romanam, eas auferendo uni Conventui, cui per prius Sedes Apostolica precariò concesserat, seu alias competebant, & concedendo alteri.

Quoad primum, scribentes pro Observantibus, 4 seu Conventu sanctæ Mariæ Angelorum dicebant, ad effectum læsionis habilis ad annullationem, vel reciss ionem contractus, requiri eam esse enormem, excedentem dimidium juxtà dispositionem textus *in l. 2. Cod. de rescind. vendit.* quæ canonizata etiam videtur per jus canonicum in *cap. 2. & 3. de emptione & venditione*, & cum cujus terminis passim proceditur, exceptis locis, in quibus per statutum seu consuetudinem aliàs dispositum sit, ut est in Urbe, ubi sufficit læsio in tertia parte, ex iis, quæ pluries habentur deducta in sua materia *sub tit. de emptione & venditione.*

De hoc autem excessu, quem receptum & indubio non præsumi, sed esse probandum per allegantem læsionem tanquam suæ intentionis fundamentum, dicebant absque dubio non constare, quoniam posita etiam hujusmodi oblationum cer- 5 titudine, Adhuc facta peræquatione decennii proximè præcedentis, quæ est magis rigorosa forma probandi annuum valorem seu redditum, etiam ubi agitur de materia objectiva ex deductis *per Gomes. in regula de valore quæst. 12. & Lotter. de Beneficiis lib. 3. quæst. 20. & lib. 1. quæst. 43.* ac habetur frequenter *sub tit. de Beneficiis*, & sub altero *de pensionibus*, constabat eas non ascendere ad dictum redditum scut. 90. qui datus fuerat pro recompensa; Multò magis stante dictarum oblationum incertitudine, utpote pendentium à mera voluntate & devotione peregrinorum & aliorum ad dictam 6 solemnitatem confluentium, Deducendo in id ea, quæ habentur per Beneficialistas *in Regula de valore*, super hujusmodi oblationibus, & incertis emolumentis in valore non computandis, & de quo in sua materia *sub tit. de Beneficiis*, ac altero *de pensionibus*, magis verò ex professo *in Lucana Prioratus sub tit. de Iurepatronatus.*

Et ad sub sequutam dictæ recompensæ diminutionem ob diminutos fructus locorum montium cum probabili timore majoris diminutionis indies, respondebant, atque ultimæ decisiones revocatoriæ responsionem amplexæ sunt, quod ad regulandam læsionem, attendendum est tempus contractus, non autem futurus contingibilis eventus, qui ita potuit esse uni parti, ac alteri damnosus, nam econversò potuissent non diminui fructus locorum 7 montium, & diminui, seu cessare oblationes, unde non cadit læsio *ad notat. in l. si factum retis ff. de action. empti*, Bart. *in l. cotem ferro §. qui maximos num. 6. de publican.* Gratian. *discept. 435. numer. 15. & sequen. & discept. 756. numer. 8. cum sequen.* Giurb. *decis. 105. num. 2.* Rot. *dec. 629. num. 3. par. 4. rec. & 281. num. 3 par. 6.*

Econversò autem, Ego & cæteri scribentes pro hac parte, principaliter insistebamus in eo, quod hujusmodi oblationum redditus per longum 40 & ultrà annorum spatium continuatum ex libris Sac. Conventus benè adminiculatis justificabantur importare scut. 300. & ultrà, unde propterea læsio remanebat enormissima utpote excedens etiam in besse, qui juxtà opinionem in Rota receptam re- 8 putatur sufficiens ad enormissimam redolentem dolum præsumptum, inductivum etiam nullitatis ex deductis apud *Fontanell. decis. 64. cum seq. Rot. in Romana transactionis 15. Decembris 1619. 19. Aprilis & 28. Iunii 1660. coram Verospio & in dicta sua materia sub tit. de emptione & venditione*; Nullatenus curata dicta peræquatione ultimi decennii tanquam in tempore accidentali propter pestem & bella, quæ Italiam vexaverant, impedientia concursum peregrinorum, à quibus hujusmodi oblationes obveniunt, ex conclusione, tàm in beneficialibus, quàm etiam in materia alienationis bonorum Ecclesiæ, vera & recepta, quod in regulando valore, tàm in sorte, quàm in fructu, attendendum non est tempus calamitosum pestis 9 vel belli seu accidentale, *Gratian. discept. 45. num. 11. & 12. Contr. controv. 90. num. 2. & per tot. Seraph. dec. 1073. num. 4. dec. 65. numer. 7. & decis. 78. num. 1. & 2. par. 2. divers. dec. 129. num. 10. par. 7. recent. & frequenter habetur sub tit. de Regalibus*, ac etiam *sub tit. de locato* in proposito restaurari propter pestem ac etiam deducitur in duabus primis decisionibus, quæ motivum amplexæ sunt, quarum prima est impressa ut supra *dec. 222. par. 11. rec.*

Ad objectum verò incertitudinis, respondebamus quod licèt regulariter hujusmodi oblationes, tanquam incertæ non veniant in valore, nihilo- 10 minus quando per longum & continuatum temporis intervallum observantia eas probavit indeficientes, ac penè uniformes, ita ut de facili invenirent conductorem pro certa pensione, tunc pro redditu certo reputandæ veniunt, juxta celebrem doctrinam *Ancharani in clem. unica num. 4. de concess. præben.* ubi de oblationibus fieri solitis in Ecclesiis sancti Antonii Venetiarum, & sanctæ Mariæ de Bononia, Et comprobat practicum exemplum Urbis in oblationibus, quæ fiunt in Ecclesia sancti Antonii Abbatis, Et quæ *Ancharan.* doctrina apud Beneficialistas est communiter recepta, *ut apud Lotter. lib. 2. quæst. 42. num. 63.* cum aliis in duabus primis decisionibus.

Reflectendo autem ad veritatem, quamvis tuta & solida esset hæc responsio data ad objectum incertitudinis, quia incerta non dicuntur ea quæ longum & continuatum experimentum certificasse videtur, Minus tamen tutum credebam dictum læsionis fundamentum deductum ex majori summa percipi solita, antequam pestis & belli calamitates in Italia contingerent, quoniam licèt vera pariter sit dicta conclusio de non attendendo tempus accidentale pro regulando valore, Attamen 12 id rectè procedit, quando accidens est ad breve tempus, puta unius, duorum, vel trium annorum &c. ita ut cessato illo accidenti fiat reversio ad priorem statum, ut contingit, quando agitur de accidentibus naturæ in fructuum productione, sive de accidenti belli transeuntis, non autem permanentis; Secus autem ubi agitur de bello humano notabili tempore in aliqua Provincia vel Regione continuato, sive etiam de bello divino pestis, quoniam utrumque infortunium depauperat regionem hominibus nec non bonis fortunæ, ac etiam industriis & devotione, ita & taliter, quod ipsis infortuniis cessatis, non exinde fit reversio ad priorem statum, pro cujus reintegratione vix in-

tegrum sæculum sufficere solet, ut frequenter in proposito damnorum resultantium ex peste ponderatur *sub tit. de Regalibus* ad materiam Salinarum & vectigalium, & est recepta distinctio in materia contractus censualis circa fundi censiti capacitatem, & respectivè deficientiam cum similibus.

Potissimè verò ac extrà difficultatem, ita comprobante subsequuta observantia post hujusmodi innovationem per duo continuata decennia, Ac etiam ea accedente viva ratione, quàm frequens & quotidiana experientia docet, refrigerationis scilicet cursu temporis hujusmodi concursuum & devotionum, ut in tot aliis antiquis Sanctuariis conspicimus, & sic revera istud motivum læsionis, & damni bursalis, commensurandi de quantitate ad quantitatem, ad seu de summa ad summam parùm solidum erat.

Adhuc tamen retentis terminis hujus primæ inspectionis, absque mixtura Apostolicæ auctoritatis, sed pro solo jure privato contrahentium, credebam indubitanter adesse plusquam enormem lasionem, Tum ob longam differentiam militantem inter unam redditus speciem, & alteram, unde
12 propterea non tanti æstimandus est redditus resultans ex pecunia investita in locis montium, vel censibus, quia de facili diminutionibus, ac etiam totali peremptioni subjacent, ideoque non benè procedit peræquatio de summa ad summam, quoniam, ut advertitur *sub tit. de feudis disc.* 19. & 24. & in aliis eod. tit. videmus, quod feuda & bona jurisdictionalia devolutioni non subjecta æstimantur pro medietate plus in sorte, seu dimidiato fructu, quàm bona allodialia, *ut apud Merlin. dec.* 702. *num.* 56. *& sequen. aliàs* 94. *par.* 7. *rec.* Et in ipsismet allodialibus videmus quod canones æstimantur ferè in medietate plus quàm census, & loca montium ob majorem certitudinem perpetuitatis.

Tum clarius quia jus percipiendi hujusmodi oblationes in ista Ecclesia, quæ est caput & Metro-
13 polis totius Ordinis Observantium, nedum considerandum est pro solo interesse bursali compensando cum æquivalenti summa, sed principaliter pro jure honorifico & præeminentiali, influente in universam Religionem Conventualium, cùm id clarè comprobare videatur primogenituram, seu matricitatem alterius, unde propterea remanet pretio inæstimabile, ut *ex Anania in cap. super sub numer.* 15. *de rebus Eccles. non alien.* advertitur apud *Merlin. dicta dec.* 702. *aliàs* 94. *part.* 7. *rec. numer.* 55. *& sequen.* & benè *decis.* 336. *numer.* 29. *cum sequen. par.* 10. *rec.* ubi quod utilitas non regulatur ex solo valore reddituum, sed ex qualitate proprietatis jurisdictionalis seu præeminentialis & honorificæ; Et quidem prorsus incongruum esset asserere, quod census vel tributum aliquorũ scutorum auri & unius equi Sedi Apostolicæ in die S. Petri solvi consuetum pro Regno Neapolitano, esset de congruo compensabile cum assignatione tantæ pecuniæ, quæ investita in loca montium vel alia bona privata importaret eumdem redditum, habita sola ratione utilitatis bursalis, ac facta peræquatione de summa ad summam, Ac propterea, his terminis retentis, cum sensu etiam veritatis, dicebam lasionem esse incontrovertibilem, atque priores resolutiones esse omninò probabiliores, & solidas, potissimè quia in alienatione bonorum vel jurium Ecclesiæ læsio non regulatur juxtà terminos *tex. in l.* 2. *C. de rescin. vend.* cùm actus dicatur læsivus eò ipso, quod non tendit in Ecclesiæ utilitatem, ut in sua materia *sub tit. de alienat. & contract.* & alibi, quia est principium certum.

Major igitur ac tota difficultas residebat in altero puncto Apostolicæ potestatis, quod scilicet hu- 14
jusmodi oblationes in sua origine, ob istius Religionis incapacitatem, essent in dominio & pertinentia Ecclesiæ Romanæ, vel Sedis Apostolicæ juxtà dispositionem *textus in cap. exiit de verb. signif. & Clem. exivi eod. tit.* & pluries *sub tit. de Regularibus*, atque per eamdem Sedem precario essent concessæ sub *Eugenio IV.* & successivè sub aliis Pontificibus huic Sacro Conventui, qui proinde possedit ejusdem Sedis & Ecclesiæ universalis nomine, ex regula quod jus pertinere dicitur ad illum, cujus nomine possidetur *ad notat. in cap. si di-* 15
ligenti de præscript. & l. quod meo ff. de acquir. possess. cum concord. collectis in duabus ultimis decisionibus revocatoriis, unde propterea infertur, nullam exinde resultare læsionem, si rei Dominus ejus liberam habens dispositionem, illam uni aufert, & alteri tribuit.

Istud motivum ita simpliciter consideratum, cum illis regulis generalibus, quæ deducuntur in dictis ultimis decisionibus revocatoriis, reflecten- 16
do ad veritatem, videbatur minus tutum, quoniam ideò hujusmodi oblationes importantes emolumentum pecuniarium circa hujus Religionis initia esse dicebantur penes Ecclesiam universalem, per quam precario concedi consueverunt, non ipsi Religioni vel Conventui utpote incapaci, sed potius cuidam syndico seu administratori laico, ut eas nomine ejusdem Sedis seu Ecclesiæ percipiendo, erogaret in fratrum & Conventus necessitates, quia juxtà primævum institutum obstabat incapacitas, eo modo quo ad normam *dicti cap. exiit, & Clement exivi, ac Sac. Concil. Trid.* docet quotidiana praxis in Religionibus Capuccinorum, & Observantium, etiam reformatorum; Cumque deinde dictus Sacer Conventus, ac universa Religio Conventualium capacitatem acquisierint ex privilegiis; Hinc proinde tanquam per cessationem impedimenti, resolutum fuit dictum intellectuale dominium Sedis Apostolicæ, seu Ecclesiæ universalis, atque subintravit dispositio juris communis, qua attenta, oblationes, quæ fiunt in Ecclesia, ad
ipsum ejusque Rectorem pertinent, ex deductis a- 17
pud Merlin. dec. 257. *alias dec.* 37. *par.* 5. *rec.* ubi concordantes, Et sic revera cessaverat istud dominium, potissimè ob superventam *Constitutionem* 23. *Leonis X.* per quam hujusmodi Religiones omninò separatæ fuerunt, cum tam majoribus præeminentiis & prærogativis huic modernæ Observantium concessis, confirmando Conventualibus dictam capacitatem possidendi bona stabilia & redditus.

Verùm difficultatem mihi faciebat consideratio, quod hujusmodi innovatio, non processerit ex sola privata partium conventione, quam deinde Papa simpliciter approbasset, juxtà speciem illius beneplacit Apostolici, quod concedi solet pro
solemnitate requisita per *Extravag. ambitiosæ de* 18
reb. Eccles. non alien. quibus terminis retentis, clàram & incontrovertibilem credebam læsionem S. Conventus & universæ Religionis, clarumque ac certum hujus partis bonum Jus, sed id gestum erat per Papam motu proprio ad tollendas occasiones scandalorum & inconvenientium exinde resultantium, causa cognita & pro publica utilitate Ecclesiæ Universalis seu Reipublicæ Christianæ, ut ipsa facti series comprobare

vide-

videbatur, Et clarius comprobabat atteſtatio Cardinalis ejuſdem Pontificis nepotis, de ejus mente informatiſſimi, & quæ atteſtatio fuit potiſſima cauſa ultimarum reſolutionum, Tum ex veriſimili notitia voluntatis Papæ, Tum ex conſtanti opinione ſummæ integritatis ac rectitudinis ipſius atteſtantis, cui proinde meritò deferendum eſſet.

Unde propterea Papa, tanquam abſolutus Dominus bonorum omnium Eccleſiarum, accedente potiſſimùm dicta cauſa publica, potuit ſine dubio tollere iſtas oblationes priori Eccleſiæ poſſidenti, & tradere alteri, cui magis de congruo debitæ viderentur etiam ſine aliqua recompenſa ut videmus de tot Monaſteriis, & Abbatiis quæ prius poſſidebantur per Benedictinos, & Ciſtercienſes, ac alios Monachos, conceſſis Sac. Religioni Hieroſolymitanæ, aliiſque Religionibus, ſeu commendariſolitis, potiſſimè dum agitur de oblationibus, quæ fiunt in ipſamet Eccleſia, ac etiam quia quodammodo in his Obſervantibus de familia ceſſare videtur illa incapacitas quæ antiquitus obſtabat, unde potuiſſet id agere etiam ſine recompenſa quam tamen dare voluit ad quamdam ſuperabundantiam, ideoque intrare non videbantur termini *textus in l. 2. de reſcind. vendit.* minuſque *alii extravag. ambit.* ſed totum punctum conſiderabam conſiſtere in voluntate Papæ, & quid facere voluerit, qua voluntate poſita, juxtà dictam atteſtationem, Egomet ſentiebam difficultatem.

NEAPOLITANA CAPPELLÆ

INTER

CIVITATEM, & CAPITULUM METROPOLITANÆ.

Diſcurſus in congreſſu pro eruenda veritate.

An patroni laici, ſive Cappellani, & miniſtri particulares alicujus Cappellæ exiſtentis in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, jus habeant prohibendi Canonicis, & Capitulo ejuſdem Eccleſiæ ingreſſum in Cappellam cum habitu, & præeminentia Canonicali, & ne actus præeminentiales ibi exercere valeant.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Dominus prohibere poteſt aliis, ne propriam domum, ſeu proprium fundum eo invito ingrediantur.*
3 *In præeminentiis non habetur ratio de qualitate perſonali, ſed de officio, vel munere.*
4 *Laicus an ſit capax cuſtodiæ Reliquiarum.*
5 *Patronus laicus non eſt Dominus Eccleſiæ, vel Cappellæ, ſed ſolùm habet jus honorificum.*
6 *Ius patronatus continet meram gratiam.*
7 *Patronus ſepulturæ prohibet inferri aliena cadavera.*
8 *Cappella de jurepatronatus non deſinit eſſe de Eccleſia.*
9 *De obſervantia Cappellarum* Sixti, & Pauli *in Baſilica S. Mariæ Majoris.*
10 *Argumentum à contrario ſenſu, quando intret.*

DISC. XII.

CUm in Eccleſia Metropolitana Neapolis multæ inſignes Reliquiæ, illæ præſertim capitis, & ſanguinis S. Januarii, in quibus cernitur quotidianum adeò celebre miraculum, aſſervarentur in quadam antiqua Cappella non omninò indecora, ſed parùm proportionata majeſtati talis Civitatis; Ex voto, cum publico ingenti ſumptu ſcutorum circiter 300. mil. eadem Civitas magnificentiſſimam conſtruxit Cappellam, vulgò nuncupatam *Theſaurus* pro Reliquiis in ea aſſervandis, dictaque conſtructione pendente, obtinuit *à Paulo V.*: ejuſdem Cappellæ juſpatronatus, cum onere erigendi, & dotandi ſex Canonicatus pro ſex novis Canonicis, quorum præcipuum munus verſari deberet circa ipſius Cappellæ cultum, & curam Reliquiarum, quæ cuſtodiri deberent ſub duabus clavibus, quarum una eſſet penès Archiepiſcopum, altera verò penès ipſam Civitatem ejuſque Deputatum; Deindeque mutato conſilio, obtinuit ab *Urbano VIII.* ut loco dictorum Canonicatuum, erigeret 12. Cappellanias pro totidem Capellanis nobilibus platearum, ſeu ſedilium, vel ſaltem civibus per veritatem non per fictionem, quibus dictum munus incumberet; Cumque ab Archiepiſcopo prodiiſſet ſententia pro dictarum litterarum executione, appellationem interpoſuerunt Capitulum, & Canonici, præſertim verò Canonicus *Theſaurarius* nuncupatus, cui priùs cura Reliquiarum in antiqua Cappella incumbebat, unde poſt binam acerrimam diſputationem per Signaturam juſtitiæ commiſſa fuit cauſa appellationis in Rota, cum clauſula, *parito litteris arbitrio.* 1

Verum quia moræ ex hujuſmodi lite reſultantes aliquod ſcandalum in populo parere poterant, Idcircò per *Innocentium X.* cum ſumma prudentia mandatum fuit Nuntio Apoſtolico in ea Civitate reſidenti, Ut quibuſcumq; inhibitionibus Rotalibus non obſtantibus, executioni demandarentur dictæ litteræ *Urbani* ſuper aſportatione Reliquiarum ad novam Cappellam, ac etiam effectuaretur quædam concordia inter Archiepiſcopum, & Civitatem tractata ſuper modo tenendo in futurum, pro ut utrumque de menſe Maii *1649.* ſequutum fuit, me in Curia circa præmiſſa, quamvis adhuc formiter non ſuſcepta Advocatione, tuente partes Civitatis, In qua concordia præ cæteris conventum fuit, quod ubi contingeret Reliquias in Eccleſia exponi, ſive per Civitatem proceſſionaliter aſportari, totum id fieret per Canonicos, abſque eo quod Cappellani poſſent deſuper ſe ingerere, ita tamen quod econverſò Canonici non ſe ingererent in ipſis Reliquiis intùs Cappellam, ſed eas recipere deberent à Cappellanis, eiſdemque reſtituere in ejuſdem Cappellæ limine, ſeu Cancellis; Ac etiam, quod ubi Archiepiſcopus ab ipſa Civitate invitatus ibi ſolemniter celebraret, vel aſſiſteret, tunc totum Capitulum juxtà formam cæremonialis intervenire poſſet, ut Archiepiſcopo aſſiſtentiam, ſeu circulum faceret. Ubi verò miſſam privatam ibidem celebrare vellet, tunc poſſet pro ejus aſſiſtentia, & ſervitio ſecum habere quatuor Canonicos cum cappa, ſeu habitu Canonicali; Qua concordia ſic ſtante, inita tamen

sine interventu Capituli, eaque effectuata, lis ulteriorem progressum non habuit ; Verùm post aliquod notabile temporis intervallum, inter Civitatem, & Capitulum novæ exortæ fuerunt controversiæ, prætendentibus Civitatis Deputatis, extrà casus, ut supra in concordia conventos, non posse Canonicos collegialiter, vel singulariter dictam Cappellam ingredi, ibique assistere cum habitu Canonicali, præsertim verò occasione assistendi Proregi, vel alicui Cardinali, seu Principi dictam Cappellam, & reliquias visitanti, prætendente Civitate hujusmodi assistentiam in ipsa Cappella spectare debere ad ejus Cappellanos, quamvis Capitulum ad formam cœremonialis in porta Ecclesiæ, Proregi, vel alteri Principi occurreret, & respectivè associaretur, Quare Capitulo recurrente ad Sac. Congregationem Rituum, ex meo consilio, prævidendo in hoc Tribunali penè certam succumbentiam, oportunum reputatum fuit reassumi facere causam, ut suprà ab anno 1647. introductam in Rota ad instantiam ejusdem Capituli, consulendo tamen eidem Civitati, ut cum aliquo prudentiali temperamento curaret effugere judiciale experimentum, in quo de succumbentia magis timendum videbatur.

In congressibus autem desuper pro directione habitis, aliqui cum solo lumine naturæ magis quàm cum juris regulis fortè procedentes, erant in sensu, quod probabilis beneque fundata esset intentio Civitatis, ex Apostolica auctoritate Patronæ, & ex eadem auctoritate habentis Cappellanos, & ministros ad præfatæ Cappellæ servitium, & cultum deputatos, se fundantes in regu-
2 la aliàs de jure certa, in claris, ac litteralibus juribus fundata, neminem posse invito Domino alienam domum, sive alienum fundum ingredi, ibique præeminentiales, seu alios facere actus non placitos ipsi Domino à quo prohiberi possunt, qualem credebant esse casum controversiæ, ita proinde sperantes de facili bonum causæ exitum, aliud non deducendo fundamentum nisi illud dictæ regulæ generalis Domini prohibentis non Dominum ingredi domum, vel fundum proprium.

Diversa erat mea sententia, quod scilicet hujusmodi prætensio, quamvis ex more regionis in legibus congruentiæ, & honestatis esset de facto nimium probabilis, eo quia temporum conditio, vel ob pestem, quæ nimis in ea Civitate de recenti crassata erat, vel ex alio accidenti, dabat, quod plures ex Canonicatibus residerent in personis nimium popularibus, unde propterea satis incongruum, &
3 indecorum videbatur, istos Cappellanos nobiles platearum, seu sedilium, ita longè inferiorem, & subordinatam figuram facere debere; Nihilominus de jure id nullum habebat fundamentum, unde propterea persistebam in sensu, quod omninò effugiendum esset judiciale experimentum, atque solum inhærendum esset viis, seu mediis prudentialibus, quoniam in judicio, hujusmodi congruentiæ quæ sunt potiùs de facto, quàm de jure non attenduntur, ut docet quotidiana praxis, tam in Cappella Pontificia, quàm in omnibus aliis congressibus, & functionibus, spiritualibus, & prophanis, quod personæ nobilissimæ, & magnatitiæ qualitatis, etiam primi ordinis, ratione inferioris muneris, quod exercent, obsequium, & servitium præstant personis longè inferioris ordinis per naturam, in majori præeminentia, & dignitate, vel officio constitutis, quia respectus habetur ad munus, non ad qualitatem personalem.

De jure siquidem, prorsus erroneum videbatur dictum assumptum, quod Civitas esset domina Cappellæ, Canonici verò eam ingredientes, sive in ea præeminentiales functiones facientes dicerentur esse in domo aliena, quoniam quicquid sit de quæstione, An Magistratus sæcularis Civitatis, seu alter patronus laicus sit capax custodiæ, & admini- 4
strationis sacrarum Reliquiarum, de quo particulariter agit *Andreol. controv. 380.* ubi plenè substinet affirmativam, ratione cujusdam antiquæ quasi possessionis, seu consuetudinis ; Ista difficultas, in præsenti cessabat ob indultum Apostolicum, per quod expressè Civitati conceditur quædam participatio in sola custodia, mediante retentione unius ex duabus clavibus, Nec non conceditur plena, & independens ejusdem Cappellæ administratio in temporalibus, tanquam in bonis, & juribus ab ipsamet elargitis, unde propterea concessio remanet justa, & rationabilis ; In reliquis autem aliud non habet nisi simplex jus patronatus, quod non præbet dominium, sed solùm quamdam præ-
eminentiam honorificam in ordine ad jus præsen- 5
tandi, vel deputandi Cappellanos, & ministros, quos habiles, & idoneos Episcopus recipere, & instituere tenetur, Vel in ordine ad præeminentias, & honorificentias sæcularibus congruas, sibi discretivè à reliquo populo debitas, aliaque jura recollecta per *Lambertin. & Vivianum in tractat. de jure patr.* & habetur in sua materia, præsertim in *Pampilonen. Cappellæ sub tit. de Iure patr.*

De reliquo enim jus patronatus, quod laicis ratione fundationis, & dotationis conceditur in Ec- 6
clesiis, vel Cappellis, dicitur mera gratia ad allicicndos earum fundatores, seu dotatores, indubitanter autem non importat dominium, ita & taliter quod aliàs etiam laicis non prætendentibus coæquales honorificentias patronales prohibere posset ingressum, cùm hoc jus privativum, seu prohibendi solùm procedat in sepulturis, ad quas, invito patrono, & constructore, inferri non possunt aliena cadavera *ex deduct. per Lotter. de benef. lib. 2 q.* 7
4. Rovit. cons. 75. lib. 2. Gregor. & add. decis. 145. & pluries in dicta sua materia, *d. tit. de jure patronat.* præsertim *in d. Pampilon. Cappella*, ac etiam in aliis *sub tit. miscellaneo rerum Ecclesiasticarum.*

Clariùs verò, ac extrà difficultatem in ordine ad Canonicos ipsius Ecclesiæ Cathedralis, in qua existit Cappella, quæ ob hujusmodi qualitatem non desinit esse pars, & membrum ipsius Ecclesiæ, cujus 8
formale corpus constituitur, seu repræsentatur per ipsum Capitulum constitutivum illius corporis, cujus caput est Episcopus, ut frequenter *sub tit. de jurisdictione*, Ac etiam in *Ampurien. & Civitaten. præcedentiæ hoc tit. disc. 17.* & consequenter, ita potius retorquebatur dicta regula in puncto juris vera, de Domino prohibente non Dominum, ne ipso invito suam domum, vel fundum ingrediatur, ibique actus dominicales, seu præeminentiales exerceat, quoniam laici non Domini prohiberent Capitulum Dominum in domo propria, Cùm tamen ubi agitur de Capitulo Cathedralis, etiam in Ecclesiis alienis, quinimò, & exemptis sibi præeminentiæ, & prærogativæ debeantur juxta distinctionem, de qua in *dicta Ampurien. præcedentiæ & in aliis hoc eodem tit. & in altero de jurisdictione.*

Ad evidentiam verò, & in casu longè fortiori, id comprobari dicebam, ab observantia præsertim duarum insignium Cappellarum *Sixti, & Pauli V.* in Basilica S. Mariæ Majoris, & quæ sunt adeò exemptæ,

emptæ, & privilegiatæ sub jurisdictione proprii protectoris, quod in aliquorum sententia reputantur ac si essent omninò separatæ ab ipsa Basilica, & tanquam sub diverso, & separato territorio, ex iis quæ occasione controversiæ inter dictæ Basilicæ Cardinalem Archiepiscopum, & Cardinalem Protectorē cappellæ Sixtinæ habentur *in Romana Cappellæ, seu præeminentiarum, & in Policastren. dicto titul. de jurisdictione dis. 19. & 35.* & tamen Canonici ipsius Basilicæ absque dubio easdem cappellas ingrediuntur cum habitu canonicali, & præeminentialiter; Imò cum tali præeminentia, quod in functionibus privatis, quando collegialiter assistunt, præcedunt Prælatos quamvis in Episcopali dignitate constitutos jure privato, & sine cappis, tanquam personæ de populo ibi assistentes, ubi docet quotidiana praxis in litaniis, quæ singulis Sabbatis cantantur in cappella Paulina, præsentibus etiam cappellanis in longè humiliori loco existentibus, quamvis essent plenariè exempti à quacumque jurisdictione Archipresbyteri, & Capituli; Multò igitur magis in hac facti specie, in qua agitur de Capitulo Cathedralis, non in Ecclesia aliena, sed in ipsamet Cathedrali, & propria, & quod magis, neque in cappella exempta, sed subdita, cum in litteris *Urbani Octavi* id expressè cautum esset.

Neque videbatur præmissis obstare dictam concordiam, Tum quia illa inita cum solo Archiepiscopo præjudicare non potest Capitulo non intervenienti; Tum etiam quia ex actibus affirmativis in dicta concordia contentis, non benè infertur
10 ad hujusmodi negationem, Atque in iis, quæ juris dispositioni expressè adversantur, non intrat argumentum à contrario sensu, sive ubi absurdum, vel inconveniens aliàs resultaret ex collectis *per Barbos. loco commun. 27. num. 29. & seq. & num. 34. & seq. inter tract. varios*; Est benè verum, quod magna, satisque urgens est, inspecto more regionis, dicta ratio congruentiæ, ob quam semper, laudabiliter, ac prudenter agerent Archiepiscopus, & Capitulum hanc prærogativam adeò magnæ benefactricis Civitatis conservare, ut ita ad magis benefaciendum alliciatur, atque damnandum potius, quam laudandum contrarium.

ROMANA PROTECTIONUM
INTER
CARDINALEM SABELLUM DE PERETTIS,
ET
CARDINALEM PROVINCIALEM MARCHIÆ.

Discursus arbitramentalis in ratione motivandi.

Sub nomine Cardinalium *de familia, parentela, vel sanguine Pontificis Sixti V.* Fundatoris, tales Cardinales vocantis ad protectionem, aliasque præeminentias ejus cappellæ Sixtinæ; An veniant attinentes per cognationem, qui naturaliter sint de sanguine, & parentela, non autem de familia, & agnatione; Et quid de illis qui sunt de familia ficta, seu artificiali per assumptionem, seu aggregationem, aut adoptionem; Et quando hæc fieri possit, & operativa sit in tertii præjudicium, ita ut adoptati, vel allecti *dicantur de familia ad omnes effectus.*

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Remotior non removetur per proximiorem supervenientem.*
3 *Vota, seu difficultates in causa.*
4 *Distinguuntur inspectiones.*
5 *Verbum* familiæ *non convenit cognatis, sed solùm agnatis in fideicommissis, & num. 8.*
6 *Idem in jurepatronatus, & num. 11.*
7 *Contrarium, quod scilicet regulariter, & indefinitè sub nomine familiæ veniant tam agnati, quàm cognati.*
8 *Declaratur conclusio, de qua num. 5. ut procedat de consuetudine Italiæ.*
9 *Consuetudo attenditur in solo casu individuo, & non extenditur.*
10 *Habens pro se regulam dicitur habere intentionem fundatam non docto de limitatione probanda.*
11 *Declaratur conclusio de qua num. 6. & 18.*
12 *In materia juris patronatus, vel alia Ecclesiastica procedendum est cum sensu juris Canonici, non autem civilis.*
13 *Vocabulum* parentela, *quid significet.*
14 *A quo tempore habeatur notitia, & usus legum civilium.*
15 *Quandoque etiam verbum* parentela *importat restrictionem ad agnatos.*
16 *Quid prosit habere pro se regulam, seu vocabuli significationem.*
17 *De verbo* sanguinis, *seu* consanguinitatis, *quid significet.*
18 *De eadem conclusione, de qua num 11. ut in materia Ecclesiastica attendantur vocabula juris Canonici.*
19 *De aliquibus adminiculis voluntatis disponentis.*
20 *Vocatis agnatis, & cognatis videtur attendendus ordo prælationis in agnatis.*
21 *Argumentum absurdorum leve.*
22 *Quando una qualitas alteri addita stet qualificativè, vel amplificativè, ita ut una earum sufficiat.*
23 *Exemplis non est judicandum.*
24 *Cooptati in familiam, illamque artificialiter assumentes habentur, ac si de vera familia.*
25 *Dicta adoptio, seu allectio in familiam an fieri possit in præjudicium substituti, seu alterius vocati, & quando.*
26 *An Civitas possit dare civilitatem forensi in alterius præjudicium, & quando, num 31.*
27 *Adoptiones, seu allectiones tertio præjudiciales non possunt fieri nisi per Principem.*
28 *Vocata familia intelligitur de ea, quæ erat testatori cognita, non de postmodùm allecta.*
29 *Aggregati in familiam an succedant in jurepatronatus familiari.*
30 *In actibus tertio præjudicialibus non attenditur fraus consilii, sed fraus præjudicii, & re ipsa.*
31 *Declaratur conclusio, de qua num 26*
32 *Quando dicatur adesse voluntas fundatoris.*
33 *Magis diliguntur cognati immediatè procreati à fœmina agnata.*
34 *Observantia æquivoca non attendenda.*

DISC. XIII.

1 NTer opera, quæ *Sixtus V.* in ſtatu pauperis Cardinalis, animo Regio, quaſi majoris fortunæ præſcius magnificè initiavit, fuerunt inſignis cappella Præſæpe in Baſilica S. Mariæ Majoris, & Collegium Bononienſe pro ſcholaribus Provinciæ Picenæ, quorum utrumque aſſumptus deinde ad ſummum Pontificatus apicem, perfecit cum ea majori magnificentia, quam Pontificiam majeſtatem decebat, Atque inter plura privilegia dictæ Cappellæ conceſſa, per ejus *Conſtitutionem 58.* fuit illud circa ejus, ejuſque miniſtrorum & bonorum amplam & omnimodam exemptionem à juriſdictione, & ſuperioritate Archipresbyteri dictæ Baſilicæ, aliorumque judicum & officialium, illam immediatè ſubjiciendo Cardinali Protectori, juxtà ea, quæ habentur *in Romana Cappellæ ſeu præeminentiarum*, ac etiam *in Policaſtren. ſub tit. de juriſdictione diſc. 19. & 35.* deputando in primum Protectorem Alexandrum Cardinalem *de Montealto* nuncupatum ejus pronepotem ex filia Camillæ ſororis, aliàs de familia Damaſcena, cooptatum in familiam Perettam in ipſo Pontifice expirantem, decernendo ſucceſſivè poſt dictum Alexandrum hanc protectionem ſpectare debere (per verba præciſa) *ad antiquiorem Cardinalem ex noſtra familia & parentela, vel in ejus defectum provinciæ Marchiæ oriundum, ſeu ſi nullus fuerit, primum Presbyterum Cardinalem pro tempore*, ſubjungendo etiam per verba præciſa, *quod licet nullo exiſtente noſtri ſanguinis Cardinali alius ut ſuprà hujuſmodi munus exercere incœperit, nihilominus ſi poſtmodum contingat aliquem noſtræ familiæ & parentelæ ad Cardinalatus honorem aſſumi, is in ejuſdem muneris aſſumptione præferri debeat, ac deputatio alterius in ipſo ceſſare cenſeatur*; Concedendo etiam ejuſdem cappellæ ac beneficiorũ in ea erectorum juſpatronatus Principi Michaeli pariter pronepoti & in familiam cooptato præfati Cardinalis Alexandri germano fratri, ejuſque deſcendentibus per lineam maſculinam, eaque defecta, deſcendentibus per fœminam, & in iſtius quoque defectum, deſcendentibus ex eorumdem Alexandri & Michaelis ſororibus qu s etiam de Perettis nuncupavit.

In dicto verò Collegio Bononienſi per ejus *Conſtitutionem 89.* per eadem verba præfecit in Protectorem dictum Alexandrum, & ſucceſſivè Cardinalem de familia & parentela, & in iſtius defectum dictum Cardinalem Provincialem, quo etiam deficiente ſuffecit Cardinalem ab ipſis ſcholaribus eligendum; Erexitque etiam in Conventu SS. Apoſtolorum Urbis, cujus ipſe alumnus fuerat, Collegium S. Bonaventuræ, cui etiam Cardinalem protectorem, eodem adamuſſim modo, quo in aliis ut ſupra præfecit, cum hac ſola differentia, quod ceſſantibus Cardinalibus, tam de familia & parentela, quàm de provincia, ſuccederet Cardinalis Protector Ordinis.

Præfato Alexandro Cardinali de Montealto morienti in dictis tribus protectoriis ſucceſſit Andreas Baronus de eodem Oppido Montisalti, Cardinalis *Perettus* nuncupatus, qui præfati Alexandri conjunctus, atque ab eo in familiam cooptatus, ad ejuſdem preces per *Clementem VIII.* ex motivo gratitudinis ergà *Sixtum V.* ejus creatorem, ad hanc dignitatem evectus fuit, eoque defuncto, nullo exiſtente Cardinali de familia, parentela, vel ſanguine Pontificis, dictas Protectorias obtinuerunt Cardinales Provinciales, primò ſcilicet *Centinus* aliàs *de Aſculo*, & ſecundò *Pallotta*.

Eumque de anno 1641. Abbas Franciſcus Peretti unicus filius maſculus dicti Principi, Michaelis effectus eſſet Cardinalis, *de Montealto*, etiam nuncupatus, Hic prætendere cœpit protectorias avocare à Cardinali *Pallotta*, ſed re cognita per quamdam Congregationem particularem *ab Urbano VIII.* deputatam, obtinuit illam cappellæ S. Mariæ Majoris, in qua ſolùm diſponitur, ſupervenientem Cardinalem de familia & parentela hujuſmodi avocationem habere, ſuccubuit verò in aliis, & meri- 2
tò, quia dicta ſpeciali proviſione ceſſante intrat diſpoſitio juris communis, qua attenta, recepta propoſitio eſt, de qua ſæpè *ſub tit. de fideicommiſſis*, ut proximior, ſeu de genere prædilecto ſuperveniens non avocet bona vel jura à remotiori jam admiſſo.

Obiit de anno 1655. dictus Cardinalis *de Montealto* junior, ſcripto hærede cum perpetuo fideicommiſſo, ordine primogenituræ deferendo, proximiore maſculo primogenito ſibi in gradu conſanguinitatis conjuncto cum onere aſſumendi ejus cognomen *de Perettis*, quod verificatum fuit in *Paulo Sabello* filio primogenito Mariæ Felicis germanæ ſororis dicti teſtatoris, nuptæ Principi Sabello, qui hæreditatem agnovit, & cognomen ſuſcepit, ut habetur actum *in Romana, ſeu Venafren. ſucceſſionis feudorum*, & *in Romana donationis ſcutorum 30. m. ſub tit. de feudis diſc. 17. & 23.* Quare Cardinalis *Urſinus* nepos Urſinæ germanæ ſororis dicti Principis Michaelis, tanquam de parentela & ſanguine Pontificis prætenſionem excitavit, quod dicta protectio cappellæ à Cardinali *Pallotta* jam reaſſumpta ſibi debita eſſet, Verùm deputata per *Alexandrum VII.* particulari congregatione, contrà actorem, me pro eo ſcribente, non abſque diſcrepantia de anno 1661. prodiit reſolutio, cujus vigore *Pallotta* continuavit uſque ad obitum; Quamvis enim dictus Paulus Sabellus de anno 1664. ad Cardinalatum promotus eſſet, atque à me, ac aliis conſilium etiam pro veritate habuiſſet ſuper ejus prælatione in dicta protectione cappellæ, ex prudentialibus tamen motivis expectare determinavit præfati *Pallottæ* jam decrepiti ferè imminentem mortem, qua ſequuta initio anni 1668. orta eſt controverſia inter eumdem Cardinalem *Sabellum* ut ſupra effectum *de Perettis*, & Cardinalem *Azzolinum* Provincialem, quam concorditer decidendam remiſerunt in duos Advocatos, me ſcilicet electum ex parte *Sabelli*, & alterum, electum ex parte *Azzolini*, ac unum Prælatum concorditer deputatum tanquam tertium.

Habito igitur congreſſu, auditiſque utriuſque partis Advocatis & procuratoribus, tam oretenùs, quàm in ſcriptis, non levis habita fuit diſputatio, cum doctus quidem ac elaboratus Advocatus electus ex parte Provincialis, pro iſto in omnibus ſentiret, Ego verò electus ex parte Cardinalis de ſan- 3
guine ac doctus & ingenioſus Prælatus electus tanquam tertius ab utroque quamvis de ſtricta juris cenſura dubitaremus quod omnes protectiones debitæ eſſent Cardinali *Sabello*, cui mens, & verba fundatoris aſſiſterent, Nihilominùs cum non ageremus partes judicum, ſed arbitratorum, ex quadã epicheia, Ego mediam viam eligendo, eram in ſenſu, cui Prælatus adhærebat, adjudicandi duas protectorias, cappellæ ſcilicet, & Collegii Bononienſi Cardinali Sabello, tertiam verò Collegii S. Bonaventuræ

venturæ Cardinali Provinciali, omnibus tamen remanentibus in terminis simplicis discursus, & rationis dubitandi absque formali resolutione, ad quam ordinandam ac veritatem indagandam, per utrumque ex nobis Advocatis edita fuerunt motiva seu discursus pro substinendo & comprobando proprio sensu, adhuc tamen indeterminato atque ad effectum ut maturius veritas ita dignosci valeat.

In motivis igitur per me editis, duas efformabam inspectiones, unam considerando dictum
4 Cardinalem *Sabellum* ex ejus sola persona simpliciciter, tanquam filium dictæ Mariæ Felicis, & sic conjunctum per solam cognationem, an scilicet ei convenirent dictarum Constitutionum verba superius registrata, & alteram, quatenùs non, quid operaretur eum esse hujus domus Perettæ, ut suprà, universalem hæredem, & successorem cum assumptione cognominis, dictæque cappellæ patronum.

Quoad primum, dicebam Pontificem fundatorem in omnibus tribus Constitutionibus super hujusmodi protectoriis editis, duos adhibuisse terminos, *familiæ* scilicet & *parentelæ*, in illa verò cappellæ, in parte conditionali, explicando dictos terminos in dispositiva adhibitos, terminum *sanguinis* quoque adhibuisse juxtà superius registrata verba, ibi, *licet nullo existente nostri sanguinis Cardinali &c.*

Quare singulos dictos terminos expendendo ad effectum inspiciendi, an præfato Sabello convenirent, necnè.

Quatenùs pertinet ad primum terminum seu vocabulum *familiæ*, tam scribentes pro Cardinali Provinciali, quàm dictus doctus Advocatus con-
5 judex, principaliter insistebant in dispositione textus *in l. familiæ appellatione 196. ff. de verbor. signif.* ubi clarè disponitur hoc vocabulum non convenire, nisi illis de agnatione, quibus tantùm receptum habemus convenire fideicommissa, quæ ad favorè familiæ ordinata sint, non autè cognatis, remanente solùm quæstione, an veniant solùm illi de familia effectiva, vel etiam illi de contentiva, sive an solùm de familia vera, vel etiam de familia allecta, seu aggregata, ac etiam an veneniant fœminæ juxtà celebre consil. *Soccini apud Curt. cons. 40. Peregr. de fideicom. art. 22. num. 26. Molina de primogentura lib. 3. cap. 4. num. 10. Fusar. de substit. quæst. 351. & cons. 169. & 170 Altograd. cons. 47. 66. 79. & 95. lib. 2. Rovit. cons. 27. & sequen. lib. 1. Monac. decis. Florent. 71. & 72.* ac habetur in sua materia frequenter *sub tit. de fideicommissis.*

Et in terminis etiam jurispatronatus ordinati pro illis de familia, quod procedatur cum eadem regula fideicommissorum, ac non veniant, nisi ag-
6 nati eandem nuncupationem habentes, cum dicta sola quæstione inter effectivam & contentivam, sive inter naturalem, & artificialem habetur *in Mediolanen. Iurispatronatus decis. 71. cum pluribus sequen. post Vivianum, in Cremonen. Præpositura decis. 39. post eumdem, in Ilcinen. Iurispatronatus apud Monac. post dictam decisionem Florentin. 72.* aliàs *decis. 697. par. 1. rec. & 314. part. 4.* & in sua materia *sub tit. de Iurepatronatus.*

His tamen non obstantibus, contrarium dice-
7 bam in subjecta materia probabilius videri, quoniam quidquid sit de hujus vocabuli significatione ex jure digestorum, quo etiam attento, adhuc dubium est, an alios comprehendere possit ratione subjectæ materiæ, seu verisimilis voluntatis, *ad text. in l. pronunciatio 195. §. familiæ ff. eod. tit. de verb. signif.* ubi plures casus distinguuntur, Attamen hæc difficultas hodie cessat per jus novissimum Justiniani *in l. finali Cod. de verb. signif.* ubi litteraliter habetur, sub nomine *familiæ* venire omnes quomodocumque, etiam per cognationem attinentes, ex ea differentiæ ratione benè expensa *per Alciat. in dict. l. pronunciatio* verbo *agnatorum num. 50.* quod scilicet per idem jus novissimum, cum quo in materia successoria vivimus, sublata est differentia agnationis, & cognationis.

Ideoque regula est, istud *familiæ* vocabulum, etiam de jure civili noviss mo latius patere, quàm illud *agnationis*, atque tam agnatis, quàm cognatis convenire, *ut post Bald. Castrens. & alios in ead. l. finali Cod. de verb. signif.* firmant *Alciat. ubi suprà, Dec. in l. familiæ num. 63 de regul. jur. Mantic. de tacit. lib. 8. tit. 12. num. 6. in princ. Tiraquell. de retract. lign. § 1. glos. 9. num 237 & sequen. Molin. de promog. lib. 3. cap. 4. num 9. cum sequen Cephal. cons. 510. n. 6. Ciriac. controv 365 num. 39. Tonaut quæst. civil. 138. num. 21. tom. 2. Ciarlin. controv. 222. nu. 35. & sequen. Altograd. jun. controv. 38. num. 11. Rota apud Seraph. dec. 1438. num. 5. & 6. & dec. 101. num. 13. par. 6. recent.*

Et quamvis in fideicommissis, vera & recepta sit dicta propositio, quod scilicet, ubi ad favorem illorum de familia ordinata sunt, censeantur agnatitia, & non veniant, nisi agnati ejusdem cognominis, cum dicta sola quæstione inter familiam effectivam & contentivam, sive inter naturalem & artificialem, Attamen id non provenit ex dispositione juris, ut non benè credebatur, sed ex particulari consuetudine & usu loquendi Italiæ, uti explicitè advertunt *Molina, Peregr. Fusar.* & cæteri allegati; 8
Consuetudinis autem natura seu qualitas est, ut attendatur in casu præciso, & individuo, non extendatur autem de casu ad casum, de loco ad locum, & 9
de persona ad personam, *Oldrad. cons. 237. Seraph. dec. 1159. num. 4. Greg. decis. 162. num. 4. Burat. decis 129 num. 6. & 895. num. 4.* plenè in casu fortioti *decis. 34. num. 3. cum sequen. post Zuffum de legitimat. proces.* Et ideò cum non agatur de materia fideicommissaria, non intrat consuetudinaria limita- 10
tio, dum in contrarium est regula, quam sufficit allegare, ut fundata dicatur intentio ejus, qui illam habet pro se, donec probetur per allegantem limitatio in dubio non præsumenda *Mantica decis. 251. num. 4. Barbos. axiom. 198 Franc. decis. 197. numer. 9. decis. 357. num. 25 par. 10. rec.*

Nil obstante, quod idem in jurepatronatus procedere videatur; Tum quia revera non versamur in jurepatronatus, sed in terminis diversis, ut infrà, Tum etiam quia in supra allegatis *Mediolanen.* & 11
Cremonen. decis. 71. & sequen. & 139. post. Vivian. & similibus, non deciditur ista quæstio, sed altera, quæ haberi solet inter illos de familia, seu sanguine, ac hæredes rei familiaris super qualitate jurispatronatus, an scilicet esset hæreditarium, vel gentilitium, Vel posito quòd sit gentilitium, seu familiare, an veniant solùm descendentes, vel etiam transversales, seu an sufficiat probare identitatem cognominis & insignium, vel an probanda sit descendentia à communi stipite &c.

Non descenditur autem ad hos terminos, an scilicet veniant cognati, & descendentes per fœminas, quo casu, cum agatur de materia Ecclesiastica, regula potius est, (non constito de contraria voluntate fundatoris) venire omnes conjunctos, & de sanguine juxtà sensum juris Canonici magis,

quàm

12 quàm juris civilis, *ut apud Duran. decis. 115. num. 2. Buratt. & Adden. decis. 755. num. 11. & 18. decis. 571. num. 3. par. 4. rec. Lotter. de Benef. lib. 2. quæst. 11. num. 71. cum sequen.* Et sic quoad vocabulum *familia*, etiamsi solum esset, & de per se consideratum, non benè ex eo inferri viderur ad restrictionem ad solos agnatos.

Quoverò ad alterum vocabulum *parentelæ*, neque jure civili, neque apud linguæ Latinæ antiquos
13 professores illud cognitum habemus, in ea significatione, cum qua hodie vulgò usurpatur, cum solùm parentum nomen conveniat ascendentibus; Originariè verò legitur *in Canone parentelæ 35. quæst. 5.* qui est Zachariæ Pontificis de anno 749. quando in Italia, aliisque partibus Occidentalibus certum est, quod nulla juris civilis notitia habebatur, cum illam solùm habeamus ab annis 500. circiter juxtà
14 legalem historiam, de qua incidenter *in Montis pelusii prælationis, & in Comaclen. seu Clomacen. Vallium sub tit. de feudis disc. 2. & 36.* formiter verò, ac latius *in Neapolitana sub tit. de servitutibus disc. 1.*

Juxtà verò sensum, cum quo hodie istud verbum usurpatur, absque dubio latius patet, quàm verbum seu vocabulum *familia*, nam complexivum est omnium quomodocumque conjunctorum tam per agnationem, quàm per cognationem *Soccin. cons. 37. num. 8. & 9. lib. 3. Tiraquell. de retr. lign. §. 1. glos. 8. n. 1. & 2. Peregr. de fideicom. art. 22. n. 31. Fusar. quæst. 365. num. 3. Barbos. de appellat. verborum cap. 184. num. 2. Rota coram Buratt. dec. 755. num. 10. & 11. ubi Adden. num. 19. coram Durano decis. 115. num. 3. dec. 513. par. 4. divers. 255. num. 6. par. 8. rec. Civitatis plebis Cappellaniæ 23. Ianuarii 1660. Verospio 15. Iunii & 5. Decembris 1661. Cerro, & admittitur in eadem 4. Decembris 1662. & 23. Februarii 1663. Ninot, & 4. Iulii 1668. Carpinea*, & patet *ex Constitutione Sancimus de jure prothomis.*

Est benè verum, quod neque dici potest verbum omninò univocum, & perneceſsè significans omnes conjunctos, quoniam ex conjecturata, seu aliàs probata disponentis voluntate, cui omnia verba semper cedunt, restringi potest ad solos a-
15 gnatos ex deductis *per Tiraquell. dicto §. 1. glos. 8. num. 2. Fusar. dicta quæst. 365. num. 4.* & in proximis terminis jurispatronatus passivi Rota in proximè allegatis decisionibus *Civitatis plebis coram Verospio, Ninot. & Carpinea*, de qua causa *Civitatis plebis* habetur actum in dicta sua materia *sub tit. de jurepatronatus.*

Satis autem refert regularem significationem vocabuli clarius seu minus dubiè assistere quomodocumque conjunctis eorum comprehensionem
16 allegantibus, ut ita magis tutè eorum intentio fundata sit, atque major probatio, seu urgentiora adminicula & conjecturæ contrariæ voluntatis desiderentur, cum omnimoda seu magna præponderantia, juxtà regulam, de qua in proposito conjecturalium frequenter in materia fideicommissaria, ut scilicet ubi conjecturæ deducuntur contrà regulam, & ad effectum limitationis, longè majores, ac urgentiores desiderentur.

Demùm quoad aliud verbum seu vocabulum *Sanguinis seu de sanguine*, illud pariter non de facili reperitur ita explicatum in corpore juris civilis,
17 ubi solùm reperitur vocabulum æquipollens *consanguinei*; Hinc propterea observabam tres elocutiones spectandas esse; Una siquidem est illa juris civilis, antiqui, medii, & novi, juxtà quam dictum *Consanguinei*, seu *Consanguinitatis* vocabulum solis agnatis convenit ex juribus collectis *per Fusar. quæst. 364. num. 1.*

Altera est juris civilis novissimi Justiniani, per quod sublata fuit differentia agnationis, & cognationis, atque solam sanguinis, seu gradus proximitatem attendi disponitur, non curato latere, seu medio, & tunc videtur, quod sit vocabulum generale omnibus conjunctis conveniens, ut plenè firmatur *in Forolivien. emphyteusis 30. Ianuarii 1665. & 23. Martii 1667. coram Bourlemont*, de qua causa in sua materia *sub tit. de emphyteusi disc. 3.* ubi constituta regula juxtà opinionem, quam sequitur *Rota*, in puncto juris pro meo judicio etiam veriorem, ut in feudo vel emphyteusi ex pacto & providentia, jus petendi renovationem dicatur sanguinis, ac proximioribus de sanguine tantùm conveniens, dicitur, quod ob sublatam dictam differentiam agnationis, & cognationis, non curatur medium.

Tertia verò elocutio est illa Sacrorum Canonum, ac Apostolicarum Constitutionum, necnon Sacræ Scripturæ utriusque testamenti, & hac attenta, indubitatum est sub nomine *consanguineorum* omnes venire, quomodocumque per sanguinem conjunctos, sub hoc vocabulo solùm contradistinctos à conjunctis per affinitatem; Ac habemus de Christo domino, qui dicitur de sanguine Abrahæ, & David, aliorumque antiquorum Patriarcharum, & tamen verificabile non est, nisi per cognationem, & ex latere materno, minusque in Sacra Scriptura istæ distinctiones ex jure civili manantes agnationis & cognationis habentur, quoniam unum vocabulum pro alio usurpari solet, ut advertunt *Tiraquell. ubi suprà & omnes.*

Licet verò in fideicommissis, magis communiter vocabulum *consanguineorum* pro agnatis usurpari soleat ex cumulatis *per Fusar. quæst. 331. & qu. 364.* Attamen id pariter provenire videtur ex eodem usu Italiæ in ea subjecta materia, juxtà id, quod suprà habetur de vocabulo *Familia*, ita ut totum provenire dicatur, vel ex moribus & usu loquendi regionis, vel ex subjecta materia, *ut apud eumdem Fusar. ubi supra*, Ideoque in materia jurispatronatus, vel alia Ecclesiastica, attendendam esse dictam tertiam elocutionem Ecclesiasticam, in specie hujus vocabuli *sanguinis* vel *consanguinei* advertitur *per Lotter. lib. 2. quæst. 11. num. 2. Buratt. & adden. dec. 755. num. 11. & 18. decis. 571. par. 4. rec. num. 3. & apud Duran. in alleg. decis. 115.* in quibus etiam de vocabulis *cippo* seu *tronco*, quæ apud nos Italos in materia fideicommissaria diversam significationem habent, ac agnationi solũ conveniunt, ex usu tamen, non ex vocabuli proprietate, ut frequenter in dicta materia fideicommissaria habetur actũ.

Igitur persistendo in solo cortice seu sonitu verborum, etiam juxta significativnem juris civilis, generaliter & indefinitè dicta vocabula *Familia, parentelæ, & sanguinis* conveniunt, tam agnatis, quàm cognatis, Multo magis ac indubitanter attento jure Canonico seu elocutione Ecclesiastica, quam omninò attendere debemus, Tum ratione subjectæ materiæ, cum agatur de concessione jurisdictionis spiritualis, & quasi Episcopalis ac præminentiarum Ecclesiasticarum, ita ut sit materia magis sapiens de spiritualitate, quàm sit jus patronatus laicale, Tum etiam attenta persona disponentis, ac modo disponendi, cum non agatur de viro privato disponente per privatam dispositionem de bonis laicalibus indifferentibus, sed de summo Pontifice disponente per viam Apostolicæ Constitutionis

tionis de materia Ecclesiastica & spirituali, spectata etiam ejusdem Pontificis personali qualitate, quoniam in minoribus fuerat religiosus Ordinis Minorum Conventualium, atque non erat legista callens hos terminos juris civilis, seu legistarum phrases & elocutiones in foro, sed erat magnus Theologus, optimè callens elocutionem S. Scripturæ utriusque testamenti, ac Sanctorum Patrum, sive loquens juxtà phrasim consuetam summorum Pontificum in Sacris Canonibus, ac Apostolicis Decretis & Constitutionibus, quæ phrasis seu loquendi formula, sine dubio introduci cœpit, priusquam sequeretur inventio legum civilium, earumque usus & explicatio, Unde propterea leguleicam simplicitatem dicebam istam, regulandi hujusmodi Pontificiam dispositionem editam per viam Constitutionis Apostolicæ in materia spirituali & Ecclesiastica, cum illis regulis, quas habemus apud puros legistas de omninò prophana materia fideicommissariæ vel statutariæ intestatæ successionis loquentes cum similibus.

Et fortius quia ultrà hæc generalia, non desunt specialia eamdem voluntatem Pontificis comprobantia, Tum ex eo quod non contentus verbo seu
19 vocabulo *familiæ*, de quo dubitari potest, an importet restrictionem ad solos agnatos, ampliativè adjicere voluit aliud vocabulum *parentelæ*, quod absque dubio latius patet, Tum etiam quia adjecit aliud vocabulum *sanguinis*, non dispositivè, & in eadem parte, sed conditionaliter & in alia parte separata, ita explicando, quid sub dictis vocabulis *familiæ & parentelæ* significare voluerit, omnes scilicet de ejus sanguine.

Ac etiam quia in altera dispositione super jurepatronatus activo, expressè declaravit non abhorrere cognatos, ac descendentes per fœminas, dum istos quoque post defectam lineam masculinam vocavit; Idem quoque suadente subsidiaria vocatione compatriotæ ex patria remota Provinciæ, cum notorius videatur communis usus, ac naturalis impulsus, quod prius diligimus & vocamus nostrum sanguinem, nostrosque conjunctos, deinde verò concives seu patriotas.

Dicebatur in contrarium, quod aliàs ita resultaret absurdum, ut proximiores cognati, & de alienis familiis vincerent remotiores agnatos & de familia; Sed non videbatur motivum considerabile, quoniam desumendo voluntatem disponentis, tam à præfato ordine tento in jurepatronatus cappellæ, quàm à moribus regionis, rectè intra-
20 videtur ordo prælationis consideratus *apud Farinac. dicta q. 331. num 3. & 364 num. 4.* eo modo quo habemus in fœminis, quæ juxtà magis communem, & receptam opinionem veniunt etiam in fideicommissis agnatitiis, sed ordine præpostero & subsidiariè post masculos, *ut dec. 133. par. 9 rec. & sapius*, unde ita cessat absurdum, cujus argumentum leve reputatur ex deductis *dec. 52. & 66. post Bonden.* & in aliis, ac frequenter in dicta materia
21 fideicommissaria, & sic quod cognati venirent quidem subsidiariè & ordine præpostero in concursu agnatorum, non autem quod essent omninò excluſi.

Supponebatur etiam per motivantem in contrarium, quod verbum *parentelæ* positum esset qualificativè, ac respectivè magis, quàm ampliativè ad verbum *familiæ*, quasi quod non omnes de illa admittendi essent, sed solùm qui parentelæ quoque
22 qualitatem haberent, Sed revera istud videbatur omninò leve fundamentum, Tum quia ipsi Papæ notissimum erat familiam naturalem de Perettis in eo finem accipere, aliumque non superesse, nisi eam artificialem, quam ipsemet in dictis pronepotibus ex sorore revocaverat, Tum etiam quia parentela inspecto jure Canonico, in materia matrimoniali non egreditur quartum gradum Canonicum; sive octavum civilem, & inspecto jure civili in materia successoria non egreditur quintum Canonicum, seu decimum civilem, quæ restrictio ad evidentiam adversatur verisimili voluntati fundatoris, qui inspecta qualitate operis, ac ordine tento in jurepatronatus activo, absque dubio respexit ad perpetuitatem, vel saltem longissimam durationem plurium sæculorum, cum tamen ita res ad breve tempus finem haberet, dum ipse Alexander primus Protector jam ab ipso Pontifice quarto gradu civili distabat.

Refragantibus etiam juris regulis, quoniam quæstio, an alia superaddita qualitas stet ampliativè vel qualificativè, procedit in materia differenti de sui regulari natura non convenienti nisi habentibus certam qualitatem puta in feudis & similibus, juxtà quæstionem disputatam *in Sarsinaten. feudi coram Cocc. apud Capic. Latr. consult. 75. & coram Dunoz. post Contriù dec. 18. & 19. & inter suas decis. 784. & 760. & coram Ottobono inter suas decis. 265.* in quibus posterioribus coram *Dunozetto, & Otthobon.* recedendo à præcedenter firmatis coram *Coccino* latè firmatur etiam in hac materia, ubi inter unum & alterum vocabulum accedit copula, stare potiùs ampliativè, quàm qualificativè, Indubitanter verò ubi eadem copula accedit, id stat ampliativè in materia indifferenti exemplificando in legato facto militibus & Doctoribus quod debeatur unam tantum qualitatem habentibus juxta *theoricam Bartoli in l. quæsitum §. si quis fundum ff. de fundo instructo numer. 6. concordantibus apud Merlin. dec. 685. num. 4. alias dec. 59. par. 7. rec.*

Magnum demùm fundamentum per eumdem motivantem alioſque scribentes pro Provinciali 23
constituebatur in dicta resolutione Congregationis deputatæ per *Alexandrum VII.* contra Cardinalem Ursinum, potissimè quia post dictum congressum, sub nomine Provinciæ obtentum fuerat cum Apostolica confirmatione eam roborari, sed pariter non videbatur motivum consid. rabile, quia exemplis non est judicandum, potissime quia ex præmissis probari videtur de dicta resolutione posse satis dubitari.

Confirmatio verò Apostolica, juxtà regularem confirmationis naturam, nihil tribuit de novo, sed tantùm aliquod majus robur tribuit ipsi actui confirmato, quem non egreditur, maximè quia in eadem confirmatione dicitur, eam solùm concedi, nè tractu temporis utpotè absque processu & in forma extrajudiciali obliteſcat, seu pereat; Et sic persistendo etiam in solis terminis primæ inspectionis, atque considerando dictum Cardinalem Sabellum tanquam simplicem cognatum, & de aliena familia, mihi pro proprio judicio videbatur justitiam illi omninò assistere.

Difficultatem solum inferre videbatur ea consideratio, quod in Constitutionibus vivente eodem Pontifice editis pro dicto Collegio S. Bonaventuræ per dictum Cardinalem Alexandrum, & ab eodem Pontifice in forma specifica confirmatis, agendo de protectore, dicitur eum esse debere Cardinalem *de nostra familia de Pertetis*, & sic adest illud

ad-

adjectum, per quod dictum familiæ vocabulum restringi videtur ad agnationem, ac eos qui eamdem nuncupationem haberent, ut ita disposuisse *Pium V.* in erectione Collegii Papiensis pro illis de ejus familia de Ghisleriis habetur *in Papien. Iurispatronatus coram Lancellotto impress. apud vivianum lib. 4. c. 9. num. 55. & Antonin. resol. 828.* & advertitur *in Fanen. Cappellanie sub tit. de Iurepatronatus*, Atque ex ista consideratione potissimum movebar ad decernendam hanc Protectoriam Cardinali Provinciali, non tamen exinde videbatur inferendum ad alias, in quibus dicta declaratio non adest, potissimè quia ea non est ipsius Pontificis, cujus voluntas spectanda est, Quinimò cum esset Pii V. creatura ac intimus, verisimiliter informatus de forma erectionis dicti Collegii Papien. argumentum potius resultare videbatur diversæ voluntatis, dum neglexit illud adjectum, quod dictus alter Pontifex dicto verbo *familiæ* adhibuit, quinimò adjecit per copulam & ampliativè alia magis ampla *parentelæ & sanguinis*, ut suprà, ideoque intrabat potius argumentum discretivæ &c.

Verùm ubi retentis terminis hujus primæ inspectionis, aliqua superesse posset difficultas, illam omninò cessare dicebam (aggrediendo secundam inspectionem) ex peculiari qualitate concurrente in isto Cardinali, quæ deficiebat dicto Cardinali Ursino, nedum quia erat de linea directa, & descensiva dicti Principis Michaelis, qui per Pontificem, hujus domus, & familiæ stipes constitutus fuerat, cum Ursinus esset de transversali, sed etiam quia expirante in dicto ultimo Cardinali de Montealto familia Peretta per Pontificem innovata, iste illam assumpserat, unde propterea re-
24 tè dicebatur etiam de familia, quoniam de jure, artificialiter de aliqua familia effecti, & in eam cooptati, habentur ac si de illa essent per naturam, & veritatem, ex collectis per *Gratian. discept. 930. num. 4 & 14.* & tanquam absolutum supponitur *apud Rovit d. cons. 27 & sequen. lib. 1. Buccaferr. cons. 49. Monac. decis. Florent. 71. & 72. Rota in Pientina iurispatronatus post eundem Monac. ubi suprà repetit. dec. 697 par. 1 & 314. par. 4. recen.* in quibus omnibus agitur de concursu familiæ Piccolomineæ artificialis cum familia vera, & naturali; Et habemus frequentissimum in materia fideicommissaria, super hujusmodi ficta, seu artificiali assumptione, seu renovatione familiæ, præsertim in *Neapolitana fideicommissi de Lanteris, in Bonon. fideicommissi de Barberiis & in aliis*, cum fictio, seu ars consultere videatur in illo primo momento ingressus, seu assumptionis, qua sequuta, idealis potiùs videtur differentia.

Super hoc motivo, tam collegia, quàm scribentes pro Cardinali Provinciali satis acriter insistebant in distinctione, *Bart. in l. si cognatis num. 1.*
25 *circa finem ff. de reb. dub.* quam magis communi DD calculo receptam, ac veram esse, cæteris collectis, tam occasione successionis in fideicommissis, quàm in feudis, & similibus juribus probat *Tiraq. in l. si unquam* verbo *susceperit liberos num. 23. Mantic. de conjectur. lib. 11. tit. 8. num. 3 cum sequen. Pereg. de fideicom. art. 22. num. 91. cum sequen. Fusar. quæst. 316. per tot. Salern. cons. 2. num. 10. Gratian. dicta discept. 930. num 423. & 34.* omnium latius, & accuratius *Thesaur. lib. 1. quæst. 100. num. 9. & per tot. Rosenthal. de feud. cap. 7. conclus. 30. num. 33. & sequen. Ursin. de success. feud. par. 1. quæst. 1. art. 2.*

Quod scilicet aut agitur de bonis, & juribus ipsius allicientis, seu cooptantis, ac in præjudicium habentium causam ab eo, & rectè id procedat, aut in præjudicium substitutorum, seu aliorum venientium independenter ab ipso cooptante, ex vocatione, vel dispositione testatoris, seu fundatoris, & tunc secus, nisi cooptatio de ejusdem testatoris seu fundatoris voluntate fiat, quia in potestate gravati repositum esse non debet sub hoc prætextu excludere substitutos *ad text. clarum in l. in fideicommissum 75 ff. de condit. & demonstr.*

Ad quod conferunt quæ habentur de civilitate alicui forensi data per Civitatem subditam, quod ea quidem suffragari potest quoad dependentia ab ipsa Civitate, & in eis, in quibus ipsa di'ponere 26
potest, secùs autem in præjudicium tertii suum jus ab ea independenter merentis juxtà distinctionem *Bart. in l. si maritus 15. §. legis Iuliæ in fin. ff. ad leg. Iul. de adulter. Salicet. in l. Cives numer. 4. Cod. de appell. Roman. cons. 62 num. 9 Roland. cons. 79. num. 16. lib. 2. Berous consil. 104. num. 6. & 8. lib. 1. Menoch. lib. 1. præsumpt. 30. num. 22. & cons. 1060. num. 11. latè Salernus cons. 2. per tot. benè Sessa decis. 90. num. 3. & 4.*

Ex ea ratione, quod formalis adoptio tertio præjudicialis fieri non potest nisi cum auctoritate Principis, qui solus tollere potest jus tertii, ac facere verum id, quod est fictum, ut ultrà allegatos, in his terminis aggregationis ad familiam 27
adducebantur *Hopinc. de jure insignium cap. 13. num. 70. & 71. Knipeschil. de fideicom. familiar. nobilium cap. 14. num. 29. & 30. & cap. 8. numer. 410. & sequen.*

Et proximè ad rem *Buratt. dec. 737. num. 2.* ubi quod vocata familia, intelligitur de ea, quæ testatori cognita erat, non quæ postmodùm allecta est, & quæ generaliter habentur, *decis. 166. nu. 19.* 28
par. 6. rec. ac magis proximè conferunt quæ habentur post *Rocch. apud Lambertin. de jurepatronat. lib. 1. par. 2. quæst. 2. art. 9. fol. 312. in meis*, ubi tractando in specie de quæstione, an aggregati ad familiam participent de jurepatronatus familiari, distin- 29
guitur, an adfit tertii dissentientis præjudicium necnè, unde propterea inferebatur, quod cum Cardinalis Provincialis per Pontificem fundatorem sit substitutus illis de familia, non potuit dictus ultimus Cardinalis de familia hujusmodi allectionem facere.

Plures in hoc ponderabam responsiones, Primam, quod textus *in d. fideicommissum ff. de condit. & demonstrat.* considerare videtur in faciente hujusmodi electionem quamdam fraudem, & præordinationem in substituti præjudicium, ut probare videntur illa verba, *quod vocatus non debet adoptionis, commento excludi*, ponderando illud verbum, *commento*, quod in præsenti dici non poterat, dum hujusmodi allectio absque dubio sinceriss imè, & absque aliqua fraude facta erat, ex solo rationabili motivo renovandi pereuntem familiam, & ut in ea conservarentur alia qualificata bona tam jurisdictionalia, quàm non jurisdictionalia, quæ titulo universalis substitutionis huic cognato relicta fuerunt, potissimè quia hæres non erat Cardinalis, quinimò nec certitudinaliter testatori cognitus, dum instituit in genere proximiorem conjunctum natu majorem, unde incertum erat, quisnam de tempore mortis ipsius testatoris extiturus esset.

Ista responsio, reflectendo ad veritatem, quatenus ageretur de formali substitutione, videbatur in subsistens, quoniam in proposito præservandi

vandi tertii præjudicium ab actibus, qui per legem
30 fraudulenti reputantur, non desideratur fraus consilii, sed attenditur fraus præjudicii, & reipsa, spectato solum effectu exindè resultante, ex iis, quæ latè habentur in proposito sub infeudationis factæ per feudatarium successore carentem *in Senogallien. Castrorum sub tit. de feudis disp.* 1.

Altera tamen videbatur solida, & melior responsio, quod scilicèt non ageretur de formali substitutione in successione fideicommissi, majoratus, feudi, ac etiam juris patronatus, & similium, quæ de uno personarum genere in alterum jure successorio transitum faciant, in quibus terminis omnia præmissa procedunt, sed agitur de jurisdictione, & præeminentiis concessis Cardinalibus pro tempore certam qualitatem habentibus, cum sola prælatione inter eos, ob unam, vel alteram qualitatem, absque perpetuo præjudicio, cum stent simul, hodiè admitti Cardinalem provincialem ob non existentiam Cardinalis de sanguine, & cras istum, & sic successivè, unde spectatur sola qualitas, quam sufficit esse legitimè, ac tempore non suspecto impressam.

Undè cum iste Cardinalis cognatus, antequam ad Cardinalitiam dignitatem promoveretur, occasione universalis successionis effectus esset de familia, per ejus artificialem assumptionem à testatorum optima sinceraque fide, ac juxtà communem & receptum usum demandatam, ita constitutus erat in ea qualitate jam impressa de tempore superventæ dignitatis, quæ causa est jurisdictionis & præeminentiæ. Adhibendo eosdem terminos ut suprà in oppositum
31 deductos de Civitate aliquem forensem alliciente in civem, quoniam si id principaliter agat officii vacatione sequuta, seù imminente, aut aliàs merè voluntariè, & absque justa causa, ut forenses ita admittantur ad officia solis civibus ejusdem vel continguæ Civitatis debita, tunc rectè dicendum est id fieri non posse; Sed si videns se habitatoribus destitutam, ne omnimodam desertionem patiatur, rationabiliter & sincerè, & quasi ex necessitate, forenses alliciat ad inibi habitandum, eos in tempore non suspecto, generaliter & indefinitè civilitate decorando, tunc si post hujusmodi civilitatem jam contractam contingat agi de officiis & prærogativis debitis potius civibus illius Civitatis, quàm alius Civitatis adjacentis subsidiariè solùm vocatis, non videtur dubitandum, hujusmodi qualitatem sufficere, & hic videbatur casus.

Item dicta conclusio de non adoptando seù alliciendo aliquem in familiam in præjudicium substituti procedit, quatenùs non accedat ipsius testatoris seù fundatoris voluntas, quam juxtà generalem regulam omnium voluntatum tam defunctorum quàm viventium sufficit etiam conjecturaliter & adminiculativè
32 probari, Quæ verisimilis voluntas Pontificis fundatoris mihi videbatur incontrovertibilis, quoniam constat de voluntate & consuetudine ejusdem renovandi & conservandi propriam familiam etiam artificialiter, dum id egit cum cognatis per duplex medium fœmininũ ab ejus agnatione omninò extraneis & remotis, unde multò magis cum cognato immediatè procreato ex fœmina agnata verisimiliter magis dilecto *juxtà decisiones 95 & 218. par. 11. rec. 52. 57. & 66. post Bonden. & frequenter habetur in sua materia sub*
33 *tit. de fideicommissis*; Et quod magis, si Pontifex id egit initio Pontificatus, quando ob ejus celerem mortem, quæ contingere potuisset, ratione paupertatis, magis expediens ac decorum esset saltem in mundi vana opinione Pontificiam familiam extingui, quam renovari, fortius omninò dicendum est id verisimiliter ac enixè desiderasse, post quam adeò conspicua domus constituta erat, ideoque prorsus adversum voluntati Pontificis videtur, ut postquàm ita denuò renovata est ejus familia, quæ plurium Cardinalium fœcunda mater esse posset, istis perpetuò exclusis, ad hujusmodi præeminentiam admitti debeant Provinciales, vel primi Presbyteri prorsus extranei, potissimè ubi Cardinalis de sanguine est etiam cappellæ patronus, ut in præsenti.

Considerabam etiam pro observantia dictum casum Cardinalis Baroni artificialiter effecti de *Peretis*, qui fuit in hujusmodi protectoriis successor immediatus dicti primi Protectoris, Verum hic est actus æ- 34
quivocus, ideoque nullius momenti, cum idem esset quoque antiquior Provincialis; Hæc autem omnia discurrebam in simplici forma discursiva, & motivando ad eruendam veritatem, super qua tamen maturum ac certum judicium efformari non potuit, dum causa ulteriorem progressum non habuit coram nobis, sed de communi consensu commissa fuit in Rota ubi pender, & melius examinabitur veritas, pro cujus tantùm studio ac desiderio, & pro sola doctrina, ad propriam instructionem & memoriam omnes hujusmodi discursus seù adnotationes editæ sunt, absque eo quod juri alterius in minimo minuatur vel augeatur, ideoque nec amorem nec odium privatum merentur.

TIRASONEN.

PONTIFICALIUM.

PRO

DECANO ECCLESIÆ COLLEGIATÆ CALATAIUBII.

CUM

EPISCOPO.

Casus variè decisus per Rotam.

De Indulto Apostolico concesso inferiori Prælato super usu Pontificalium, *An* & quando amittatur per non usum, & cui incumbat onus probandi usum affirmativum vel respectivè negativum; Et quomodo hujusmodi Indulta intelligenda & practicanda sint.

SUMMARIUM

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur puncti controversia.*
3 *Concil. Trid. prohibens usum Pontificalium in aliena diœcesi de quo usu loquatur.*
4 *Indulta super honorifico usu Pontificalium adhuc vigent.*
5 *De justificatione narratorum in litteris & privilegiis Apostolicis, ut executioni demandentur.*
6 *Observantia longissimi temporis sufficit pro justificatione.*
7 *Districtus quid significet, & dignitati loci dominantis congruæ sunt præeminentiæ in locis subditis.*
8 *An & quando non usus obstet.*

9 *Quomodo hæc Indulta circa usum Pontificalium practicanda sint.*

DISC. XIV.

PETRO ejus familiari duplicem possidenti Decanatum Collegiatarum de Calatajubio & de Tudela, pro se ejusque in utraque dignitate respectivè successoribus, *Julius II.* de anno 1507. Indultum concessit super usu Pontificalium, ac facultate solemniter populum benedicendi more Episcoporum; Adversus quod Indultum introducta per Episcopum Tirasonen. causa in Rota de anno 1513. *Leo X.* dicti Pontificis immediatus successor, ut hujusmodi litem tolleret, de anno 1514. Indultum prædictum in parte reformavit, ut scilicèt non suffragaretur quoad mitram gemmatam cum laminis aureis vel argenteis, sicuti illud continebat, sed juxtà usum concessum aliis inferioribus Prælatis, ac juxtà juris communis dispositionem; Partibus autem hujusmodi moderationi non acquiescentibus, inito compromisso, prodiit laudum de anno 1525. demandans observantiam litterarum *Leonis*, Post plurium verò annorum decursum inter dictum Episcopum, & in utroque Decanatu successores novæ lites desuper suscitatæ fuerunt in eodem Rotæ tribunali, Primò nempè cum Decano Collegiatæ de Tudela, qui sententiam favorabilem reportavit, prævis pluribus decisionibus in causa editis, deindè verò cum dicto altero Decano de Calatajubio, contra quem coram *Verospio sub die 13. Junii 1661.* in contumaciam, Episcopo solùm informante, prodiit resolutio, quod indultum non suffragaretur, ad cujus decisionis normam prodiit etiam sententia, à qua interposita post notitiam appellatione coram *Emerix sub die 12. Maii 1662.* responsum fuit de prædictæ sententiæ reformatione, ut scilicèt indultum suffragaretur, ad limites tamen moderationis *Leonis*, & in hoc statu, quod sciam, causa reperitur.

In hac igitur ultima disputatione, tres fuerunt puncti, quorum duo continebantur in prima decisione 2 edita coram *Verospio*, alter verò per scribentes in contrarium suscitatus fuit, Primò scilicèt, an hujusmodi indulta sublata essent per *Sac. Conc. Trid. Sess. 6. de reformat. cap. 5.* ubi reservatur usus Pontificalium soli Diœcesano quocumque privilegio in contrarium non obstante; Secundò stante quod dictum indultum *Julii* conceptum est cum clausula, *ut asseris*, an illud de præsenti justificandum esset in omnibus narratis, ut executionem & effectum sortiri valeat; Et tertiò, an idem indultum dici posset surreptitium, vel obreptitium ob præsuppositam saltèm implicitè jurisdictionem quasi Episcopalem, seù ordinariam in facto non subsistentem.

In omnibus autem, reflectendo etiam ad veritatem, non obstante dicta prima decisione coram *Verospio*, probabilior videbatur altera coràm *Emerix*, singulos enim dictos punctos examinando; Quatenùs pertinet ad primum revocationis resultantis à *Sac.* 3 *Conc. Trid.* processù fuit cum aliquo æquivoco, dictũ enim conciliare decretum non percutit hujusmodi usum pontificalium simpliciter honorificum, qui inferioribus Prælatis, vel aliis in Ecclesiastica dignitate constitutis per Sedem Apostolicam concedi solet, sed percutit illud exercitium pontificalium, quod annexam habet jurisdictionem, ac usum legis diœcesanæ, ut sunt collatio ordinum, administratio Sacramenti confirmationis, consecratio Ecclesiarum & Altarium cum similibus, quæ in aliena diœcesi etiam per Episcopos aliàs indubitanter habitualem pontificalium usum habentes exerceri non possunt, atque in vim privilegiorum exerceri solebant etiam sine licentia proprii Diœcesani, Super hoc autem providit Concilium, non autem super hujusmodi merè honorificis privilegiis, quæ servanda esse disponitur *in cap. ut Apo-* 4 *stolicæ de privil. in sexto, ubi Joannes Andr. Franchus & cæteri communiter*, & ex modernis, cæteris allegatis, *Tamburin. de Jur. Abbat. tom. 1. disput. 21. quæst. 1. in principio*, Atque de facto docet communis usus tot Abbatum, aliorumque Prælatorum Regularium, necnon sæcularium, nedùm aliquam jurisdictionem habentium, sed etiam simplicem dignitatem in Cathedralibus vel Collegiatis, & sic reverà istud motivum nullum habebat fundamentum, ut iidem pro Episcopo scribentes in hac ultima disputatione agnoscebant.

Major fuit disputatio circà secundum punctum necessitatis justificandi omnia narrata in litteris, quæ generaliter justificanda esse, ut gratia suffragetur juxta 5 *cons. Zabarell. 69. & decis. 7. Cassad. de jurepatronatus, & decis. 4. de probat.* habetur quotidianum in materia beneficiorum, aliarumque litterarum Apostolicarum executioni demandandarum; Verùm in præsenti cessare videbatur difficultas, stante lapsu longissimi temporis cum subsequuta observantia, cum receptum sit ad hujusmodi effectum sufficere tempus tricennale *Greg. & Adden. dec. 431. num. 10. & 14. &* 6 passim.

Multò magis accedentibus dictis litteris moderatoriis *Leonis*, ac subsequuto laudo eamdem moderationem demandante; Ex hujusmodi enim actibus, clarum resultat argumentum, quod reliqua narrata, vel essent justificata, vel ita certa essent, quod habita essent pro notoriis, nam aliàs ex hoc defectu tunc, absque necessitate immorandi super moderatione, facilè fuisset ejusdem Indulti effectum impedire.

Quoverò ad tertium punctum subreptionis, ob narratam vel præsuppositam jurisdictionem, difficultas cessabat ex facto, dum in litteris Apostolicis id non legitur, Et quamvis per scribentes in contrarium prætenderetur id implicitè contineri, stante quod usus conceditur, nedum in ipso Oppido Calatajubii, sed etiam in toto ejus districtu, ex quo verbo *districtus* 7 inferebatur ad præsuppositam jurisdictionem, quasi quod idem sit districtus, ac territorium, seù jus territoriale ex deductis *per Fenzon. ad Statut. Urb. 197. num. 65. cum sequen. Lotter. de Benef. lib. 2. quæst. 35. n. 19. & seqq.* ac habetur frequenter *sub tit. de jurisdictione*, & hoc *eod. tit. in Urbinaten. disc. 1.* Attamen hoc erat satis leve objectum, Tum quia in eodem indulto dicitur dictum usum haberi non posse præsente Ordinario, nisi de illius licentia, & sic præsupponitur alium adesse loci Ordinarium, penès quem resideret jurisdictio spiritualis, & diœcesana discretivè ad ipsum Decanum; Tum etiam quia istud vocabulum *districtus*, ut constat apud allegatos, verificari potest in territorio & finibus temporalibus, undè propterea non incongruum esset primam dignitatem Oppidi dominantis hujusmodi præeminentiam habere etiam in omnibus aliis locis inferioribus, & dicto Oppido subjectis in temporalibus.

Et ulterius, juxtà ea quæ habentur in *Tirasonen. jurisdictionis sub dicto titulo de jurisdictione disc. 22.* tunc temporis quandò adhuc nulla in contrarium decisio Rotalis prodierat, constans habebatur opinio, illum Archidiaconatum constituere corpus separatum à diœcesi *Tirasonen.* & quamdam diœcesim *Nullius*, stantem de per se æque principaliter unitam cum dicta

ta diœcesi Tirasonen. Non indè tamen infertur ad præsuppositum jurisdictionis penès ipsum Decanum, potissimè quia id deducebatur tanquàm objectum pro annullanda gratia, ad quem effectum, cum agatur de inducendo delicto productivo pœnæ, requiruntur probationes claræ, non autem admittuntur hujusmodi remota argumenta, & illationes.

Antequàm verò, ad hanc ultimam disputationem deveniretur, ob adhuc non habitas eas justificationes, per quas superventas, omnis difficultas ex facto sublata videbatur circà non usum; In congressu habito pro causæ directione, dubitatum fuit, an iste non usus ob-
2 staret juxtà regulam *text. in l. 1. ff. de nundinis Gloss. Bart. & cateri*, de quibus apud *Seraph. decis. 1043. numer. 3. & Otthob. decis. 175. numer. 9.* Et quamvis militate videretur responsio, quod cum ageretur de materia facultativa, dicta regula non intret, potissimè verò in præjudicium successorum independenter, & jure suo venientium, quibus prædecessorum negligentia præjudicare non debet, ex collectis in proposito non usus apud *Roias decis. 327. & 356. & decis. 337. par. 10. rec.* Adhuc tamen, admissa veritate responsionis, mihi remanebat difficultas circa applicationem, quoniam cum, tam litteræ Leonis, quàm subsequens laudum declararet, successores Decanos uti non posse pontificalibus, nisi quatenus de jure, vel privilegio competat, ita subsequens non usus, quatenùs verus esset, capiendus veniret, non in ratione præscriptiva, seù destructiva privilegii, sed in ratione interpretativa, quod scilicèt ita successores agnoverint, ac declaraverint dictum indultum remansisse personale, sed difficultas cessavit ex facto.

Rationabiliter autem dictum indultum ita moderatum fuit, quoniam ut disponitur *in eod. cap. ut Apo-*
3 *stolicæ de privil. in sexto*, hujusmodi indulta ita discretè, ac moderatè practicari debent, ut in aliquo hujusmodi inferiores, ab Episcopo seù diœcesano discernantur, ut me scribente pro Archiepiscopo Neapolis demandatum fuit per Sac. Congregationem Rituum *in una Neapolitana Pontificalium* contra Rectorem Ecclesiæ Hospitalis incurabilium hujusmodi indultum habentem à *Gregorio XV.* & quo ille indiscretè utebatur, & cum inani pompa omninò incongrua, quoniam in puncto juris dictus Rector utpotè manualis, & non solitus conferri in titulum, neque dici potest in Ecclesiastica dignitate constitutus, dum neque ipsa Ecclesia est Collegiata, habens solùm aliquos cappellanos manuales & conductitios.

ROMANA
USUS PONTIFICALIUM
PRO
ABBATE MONASTERII SANCTI PAULI.
Discursus in Congressu.

De decretis generalibus Sac. Congregationis Rituum restringentibus ad certas solemnitates, seù certa anni tempora usum pontificalium in Abbatibus & Prælatis Regularibus quando procedat, Et àn ab illis excepta sit Ecclesia Sancti Pauli de Urbe.

Card. de Luca de jurisdict. &c. & præeminent.

SUMMARIUM

1 *De Decreto ut habentes usum pontificalium non utantur, nisi in tribus anni solemnitatibus.*
2 *An dici possit solemnitas aliquod funus defuncti.*
3 *De declaratione, seù modificatione dicti decreti, & num. 5.*
4 *Lex generaliter loquens, generaliter ntelligi debet, & in favorabilibus indefinita æquipollet universali.*
5 *Qualis sit sensus declarationis, de qua numer. 3.*
6 *De Indulto particulari Sancti Pauli de Urbe, ejusque particularitatione.*
7 *De ratione ob quam hujus Ecclesia major præeminentia competit.*

DISC. XV.

DE anno 1628. Sac Rituum Congregatio per Decretum generale statuit, Abbates, aliosque Prælatos 1
Regulares, ex Apostolicis indultis habentes usum Pontificalium, illis uti non posse, nisi in tribus anni solemnitatibus, & de quo decreto habetur actum *in Mediolanen. interdicti sub tit. de jurisdictione dist. 30.* ubi an dici possit solemnitas celebratio funeris, seù 2
exequiarum alicujus Principis seù Cardinalis, aut magni Magistratus; De anno verò 1660. eadem Sac. Congregatio sub die 20. Julii plures fecit declarationes favore Abbatum Congregationis Cassinensis, illam præsertim, quod non obstante dicto decreto generali, salva remanerent ea privilegia, quæ expresè & ver- 3
baliter aliquibus Monasteriis dictum usum in pluribus solemnitatibus & temporibus concederent, Qua declaratione sic stante dubitari contigit, an privilegia Apostolica generaliter & indefinitè, in quibuscumque solemnitatibus & functionibus hujusmodi usum concedentia Abbati Basilicæ S. Pauli Urbis, sub eadem declaratione caderent, Undè desuper habito congressu, prævis etiam discursibus in scriptis, Aliqui fundamentum principale constituebant *in Constitutione 55. Eugenii IV.* confirmante omnia indulta & privilegia huic Monasterio per prædecessores Pontifices concessa, præsertim verò circà usum pontificalium, generaliter & indefinitè; Unde propterea concludebant, hunc Abbatem à dicta restrictiva exemptum esse, procedendo cum regulis generalibus, quod lex generaliter loquens generaliter intelligi debet, 4
quodque indefinita æquipollet universali, &c. juxtà leges & auctoritates collectas *per Barbos. inter tractatus varios axiom. 123. & 136.* unde transcriptor de facili cartas implere potest.

Diversa erat mea sententia, quoniam penè omnia hujusmodi privilegia, tam huic, quàm aliis Congregationibus Benedictinis concessa, ita ejusdem tenoris videntur super usu pontificalium generaliter, & indefinitè, ita ut rata sint ea, quæ certorum temporum, vel solemnitatum specificationem habeant, ut præsertim in ista Congregatione patet ex pluribus Constitutionibus seù privilegiis registratis in Bullario Cassinensi, unde propterea si dictæ regulæ seù axiomata generalia sufficerent, dictum decretum generale anni 1628. inane remaneret, nunquàm operativam, dictaque declaratio seù modificatio, vel non necessa-

ria, vel potiùs ejus omnimoda destructio seù revocatio dicenda esset.

Ideoque mihi videbatur, Germanum ejusdem declarationis sensum esse, excepturandi ea privilegia, quæ
5 aliquibus Monasteriis ex causis seù circumstantiis particularibus, expressè, & in verbis pro pluribus annis temporibus hunc usum concederent, ita ut eis præfata generalis restrictiva non congruat, puta quia, vel ex numero reliquiarum ibi existentium, vel ratione magnæ devotionis & concursus populi, seù ex alia particulari circumstantia, consuetum sit, ac expediat plures festivitates ita solemniter celebrare, quodque aliàs scandalum vel diminutio devotionis & cultus resultaret, & sic quod urgeat ratio particularis, non autem generica omnibus adaptabilis, ne ut dictum est, dicta restrictiva inanis remaneat ac de vento.

Quamvis autem mea sententia esset cæteris rigorosior, unde propterea in proposita facti specie concluderem non suffragari solam generalitatem dictæ Constitutionis *Eugenii*, in qua alii fundamentum constituebant, Adhuc tamen, retento eodem themate peculiaris rationis in aliquo Monasterio militantis ut suprà, Credebam, etiam in sensu veritatis, dictam declarationem huic Monasterio suffragari, fundamen-
6 tum principale constituendo in Constitutionibus *Innocentii* 3. & *Honorii III.* quæ *sunt* 22. & 25. *in eod. Bullar. Cassinensi*, ob discretivam, cum qua Abbati hujus Basilicæ talis pontificalium usus conceditur sub forma ab omnibus aliis diversa; In aliis enim omnibus, vel motu proprio, vel ad supplicationem, concessiones sunt in forma gratiosa & privilegiativa, atque dirigunturipsis Abbatibus seù Monasteriis, Secùs autem in prædictis litteris *Innocentiis & Honorii*, in quibus Pontifices, enarrantes gratias, quas Ecclesia & Pontificia dignitas ex operibus vel intercessione *Apostoli Pauli* receperunt, in ipsum verba dirigendo, profitentur confirmare seù de novo dare ea quæ sua erant, seù partem eorum, quæ ab ipso recognoscebant; Atque agendo de hoc usu pontificalium, non dirigunt verba ad Prælatum seù Abbatem ac Monasterium pro unius vel alterius gratia & honorificentia, ut est hujusmodi indultorum consueta forma, sed pariter verba diriguntur ad ipsum Apostolum ejusque, ac Principis Apostolorum sacra pignora ibi existentia, ut ad eorum honorem & laudem, Abbas tanquam minister ita cum hoc usu magis decenter & honorificè hujus Basilicæ solemnitates celebraret, & sic intrabat dicta ratio peculiaris exigens indefinitam hujus indulti facultatem, quotiescumque occasio alicujus solemnitatis exigeret, in reverentiam & honorem Ecclesiæ magis, quàm in privilegium & prærogativam ipsius Prælati celebrantis.

Potissimè verò & clarius ob eam circumstantiam, quod ista esset una ex Basilicis Patriarchalibus Urbis, tertium occupans locum, atque juxtà unam opinionem æque concurrens cum aliis Basilicis Patriarchali-
7 bus ad efformandam Cathedram Urbis, & consequenter concurrit aliqua ratio peculiaris, ob quam sine speciali mentione venire non debeant ejus privilegia sub derogatoriis generalibus; Dando in hoc exemplum legis seù decreti generaliter disponentis de præeminentiis Archipresbyterorum seù aliarum Dignitatum Ecclesiarum Cathedralium vel Collegiatarum, quod sub hac generalitate absque dubio non venirent Archipresbyteri trium Basilicarum Patriarchalium *Lateranen. Vatican.* & *Liberian.* ob excellentiam dignitatis & Ecclesiarum, quæ ratio proportionabiliter & respectivè Abbati seù Prælato hujus Basilicæ adaptabilis quoque videbatur.

Ea etiam consideratione habita, quod cum plura adessent Monasteria, quorum Abbatibus seù Prælatis ex peculiari ratione conveniret dicta declaratio, prorsùs incongruum est, ut Abbas hujus insignis Basilicæ, quæ omnium Ecclesiarum Regularium major, & dignior, atque quodammodò caput dici potest, ita inferiorem haberet præeminentiam & prærogativam; Et ex his pro indefinito usu prædicto, quotiescumque occasio congrua exigeret, mihi quoque concludere visum est, concordando cum aliis in substantia, non autem in ratione, cum hæc media viderentur pro meo judicio magis facere ad rem.

PRAGEN.

PRÆCEDENTIÆ

PRO

EPISCOPO LITHOMARICEN.

CUM

ARCHIEPISCOPO SEBASTEN. SUFFRAGANEO ARCHIEPISCOPI PRAGEN.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Rituum & resolutus ut infrà.

De præcedentia inter Episcopum Provincialem seù suffraganeum in propria provincia, & Archiepiscopum titularem, qui sit Vicarius seù coadjutor in pontificalibus, vulgò suffraganeus Archiepiscopi metropolitani in Pontificalibus, àn scilicet ipsa Dignitas Archiepiscopalis non obstante muneris diversitate causet præcedentiam suprà Episcopum.

SUMMARIUM

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur casus controversiæ.*
3 *Episcopus in propria Diœcesi omnes præcedit.*
4 *Ita Parochus in propria parochia.*
5 *Nemo potest licèt sit Episcopus in aliena Diœcesi habere usum Pontificalium.*
6 *De Archiepiscopi Nazareni præeminentia.*
7 *Episcopi suffraganei in actibus provincialibus quos gerunt cum metropolitano, omnes præcedunt etiam digniores, & de ratione.*
8 *Quid in actibus indifferentibus in provincia.*
9 *Episcopi suffraganei in provincia dicuntur habere jurisdictionem habitualem in provincia, & de facultatibus eis competentibus.*
10 *De observantia Cappellæ Pontificiæ, & Curiæ Romanæ.*
11 *Consuetudo generaliter tribuens præcedentiam minùs dignis reputatur corruptela.*
12 *Refertur decisio Sac. Congregationis Rituum.*

***

DISC.

DISC. XVI.

1 UM Archiepiscopus Pragen. qui tunc erat Cardinalis *de Arach*, juxtà Germaniæ frequentem, ac ferè generalem usum, pro exercitio Pontificalium, apud se haberet Archiepiscopum Sebasten. in partibus Infidelium in Vicarium seù coadjutorem, qui *suffraganeus* nuncupari solet, Orta est præcedentiæ controversia, inter istum, & Episcopum *Lithomaricen.* hujus provinciæ Episcopum suffraganeum antiquiorem; Quarè desuper de meo judicio consultus ex parte dicti Episcopi, quinimò & ejusdemmet Cardinalis Archiepiscopi, Ad veritatem eruendam mihi videbatur, tres casus distinguendos esse, Unum scilicèt, ubi 2 ambo reperirentur in ipsa Civitate vel Diœcesi Lithomaricen. Alterum ubi in ipsa Civitate metropolitica seù ejus diœcesi vel provincia; Et tertium ubi in loco omninò tertio.

Primo casu pro Episcopo absolutè respondendum 3 censui, quoniam in propria diœcesi reputatur Pontifex, omniumque superior, ideoque omnes præcedit, quamvis ordine vel dignitate majores. *Chassan. in catalogo gloriæ mundi par. 4. consider. 22. Barbos. de univers. Jur. Eccles. cap. 13. num. 11.* Et habetur in Pa- 4 rocho, qui in propria parochia præcedit Abbates, ac Dignitates, & Canonicos Cathedralis singulariter consideratos, & non constituentes Capitulum, aliosque digniores, *Abb. in cap. postulastis de consess. preben. Tamburin. de Jur. Abb. tom. 1. disput. 25. qu. 2. n. 28. Penia dec. 261 juxta Lugdunen. in Pamplonen. præminentiarum 22. Martii 1604. litta, & 1. Julii 1609. Pamphilo, Zamoren. Iurium parochialium 23. Maii 1644. Peuting.* & habetur *in Ampurien. & Civitaten. præcedentiæ hoc. eod. tit. disc. sequenti* & in decisionibus in ea causa editis.

Neque dicebam intrare distinctionem, inter functiones jurisdictionales, & alias indifferentes, Tum quia Doctores indistinctè firmant dictam conclusionem favorem Episcopi, vel respectivè Parochi in pro- 5 prio territorio existentis, ratione illius præminentiæ quam secum trahit ipsa qualitas jurisdictionalis, quia ibi reputatur caput, ideoque primum locum occupare debet; Tùm etiam propter usum pontificalium, ac habitus jurisdictionalis, dum privativè ad omnes, etiam in actibus indifferentibus, utitur rocchetto & mozzetta, nec non benedictionem populo impartitur, quod aliis non conceditur, nisi in quibus eadem jurisdictionis ratio militet, ut sunt Legatus Apostolicus, Patriarcha, vel Metropolitanus tempore visitationis, nisi talis usus ex aliquo speciali privilegio Sedis Apostolicæ etiam in aliena diœcesi competat, ut fortè singulariter in honorem Episcopi patriæ Domini 6 nostri Jesu Christi competit Archiepiscopo Nazareno ex firmatis per *Rotam dec. 106. par. 10. rec.* cujus decisionis mentionem habet etiam *Ughellius in septimo tomo Italiæ Sacræ*, ubi agit de hac Ecclesia Nazarena ob ejus residentiam in Italia, & de quo habetur etiam actum occasione aliquarum controversiarum jurisdictionalium seù præeminentialium inter ipsum & Archiepiscopum Tranen. in cujus diœcesi residentiam habet *sub tit. de jurisdictione in Nazarena disc. 20.*

Quo verò ad alterum casum, concursus scilicet 7 hujusmodi Prælatorum in ipsa Civitate Metropolitica, ejusque diœcesi vel provincia, distinguebam inter functiones publicas, & jurisdictionales ratione Episcopatus & Prælaturæ actualis, puta in Synodo Provinciali, in consecratione Episcopi comprovincialis, in Dieta Regni, in coronatione Regis vel Reginæ, cum similibus, Et inter actus omninò indifferentes ac privatos.

In prima specie, absque dubio pro Episcopo respondendum esse dicebam, quoniam cum isti sint actus, qui geruntur in titulum sub nomine Prælaturæ, dictus Archiepiscopus titularis, utpote non existens de illo ordine seù genere, nullum jus habet in eis interveniendi, quia extrà suum officium, undè reputatur vir merè privatus; Ac etiam urget eadem ratio casus præcedentis, ut scilicet habens jurisdictionem in proprio territorio seù loco, præcedat non habentem; Altera etiam ratione ponderata, quod Metropolitanus cum suis suffraganeis, unum & idem constituit provinciæ corpus, cujus ipse est caput, alii sunt membra, ideoque non potest diversa persona intermediare, juxtà ea, quæ habentur in quæstione Vicarii Generalis intermediantis necnè inter Episcopum & Capitulum, ex deductis infrà *in Majoricen. hoc eodem tit. disc. 18. & 19.*

Quidquid enim sit de eo casu ex ratione universæ jurisdictionis, quodque Episcopus & Vicarius, quemadmodum unum Tribunal constituunt, ita unam personam representare videntur, ut ibi; Ista ratio non congruit hujusmodi suffraganeo, qui absque jurisdictione est simplex minister in usu pontificalium.

Ubi verò agitur de actibus indifferentibus, quales sunt sessiones in mensa, curru, & aula, & similes; Et 8 tunc mihi inferebat difficultatem observantia Curiæ Romanæ, in qua dictus Archiepiscopus titularis totam ejus prætensionem fundabat, ut in notulis transmissis insinuabatur; Verum pro meo judicio, hujusmodi observantia non obstante, contrarium probabilius videbatur in Civitate Metropolitica, seù intrà provinciam, Non quidem ex ratione majoris existimationis de facto, quam Episcopus in eisdem notulis deducebat etiam in tertio casu, ut infrà, Sed ex eadem ratione jurisdictionis, saltem habitualis, quam Episcopi suffraganei in universa provincia habere videntur, ideoque stare dicuntur in domo propria, & in statu majoris præeminentiæ, dum Archiepiscopo negligente, aut non residente, suffraganeus antiquior ejus vices supplet & judicat, juxtà dispositionem *Sac. Conc. Trident. Sess. 23. de reformat. cap. 23.* Atque Sede vacante, si Capitulum Metropolitanæ negligit intrà 8. dies legitimè Vicarium deputare, idem antiquior suffraganeus deputat ex eodem *Concilio Sess. 24. de reformat. cap. 16.* Prout causas Episcoporum suffraganeorum cum Metropolitano cognoscit, atque leges in Synodo provinciali cum Metropolitano & coEpiscopis provincialibus condit, aliaque hujusmodi gerit, de quibus *in eodem Concilio dicta Sess. 24. de reformat. cap. 2.* Ideoque negari non potest superioritas, & jurisdictio habitualis in provincia, ob quam, ei tanquàm digniori majores deberentur præeminentiæ in hoc territorio suprà alios, quamvis in majori ordine constitutos, ex eadem ratione, de qua in casibus præcedentibus; Quæ ratio non militat in Cappella Pontificia seù aliàs in Romana Curia, in qua in proposito 9 omnes Episcopi sunt æquales absque jurisdictione nec actuali nec habituali, exceptâ illa satis remota habituali quam Episcopi habentes diœcesim actualem habent discretivè ad solos titulares, interveniendi ac votum proferendi in Conciliis generalibus, quod est quid valdè remotum, ideoque ita omnes dicuntur esse in loco omninò tertio.

Demùm quoad tertium & ultimum casum, extrà scilicèt provinciam & in loco omninò tertio,

10 Ex parte Episcopi allegabatur Germaniæ consuetudo, quæ de facto ab aliqua probabilitate aliena non videtur, quoniam in ea regione, cùm Episcopi ob utriusque jurisdictionis spiritualis & temporalis amplitudinem, aliasque multas præeminentias, Principum figuram etiam faciant, de consequenti resultat, quod Episcopatus non cadunt nisi in personis ordinis Magnatitii, vel saltem in valde nobilibus & potentibus, qui de facto hujusmodi Episcopos titulares suffragaeorum munus explentes, inter eorum famulos & servitores quodammodò reputant, atque vulgo per populum inter Episcoporum ministros reputantur potiùs, quàm inter Prælatos, ita ut inter unos & alios nulla penitùs dignoscatur comparatio seù proportio; Eo modo, quo de facto nos docet praxis Urbis; ubi multi obtinentes primas dignitates in Cathedralibus vel Collegiatis insignibus de partibus, nam in Curia, ut donec in ea morantur, se substentare valeant, munus adjutoris Parochorum, seù cappellanorum manualium & conductitiorum pro funeribus aliisque Divinis officiis explicant, & consequenter de facto, non curata dignitate quam obtinent in propria patria, in modica existimatione habentur, atque longè inferiores reputantur nedùm Canonicis cujuslibet infimæ Collegiatæ Urbis, sed etiam simplicibus Sacerdotibus & clericis in hoc servitorio munere se non ingerentibus, Et hic de facto videtur casus.

Quia verò de jure attenditur prærogativa ordinis seù dignitatis, atque illa consuetudo, quæ generali-
11 ter dat præcedentiam minùs digno suprà digniorem reputatur corruptela ex deductis per *Gregorium decisione 310. numer. 5. & Adden. ad eum decision. 124. & passim.* Idcircò in hac parte contrarium respondi potissimè stante dicta observantia Cappellæ Pontificiæ, ac totius Curiæ, non obstante quod de facto in aliquibus Episcopis titularibus vel etiam actualibus pauperes & infelices Ecclesias habentibus, ut sunt plerique in Regno Neapolitano, frequentius verò in Albania, & in Insulis Archipelagi, quod comparativè ad magnos Episcopos vel Archiepiscopos intrat eadem ratio seù proportio, quoniam ea non obstante, attenditur solùm antiquitas promotionis juxtà dispositionem juris tanquam inter existentes in eodem ordine.

Cum autem, ut quotidiè experimur, ob ingeniorum varietatem, sivè etiam quandoque ob diversas voluntates non eamdem sinceritatem habentes, nimis varia fuerint vota aliorum, qui hinc indè desuper consulti fuerunt, Hinc proindè non potuit controversia ita benevolè terminari, ut erat Cardinalis Archiepiscopi desiderium, Undè consulta fuit Sacra Rituum Congregatio, cui hujusmodi responsa exhibita fuerunt, Quæ juxtà præmissa respondit, excepto solo
12 casu actuum indifferentium in loco tertio extrà propriam diœcesim Episcopi, quamvis in ipsa Civitate Metropolitica vel in provincia, quæ resolutio in loco verè tertio extrà provinciam probabilis visa est, quamvis de facto dicta consuetudo Germaniæ satis urgeret in contrarium, tam ob dispositionem juris, quàm ex observantia Cappellæ Pontificiæ, cui principaliter Sac. Congregatio innixa est; Verum intrà provinciam non potui in præfatæ resolutionis obsequium captivare intellectum ob dictas rationes, quæ mihi urgere videbantur.

***

AMPVRIEN. ET CIVITATEN. PRÆCEDENTIÆ.

PRO CAPITULO COLLEGIATÆ, LOCI NUNCUPATI DEL TEMPIO CVM CANONICIS CATHEDRALIS AMPURIEN.

Casus variè decisus per Rotam.

Canonici Cathedralis associantes Episcopum in visitatione seù alia occasione sibi assistentes, An præcedant in Ecclesia Collegiata ejusdem Ecclesiæ Capitulum & Dignitates, sivè in alia Ecclesia Parochum, aut proprium Prælatum & Rectorem.

SVMMARIVM

1 *Facti series.*
2 *Decisio causæ.*
3 *Conclusio ut Capitulo Cathedralis debeantur præeminentiæ intelligitur intrà propriam diœcesim.*
4 *Capitulum præcedit omnes etiam in eorum propriis Ecclesiis, & de ratione.*
5 *Universitates & corpora universalia præcedunt singulos licèt digniores.*
6 *Canonici associantes Episcopum in Visitatione, an dicantur habere jurisdictiones & esse Visitatores.*
7 *Capitulum potest representari ab uno vel duobus Canonicis tantùm, & quandò id procedat.*
8 *In quo consistat consulentium seu Iuristarum doctrina, & excellentia.*

DISC. XVII.

1 Uamvis Ecclesiæ Cathedrales Ampurien. & Civitaten. de jure sint æque principaliter unitæ, atque ipsarum quælibet suos limites distinctos habeat, ut in alia *Ampurien. & Civitaten. Cathedralitatis, seu unionis suprà hoc eod. tit. disc. 7.* Nihilominùs quia Capitulum Cathedralis *Civitaten.* actualiter & de facto deficit, Hinc sequitur, quod Capitulum alterius Cathedralis *Ampurien.* pariter de facto in ista et am diœcesi, perindè ac si accessoriè & subjectivè unita esset, eamdem gerit personam, seù facit figuram, præsertim verò Episcopum hanc diœcesim visitante, duo Canonici dictæ Cathedralis *Ampurien.* associari solent, Undè propterea occasione visitandi Ecclesi-

am

am Collegiatam sub *Gregorio XV.* erectam in Oppido nuncupato *del Tempio*, quod supponitur subrogatum loco antiquissimæ Civitatis *Pensaniæ*, aliàs *Civitaten.* nuncupatæ & dirutæ, Orta est controversia, An in choro aliisque functionibus dictis Canonicis Cathedralis deberetur præcedentia suprà ipsius Ecclesiæ Collegiatæ Capitulum, quod collegialiter intervenit; Et introducta causa *in Rota coram Meltio* sub die 28. *Novembris 1659.* ad favorem Canonicorum Cathedralis prodiit resolutio, à qua tamen, in altera disputatione habita coràm *eodem* occasione novæ audientiæ, recessum fuit sub *die 19. Aprilis 1660.* seù verius dicta prior resolutio declarata fuit, ut scilicet intelligenda veniat, quando Capitulum Cathedralis Capitulariter cum Episcopo interveniret, secùs autem ubi agitur de Canonicis singularibus, ac discretivè à Capitulo intervenientibus. 2

Quamvis autem, posita hujusmodi Ecclesiarum, & diœcesum omnimoda distinctione, quæ per unionem æque principaliter conservari dicitur, *ut d. disc. 7.* etiam hæc secunda decisio reformatoria parùm probabilis esset, eò quia præeminentiæ debitæ Capitulo Cathedralis in omnibus Ecclesiis etiam supra earumdem Capitula, Prælatos, seù Rectores, procedunt in proprio territorio, seù diœcesi, in qua urget ratio jurisdictionis, & superioritatis, non autem in diœcesi diversa, in qua tale Capitulum habetur pro persona privata, nullamque præeminentialem figuram facit; Nihilominùs quia de facto observantia est in contrarium, etiam circa regimen, & jurisdictionem sede vacante, juxtà decisiones, de quibus *in dicto disc. 7.* Idcircò præsuppositio hoc statu, & donec revocentur dictæ decisiones, aliàs de stylo præsupponendæ, probabilem beneque fundatam dixi hanc secundam resolutionem ita distinguentem, Undè propterea consului Capitulo Collegiatæ, pro quo scribebam, ut acquiesceret, potiusque assumeret sub nomine totius diœcesis negotium principale super dicta omnimoda separatione Ecclesiarum, & diœcesum. 3

Posita verò unitate, etiam prima decisio, in iis quæ juris sunt, dixit veritatem in abstracto super præcedentia debita Canonicis Cathedralis suprà proprios Canonicos, Rectores, vel Prælatos in ipsismet eorum Ecclesiis intrà diœcesim, sed fallacia fuit in applicatione, benè declarata per posteriorem resolutionem, quoniam intelligitur, quando dicti Canonici collegialiter constituunt Capitulum Cathedralis, cui suprà omnes debita est præcedentia, Ex ea clara ratione, quod illud constituit unum, & idem corpus cum Episcopo, ideò que sicut iste omnes, & ubique in diœcesi præcedit, ita etiam Capitulum, ne membra separentur à suo capite, *Felin. in cap. cum non liceat numer 2. de præscript. Gemin. in cap. quamvis §. quanquam de prahendis in 6. & cæteri per Gratian. discept. III. numer. 2. cum sequen. Barbos. de Canonicis cap. 18. numer. 44. cum sequen.* ubi plures refert resolutiones Sac. Congregationis. 4

Alia etiam accedente ratione, quod penès Capitulum residet Episcopalis jurisdictio, & superioritas suprà omnes saltem habitualis, ad actum deducibilis sede vacante, vel etiam plena in plerisque casibus, Ideòque semper superior præcedere debet subditum, atque super eum præeminentiam habere, ut habetur etiam *in Surrentina*, & in aliis *sub titulo de jurisdictione*; Et ob quam rationem intellectus non acquiescit opinioni, quam aliquando tenuit Sac. Congregatio Rituum, ut in funeribus quæ fiunt in Ecclesiis Regularium cum interventu Capituli Cathedralis, præeminentia celebrandi officium spectare debeat ad Prælatum Regularem, seù ab eo deputandum, eo modo, quo spectat in concursu Parochi, vel Capituli Collegiatæ, quoniam magna differentia est inter unum casum & alterum, ob dictam rationis diversitatem, ut habetur deductum in Calaritana funerum *hoc eod. tit. disc. 22.*

Non benè autem hæc applicabantur ad casum controversiæ, in quo non agebatur de Capitulo, sed de aliquibus Canonicis singularibus, qui licèt digniores essent singulis Canonicis Collegiatæ, nihilominùs cedere debent locum Capitulo, seù Collegio, ex regula quod universitates, seù corpora politica præcedunt singulos quamvis aliàs digniores, *Gratian. dicta discept. III. numer. 10. cum sequen. Barbos. de Canonicis cap. 18. num. 63.* Et in specie *decis. III. nu. 8. & sequen. par. 5. rec.* atque in hujus causæ secunda decisione. 5

Scribentes in contrarium, fundamentum in eo constituebant, quod isti Canonici non intervenirent in ea Ecclesia voluntariè, ac jure merè privato, sed potiùs jurisdictionaliter tanquàm Superiores, associando scilicèt Episcopum in visitatione ad præscriptum *Sac. Concil. Trid. Sess. 25. de reformat. cap. 6.* & consequenter, quod tanquam Superiores tunc præcedentiam habere debebant contra Capitulum subditum visitandum; Verùm quamvis assumptum in abstracto subsisteret, adhuc tamen fallacia erat in applicatione, quoniam ut habetur particulariter actum in *Romana Religionis Minimorum sub tit. de Regularibus*, circa præcedentiam Sociorum, seù Assistentium Generalis supra Provinciales, vel Correctores, id rectè procedit quando socii sunt etiam conjudices, coæquale, ac decisivum votum habent cum Prælato, cum quo unum, & idem corpus politicum constituunt, repræsentativum personæ intellectualis Visitatoris, Quod dici non potest de hujusmodi Canonicis ad præscriptum dicti decreti conciliaris associantibus Episcopum visitantem, dum præstant solùm assistentiam, prout facti est, & pro consilio, non autem cum voto decisivo, & tanquam conjudices. 6

Satis quoque insistebant cum copiosis allegationibus super conclusione, de qua *in Cæsar augustana Canonicatus sub tit. de Canonicis, & Capitulo*, ac in decisionibus in ea causa editis coram *Dunozetto, Bichio, & Albergato*, quod scilicet Capitulum potest representari etiam per duos Canonicos, quinimò etiam per unum, in quo totum jus Capituli residere potest, Sed pariter admittendo conclusionem tanquàm veram, dicebam fallaciam consistere in applicatione, ideòque prorsùs inane, ac extrà propositum remanebat illa copiosa allegationum congeries, ex qua ignarum vulgus judicium efformare solet, quoniam id rectè procedit, quando cæteris Canonicis censuratis, seù aliàs impeditis, vel deficientibus, aliqui licèt pauciores, etiam tres, vel duo, quinimò unus sunt non impediti, & habiles ad representandum universitatem, & corpus politicum Capituli, cujus nomine explicent actum tanquàm Capitularem, ex deductis *in ead. Cæsaraugustana*, quæ omnia in præsenti deficiebant, quoniam isti Canonici in hoc actu non interveniebant nomine Capituli tanquam explicantes actum universitatis, seù Capitularem, sed tanquàm singulares Episcopum associantes. 7

Item quia, non deficiebant, neque impediti erant alii Canonici, qui remanserant in ipsa Cathedrali, ubi

constituebant Capitulum, quod est unicum corpus individuum unius formalis, seù intellectualis personæ representativum, Et consequenter non poterat unum,& idem corpus, eodem tempore esse in duobus locis,ideoque verificabatur id, quod frequentissima, & quotidiana est mea dicendi consuetudo, consulentium eruditionem,ac excellentiam, non consistere in 8 cumulo allegationum, cuique longè infrà mediocritatem satis facili ob librorum, & collectorum copiam,sed in applicatione congrua ad casum, de quo agitur, & ex qua incongrua applicatione, seù incongrua conclusionum consarcinatione fieri solita per modernos potiùs collectores, & transcriptores,quàm Doctores,adeò magna inolevit confusio, in dies major,ac intolerabilis efficienda in ista facultate, Et sic totum consistit in benè distinguendo, & congruè applicando.

MAJORICEN.

PRÆCEDENTIÆ.

PRO

CAPITULO CATHEDRALIS,

CUM

VICARIO GENERALI.

Discursus pro directione.

An, & quando Vicarius Generalis Episcopi in Choro aliisque functionibus præcedat Capitulum Cathedralis, ejusque Dignitates,& Canonicos,vel potiùs econverso eis locum cedere debeat.

SUMMARIUM

1 *Casus controversiæ.*
2 *Refertur opinio volentium Vicario non competere præcedentiam supra Capitulum, & primam Dignitatem.*
3 *Contrariam opinionem tenet Sac. Congregatio Rituum.*
4 *Quando contraria consuetudo etiam benè probata non suffragetur.*
5 *Consuetudo, per quam inferior præcedit superiorem est corruptela.*
6 *Quando consuetudo sit substentabilis.*
7 *Consuetudo, quæ canonizat unam ex duabus controversis opinionibus,non est contra jus.*

DISC. XVIII.

1 DENEGANTE Capitulo Cathedralis *Majoricen.* præcedentiam Vicario Generali Episcopi, curavit iste obtinere à Sac. Congregatione Rituum rescriptum, antiquis ac frequentibus ejusdem Sac. Congregationis decretis conforme; super Vicarii præcedentia adversus Capitulum, ejusque primam Dignitatem; Cumque agentes pro Capitulo curarent hujus rescripti revocationem obtinere, atque meum requisissent patrocinium, dixi inanem laborem esse ita absque justificationibus hujusmodi opus tentare,quoniam quicquid super hoc articulo scribentes variaverint,Sac.Congregatio firmiter tenet opinionem Vicario favorabilem super ejus præcedentia, excepto casu in quo Dignitates,& Canonici cum pluvialibus,& Episcopo assistentiam facerent, Ideoque antequàm opus tentaretur, consului obtinendam esse remissoriam, ad effectum probandi consuetudinem per eosdem agentes constanter præsuppositam,prout obtenta fuit,cum incertitudine tamen quid inde sequutum sit.

Pro instructione tamen ejusdem Capituli, atque ad effectum benè concludendi probationes, eisdem agentibus instantibus, discursum edidi, in quo dicebam; Quod licèt *Menoch.cons.*51.& 257. & latiùs 2
*Joannes Pichardus apud eumdē Menoch.cons.*52.plenè,ac elaboratè,cum pluribus auctoritatibus, & rationibus ibi videndis, substineant partes Capituli ejusque primæ Dignitatis, ac etiam satis urgeat ratio unitatis corporis, quod constituunt Episcopus tanquàm caput,& Canonici tanquàm membra, unde propterea incongruum,& monstruosum est, ut inter caput, & membra in eodem corpore aliquid extraneum commisceatur ex plenè collectis etiam per *Gratian.discept.*111.*numer.*1. *cum sequen. Marescott. lib.*1.*var.cap.*69.apud quos cæteri, Alii verò distinguere soleant inter actus jurisdictionales, & non jurisdictionales.

Nihilominùs Sac. Rituum Congregatio, hac distinctione rejecta, excepto solùm dicto casu assistentiæ cum paramentis, indefinitè sequitur opi- 3
nionem *Abb.cons.*21. *par.*1. quam cæteri sequuntur deducti *in voto Cantuccii registrato apud Gratian.dicta discept.*111. *numar.*24. *& sequen.* super præcedentia Vicario debita,ut patet ex declarationibus registratis *per Barbos. in summa Apostolicarum decisionum* verbo *Vicarius Generalis circà locum, & præcedentiam collectan.*714. atque hoc jure vivitur,quoties non constat de legitima consuetudine benè probata.

Quatenùs verò ad hujusmodi consuetudinem pertinet, advertebam plures casus distinguendos esse. Quorum primus est, quando Vicarius Generalis, 4
absente Episcopo, intervenit in Capitulo vel altera functione tanquàm Præsidens & superior, loco & vice Episcopi absentis, & tunc dicebam desperatum opus videri,quoniam,dum intervenit tanquam Præsidens & superior,omninò incongruum est,ut locum cedat subdito & inferiori, unde quandò etiam hujusmodi consuetudo probaretur, illa reputaretur potius corruptela, qualis dicitur ea,per quam subditus præcedat Superiorem, ut in specie habetur in *dicto voto Cantuccii*,& admittitur apud *Gratian.dicta discept.*111.*numer.*16.*cum sequen.* & generaliter *Greg. dec.*310.*num.*5.*&* 5
*Adden.ad eum dec.*124. *Rot. dec.*3. *&* 111.*par.*5.*rec.*

Clarius verò ac extrà difficultatem, quia isto casu consuetudo erat omninò improbabilis, dum in facto supponebatur illum Vicarium, seù delegatum particularem, qui in ista Ecclesia deputari consuevit pro solo interventu, seù præsidentia in Capitulo vice Episcopi absentis,quoties non est in habitu Canonicali,primum locum occupare; Si enim iste Vicarius particularis,qui proindè ad differentiam Vicarii Generalis nuncupatur *Capitularis*,minorem absque du-

bio

bio habens jurisdictionem, & præeminentiam, atque jure foranei potius censendus præcedit, multò magis extrà difficultatem eadem præcedentia debetur Vicario Generali in universa Episcopali jurisdictione representante Episcopum, cum quo unum & idem tribunal constituit.

Alter casus est, ubi agitur de actibus Collegialibus, seù Capitularibus, in quibus interveni etiam Episcopus, ut est in celebratione Synodus, in processio-
6 nibus, & similibus, Et tunc licèt, ut dictum est Sacra Congregatio teneat opinionem *Abbatis* & sequacium super Vicarii præcedentia, Nihilominùs id non est expresè determinatum in jure, sed est articulus inter Doctores controversus, & in quo, ubi auctoritas Sac. Congregationis non urgeret, probabilior magisque fundata videtur diversa opinio, quam substinent *Menoch. Pichard. Marescott. & Gratian. locis citatis*, & cæteri apud eos, ob dictam satis convincentem rationem unitatis corporis, unde propterea monstruosa est alterius extranei intersecatio; Ac etiã, quia præsente & interveniente Episcopo, necessarius non videtur interventus Vicarii, cujus officium non est necessarium, quoniam Episcopus potest judicare & administrare per seipsum, ac nullum habere Vicarium, *ut apud Cavaler. decis. 418.* & habetur *in Acernen. disc. 24.* & in aliis *sub tit. de jurisdictione*, ideòque ubi dicta consuetudo probaretur, etiam simplex quadragenaria, quinimò & minor, meo judicio videretur sufficiens, quo-
7 niam non agitur de consuetudine habente positivam juris resistentiam, sed potiùs decidente unam ex duabus opinionibus in articulo controverso, ideoque magis præter, quam contrà jus *juxtà decis. Putei 240. in fin. lib. 3. dec. 20. numer. 7. par. 3. rec.* incertum tamen est, quid indè sequutum sit; Sed ex dicta ratione, satis honesta & probabilis mihi videbatur Capituli prætensio.

1 *Facti series.*
2 *De stylo Sac. Congregationis concedendi remissoriam inferiori adversus primam dignitatem super probatione consuetudinis cum clausula*, sine præjudicio.
3 *Declaratur quomodò & quando dictus stylus procedat, & de illius ratione.*
4 *Consuetudo ut inferior faciat functiones primarias, debet esse immemorabilis.*
5 *Ubi agitur de probatione per immemorabilem, ista exigit canonizationem per tres conformes.*
6 *De differentia, ubi prima dignitas contendit cum alia dignitate inferiori singulari, & ubi cum Capitulo, & de ratione.*
7 *Vicarius capitularis, vel generalis non potest se ingerere in functionibus pontificalibus in præjudicium primæ Dignitatis.*
8 *Accedente fumo datur remissoria cum retardatione etiam in executivis.*
9 *Episcopo infirmo vel mortuo jus administrandi sacramenta vel faciendi funus pertinet ad Capitulum privativè ad Parochum.*
10 *Dignitates non sunt de Capitulo.*
11 *De ratione ob quam ad primam Dignitatem pertinet facere functiones pontificales & majores.*
12 *Sede vacante, an de jure exercitium jurisdictionis pertineat ad Archidiaconum primam Dignitatem.*
13 *Facere funus Episcopo vel alteri primario Viro, dicitur functio major & pontificalis remissivè.*

MAJORICEN.

FUNCTIONUM

PRO

CAPITULO CATHEDRALIS,

CUM

ARCHIDIACONO ALIISQUE DIGNITATIBUS.

Casus disputatus in Congregatione Rituum *occasione remissoriæ obtentæ.*

De functionibus Pontificalibus vel majoribus, quæ absente, vel impedito Episcopo pertinent ad Archidiaconum, seù primam Dignitatem, An ex consuetudine sint ad dispositionem Capituli, ita ut faciendæ sint per Capitularem ab eo deputatum; Et de stylo Sac. Congregationis super concessione remissoriæ ad probandas hujusmodi consuetudines primæ Dignitati præjudiciales.

Item jus administrandi Sacramenta Episcopo infirmo, eique mortuo faciendi exequias, ad quem pertineat, àn ad Parochum, vel ad Capitulum, seù primam Dignitatem Cathedralis.

SUMMARIUM

DISC. XIX.

PRætendente Capitulo Cathedralis *Majoricen.* de illius Ecclesiæ consuetudine, functiones pontificales & majores, absente vel impedito Episcopo, explicandas esse per illũ Capitularem, quem ipsum Capitulum pro tempore deputaret, non autem per Archidiaconum primam Dignitatem, vel successivè per aliàs Dignitates, idemque circà administrationem sacramentorum eucharistiæ, & extremæ unctionis Episcopo infirmo, ejusdemque defuncti funus seù exequias, A pluribus annis casus subtulit occasionem de hoc dubitandi, stante quod Archidiaconus, aliæque Dignitates (quæ juxtà dispositionem juris ibi à contraria consuetudine non alteratam, non sunt de Capitulo, neque in eo votum habent,) ex Apostolica dispensatione, annexum quoque habuerunt Canonicatum, cujus ratione utpotè existentes de Capitulo, istius jura potius, quam Dignitatitatis cõservare curarunt; Cum autem casus dedisset, Archidiaconatum primam Dignitatem, ac etiam alteram Sacristæ, sinè Canonicatu provisas esse, unde propterea isti moderni illarum possessores non erant Capitulares; Id proindè huic controversiæ causã dedit, prætendente Archidiacono primam Dignitate & successivè alia postmodũ veniente, juxtà dispositionem juris, hodiè ex tot declarationibus Sac. Congregationis redditã incontrovertibilem, ad ipsam potius spectare jus explicandi pontificales ac majores functiones, Episcopo absente vel impedito, Undè introducta causa in Sacra Congregatione Rituum, atq; allegata ex parte Capituli dicta contraria consuetudine, ut hujusmodi functiones explicari non deberent, nisi 1

nisi per unum ex Capitularibus ab ipso Capitulo deputandum, petitaque ad hujusmodi consuetudinem probandam remissoria; Cum huic altera pars se opponeret, prætendendo eam concedendam non esse,
2 nisi juxtà stylum Sac. Congregationis rescribendi cum clausula, *non retardata interim possessione primæ dignitatis.*

Super hoc assumpta disputatione, cùm ex parte Capituli vehemens fumus dictæ consuetudinis daretur, per multas benè concludentes attestationes cappellanorum aliorumque ministrorum, qui longissimo tempore in ista Ecclesia versati erant; Dicebam scribens pro Capitulo, etiam cum sensu veritatis (qualem Sac. Congregatio agnovit concedendo simpliciter, & absque dicta clausula remissoriam & compul-
3 soriam,) hujusmodi stylum, quem admittebam verum & practicatum, ut præsertim sciebam fuisse practicatum in una *Melphicten.* ac etiam in altera *Vigilien.* de quibus habetur mentio infrà *in Parmen. præcedentia disc sequenti*, rectè procedere in casibus, de quibus agebatur *in dictis Melphicten. & Vigilien.* ac similibus, ubi scilicèt contentio est inter Archidiaconum, & Archipresbyterum, seù primam, & secundam, aut aliàs inferiorem Dignitatem, cum tunc prima Dignitas habeat juris assistentiam, inferior verò resistentiam, donec probetur consuetudo immemo-
4 rabilis, quæ necessaria est, & alia minor non sufficit, ut *in praxi Archiepiscopali Neapolis cap. 53. Barbos. in summa Apostolicarum decisionum verbo* Dignitas prima *Collectan. 253. Rota decis. 244. par. 3. rec. cum aliis, de quibus infrà disc. sequ.*

Quoties verò in iis, in quibus jus resistit, cessante
5 Apostolico privilegio claro, remanet solùm via probationis per immemorabilem, ista utpotè altioris indaginis exigit canonizationem per tres conformes, interim verò conceditur manutentio Superiori seù digniori habenti juris assistentiam ex iis, quæ satis frequenter habentur *in Toletana, in Vulturarien. in Anglonen.* & in aliis *sub tit. de jurisdictione*, ac etiã ad materiam decimarum & similium, atque huic rationi benè innixus est hic stylus.

Ista verò ratio adaptabilis non est ad casum, in quo
6 controversia non sit cum aliqua singulari Dignitate vel Canonico, sed cum ipso Capitulo, quod absque dubio est dignius qualibet singulari Dignitate quamvis prima, cum semper universitas vincat singulos, potissimè ob Episcopalem jurisdictionem & superioritatem in ipso Capitulo residentem, Episcopo mortuo, seù aliàs impedito; Quemadmodum enim habet jus deputandi Vicarium, cui licèt inferiori, prima Dignitas obedire tenetur, eumque in superiorem agnoscere, aliosque actus jurisdictionis & superioritatis Episcopo mortuo vel impedito facere potest, ex quodam jure non decrescendi, ex cessante capite remanente tota jurisdictione seù præeminentia Episcopali, & Cathedratica penès reliquum corpus Ecclesiæ Cathedralis constitutivum; Ita nulla positiva resistentia adesse videtur, ut una cum jurisdictione aliisque præeminentiis Episcopalibus, ista etiam in Capitulum transeat; Et sic non urget illa resistentia, quæ urgere dicitur, quandò inferior singulariter consideratus præcedit superiorem, seù minùs dignus digniorem, quoniam hujusmodi functiones ita non dicuntur explicari per illum Capitularem inferiorem singulariter & de per se consideratum, sed tanquam representativum Capituli dignioris, & superioris.

Et licet ista ratio sola, & de per se, in puncto juris non sufficiat, quia passim decisum est per Sacram
7 Congregationem, Vicarium Capitularem non posse in hujusmodi functionibus se ingerere in præjudicium primæ Dignitatis, quinimò neque Vicarium generalem, etiam ita expressè demandante Episcopo, qui desuper statuendi potestatem non habet, Attamen eadem ratio considerabilis est in ordine ad consuetudinem, ut ista dici non possit irrationabilis seù habens positivam juris resistentiam, undè successivè præcisè requiratur immemorabilis, sed sufficiat, vel ordinaria decennalis, vel ad summum quadragenaria, utpotè, potiùs præter, quàm contrà jus, sivè potiùs juris interpretativa, quàm correctiva.

Multò magis ad effectum præsentis disputationis, accedente vehementi fumo, ex quo regulariter, exceptis causis beneficialibus, ad effectum remissoriæ non necessario, excluditur suspicio calumniæ, & successivè 8
pro judicis arbitrio etiam in judiciis possessoriis & executivis concedi solet remissoria cum retardatione, quamvis aliàs regula esset in contrarium, *ut apud Seraph. decis. 298. apud Roias dec. 121. n. 1. & 466. n. 9. & in aliis*, Et hæc quoad majores & pontificales functiones.

Quoverò ad administrationem sacramentorum Episcopo infirmo, ac officium super funere eo defuncto, Alii hujus partis defensores credebant casum esse planum pro Capitulo ob aliquas declarationes ejus- 9
dem Sac. Congregationis, præsertim de recenti in una *Telesina 1. Aprilis 1662.* in qua firmatur hujusmodi functiones spectare ad Capitulum Cathedralis privativè ad Parochum, intrà cujus limites domus Episcopalis sita sit, ac Episcopus vivat, Et consequenter cum sit functio Capitularis, non poterant Dignitates in ea se ingerere, quoniam circumscripta consuetudine, quæ in ista Ecclesia non adest, de jure Dignitates
non sunt de Capitulo ex deductis *per Barbos. de Ca-* 10
nonicis cap. 5. nu. 1. Unde propterea habemus in beneficialibus, ut conclusio quod possessio Canonicatuum capi debet Capitulariter, locum non habeat in Dignitatibus, nisi de particulari consuetudine sint etiam de Capitulo, ut *decis. 175. & 177. apud Post. de manut. in Bitetten. Archipresbyteratus 4. Julii 1646. Mellio*, & in aliis.

Verùm diversa erat mea sententia, quod scilicèt præmissa quæ dicta sunt, defunctionibus majoribus & pontificalibus, in istis quoque locum habeant; Admittebam siquidem tanquàm certum & indubitatum, etiam seclusis dictis declarationibus, quod hoc jus spectaret ad Capitulum privativè ad Parochum; Tum quia prorsùs incongruum & monstruosum videtur, ut ille, qui comparativè ad Episcopum est ovis seù subditus & inferior minister, ita sit sui Pastoris Pastor, ac sui Superioris, & Domini Superior; Tùm etiã quia cum corpus formale Ecclesiæ Cathedralis, ut frequenter in aliis *hoc titulo*, & alibi habetur, constituatur per Episcopum tanquàm caput, & Capitulum tanquam reliquum corpus, cujus membra sunt Canonici, & Dignitates; Idcircò ad reliquum corpus pertinet capiti infirmo seù laboranti occurrere, sivè ipso deficiente, totum jus, sivè jurisdictionale, sivè præeminentiale, ex quodam jure non decrescendi ut supra penès reliquum corpus remanet.

Difficultas verò est, his etiam positis, cum ipsum 11
Capitulum sit corpus inanimatum, quod per seipsum naturaliter, & de facto explicare non potest hujusmodi actuum exercitium, explicandum à persona singulari, Quod scilicèt ista persona debeat esse illa, quæ in isto corpore est dignior, ac facit primam figuram, nam etiam reliquæ functiones majores, & pontificales, absente vel impedito Episcopo, habitualiter ad Capitulum ex dictis rationibus pertinere debent, sed

quoad

quoad actum, seù exercitium pertinent ad primam Dignitatem tanquam principale & dignius membrum istius corporis, Eodem modo, quo juxtà quotidianam praxim in omnibus functionibus & actibus, etiam prophanis, & merè ceremonialibus, in quibus Capitulum, Civitas, seù aliquod Collegium, tàm Ecclesiasticum, quàm sæculare, totum & collegialiter de facto intervenit, dignior seù primus inter illius corporis membra pro omnibus loquitur, Ac eo modo quo Christo interrogante totum Collegium Apostolorum, quem eum esse dicerent, Petrus tanquam inter eos primus ex persona omnium respondit, *Tu es Christus filius Dei vivi, &c.* Atque ista est ratio, ob quam hujusmodi functiones pertinent ad primam Dignitatem, quia licèt in actibus merè capitularibus, Dignitates non sint de Capitulo, in præeminentialibus tamen sunt de isto corpore, ejusque membra digniora.

Adeout non desint volentes, de jure, ac circumscripta Conciliari dispositione, jurisdictionem Episcopalem habitu competentem Capitulo, in exercitio
12 spectare ad Archidiaconum seù primam Dignitatem, Quod etiam post Concilium aliqui volunt, illo intermedio tempore, quo ad Vicarii deputationem proceditur, licèt hæc opinio cessante consuetudine non sit recepta; Cum de reliquo nulla videatur differentia inter istas functiones concernentes personam Episcopi infirmi vel mortui, & aliàs, quoniam ut habetur *in*
13 *Mediolanen. interdicti sub tit. de jurisdictione disc.* 30. hujusmodi functiones funeris Viri in loco primarii, inter majores & pontificales numerandæ videntur.

Ideoque concludebam, punctum generaliter, & indefinitè consistere in eo, quod quemadmodum quoad jurisdictionalia, & alia concernentia Ecclesiæ administrationem, Capitulum facultatem habet exclusivè ad Dignitates, alium deputandi in Vicarium & Oeconomum pro jurisdictionis, ac administrationis exercitio, ita etiam eamdem facultatem habeat quoad hujusmodi præeminentialia ex consuetudine, non contrà, sed præter jus, cum aliud sit agere de casu controversiæ inter ipsas singulares Dignitates, ut minus dignus præcedat digniorem, in quibus terminis intrat juris resistentia; Aliud verò inter ipsum corpus habens præeminentiam habitualem, & ejus membra, in quibus residet exercitium.

PARMEN.

PRÆCEDENTIÆ

PRO

ARCHIDIACONO,

CUM

ARCHIPRESBYTERO CATHEDRALIS.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Rituum, & Resolutus ut infrà.

De præcedentia inter Archidiaconum & Archipresbyterum, & ad quem respectivè pertineat, absente vel impedito Episcopo, majores ac pontificales functiones peragere; Et àn hodiè hujusmodi præeminentiæ competant ratione ipsius Archidiaconalis, seù Archipresbyteralis Dignitatis, vel potius ratione primæ Dignitatis, quocumque vocabulo nuncupetur.

SUMMARIUM

1 *Facti series.*
2 *Resolutio Sacræ Congregationis.*
3 *Distinguuntur puncti seu inspectiones causæ.*
4 *In Italia regulariter Archidiaconatus est prima Dignitas.*
5 *Quomodo dignoscatur prima Dignitas.*
6 *An ex sessione in loco digniori.*
7 *In eadem Ecclesia possunt esse duæ majores, & primæ Dignitates coæquales.*
8 *Sinistrum latus quandoque dignius reputatur.*
9 *Non implicat quandoque minus dignum occupare locum digniorem, & de ratione ob quam in choro Archipresbyter sedeat in digniori loco quàm Archidiaconus.*
10 *Præeminentia explicandi functiones pontificales, & majores spectat ad primam Dignitatem quocumque nomine nuncupetur.*
11 *De decisionibus agentibus de Archidiacono cum Archipresbytero quomodo intelligendæ sint.*
12 *De ratione ob quam ad primam Dignitatem hæc pertinent.*
13 *Quomodo intelligenda sint ea, quæ apud canones habentur de Archidiacono & Archipresbytero.*
14 *Archidiaconus, & Archipresbyter nostrorum temporum sunt tales non propriè, sed abusivè.*
15 *De dicto Innocentii circà Archidiaconum Parmæ & num.* 23.
16 *Consuetudo in hac materia debet esse immemorabilis.*
17 *De requisitis immemorabilis, & quomodo practicet Sac. Congregatio in concedenda remissoria.*
18 *Sententia recipit interpretationem à jure.*
19 *Unde proveniant æquivoca, quæ in hac materia sumi solent.*
20 *De ratione, ob quam Archipresbyter in ista Ecclesia non potest prætendere has præeminentias.*
21 *Non defertur Doctoribus circa consuetudines ac ea, quæ facti sunt.*
22 *Innocentius IV. fuit Canonicus Parmen.*
23 *Expenditur dictum Innocentii, de quo n.* 15.

DISC. XX.

ANtiqua est præcedentiæ, ac præeminentiarum controversia, inter Archidiaconum, & Archipresbyterum Cathedralis Parmen. in qua ex aliis præcedenti sæculo in causa scribentibus, quorum labores oblivionis sepulchro non subjecerunt, pro Archidiacono scripsit *Barbatia cons. 5. lib. 2.* & pro Archipresbytero *Riminald. jun. cons. 151.* Unde de anno 1575. prodiit sententia Episcopi, per quam declaratur, Archidiaconum uti obtinentem primam Dignitatem, tàm de jure, quàm ex dispositione cujusdam libri illius Ecclesiæ *Ordinarii*, seù *Bernardi* nuncupati, in omnibus functionibus ac actibus, tàm publicis, quàm privatis, præ- 1

præcedere debere Archipresbytero, aliisque Dignitatibus, præterquam in administratione Divinorum, ac etiam in quasi possessione sedendi in primo stallo chori à dextris Episcopi, in qua præeminentia concessa fuit Archipresbytero manutentio, salvis in hoc juribus Archidiaconi in petitorio; Cum autem in hoc sæculo casus dedisset, prædecessorem Archidiaconum, spatio annorum circiter 35. solo Diaconali ordine contentum suæ Dignitati annexo, ad presbyteratum ascendere noluisset, Hinc proindè cessavit occasio hujusmodi controversiarum super præeminentia explicandi pontificales, ac majores functiones in divinis, hoc tempore per Archipresbyterum utpotè Sacerdotem explicatas; Resignato verò Archidiaconatu successori presbytero, Hic prætendere cœpit hujusmodi functiones ad se spectare, & quamvis ad jurgia evitanda concorditer compromissum inierint, attamen arbitri inter se discordes consilium petierunt à Sacra Rituum Congregatione, à qua post pluries propositam causam prodiit quædam resolutio, cui neutra partium acquieverit, unde propterea pendet repropositio.

In hujusmodi autem disputationibus; præsertim in ultima, quando nota erant utriusque partis motiva, & fundamenta, scribens pro Archidiacono, pro clariori, 3 ac methodica resolutione, distinguebam controversiam, in quatuor inspectiones, seù puncto; Primò nempè circa qualitatem primæ Dignitatis post Pontificalem penès quem hujusmodi contendentium resideret; Secundò circa functiones pontificales; & primarias ad Episcopum volentem regulariter pertinentes, prout sunt, delatio sanctissimi in solemnibus processionibus Corporis Christi, & Cœnæ, distributio candelarum, palmarum, & cinerum, celebratio missæ solemnis in diebus Nativitatis Domin., Resurrectionis, Pentecostes, & Sancti Titularis, seù præcipui Protectoris, cum similibus, Ad quem scilicet, absente, impedito, vel nolente Episcopo, hujusmodi functionum explicatio pertineat in mero puncto juris secluſa consuetudine; Tertiò circa præcedentiam, ac præeminentias in genere in reliquis omnibus functionibus, & actibus, tàm publicis, quàm privatis, ac tàm jurisdictionalibus, quàm cæremonialibus explicari solitis per aliquam Dignitatem, Ut sunt præsidere in Choro, convocare Capitulum, dirigere processiones, indicere principium, vel finem officii, dare candelam, palmam, & cinerem ipsi Episcopo celebranti, eidem præsentare ordinandos, cum similibus; Et quartò demum, posita in præmissis omnibus dispositione juris, An, & in quo illa alterata sit per hujus Ecclesiæ particularem consuetudinem, vel statutum, seù librum, qui nuncupatur *Ordinarius*, seù *Cæremoniale Bernardi*.

Quoad primum dicebam, tàm de jure, quàm de facto, fundatam esse Archidiaconi intentionem super qualitate, seù præeminentia primæ Dignitatis; De jure siquidem in Italia non docto de limitatione, 4 regula est, Archidiaconatum esse primam Dignitatem, Archipresbyteratum verò secundam, ut cæteris allegatis habetur apud *Barbos. de canon. cap. 5. numer. 38. & sequen.* & sæpiùs firmavit *Rota*, præsertim *apud Merlin. decis. 192. nu. 3. & dec. 443. numer. 23. pag. 9. rec. & 99. pag. 10.* in quibus concordantes; Et de facto, quia semper Archidiaconatus conferri consuevit per Sedem Apostolicam tanquam prima Dignitas, ob fixam, & invariabilem reservationem resultantem *à regula quarta*; Econversò autem Archipresbyteratus conferri consuevit per Ordinarium, quando accidentalis reservatio ratione mensium, vel ex alia circumstantia aliud non induxit, quod est potissimum inditium, exclusivum primæ Dignitatis, ut advertitur *dicta decis. 99. par. 10. recent*; Et clariùs accedentibus, dicta sententia Episcopi lata de anno 1575. & quampluribus enunciativis, tàm in Synodis, quàm in aliis actibus publicis, & privatis, ita ut reflectendo etiam ad veritatem, casus haberetur de indubitabili, prout habuit etiam Sac. Congregatio. 5

Atque observabam, quod non solùm *Barbatia*, ubi supra scribens pro Archidiacono, id supponit tanquam absolutum, sed idem *Riminald. jun. d. cons. 151.* scribens pro Archipresbytero id supponit, & non audet asserere contrarium; Verum in his disputationibus id negabant moderni scribentes, qui ad inducendam in Archipresbytero dictam qualitatem primæ Dignitatis, ponderabant eam circumstantiam, quod Archipresbyter sederet in Choro in primo loco ad dexteram Episcopi, quod denotat hanc esse primam Dignitatem, quia dignior cæteris præfertur ex deductis *decis 518. numer. 3. par. 1. diverſ.* cum aliis per 6 *Adden. ad Gregor. decis. 411.* Ac etiam quia in dicto cæremoniali, seù libro hujus Ecclesiæ, Archipresbytero demandantur primariæ, & pontificales functiones, Et quod magis, quia ex Brevi Pauli III. Archipresbytero generaliter commissæ dicuntur causæ appellationum ex delegatione Apostolica, quod argumentum est primariæ dignitatis.

Neque obstare dicebant quod Archidiaconus regulariter sit prima Dignitas, quoniam ut constat ex plurium Ecclesiarum observantia, etiam in Italia id cernimus limitatum, nam in Cathedrali, seù Metropolitana Neapolis est Primicerius seù primus Diaconus, ut enunciatur *dicta decis. 99. par. 10. rec.* in Cathedrali Melphien. est Cantor, *ut apud Otthobon. decis 58.* & in plerisque aliis est Decanus, Ac respondendo ad dictum argumentum, quod tam per dictam sententiam anni 1575. quàm per observantiam reservationis fixæ probata videatur qualitas primæ Dignitatis etiam in Archidiacono, dicebatur, quod non incongruit in eadem Ecclesia duas adesse majores, seù principales dignitates coæquales, quibus idem titulus 7 conveniat, ita ut æqualiter cadant sub dicta reservatione *regulæ quartæ* ex deductis *dicta decis. 99. nu. 4. par. 10. rec.*

Verùm hæc prætensio nullum prorsùs habebat probabile fundamentum, quoniam licèt non implicet dari istum concursum duarum dignitatum æque principalium, Nihilominùs id non præsumitur, sed est probandum, ut *ead. decis. 99. par. 10.* quæ videtur in materia magistralis, unde propterea dum præsumptio est juxtà generalem Italiæ usum ad favorem Archidiaconi, ac etiam pro unicitate primæ Dignitatis, idcircò dicebam, Archipresbyterum gravari onere perfectæ, & concludentis probationis, quæ non aderat, sed potiùs clarè excludebatur tàm per dictam sententiam, per quàm explicitè Archidiaconus declaratur prima Dignitas discretivè ad Archipresbyterum, & aliàs Dignitates tanquàm inferiores, quàm etiam per plures testes de communi reputatione, & fama, & clariùs per dictam observantiam univocam, & concludentem fixæ reservationis *ex regula* 4.

Econverso autem adminicula, quæ adducebantur in contrarium sunt univoca nil concludentia, illud

illud præsertim deductum ex dicta delegatione Apostolica ad causas appellationum cognoscendas, cum id arguat quidem eam esse Dignitatem, cum Sedes Apostolica non soleat hujusmodi delegationes facere nisi personis in Ecclesiastica Dignitate constitutis, non tamen perneceſſe habentibus primam, seu majorem, cum pendeat ab arbitrio Pontificis, ut quotidiana praxis docet, & comprobat idem Breve, dum absente Archipresbytero, eadem delegatio dirigitur antiquiori, seu Præsidenti Canonico, & tamen juxta hanc lecturam, dum in confesso erat Archidiaconum esse etiam primam Dignitem coæqualem, huic potiùs in absentia rescribi debuisset.

Ad locum verò digniorem in Choro, tres dabam responsiones, Primò, quia non est inconveniens, ut siniſtrum latus juxtà diversos mores digni-
8 us reputetur ex deductis *per Gonz. al. ad reg. 8. glos. 11. num. 36. & sequen; & glos. 51. numer. 55. & sequen. Gratian. discept. 106. num. 43. Buratt. & Adden. dec.* 488. *num. &* 8. Atque servatum videmus in antiquis imaginibus Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli.

Secundò quia non implicat, in uno actu particulari, minùs dignum præcedere digniorem. & occu-
9 pare meliorem locum, cum implicantia, seu corruptela adesse dicatur, quandò id esset generale ex deductis apud *Greg. & Adden. decis.* 124. & 310. potiſſimè quia cum antiquitus, ut infrà Archipresbyter esset Vicarius natus in divinis, & spiritualibus, utpotè constitutus in ordine sacerdotali, ex quo Archidiaconus quamvis habens majorem jurisdictionem in temporalibus utpotè constitutus in solo ordine diaconali non habeat divinorum administrationem, ideò non mirum, si in Choro, ubi non agitur nisi de divinis, ratione hujus exercitii, primus locus apud Episcopum ministranti conceditur; Et tertiò demùm, quia ex eadem sententia patet, id esse in lite dum decernitur manutentio ad favorem Archipresbyteri in solo possessorio, reservatis juribus Archidiaconi in petitorio, unde propterea confitmatur ſtatus, neque desuper fundamentum constitui potest; Et sic reverà quoad istam primam inspectionem casus videbatur omninò planus, discursu seu disputatione indignus, ut agnoscebant iidem scribentes, dum eodem tempore recurrebant ad particularem consuetudinem, ut infrà.

Quoverò ad secundam inspectionem super puncto seu quæstione juris in genere de præcedentia inter Archidiaconum & Archipresbyterum, ac super præeminentia explicandi pontificales, ac primarias functiones, Dicebam quod tam *Barbatia* pro
10 Atchidiacono quam *Riminald. jun.* pro Archipresbytero ut suprà scribentes, utpotè parum callentes praxim Romanæ Curiæ, in hac parte æquivocarunt, desumendo totum ex iis, quæ per Decretales dispoſita habentur in titulis *de officio Archidiaconi & de officio Archipresbyteri*, cum adnotationibus canonistarum ibidem; Hoc autem est æquivocum clarum, quoniam id non provenit ex peculiari qualitate unius vel alterius dignitatis, sed ex circumstantia, quod sit Dignitas prima seu principalis in Ecclesia, quocunque nomine nuncupetur; Si enim prima Dignitas nuncupatur Decanus, ut frequentius est in Hiſpania, seu Præpositus, ut frequentius est in Germania, seu quocunque alio vocabulo, ut videmus in Italia, quod est Cantor, ut *apud Otthob. dicta dec.* 58. *seu* primus Diaconus *ut dicta dec.* 99. *par.* 10. *rec.* cum similibus, tunc ad istam pertinent omnia ea, quæ apud Sac. Canones, & per DD. habentur de Archidiacono, de quo frequentius DD. loquuntur in concursu Archipresbyteri ex dicta generali consuetudine præsertim Italiæ, quod prima & secunda dignitas in Ecclesiis Cathedralibus sub his vocabulis explicari solent; Id enim ut dictum est provenit ratione Dignitatis primæ, ut patet ex collectis *per Barbos. in summa Apostolicarum decisionum verbo* Dignitas prima, *collectan.* 253. & verbo functiones *collectan.* 391. & benè declaravit eadem Sac. Congregatio, ad petitionem Archidiaconi istius Ecclesiæ sub die 28. *Aprilis* 1640. per hæc verba præcisa.

Sacra *Rituum Congregatio juxtà aliàs respondit, functiones Episcopales Episcopo absente vel impedito spectare ad primam Dignitatem, quocumque nomine nuncupetur, dummodò sit in sacerdotali ordine constituta, & propterea in casu proposito omnia munia, quæ ad Episcopum pertinerent, si præsens esset Archidiacono primæ Dignitati competere, & signanter delationem Sanctissimi Sacramenti in die ejus festi, dummodo Archidiaconus etiam missam solemnem eo die* 11
celebret. Die 28. *Aprilis* 1640.

Et sic plures resolutiones Sac. Congregationis editæ pro Archidiacono contrà Archipresbyterum, ut sunt præsertim in una *Melphitten.* per quin que vices circà annum 1628. accerrimè disputata, Et me scribente pro Archidiacono de anno 1651. *in una Vigilien.* & in aliis, ac etiam resolutio Rotæ *in Viterbien. coràm Sacrato decis.* 244. *par.* 3. *rec.* ubi etiam de Archidiacono contrà Archipresbyterum, proveniunt à casu, ex eo quod juxtà frequentiorem usum sub hoc nomine prima secunda Dignitas explicari solent.

Ratio enim hujusmodi præeminentiarum, ut 12
advertitur *in Majoricen. suprà disc. præced.* in eo consistere videtur, quod cum ipsius Cathedralis corpus formale constituatur insimul & unitim ab Episcopo tanquàm capite, & à Capitulo tanquam reliquo corpore, exindè resultat, præeminentialia & jurisdictionalia per quoddam jus non decrescendi integrè resident penes Capitulum tanquàm reliquum corpus, cujus vice & nomine prima Dignitas nomine omnium tanquam primus in ordine seu primum membrum, explicat hujusmodi actus ab ipso corpore inanimato non explicabiles, ideoque illa distinctio de Archidiacono existente vel non existente in ordine presbyterali hodiè non percutit jus sed factum, eo quia ubi constitutus in prima dignitate talem ordinem non habet, explicare non potest hujusmodi functiones non nisi per constitutum in ordine sacerdotali explicabile, & sic accidentaliter ex defectu ordinis ad id necessarii.

Anquiqua verò distinctio, quæ apud Sacros Ca- 13
nones & Canonistas habetur de Archidiacono ministrante in temporalibus & Archipresbytero ministrante in divinis, procedebat quando erant in usu hujusmodi Dignitates per veritatem, ob administrationem utrique de jure incumbentem, quoniam unus erat Episcopi Vicarius natus in temporalibus, alter verò in spiritualibus; Istæ autem Dignitates hodiè non sunt amplius in usu, undè Archidiaconus & Archipresbyter hodierni dicuntur tales abusivè, aliquas prioris dignitatis reliquias retinentes quoad cæremonialia tantum, ut cæteris allegatis habetur apud *Lotter. de Benef. lib. 1. qu. 16.*

num. 107. *cum sequen. Sanchez de matrim. lib.* 3. *disput.* 27. *in fin.* ubi de quæstione, an coram Archipresbytero tanquam Parocho generali seu Vicario in spiritualibus per totam diœcesim contrahi possent matrimonia ad formam Concilii Tridentini, & deciditur negativè.

Atque hinc advertebam resultare tertiæ inspectionis seu puncti resolutionem super aliis functionibus non pontificalibus, sed primis seu majoribus post eas, quoniam licèt in cæremonialibus seu pontificalibus hujusmodi functiones Archidiacono seu Archipresbytero, vel alteri Dignitati respectivè dirigantur, Attamen ita disponitur, cum dicto præsuppositio efformato à frequentiori usu præsertim Italiæ, ex regula quod leges adaptantur ad ea, quæ frequentius accidunt; Sed si casus præbeat, primam, ac respectivè secundam Dignitatem alio vocabulo nuncupari, tunc ea quæ disponunt de Archidiacono & Archipresbyro, istis respectivè Dignitatibus conveniunt & applicanda sunt, atque in hoc versatur frequens æquivocum leguleicorum in sola verborum formalitate immorantium.

Quare major ac tota hujus causæ difficultas residebat in hujus Ecclesiæ particulari statuto vel consuetudine, quæ ex pluribus deducebatur; Primò scilicet ex pluribus testibus deponentibus hujusmodi pontificales vel majores functiones per Archipresbyterum, non autem per Archidiaconum explicari consuevisse; Secundò ex dicto cæremoniali hujus Ecclesiæ vulgò nuncupato *ordinario* sivè *Bernardi*, ubi hujusmodi functiones Archipresbytero demandantur, ad cujus limites ita quoquè dreernitur in dicta sententia Episcopi Farnesii de anno 1575. Et tertiò fortiter ob attestationem anti-
15 qui & gravissimi Canonistæ *Innocentii in cap. de multa num.* 6. *de prahendis*, quem incidenter tamen, & aliud agendo referunt *Hostiens. ibid. num.* 9. *Zabarell. cons.* 30. *num.* 6. *Boer. dec.* 286. *num.* 4. *& cæteri*, quod scilicet Archidiaconatus Parmensis, quamvis reputetur Dignitas, attamen quasi nullum Archidiaconi actum facit.

Singula verò dicta fundamenta examinando, ac reflectendo etiam ad solam veritatem, nullum eorum videbatur solidum & concludens; Quatenùs enim pertinet ad primum; receptum est in eadem
16 Sac. Congregatione, isto casu aliam non admitti consuetudinem nisi immemorabilem, cum tali rigore, quod nequè ad eam probandam conceditur remissoria, ubi constat eam esse improbabilem, ut me scribente pro Archidiacono illa denegata fuit Archipresbytero eam petenti *in dicta Vigilien. de anno* 1651. *seu* 1652. proponente *Cardinali Cornelio*, ex eo quod docebatur per Constitutiones syno dales aliasque scripturas usque ab anno 1580. circiter id fuisse in controversia, unde propterea resultabat clara improbabilitas, dum præcipuum ac essentiale immemorabilis requisitum est illud,
17 quod testes post pubertatem deponant de visu quadragenariæ pacificæ possessionis subducto tempore litis, absque eo quod quidquamin contrarinm, factum, dictum, vel auditum sit, juxtà celebrem *gloss. in cap.* 1. *de præscript. in sexto*, quotidiè in foro decantatam; Quinimò ubi non constito de improbabilitate illa conceditur, adhuc id sequitur cum clausula *non retardata interim possessione primæ Dignitatis*, ut practicatum fuit in dicta *Melphitèn.* ac habetur suprà *in Majoricen. disc. præced*; ideoque dictis testibus nulla fides adhibenda erat, Tum quia de præfatis requisitis immemorabilis non benè deponebant, nequè examinati erant ser. ser. & demandato Sac. Congregationis.

Tum clarius ratione manifestæ improbabilitatis, quoniam cum ex dictis *Barbatiæ* & *Riminaldi junioris* consiliis, dictaque sententia lata de anno 1575. constet per sæculum hujusmodi controversiam excitatam fuisse, impossibile est dare testes, qui de dicta pacifica quadragenaria de visu deponere possent; Ac etiam quia illa observantia, quæ testibus jam inductis ansam præbebat credendi talem esse consuetudinem, erat æquivoca, utpotè causata ab accidentali deficientia per longissimum tempus annorum 34. & ultrà ordinis sacerdotalis in Archidiacono prædecessore, unde Archipresbyter, subsidiariè, & tanquam prima Dignitas habilis hujusmodi functiones explicavit.

Ad cæremoniale & sententiam, respondebam in utroque procedi cum regula præscripta per sacros Canones, & antiquos canonistas, ideoquè stante propositione, quod sententia recipit interpretationem & intelligentiam à jure, *Franch. dec.* 527. *nn.* 7. *Otthob. dec.* 215. *num.* 18. potissimè verò dum 18
eadem sententia expressè dicit, tàm de jure quàm ex cæremoniali ita determinari, idcircò intelligi debent cum eodem præsuppositò, cum quo dicta juris dispositio procedit, quod scilicèt Archidiaconus juxtà suæ dignitatis naturam & qualitatem in solo diaconali ordine constitutus esset, non descendunt autem ad speciem seu casum, quod Archidiaconus esset sacerdos, unde est casus omissus remanens sub dispositione juris.

Et ulterius advertebam quod de dicto anno 1575. quando prodiit sententia, fortius verò de tempore antiquiori, quando per Episcopum *Bernardum* dictum cæremoniale ordinatum fuit, erecta non erat Sacra Congregatio Rituum, de qua *in Constitutione* 74. *Sixti V.* & consequenter non prodierant illæ declarationes, per quas hòdie ista mate- 19
ria dilucidata remanet, quod scilicet pontificales & primariæ functiones competant, non quia sit Archidiaconus vel Archipresbyter, ac ratione ipsius Dignitatis, sed quia prima Dignitas quocumque nomine nuncupetur, declarando quod censeri debeat abusus quæcumque contraria observantia, quoties non accederet immemorabilis, cujus vigore quicumque titulus de mundo melior, & sic privilegium Apostolicum seu lex fundationis allegari potest; Minusque penetrata erat hujus præeminentiæ vera ratio superius insinuata, quod scilicet hujusmodi præeminentia verè competat Capitulo, tanquam constitutivo hujus corporis politici Cathedræ formalis, cujus nomine prima Dignitas tanquam ejusdem corporis dignior & primus hujusmodi præeminentiarum exercitium habet; Sed procedebatur cum antiqua leguleica simplicitate, desumendo totum ex iis, quæ disponuntur, vel respectivè adnotantur *toto tit. Decretalium de officio Archidiaconi & off. Archipresbyteri*, ut liquet ex eisdem *Barbatia* & *Riminald. jun.* dicto antecedenti sæculo pro utraque parte in causa scribentibus, atque in hoc est antiquorum æquivocum.

Considerabam quoque notabilem circumstantiam, ob quam Archipresbyter cecidisse videretur 20
ab hoc jure præeminentiali, quamvis aliàs sibi competente, quia ut efficeretur caput Collegii consortialium, ut in alia *Parmen. discurs. sequenti* inter

ter dictos consortiales & parochos, se fecit extraneum à Capitulo, cujus non est amplius membrum, & consequenter impossibile est, ut nomine dicti corporis, & tanquam ejus caput subalternum, ac discretum à vero capite Episcopo, hujusmodi actus, sibi verè competentes explicare posset.

Demùm quatenus pertinet ad dictam traditionem *Innocentii*, quæ apud aliquos magnam faciebat impressionem, ultra propositionem, quam Advocati more deducebam, ut Doctoribus circà
21 consuetudines, & alia quæ facti sunt deferendum non sit *Otthob. decis.* 149. *num.* 14. *Mantic. decis.* 357. *num.* 6. *dec.* 174. *par.* 4. *rec.tom.*3. *num.*17. *cum sequen. & in aliis*; (Quod tamen, reflectendo ad veritatem, observabam incongruè applicari, utpotè in casu ejus receptæ limitationis, ubi scilicet agitur de Doctore versato in loco, ac verisimiliter informato, qualis erat casus, quoniam ut patet ex
22 *Ciaccono ad Platinam*, & clarius ex ejusdem *Innocentii* epistola de anno 1243. relata per *Ughellium tom.* 2. *Italiæ sacræ fol.* 226. *num.* 34. dictus Pontifex in minoribus fuit Canonicus Ecclesiæ Parmen. & sic de statu Ecclesiæ benè informatus.)

Magis ad rem, indagando hujus dicti originem seu rationem, advertebam *Innocentium* & *Hostiensem*
23 loqui de illo officio, quod tunc de jure competebat Archidiacono circà jurisdictionalia, quia erat Vicarius natus in temporalibus Episcopi, undè illa consuetudo, quæ successivis temporibus paulatim irrepsit, ac effecta est universalis, tunc jam in ista Ecclesia initiata erat, per quam hæc jurisdictio cessabat.

Quod clarius comprobari observabam, quia in eadem sententia *Episcopi Farnesii*, lata ut suprà de anno 1575. enunciatur sententia lata de anno 1279. per *Cardinalem Sabinensem* in causa verten. inter Episcopum & Archidiaconum super jurisdictione aliàs de jure Archidiacono competente, unde propterea de tempore quo scripserunt *Innoc.* & *Hostiens.* id erat in lite, vel saltem in controversia extrajudiciali, dum idem auctor scripsit sub *Gregorio IX.* ejus mediato prædecessore & Decretalium compilatore ante annum 1243. in quo assumptus fuit ad summum Pontificatum, obiit verò in Civitate Neapolis, gerens ibi personam Pontificis & Regis de anno 1254. unde dicta sententia fuit posterior per annos 25. Et sic quando ipse scripsit, dicta assertio erat vera saltem de facto, sed aliud est agere de jurisdictionalibus cum Episcopo, aliud verò de cæremonialibus & præeminentialibus cum Archipresbytero seu Dignitate inferiori, ideoque hujusmodi traditio, in qua potissimum fundamentum constituebatur, & quæ adeò magnam faciebat impressionem pro meo judicio à casu quæstionis omninò extranea videbatur, Atque secluſa etiam affectione Advocati erga clientem, reflectendoque ad solam veritatem, bonum jus Archidiacono magis assistere mihi videbatur.

* * *
* *

PARMEN.

FVNERVM.

PRO PAROCHIS, CUM COLLEGIO CONSORTIALIUM CATHEDRALIS.

Casus disputatus in Sac. Congregat. Rituum, & decisus pro, Parochis.

De Præeminentiis debitis parocho in funeribus suorum parochianorum, An locum habeant in funere Capitulari, & solemni, in quo interveniat Capitulum Cathedralis; Et quatenus non, An idem procedat, si non interveniat dictum Capitulum, sed tantum una Dignitas, cum Collegio Beneficiatorum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Decisio Sac. Congregationis.*
3 *In claris non intrant argumenta.*
4 *Capitulum ab uno tantùm Canonico constitui potest.*
5 *Parochus in propria Parochia præcedit omnes.*
6 *Canonici Cathedralis singulares non præcedunt Capitula inferiora Collegiatarum.*
7 *Capitulum Cathedralis præcedit omnes, & de ratione.*
8 *Beneficiati non sunt de Capitulo.*
9 *Declaratur conclusio, quod Collegia & corpora universalia præcedunt singulares.*
10 *Declaratur conclusio, de qua num.* 4.

DISC. XXI.

SUB triplici modo seu forma in Civitate Parmæ funera defunctorum peragi, solent, Prima enim 1
species est funerum solemnium & Capitularium, in quibus ultra alium clerum sæcularem & Regularem, iutervenit etiam totum Capitulum Cathedralis; Altera species est simplicium, quæ celebrantur cum interventu proprii Parochi, ac illorum clericorum sæcularium, & Regularium, quos hæredi defuncti convocare placeat; Et tertia est mixta, quia invitatur quidem Capitulum Cathedralis, sed solùm interveniunt Archipresbyter & beneficiati ejusdem Cathedralis, cujus campana major pulsatur eodem modo, quo in prima specie solemni, atque de facto nuncupatur etiam funus Capitulare.

Quando celebratur juxtà primam speciem solemnem & verè Capitularem, Parochus non habet neque prætendit consuetas præeminentias suprà omnes, sed cedit locum Capitulo, nedùm ex juris dispositione ut infrà, sed etiam ita expressè disponente hujus Ecclesiæ cæremoniali, vulgò *Bernardo* seu *Ordinario* nuncupato, Quandò verò juxtà secundam speciem, nulla eonversò contro-

versia est super præeminentiis Parocho debitis supra omnes de reliquo clero.

Orta verò est controversia in tertia specie prædicta, quando scilicet interveniunt, Archipresbyter & Consortiales cum pulsatione campanæ, itaut funus Capitulare quoquè nuncupetur; Atque re delata ad Sacram Rituum Congregationem, prima
2 vice pro Consortialibus contrà Parochos responsum fuit, sed concessa nova audientia, in cujus statu Ego pro Parochis scribebam, causa pluries proposita, post plures acerrimas disputationes, proponente Cardinali *Franciotto*, recedendo à decisis, resolutum fuit ad favorem Parochorum, atque in hac resolutione denuò perstitum, undè propterea Consortiales acquieverunt.

Fundamentum primæ resolutionis, in quo scribentes pro Archipresbytero, & Consortialibus insistebant, totum erat in dicto cæremoniali *Bernardi*, in quo, præscribendo ordinem processionis seu funeris, dicitur quod post omnes primũ ac digniorem locum occupare debent Canonici & inter illos Archidiaconus & Archipresbyter, unde propterea dicebant iidem scribentes, in verbis, ac expressè casum esse decisum ad favorem Archipresbyteri, ideoque non intrabant ratiocinationes & argu-
3 menta ad regulam vulgaris textus *in l. ille aut. illæ ff. de legat. tertio*, de qua plenè *dec. 44. n. 14. par. 11. rec.* Potissimè verò quia extrà controversiam erat, quod in funere Capitulari Parochus locum cedebat, atque consueta præcedentia seu præeminentia carebat, Et consequenter, quod idem procedere deberet in isto casu, in quo etiam funus de facto reputatur solemne & Capitulare, tam in nomine seu nuncupatione, quàm etiam in re, dum accedit pulsatio campanæ Capitularis, & quod magis intervenit dictus Archipresbyter qui est Dignitas, in qua repræsentari dicitur totum Capitulum, quod non in-
4 congruit ab uno tantum Canonico seu Dignitate constitui & repræsentari juxtà firmata in *Cæsaraugustana Canonicatus* 30. *Maii* 1650. *coràm Dunozetto* inter suas *dec. 856. & in eadem* 15. *Junii* 1653. *coram Albergato*, & de qua causa habetur actum *sub tit. de Canonicis, &c.*

His nou obstantibus, cum sensu etiam veritatis, contrarium dicebam probabilius, unde propterea posterior resolutio favore Parochorum, justa beneque fundata visa est, Ipsis enim assistit regula generalis, ut in funeribus suor parochianorum, tanquam in actu, in quo jurisdictionem habent & ex-
5 ercent, præcedere debeant reliquos omnes non jurisdictionaliter intervenientes, tanquam in propria parochia, in qua parochus præcedit omnes quamvis digniores, & in majori dignitate vel officio constitutos, *ut apud Peniam dec. 261. juxta Lugdunen. aliàs 204. juxta Venetam impressionem in Zamoren jurium parochialium* 23. *Maii* 1644. *coram Peutingerio* cum aliis *in Ampurien. & Civitaten. præcedentiæ hoc eodem tit disc.* 17. Et in specie præcedentiæ debitæ Parocho suprà Archipresbyterum, habetur *in Pampilonen. præminentiarum* 22. *Martii* 1604. *coram Litta, & in eadem prima Junii* 1609. *coram* Pamphilio, Ad quod etiam conferunt
6 decisa *in dicta Ampurien. & Civitaten. præcedentiæ* 28. *Novemb.* 1659. & 19. *Aprilis*, 1660. *coram Melino*, de qua suprà *dicto disc.* 17. quod scilicet Canonici Cathedralis associantes Episcopum in visitatione non præcedant inferiori Capitulo Collegiatæ in ipsa eorum Ecclesia, quoties non Capitulariter, sed singulariter interveniunt, quoniam aliud est agere de corpore Capituli, aliud verò de singulis Canonicis & Dignitatibus.

Vbi enim intervenit ipsum Capitulum, tunc Egomet admittebam dictum ceremoniale ita observatum, esse rationabile ac juridicum, quia Capitulum constituere & representare dicitur ipsum cor- 7
pus Ecclesiæ Cathedralis, atque saltem habitu habet jurisdictionem Episcopalem, & superioritatem suprà Parochos, ac reliquos omnes, ideoque meritò præeminentia sibi debetur ex deductis in *dicta Ampurien*, ac etiam infrà *in Calarutana funerum disc. seq.* Atque tali casu interveniente toto Capitulo, Archipresbyter tanquam secunda Dignitas occupat illum locum, quem in reliquis omnibus processionibus, aliisque actibus occupare solet, Non inde tamen inferri potest ad casum, inquo solus Archipresbyter interveniat tanquàm singularis, juxtà distinctionem, de qua *in dicta Ampurien. & Civitaten. disc.* 17.

Et quamvis videretur etiam intervenire corpus universale seu collegiativum Consortialium constituentium in ea Ecclesia quoddam Collegium, cujus ipse Archipresbyter est caput, unde propterea in actibus Capitularibus se fecit extraneum à Capitulo, ut advertitur in alia *Parmen. disc. præced.* Ad instar illius Collegii quod in Metropolitana Ecclesia Neapolitana seu in capella S. Restitutæ constituunt Hebdomadarii, cujus est caput Cimiliarca, ut habetur *disc. 99. par. 10. ree.* Non inde tamen inferri potest, quod intervenire dicatur Capitulum Cathedralis, quod constituitur à solis Canoni- 8
cis, & juxtà Ecclesiarum consuetudines, etiam à Dignitatibus, non autem à beneficiatis, qui dicuntur ministri & servitores Capituli juxta *glos. & Canonistas in cap. ultimo de clericis non residentibus Cavaler. decis. 57. Rot. decis. 59. par. 7. rec. & passim.*

Et quamvis regula sit, quod Collegia & corpora universalia præcedunt personas singulares, quam- 9
vis istæ essent aliàs digniores personis seu membris, ex quibus dicta Universitas constituta est, ut in allegata *Ampurien. & Civitaten.* Attamen id intelligitur, vel in propria Ecclesia, vel in loco tertio, in quo omnes pariformiter privato jure interveniant; Secus autem in illis functionibus, in quibus Parochus intervenit jurisdictionaliter, & tanquam Prelatus seu Pastor, quoniam excepto Capitulo Cathedralis, in quo viget dicta ratio jurisdictionis & superioritatis, in reliquis qualitas collegiativa nullius est momenti.

Ad conclusionem verò, quod Capitulum, etiam in uno Canonico vel Dignitate repræsentari potest, respondebam idem, quod habetur deductum *in dicta Ampurien.* ut scilicet id procedat, quãdo reliquis omnibus impeditis, in uno vel duobus 10
non impeditis jus Capituli est representabile, qualis erat casus in *dicta Cæsarag.* quia reliqui erant censurati; Secùs autem ubi adest ipsum Capitulum de facto, sed in eo actu non interveniat quoniam, ut habetur in eadem *Ampurien.* unum & idem corpus individuũ, eodem tempore in duobus locis esse non potest, unde propterea ut in plerisque locis vidi practicatum, quando ad funus convocatur totum Capitulum, quod Capitulariter intervenit, ac dicitur funus Capitulare, tunc Parochus cedit locum, atque officium celebratur ab uno ex Capitularibus; Quandò verò inter illos de clero voluntariè convocatos, invitantur aliqui ex Canonicis & Dignitatibus, quos partibus invitare placeat, seu juxtà aliquarum Ecclesiarum consuetudinem, interveniunt illi, in ea die vel hebdomada

servi-

servitium præstant, & tunc quia intervenire dicuntur jure singulari, non autem Capitulari, Parochus habet consuetas præeminentias suprà omnes.

Nullius autem momenti in proposito videbantur pulsatio campanæ, invitatio Capituli, & nuncupatio funeris Capitularis, quoniam isti videntur actus merè cæremoniales, inducentes aliquam majorem honorificentiæ speciem, discretivè à funeribus simplicibus, nullatenùs verò, nec de jure, nec defacto exindè inferri potest ad effectum controversiæ.

CALARITANA FVNERVM PRO CAPITULO ECCLESIÆ METROPOLITANÆ CUM REGULARIBUS.

Cujus disputatus in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, resolutus ut infrà.

An Capitulo Cathedralis interveniente in funere, quod celebratur in Ecclesia Regularium, præeminentia faciendi officium pertineat ad Prelatum Regularem in propria Ecclesia, vel potiùs ad digniorem de Capitulo.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio Sac. Congregationis.*
3 *De probatione immemorabilis, quod sit difficilis, & qua occasione de illa frequentius agatur.*
4 *De differentia inter observantiam interpretativam vel præscriptivam, & quando una vel altera sufficiat.*
5 *In funeribus in Ecclesia Regulari officium est celebrandum à Prælato Regulari, non à parocho, & de ratione.*
6 *Secus ubi intervenit Capitulum Cathedralis, & de ratione.*
7 *Quod Capitulum Cathedralitatis etiam in Ecclesiis Regularium habeat aliquam jurisdictionem & superioritatem.*
8 *Ubi Episcopus intervenit in Ecclesia Regularium, ipse privativè ad Prælatum regularem habet præeminentias.*
9 *Capitulum Cathedralis præcedit capitulum Collegiata, vel Prælatum seu Rectorem in propria Ecclesia.*
10 *Declarantur resolutiones Sac. Congregationis editæ favore Regularium contrà Capitulum Cathedralis.*

Card. de Luca de jurisdict. &c. & præeminent.

DISC. XXII.

ORta controversia inter Capitulũ Ecclesiæ Metropolitanæ Calaritanæ, & Regulares illius Civitatis, 1
An in pomposis & solemnibus funeribus, quæ ultra reliquum clerum sæcularem & regularem, celebrantur etiam cum interventu Capituli in Ecclesiis Regularium, præeminentia faciendi officium spectaret ad primam Dignitatem seu Canonicum digniorem, ut hactenùs observari consueverat, vel potius ad Prælatum Regularem ipsius Ecclesiæ, juxta ipsorum Regularium prætensionem noviter excitatam; Et re delata ad Sac. Congregationem Episcoporum & Regularium, hæc rescripsit pro Prælato Regulari, nisi ex parte Capituli doceretur de consuetudine immemorabili, ad quam 2
proinde justificandam obtentis litteris remissorialibus, earumque vigore factis probationibus ad Curam transmissis, denuò assumpta fuit disputatio in eadem Sac. Congregatione, super hujusmodi probationum relevantia, an scilicet constaret de requisitis immemorabilis desumptis ex vulgari *glossa in cap. 1. de præscript. in sexto*; Et proposita causa proponente Cardinali *Franciotto*, ob aliquam votorum discrepantiam, nulla capta fuit resolutio, incertumque remanet, an illa ulteriorem progressum habuerit, cum ampliùs actum non audierim, vel quia fuerit concordata, vel quia mutaverit defensores.

In hac ultima disputatione, inspectio erat potius facti quàm juris, super dicto scilicet testium, & an exactè concluderent dicta requisita non de facili 3
in processibus, quæ fiunt in partibus benè concludi solita, juxtà illum rigorem, quem tenet Rota & Curia, ut docet praxis in materia decimatoria, in qua frequentius quàm in aliis, vel occasione exemptionis Regularium, vel occasione activi juris decimandi possessi per aliquos sæculares, de hac immemorabili agi contingit, ut patet ex tot decisionibus *Toletan.* & *Hyspalen.* ac aliis, & habetur præsertim actum *sub. tit.* de decimis *in Hyspalen. decimarum S. Pontii, & in Taurinen. decimarũ* & in aliis.

Scribens autem pro Capitulo, reflectendo etiam ad veritatem, pro meo judicio (quod tamen potius fallax protestabar comparativè ad illud tanti tribunalis,) aliquam concipiebam admirationem, quod adeò mordicus & rigorosè super hujusmodi probatione insisteretur, quoniam pro mea sententia, etiam ex sola juris dispositione, hujusmodi præeminentia debita videtur Capitulo, ejusq; digniori, Vel saltem quod id esset in jure dubium, itaut qualis qualis observantia etiam decennalis sufficeret, tanquàm interpretativa magis quàm præscriptiva, juxtà vulgarem & quotidianam distinctionem, de qua apud *Barbos. in l. post dotem num.* 47. *ff. solut. matrim. dec.* 319. & 351. *par.* 6 *rec.* & *sæpissimè*, quia nil fortè in Curia frequentius, Ac etiam 4
quia cum in jure hic punctus specialis non reperiatur expressè decisus, debeat sufficere decennalis, utpotè magis præter quàm contrarius; Sive ad summum, quod tanquam in consuetudine simpliciter contrà jus sufficeret quadragenaria, non autem quod requireretur rigorosa immemorabilis, quæ æquipollens privilegio Apostolico desideratur in iis, quibus jus vehementer resistit, cum hujusmodi vehementem resistentiam in proposito non dignoscerem.

Licet enim ita pluries censuerit Sacr. Congregatio Rituum, juxtà plures declarationes in magna
5 parte relatas *per Barbos. de Parocho par. 3. cap. 26. n. 81. eum sequen.* ut scilicet, non docto de immemorabili, hujusmodi præeminentia competat Prælato Regulari in propria Ecclesia, utque hoc jure passim vivatur, ut etiam pro certo habitum fuit per Rotam *in Romana jurium funeralium coràm Zarata decis. 348. par. 11. rec.* de qua causa habetur actum sub eadem intitulatione *in tit. de Parochis*, ubi de aliquibus controversiis super hujusmodi juribus parochialibus inter Parochos & Regulares; Nihilominus hujusmodi declarationes prodierunt cum parochis, seu Capitulis Collegiatarum, aliisque inferioribus Prælatis, quorum respectu id rectè procedit, quia in Ecclesia Regularium parochus nullum jus habet, nullamque jurisdictionem, nec actualem, nec habitualem, itaut ille extrà propriam parochiam, propriumque territorium existere dicatur, & consequenter positiva juris resistentia adesse videtur, ut privatus in aliena domo privativè ad proprium dominum seu Prælatum jus dicere, seu præeminentiam habere debeat.

Secus autem dicendum est in Capitulo Cathe-
6 dralis, quoniam juxtà ea, quæ frequenter habentur *hoc eod. tit.* & in altero de jurisdictione, atq; occasione assistentiæ juris, quam Capitulum habeat in perceptione decimarũ in il is diœcesibus, in quibus parochiæ non sunt distinctæ, habetur frequentissimè in tot *Toletanis, & Hyspalen.* ac aliis decisionibus in materia decimatoria editis; Capitulum constituit cum Episcopo unum & idem corpus Ecclesiæ Cathedralis representativum, cujus jurisdictionis, & præeminentiarum actuale exercitium residet penes Episcopum tanquam caput, habitualiter verò est etiam penes Capitulum, quod Sede vacante, seu aliàs absente, vel impedito Episcopo, ex quodam jure non decrescendi, tam in jurisdictionalibus, quàm in præeminentialibus exercitium quoque habet, ut præsertim ponderatur *in Parmen præcedentia, & in Majoricen. præeminentiarum hoc eod. tit. disc. 19. & 20.*

Quo posito sequitur, quod Capitulum etiam in Ecclesiis Regularium in Civitate vel diœcesi ex-
7 istentium, quamvis exemptis, quoties in eis non concurrit vera qualitas *Nullius*, & territorii separati, est superior, atque habet jurisdictionem, tàm in Ecclesia, quàm cum personis, nedum habitualem & nativam ex eo, quod Monachi & Regulares de jure, circumscriptis privilegiis subjecti sunt loci Ordinario, ex iis quæ habentur *in Romana jurisdictionis, seu tituli Cardinalatii disc. 34.* & frequenter in aliis *sub tit. de jurisdictione*, Sed etiam actualem exercibilem Sede vacante, seu aliàs absente, & impedito Episcopo in plerisque casibus, in quibus, etiam hodie Regulares, exemptione non obstante, loci Ordinario subjacent ex collectis *per Barbos. de Episcopo alleg. 105.* & habetur *in Mediolanen. interdicti disc. 30. & in aliis eod. tit. de jurisdictione.*

Unde propterea, Episcopo interveniente in Ecclesia Regularium receptum est, ad ipsum spectare
8 præeminentiam habendi thronum erectum, benedicendi populum, aliosque præeminentiales actus faciendi, privativè ad proprium Prælatum regularem, non obstante exemptione, quæ tanquam dativa & accidentalis non tollit præeminentialia adhuc durantia tanquam reliquias primævæ Dignitatis & superioritatis, *Felin. in cap. cum non liceat num. 2. de rescriptis*, cum quo cæteri pertranseunt collecti *per Gratian. discept. 111. num. 11. cum sequen. dec. 111. num 8. cum sequen. par. 5. rec. repetit. post Tamburin. de jur. Abb. tom. 3. decis 113.* & habetur in allegata *Mediolanen. disc. 30.* & frequenter in aliis *d. tit. de jurisdictione.*

Atque absonum videtur, ut melioris conditionis esse debeat Conventus Regularium cum suo Priore circa præeminentialia, quàm sit Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ sæcularis cum ejus Prælato, cum regulariter clerici sæculares præcedant Regulares, majoresque habeant præeminentias; Ideoque cum 9
certum sit, quod quando Capitulum Cathedralis Collegiatim, seu Capitulariter intervenit, præcedit Capitulum Collegiatæ, ac parochum, & quemcumque alium Prælatum, & Rectorem quamvis qualificatum in propria Ecclesia, ut habetur *in Ampurien. & Civitaten. præcedentia hoc eod. tit. dis. 17.* & in decisionibus in ea causa editis, ac etiam *in Parmen. funerum disc. præcedenti*; Hinc proindè non videtur, cui fundamento innixa sit hæc opinio favore Regularium, in concursu Capituli Cathedralis, etiam in mero puncto juris, & seclusa quacumque observantia, multò magis ista accedente.

Difficultatem facere videtur, quod inter dictas resolutiones Sac. Congregationis Rituum relatas per *Barbosam ubi supra*, & alios, adesset una *An-* 10
drien. emanata cum eo Capitulo Cathedralis; Verum in hoc advertebam consistere æquivocum causatum ab illo pragmatico abusu à me adeò declamato, simpliciter insistendi in decisionibus vel auctoritatibus, non examinando circumstantias casuum, in quibus illæ prodierint; In dicta enim Civitate, quamvis satis numerosum habente populum, in duabus tantum Ecclesiis promiscuè, & absque terminorum distinctione exercetur cura animarum, in Cathedrali scilicet, & in Collegiata S. Nicolai, quarum Capitula, nullo designato parocho particulari, istius personam gerunt, unde propterea etiam in simplicibus, & non solemnibus funeribus aliisque functionibus morè parochialibus, Capitulum Cathedralis, vel totum vel pro parte intervenire solet, potius tanquam explicans partes parochi, potissimè quia illa videtur quædam potius abusiva Cathedralis, seu abusivum Capitulum, dum præter aliarum Cathedralium usum & naturam, nullos habet Canonicos, vel beneficiatos in titulum provideri solitos, sed exceptis quatuor Dignitatibus, tanquam simplex Ecclesia receptitia non numerata constituitur ex omnibus presbyteris & clericis nationalibus ejus servitio adscriptis; Ideoque istud exemplum adaptabile non videtur huic casui vel similibus, quando scilicet Capitulum Cathedralis, magnam in loco faciens figuram discretivè ad reliquum clerum, intervenit tanquam in funere solemni, & in functione quodammodò Pontificali seu primaria, juxtà id quod (retenta debita proportione) practicamus in cappellis & functionibus Cardinalitiis discretivè ad alias functiones, quæ sinè interventu Sac. Collegii in Urbe fiunt; Ideoque in hac parte non potui captivare intellectum in obsequium hujusmodi resolutionum, rectè procedentium cum parochis, aliisque Capitulis & Prælatis, non autem cum illo Cathedralis, quando solemniter intervenit in figura Capituli, non autem in illa parochi, juxtà casum in quo *in dicta Andrien.*

FORO:

FOR O LIVIEN.

PRÆCEDENTIÆ

PRO

CAPITULO ET CANONICIS CATHEDRALIS,

CUM

MAGISTRATU ET DECURIONIBUS CIVITATIS.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Rituum & decisus pro Capitulo.

De præcedentia, aliisque præeminentiis inter Capitulum Cathedralis & Magistratum sæcularem Civitatis, quando utrumque corpus intervenit collegialiter, Et quid inter singulos Canonicos, & Decuriones.

SUMMARIUM

1 *Casus controversiæ.*
2 *Resolutio Sac. Congregationis, & de aliis declarationibus ejusdem.*
3 *Consuetudo judicandi inducitur per binas judicaturas.*
4 *Declarationibus Sac. Congregationis Rituum in materia præcedentiæ, & præeminentiarum deferendum est.*
5 *Dignitas Ecclesiastica comparata Soli, præfertur temporali comparatæ Lunæ.*
6 *Capitulum Cathedralis cum Episcopo constituit unum corpus Ecclesiæ representativum.*
7 *Capitulum in multis habet jurisdictionem & superioritatem in populum & Magistratum sæcularem.*
8 *Declaratur de quo Magistratu dubitari potest, an ille præcedat Capitulum sinè Episcopo.*
9 *Clerici sunt digniores laicis, eosque præcedunt.*
10 *Quando personæ singulares præcedant singulos de corpore, cui aliàs præcedentia debetur.*
11 *De regula si vinco vincentem te, &c.*
12 *In materia præcedentiæ defertur consuetudini, & quandò.*

DISC. XXIII.

1 IN Sacra Congregatione Rituum, de tribus disputatum fuit inter Capitulum Cathedralis & Magistratum sæcularem Civitatis *Forolivien.* Primò, cuinam deberetur præcedentia, seù alia præeminentia, quandò utrumque corpus Collegialiter & publicè in aliquo actu seú functione intervenit, præsertim verò in Concione, cui scilicèt ipsorum, Concionatoris salutatio prius dirigi debeat; Secundò circà præcedentiam inter singulos de utroque corpore seù Collegio respectivè, Et tertiò circà præcedentiam inter aliquem ex Canonicis, & ejusdem Civitatis Potestatem; Et in omnibus de anno 1656. pro Capitulo & Canonicis respectivè responsum fuit, Atque mihi pro hac parte scribenti, reflectendo etiam ad veritatem, probabiles, benèque fundatæ visæ fuerunt resolutiones. 2

Singula enim controversiæ capita examinando, Quatenus pertinet ad primum, inter utrumque corpus, seù Collegium, casus est pluries decisus per eamdem Sac. Congregationem, ut ex plurib. declarationibus relatis per *Barbos. de Canonicis c. 18. nu. 72. cum sequen.* Unde propterea quamvis generaliter in judicando satis deferendum sit aliàs resolutis, ubi præsertim non semel, sed pluries, quoniam in articulis dubiis bina judicatura inducere dicitur observantiam interpretativam, sivè judicandi consuetudinem in futurum servandam *Franch. dec. 91. num. 16. 238. nu. 3. & 722. num. 11. Thes. in proem. decis. nu. 33. Capobl. de baron. pragm. 1. num. 190. & seq. & num. 209.* latè *Rovit. cons. 18. num. 3. & seq. lib. 1. Capic. Latr. consult 6. nu. 4.* Magis verò id procedit in hac Sacr. Congregatione Rituum in materia præcedentiarum seù præeminentiarum, nam ejus declarationibus omninò deferendum esse frequenter dixit Rota, præsertim *in Aversana funeralium 3. Julii 1606. coram Sacrato*, quæ in proposito reputatur originaria seù magistralis, & frequenter, ut *decis. 214. par. 4. rec. tom. 2. num. 6. cum sequen. decis. 254. num. 4. par. 10. rec. apud Celsum decis. 5. num. 12. & decis. 60. nu. 4. apud Otthobon. decis. 46. n. 16. & dec. 220. n. 12.* atque hoc sufficeret pro resolutionis comprobatione. 3 4

Retento autem consueto stylo non acquiescendi solis auctoritatibus, vel decisionibus, sed examinandi punctum ex integro per rationes & principia, (Quod tamen non omnibus placere solet,) Dicebam quod ubi etiam dictas resolutiones non haberemus, adhuc sine dubio ita respondendum veniret, Tum ex regula generali, quod ubi concurrunt dignitas Ecclesiastica & temporalis, ob comparationem, quæ inter istas datur Solis & Lunæ, semper præfertur Ecclesiastica, cui prærogativa Solis tribuitur *ad text. in cap. solita de majoritate & obedientia*, ubi scribentes, *Chassan. in catalogo gloriæ Mundi par. 4. consider. 2. & consider. 78. & admittitur apud Altograd. cons. 1. l. b. 2.* ubi concordantes cumulantur in proposito præeminentiarum, quæ utrique dignitati, seù potestati Ecclesiasticæ, & temporali respectivè debentur. 5

Tum fortius ex ea viva ratione, de qua sæpiùs in præcedentibus *hoc eod. titulo*, quod scilicèt Capitulum Cathedralis constituit cum Episcopo, qui est caput, unum corpus ipsius Ecclesiæ representativum *ad text. in cap. novit. de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli cum concordan. per Gratian. discept. III. n. 2. cum sequen. Adden ad Buratt. dec. 903. n. 15. & sequen.* Ex quo resultat jurisdictio, ac superioritas supra ipsum Magistratum, tàm habitualiter quàm etiam actualiter, quandò scilicèt Sede vacante tota jurisdictio spiritualis ad Capitulum devolvitur, seù penès ipsum ex beneficio juris non decrescendi remanet, ac etiam Sede plena Episcopo absente vel impedito absq; eo quod adsit, qui ejus vices legitimè expleat; Quinimò & Episcopo præsente & non impedito, adesse dicitur in Capitulo quædam species jurisdictionis & superioritatis suprà dictum Magistratum sæcularem, ob illam participationem, quam idem Capitulũ unà cum Episcopo habet in condendis legibus, & Constitutio- 6 7

nibus Synodalibus, ejusdem Magistratus, totiusque populi obligatoriis; Quo posito intrat planum principium, quod semper Superior dignior est inferiore & subdito, eumque præcedit.

Et quamvis ubi Capitulum, solum & de per se consideratur sine interventu Episcopi, satis dubitari possit,
8 an intret dicta comparatio Solis & Lunæ, Ex eo quod Capitulares respectivè ad Episcopum, cui convenit dicta comparatio Solis, dicuntur Stellæ, unde dubitari potest, an Luna, cui comparatur Magistratus sæcularis, cessante Sole, stellas præcedat, Attamen hæc difficultas, quam utpotè extrà casum examinare non oportuit, percutit illum majorem Magistratum sæcularem, penès quem resideat merum & mixtum imperiũ, ac plena jurisdictio temporalis, ita ut representet Principem seù Dominum, cui dicta prærogativa, seù comparatio Lunæ tribuitur; Hoc autem non congruit hujusmodi Magistratibus Civitatum subditarum, merum & mixtum imperium, & gladii potestatem non habentium, cum hæc resideant penès Principem seù alium dominum, aut penès illum majorem Magistratum, qui Principis vices gerit, eumque representat, Undè remanet solùm ordo seù Collegium administrantium bona Civitatis, & sic habentium quamdam administrationem potius oeconomicam quam politicam, cum aliqua modica jurisdictione, quæ remansit seù toleratur, vel ob eamdem administrationem melius faciendam, vel tanquam umbra, seù imagò illius antiquæ jurisdictionis, quæ originariè erat penès populum, transfusa deindè in Principem; Atque in hoc consistere dicebam æquivocum tuentium partes hujus Magistratus, applicando incongruè ad casum, ea quæ in jure, & apud scribentes habentur de præeminentiis debitis Magistratibus Civitatum, quoniam id procedit in Magistratibus Civitatum non recognoscentium superiorem, saltem mediatum, ac habentium jura imperii juxtà casum, de quo apud *Alotgrad. dict. conf. 1. lib. 2.* cum similibus; In istis autem Civitatibus subditis hujusmodi prætensiones remanserunt tanquam umbra, seù reliquiæ illius status, in quo post ciissum Romanum Imperium, ac omnium rerum revolutionem erant, se quodamodo pro Republica gerendo, ut *in Pisauren. Molendinorum sub tit. de feud. disc. 3.*

Quo verò ad secundum punctum præcedentiæ inter singulos de utroque corpore respectivè, ex præmissis, plana de consequenti resultabat decisio ad favorẽ
9 Canonicorum, quoniam aut utraque persona consideratur de per se abstrahendo ab officio seù dignitate, Et certa est præcedentia Canonici, quia sacerdos vel clericus dignior est laico, ac semper sæculares locum cedere debent Ecclesiasticis, ex deductis *per Chassanæum in Catalogo dicta par. 4. considerat. 6. cum sequen.* Aut uterque consideratur in ordine ad dignitatem vel officium, ita ut ambo dicantur membra sui corporis respectivè, & tunc quemadmodum corpus Capituli præcedit corpus Civitatis, ita dicendum est inter ipsa membra, quoniam eadem est ratio totius
10 quoad totum, ac partis quoad partem; Tunc etenim illa persona singularis, quæ locum cedit Collegio, seù corpori universali, præcedit singulos de eodem corpore, quando ipsa absque aliqua dependentia habeat dignitatem, cui major præeminentia debeatur, & sic in concursu Abbatum, aliorumque Prælatorum & singulorum Canonicorum cum similibus.

Ex his pariter de plano oriri dicebam resolutionẽ tertii puncti præcedentiæ inter singulares Canonicos,
11 & Potestatem, cum hic sit Magistratus inferior sine imperio, & gladii potestate, ad quarumdam levium causarum cognitionem deputatus per eumdem Magistratum Civitatis, cui, ejusque singulis Decurionibus locum cedit, Et consequenter intrat regula *si vincentem, &c.* Accedente potissimum observantia, quæ in omni materia reputatur optima interpres, magis verò ac peculiariter in ista præcedentiæ, in qua ubi non agatur de consuetudine, quæ generaliter & in universum præcedentiam concedat minùs digno suprà dignorem, quo casu reputatur corruptela, satis consuetudini & observantiæ defertur, *ut per Gregor. & Add. decis. 124. 214. par. 4. rec. tom. 2. 85. & 483. par. 5. latè Capic. Latr. consult. 43. dec. 254. nu. 15. & sequen. par. 10. rec. & frequenter*, quia est principium hodiè planum.

ROMANA PRÆCEDENTIÆ *INTER* CANONICOS REGULARES SANCTI SALVATORIS *ET* PATRES CASSINENSES.

Discursus in congressu.

De quæstione præcedentiæ in Processionibus aliisque functionibus, inter Canonicos Regulares S. Salvatoris, & Monachos Cassimenses, Et an dicti Canonici, clericorum, vel Monachorum jure censendi sint; Et de præcedentia debita Clericis suprà Monachos, ac de non intersecando unum ordinem sæcularem cum altero Regulari.

SUMMARIUM

1 *De antiqua quæstione præcedentiæ inter Canonicos Regulares Lateranenses, & Monachos Cassinenses.*
2 *Monachi antiquitus non erant clerici.*
3 *Casus controversiæ circà Canonicos Sancti Salvatoris.*
4 *In materia præcedentiæ defertur, vel Constitutioni* Gregorii XIII. *circà antiquitatem in loco, vel consuetudini.*
5 *Consuetudo irrationabilis dicitur corruptela, & est spernenda.*
6 *Negligentia aliquorum non potest præjudicare Ordini.*
7 *An Canonici Sancti Salvatoris sint Canonici per veritatem, vel per nuncupationem.*
8 *Assertiva Papæ motu proprio loquentis probat, cum distinctione.*
9 *Datur distinctio, quando jus patronatus dicatur ex fundatione, vel ex gratia.*
10 *Referens quando probet sine relato.*
11 *Observantia quando sit considerabilis.*

* * *
* *

DISC.

DISC. XXIV.

Elegantissima fuit quæstio præcedentiæ circà tempora *Pii IV.* inter Canonicos Regulares Lateranenses, habentes in Urbe domus in Ecclesiis Pacis, & Sanctæ Agnetis, & Monachos Cassinenses, sub dicto 1 Pontifice top ta ad favorem Canonicorum, abindè citrà in hac possessione existentium, cujus informationes & vota habentur registrata apud *Tamburin. de jure Abbat. tom. 1. qu. 25.* Potissima verò illius resolutionis causa fuit, non antiquitas instituti, super qua adeò cum chronicis hinc indè elaboratum fuit, sed ratio diversæ hyerarchiæ, quod scilicèt Canonici tanquam habendi in ordine seù hyerarchia clericorum, prælationem habere deberent supra Monachos, qui antiquitus clerici non erant, neque Ecclesiasticos ordines inferiores vel sacros assumere vel exercere solebant *ad tex. in cap. sic vive, & cap. seq. 16. quæst 1. Io Andr. in cap. delictum de regul. jur. in 6.* cum aliis congestis per *Sperell. decis. 179. nu. 14.* & habetur in dictis votis & scripturis registratis apud *Tamburin. d. disput. 25.* præsertim in voto *Cardinalis Cicadæ.*

Illi autem Religiosi qui vocantur etiam *Canonici* 3 *Regulares Sancti Salvatoris*, in Urbe domos habentes in Ecclesiis S. Petri ad Vincula, & S. Laurentii extrà muros, omninò diversum Ordinem, seù Religionem constituentes, quamvis eodem habitu utantur circa vestem albam cum rochetto, & bireto, Nihilominus suprà rochettum deferunt scapulare, ac habent etiam quamdam cappam nigram, qua in processionibus, & functionibus uti solent, tanquam speciem cucullæ totum corpus tegentem, ita ut dictam cappam gestantes, Monachorum potius quam clericorum figuram facere videantur, proindeque non obstantibus resolutionibus, cum subsequuta observantia favore *Canonicorum Lateranensium*, ut supra, dicti alii Canonici in processionibus aliisque functionibus, diguiorem locum Cassinensibus cedere consueverunt; Cum autem circà initia Pontificatus *Alexandri VII.* quando multa circà ritum Ecclesiasticum innovata fuerunt, Papæ intentio eis manifestata esset, quod tanquam Canonici, istorum potiùs, quàm Monachorum figuram in processionibus aliisque functionibus facere deberent, incedendo scilicet dimissa cappa nigra, cum veste alba, rochetto, & bireto, non dimisso tamen scapulari pariter albo supra rocchettum deferri soliti, ad differentiam dictorum aliorum Canonicorum Lateranensium, ut ita ab eis distinguerentur; Hinc proindè exista innovatione orta est præcedentiæ quæstio cum dictis Cassinensibus.

Et introducta causa in Congregatione Rituum, scribentes hinc indè, magnam vim constituebant in indaganda utriusque instituti, seù Religionis origine, & antiquitate, eo modo quo in dicta alia antiqua controversia per tunc temporis scriptores satis elaboratum fuerat, Alii verò scribentes pro Cassinensibus, præcipuam vim constituebant in duobus fundamentis magis proximis, & certis, pro quibus justificandis opus non erat veritatem exquirere ab historiis, & 4 chronistarum sæpè fallacibus, ac æquivocis traditionibus; Quorum unum consistebat in Constitutione *Greg. XIII.* quæ regulariter est hujusmodi controversiarum norma, ut scilicet attendi debeat antiquitas fundationis Monasterii, seù introductionis in loco, Et alterum super consuetudine, cui in hac materia satis deferendum est, præsertim in illa Urbis ex deductis *in Salernitana disc. seq.* & in aliis hoc eodem titulo.

Pro Canonicis Regularibus scribens, agnoscendo istorum præsertim duorum fundamentorum magnam vim, ita ut penè insuperabilia viderentur, ac etiã quod nostrum fundamentum majoris antiquitatis instituti, cui aliqui ex nostris satis innitebantur, esset periculosum, utpotè non de facili concludenter justificabile; Idcircò in congressu pro causæ directione, juxtà laudabilem stylum desuper habito, eram in sensu, ut neglectis dicto fundamento, & quibusdam aliis levitatibus, quæ per aliquos deducebantur, Præcipuum quinimò unicum, ac totum fundamentum constituendum esset in qualitate hujusmodi Religiosorum, eorumque statu firmando, An scilicet nostri inter Canonicos, & clericos vel inter Monachos constituendi essent; Posita enim eorũ collocatione in ordine, seù hyerarchia Canonicorum, vel clericorũ, resultabat de consequenti eorum antelatio supra Monachos, ex eisdem rationibus, ex quibus pro aliis Canonicis Regularibus, ut supra determinatum fuerat, ita ut dicta determinatio statum facere diceretur *ad nov. in l. ingenuum ff. de ingenuis, & manumiss.* atque omnia motiva in dicta alia controversia deducta, in præsenti ex rationis identitate suffragarentur.

Atque hinc cessare dicebam solidius fundamentum, quod pro Cassinensibus valdè stringebat, circà observantiam, quia cum hæc præjudicialis esset universo ordini clericali, idcircò tanquam corruptela species potius reprobanda esset, cum non possit aliquorum clericorum consensus præjudicare circa ea quæ universum ordinem concernunt, ad communiter *notat. in cap. si contingat de foro compet*; Accedente præsertim violatione simetriæ Ecclesiasticæ distinguentis ordinem Monachorum ab ordine clericorum; Incongruum enim est, ut intrà eumdem clericorum ordinem, Monachorum intermixtio cernatur, 5 Unde propterea rectè applicari posse dicebam deducta apud *Gregor. dec. 310. & adden. ad eum ibid. & decis. 124. ex consil. Abb. 21. lib. 1.* cum aliis ibidem, ut scilicet ubi consuetudo est irrationabilis, tunc tanquam corruptela spernì debeat, & considerat etiam *Rota apud Merlin. dec. 637. num. 18. cum aliis apud Sperell. dicta decis. 179.*

Ac etiam quia, vel negligentia prædecessorum hujus instituti professorum, vel eorum actus facultativus 6 in deferendo dictam cappam nigram, per quam, velato habitu clericali, dictum inconveniens cessare dicebatur (dum apud populum monachorum potiùs figuram ita facere dicebantur) perpetuum præjudicium ipsimet Religioni facere non potuerat, ex iis quæ in materia non usus privilegiorum circa debitam distantiam habentur deducta *in Ianuen. privilegiorum coram Roias inter suas decis. 327. & 356. & latius in ead. 28. Junii 1649. coram Corrado decis. 337. part. 10. recent.*

Quod autem isti Canonici, non ex sola nuncupatione seù concessione & privilegio, & ad instar, sed essentialiter & secundum veritatem essent tales, Dicebam expiscandum non esse ex chronicis & antiquis traditionibus, cum istæ essent rectè referibiles 7 ad eam nuncupationem, quæ ex privilegiis & fictione resultare potuit, unde propterea fundamentum corrueret stante contraria consuetudine, quæ ita potius capienda esset tanquam hujus dubii declarativa, ut infrà; Sed probari observabam ex declarationibus, ac dispositivis assertionibus summorum Pontificum, ad quos pertinet Ecclesiasticos ordines erigere, & instituere, seù eorum qualitatem declarare, præsertim per *Calistum III. Constitut. 2.* ubi: *Nos Priorem, & Canoni-*

nonicos fuisse, & esse veros Canonicos Regulares declaramus, & per *Julium II. Constitut.* 30. §. 5. ibi: *Nos eos ut existentes veros, & indubitatos Canonicos Regulares, &c.* Unde qualitas Canonicalis resultare non dicitur ex fictione privilegiativa, sed ex veritate sic assertà per Papam, quem non ad partis narrativam, sed assertivè & motu proprio loquentem, de mendacio
8 redarguere non conceditur *ad tex. in cap. ex parte de rescriptis c. fi. Papa*, § *si autem de privil. in 6. Clement. 1. de probat. ubi scribentes, de quibus Gabr. de probat. concl. 2. num. 4. Merlin. decis. 838. numer. 1. adden. ad Gregor. dec. 239. n. 10. & ad Buratt. decis. 621. n. 17. & seq. plenè Rota in Bononien. Archipresbyteratus 23. Martii 1648. coram Corrado decis. 168. par. 10. rec.* ubi benè distinguitur in materia juspatronatus, an verba Papæ concepta sint per modum privilegii, ac fictionis, & similitudinis, seù æquiparationis, Vel potiùs per viam declarationis, seù positivæ assertionis præexistentis veritatis, quia nempè in primo casu Papa concedendo juspatronatus ex privilegio, li-
9 cet per ampliſſimas clauſulas decernat, ut illud habendum sit, ac si ex vera fundatione, & dotatione, vel alia causa onerosa, adhuc tamen dicitur ex gratia, quia per quamcumque verborum & clausularum amplitudinem non desinit esse ex privilegio, atque dicitur ex fundatione & dotatione per fictionem seù æquiparationem, non autem per veritatem; Secus autem in secundo, quod Papa se ostendens informatum de iis quæ facti sunt, positivè asserat illud juspatronatus competere ob Ecclesiæ fundationem, vel dotationem à patronis factam, Et sic non per viam concessionis novi juris, sed per viam autenticationis, & attestationis rei de præterito, ac præexistentis veritatis.

Multò magis ubi non agitur de iis, in quibus utpotè in facto consistentibus Papa decipi potuit, seù per diversam facti veritatem comprobatam convinci de errore, seù quod ita fictè, ad faciendum magis amplum & tutum privilegium hujusmodi cautelam adhibere voluerit, sed de consistentibus in jure, seù de, iis quorum veritas & subsistentia ab ipsomet asserente pender, cum ad Papam pertineat decernere vel declare distinctionem ordinum Ecclesiasticorum, seù etiam eorum naturam commutare, faciendo clericos, vel Canonicos illos, qui prius tales non essent, Ideòque fortiùs ejus assertivæ deferendum esse dicebam circa ea, super quibus disponere potest, ut constat apud eosdem superius allegatos; Et conferunt quæ habemus de referente nullam faciente probationem sine relato, quia si agitur de actu, cujus perfectio pendeat à potestate referentis, adhuc sine relato probat & suf-
10 ficit, quoties tamen non constet relationem habitam fuisse in ordine ad voluntatem modificandam, & cum animo non faciendi actum, nisi quatenus in relato contineatur, & ad ejus limites.

Verùm & si præmissa in puncto juris, ad veritatem etiam reflectendo, aliquam soliditatem habere viderentur, Adhuc tamen mihi non levem inferebat difficultatem adeò longæva observantia, eo magis attendenda, ex quo de tempore prædictæ aliæ antiquæ cõtroversiæ cum Canonicis Lateranensibus, adhuc istî
11 in eodem statu existebant prout hodie existunt, dum tunc jam prodierant dictæ Apostolicæ Constitutiones declarantes eos Canonicos Regulares ut suprà, Et nihilominus, in eadem Urbe existentes, atque dicta favorabili resolutione cum subsequuta observantia omninò verisimiliter informati, per sæculum acquieverunt, signum clarum quod se inter Monachorum potiùs quàm clericorum ordinem agnoverunt, ita ut observantia prædicta capienda non esset tanquam inductiva novi juris, seù destructiva illius prærogativæ, quæ aliàs ratione ordinis clericalis de jure compereret supra ordinem monachalem (cum tunc urgens ac solidum videretur suprà insinuatum fundamentum, quod hujusmodi consuetudo utpotè præjudicalis universo ordini clericali & detur pativa Ecclesiasticæ simetriæ pro corruptela potius habenda esset) sed tanquam declarativa, seù interpretativa illius veritatis, quæ aliàs dubia esset, ut scilicet ita Canonici in sola nuncupatione seù privilegio nuncupati, Monachos potius se declaraverint, atque in ista hyerarchia constitutos esse se agnoverint; Accedente præsertim qualitate habitus Monachis potius, quàm clericis cõgrui, tam ratione scapularis supra rocchettum delati, qui Monachorum proprius videtur, quàm etiam ratione cappæ in quadam forma, quæ cucullæ potius species esset; Licet enim in ordine ad scapularem, considerarem illum dici posse quamdam speciem signi distinguentis unos Canonicos Regulares ab aliis, eo modo quo videmus in Canonicis sæcularibus diversarum Ecclesiarum ejusdem Civitatis, quod uni insignia ab aliis omninò diversa deferunt, Attamen uni etiam cappæ, magnam inferebat difficultatem, accedente præsertim longæva observantia cum discretiva aliorum Canonicorum, ut suprà, Unde concludebam, majorem esse timorem quàm spem quoad causæ exitum, qui fuit ut continuetur in ultimo statu.

SALERNITANA

PRÆCEDENTIÆ.

PRO

PP. MINORIBUS STRICTIORIS Observantiæ vulgò Reformatis,

CUM

PP. SANCTI AUGUSTINI, & pluribus aliis Religiosis ejusdem Civitatis.

Casus decisus per Sacram Congregationem Rituum pro PP. Minoribus.

An præcedentia quæ ratione antiquitatis competit uni Monasterio alicujus Religionis, competat etiam aliis ejusdem Religionis Monasteriis modernioribus adversus aliàs Religiones, quæ medio tempore inter unum, & alterum eorum Monasteria in loco fundarunt.

SUMMARIUM

1 *Facti series.*

2 *In materia præcedentiæ attendenda est antiquitas fundationis Conventus.*

3 *Ubi ejusdem Religionis plures Conventus sunt in eodem loco, omnes sub una Cruce Conventus antiquioris incedere debent.*

4 *Quid si Religiosi Conventus modernioris intervenant in functione sine illis Conventus antiquioris, quem locum occupent.*

5 *Fun-*

5 *Fundatio unius Monasterii suffragatur universæ Religioni in eo loco.*

6 *Observantia in his materiis satis attendenda, quamvis in aliquibus adversetur Constitutioni Gregorii XIII.*

7 *Quid ubi Religiosi diversorum Conventuum habent diversum institutum.*

8 *An observantes & Reformati constituant duas Religiones vel unam tantum, & quando Reformati distinguantur à Religione antiqua & matrice.*

DISC. XXV.

IN Civitate Salerni, ab antiquo fundatus fuit Conventus Minorum Observantium sub titulo *S. Nicolai*, moderno autem tempore, alter eorumdem Minorum strictioris observantiæ sub titulo *S. Laurentii*; Inter unam verò & alteram fundationem, plures diversarum Religionum Conventus in eadem Civitate fundati sunt; Cum autem ad præscriptum *Constitutionis Gregor. XIII.* pro dirimendis tot controversiis, quæ vel ratione antiquitatis instituti, vel ex privilegiis vertebantur super præcedentiis, statutum esset, atque per plura Sacræ Rituum Congregationis decreta firmatum, attendi debere antiquitatem fundationis Monasterii in loco, Nec non per ejusdem Sacræ Congregationis decreta statutum esset, quod pluribus ejusdem Religionis Conventibus in loco existentibus, sub unica tantum Cruce omnes uniti incedere debe-
1 2 rent tanquam unum corpus sine distinctione Conventuum representantes; Idcircò incedentibus dictis Patribus Reformatis S. Laurentii unitis cum PP. Observantibus sub Cruce antiquioris Conventus S. Nicolai, stante istius antiquitate, præcedentiam semper habuerunt absque controversia super alios Religiosos postmodum in Civitate receptos; Quia verò in funeribus seù exequiis, ac etiam in aliquibus particularibus solemnitatibus & processionibus devotionis gratia fieri solitis, convocatione unius, vel alterius Conventus pendente à privatorum voluntate, frequenter dabat casus, quod in functione interessent soli Patres Reformati S. Laurentii cum propria Cruce, ob non convocationem Patrum S. Nicolai; Hinc proindè orta fuit controversia usque ab anno 1629. inter istos ac dictos alios Religiosos prætendentes à Reformatis occupari non debere illum digniorem locum quem occupare solent, quando incedunt uniti cum PP. antiquioris Conventus, cum ita proprium Conventum representent cæteris moderniorem, sed re delata ad dictam Sacram Congregationem Rituum, ista de anno prædicto censuit præcedentiam
4 uniformiter deberi dictis Patribus, sivè incedant uniti, sivè sint unius & non alterius Conventus, atque ita servatum fuit usque ad annum 1646. quando denuo dicti Patres S. Augustini & consortes eamdem controversiam in dicta Congregatione instaurarunt.

Sed me pro PP. Reformatis scribente, circa initia Curiæ, quando adhuc, utpotè indeterminatus, munus Advocati formiter non susceperam, perstitum fuit in antiqua resolutione, denuò confirmata de anno 1648, & meritò, dum *Constitutio 84. Gregorii XIII.* quæ in hac materia hodiè est norma, non concedit præcedentiam Monasteriis vel Conventibus particularibus, sed Ordinibus seù Religionibus, ut præcedant, voluit juxtà antiquitatem receptionis in loco, ut liquet ex illis verbis, *Ille ordo qui prius Monasterium in loco habuerit præcedat*, Et sic receptio unius Monasterii est causa ut universa Religio locum occuper, quamvis deindè plura alia Monasteria in eodem loco fundaret, quia pluralitas Monasteriorum non tollit unitatem corporis, quod unicum dicitur ex omnibus Religiosis ejusdem instituti constitutum, quamvis stante eorum excrescentia, sivè ob populi commoditatem, in pluribus domibus seù Conventibus viverent, Atque ita generaliter per eamdem Sacram Congregationem determinatum fuit de anno 1617. ut scilicet antiquitas primi Monasterii toti Religioni suffragetur etiam pro aliis posteà ædificandis, dum præsertim omnes sub unica Cruce tanquam unum corpus representantes incedunt, quia præcedentia dicitur acquisita Ordini non loco ut *apud Barbos. de jure Eccles. lib. 1. c. 43. n. 192.*

Atque ita etiam declaratum fuit in Ulibe, in qua plura ejusdem Religionis Monasteria diversis temporibus fundata existunt, talisque est observantia, qualem attendendam esse quamvis in aliquo adversaretur dictæ Constitutioni *Gregorii*, firmatum fuit ex e-
6 jusdem Congregationis decreto *de anno 1593.* approbato per *Clementem VIII.* & relato per *Quarant. in summa Bullar.* verbo *præcedentia*, *Campanil. in diverf. jur. can. rubr. 12. cap. 12. numer. 121. Barbos. de Episcopo alleg. 78. nu. 35.*, *Lezzana in summa* verbo *Præcedentia in princ.* & alios de materia tractantes.

Pro altera parte scribentes, ad ostendendum istos PP. quando soli incedunt, in loco suæ receptionis
7 incedere debere, respondebant dictam omnium præcedentiam resultare à prærogativa antiquioris Conventus, cum quo accessoriè alii uniti incedunt, Secus autem ubi solus proprius Conventus representatur, & potissimè ubi inter unius vel alterius Conventus Religiosos aliqua Instituti diversitas considerari potest, undè re orquendo motivum observantiæ, illam deducebant in contrarium respectu Reformatorum Ordinis S. Augustini, seù B. Mariæ de monte Carmelo, Camaldulensium, & aliorum, quia incedunt in proprio loco, neque potiuntur prærogativa antiquæ Religionis, nisi quatenus sub ejus Cruce, ac uniti tanquam constituentes unum corpus, incederent, Hinc proinde dicebant idem servandum esse in præsenti, dum Religiosi istius moderniores Conventus sunt Reformati strictiorem observantiam profitentes, cui non ita subjacent Religiosi Conventus antiquioris, ita ut non omninò diceretur unicus Ordo idque apud aliquos impressionem faciebat.

Verum nimis leve mihi videbatur objectum, quod etiam eventus declaravit, quoniam ex hujus Religionis Constitutionibus, ac etiam ex Decretis Apo-
8 stolicis, dicitur omninò unica Religio, nullam continens diversitatem, inter professores observantiæ strictioris qui *Reformati* vulgo nuncupantur, & alios qui illam non adeò strictam profitentes vulgò nuncupantur *de familia*, quia hæc est quædam discretio nominis, nullam inducens discretionem Religionis, dum omnes unicum habent Generalem & caput, in cujus electione, æqualis ac indefinita est omnium utriusque Instituti Professorum electio activa & passiva, solumque quoad Provinciales & alios inferiores ministros, aliqua discretio pro bono pacis, ac meliori regimine, cum expressa præservatione unitatis corporis moderno tempore introducta fuit, ac etiam quoad aliquâ strictiorem vitæ normam considerabilem in ordine ad transitum, qui etiam sub certa forma datur, ut in *Papien. & aliis sub tit. de Regularibus.* Quod non ita pro-

Procedit in dictis aliarum Religionum Reformatis, corpus seù ordinem merè distinctum ab antiqua Religione constituentibus] cum proprio capite sub titulo Generalis vel Vicarii, ad cujus activam & passivam electionem soli Reformati jus habent, absque mixtura antiquæ Religionis, cujus Generalis & caput nil agere habet, Vel in aliquibus aliquam mediatam ac satis remotam præeminentiam retinet, Undè incessus separatus provenit ab ipsorum Reformatorum voluntaria separatione, quia etiam intervenientibus antiquæ Religionis professoribus, adhuc ipsi incedere volunt separati, ut respectu istius Religionis S. Francisci practicatur in Conventualibus, Capuccinis, & PP. tertii Ordinis Italiæ, utpotè diversa corpora cum proprio & separato capite constituentibus, Quæ omnia in præsenti cessabant, Ideoque licèt casualiter Religiosi unius Conventus in functionibus non intervenirent, hoc tamen non tollebat unitatem Ordinis, cui per fundationem primi Conventus locus dignior quæsitus fuit; Si enim ex 24. Canonicis Capitulum constituentibus, duo tantum intervenirent pro peragendis functionibus Capitularibus, ex quo alii, vel essent impediti, vel intervenire nollent, totum jus Capituli esse dicitur in illis duobus, dummodo non adsit aliud corpus Capituli, *ut in Cæsaraugustana sub tit. de Canonicis*, & *in Ampurien. præcedentia ut eod. tit. disc.* 17. cum similibus, Ac etiam quia satis incongruũ esset, ut una & eadem Religio, modò unum, & modò alterum minus dignum locum occuparet, ideoque justa fuit resolutio.

BAREN. THRONI SEU BALDACCHINI PRO PRINCIPE AQUÆVIVÆ CUM PROMOTORE FISCALI BAREN.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Rituum, & resolutus ut infrà.

An feudatariis, & Baronibus habentibus titulum seù dignitatem, liceat in suorum feudorum Ecclesiis habere Thronum elatum, seù baldacchinum; Et an ea quæ in jure sivè ex cæremoniali disponunt de præeminentiis Ducum, Marchionum, & Comitum, conveniant hujusmodi Baronibus dictos respectivè titulos habentibus.

SUMMARIUM

1 *Facti series.*
2 *Resolutio Sac. Congregationis.*
3 *Divisio inspectionis.*
4 *De rationibus dictæ resolutionis Sac. Congregationis.*
5 *Justè non autem spoliativè possidet ex facto Judicis.*
6 *Fallit, & quando etiam factum Judicis dicatur spoliativum.*
7 *Quando intret regula super spolii vel attentatorum purgatione ante omnia.*
8 *Quando ædificatum non obstante nunciatione novi operis sit demoliendum.*
9 *Qui non habet potestatem concedendi, habet tamen jurisdictionem declarandi illius rei competentiam.*
10 *An Episcopus sit principaliter interessatus in hujusmodi præeminentiis, & quandò.*
11 *Sufficit citare principaliter interessatum.*
12 *Quomodo Episcopus dicatur habere interesse in omnibus causis Ecclesiarum Diœcesis.*
13 *Servitus dicitur alienatio cadens sub extravag. ambitiosæ.*
14 *Quod præeminentiæ delatæ Ducibus, & Marchionibus non debeantur feudatariis inferioribus habentibus eam dignitatem.*
15 *Principi debetur Thronus elatus in Ecclesia.*
16 *An Principe absente erigi etiam possit Thronus cum sede vacua.*
17 *Quis propriè dicatur Princeps.*
18 *Barones & feudatarii inferiores licèt habeant dignitatem, hæc non dicitur vera sed abusiva.*
19 *De individuitate feudorum dignitatis.*
20 *Disposita in cæremoniali de Ducibus & Marchionibus, de quibus intelligantur.*
21 *De statu & consuetudine provinciæ Baren. in materia baldacchini Baronum.*
22 *Præeminentiæ quæsitæ feudo, transeunt in successorem.*
23 *Declaratur conclusio, de qua n. 4. & an adsit positiva resistentia juris.*
24 *De praxi inter Papam & Imperatorem.*
25 *De moribus Italiæ circà minorem Episcoporum existimationem & auctoritatem.*
26 *Dantur exempla & comparationes pro substinenda in hodiernis titulatis hac præeminentia.*

DISC. XXVI.

Oppida Aquævivæ & Joviæ diœcesis Baren. de antiquo dominio Ducum Adriæ, usque ab antecedenti sæculo ad instantiam creditorum, juxtà morem regionis, fuerunt sub diuturno sequestro usque ad annum 1614. in quo de ordine Sac. Consilii empta fuerunt sub hasta per Paridem Pinellum, ob cujus ad satis breve tempus, defectum, in idem sequestrum redierunt, sub quo ob magnas discussiones habitas in creditorum concursu, de quo habetur actum *in Neapolitana Concursus sub tit. de feudis disc.* 106. steterunt usq; ad annum 1665. in quo empta fuerunt per Marchionè Carolum de Mari, qui obtento etiam super dicto Oppido Aquævivæ titulo seù dignitate Principis, audita fama & traditione, quod in ejusdem Oppidi antiqua Collegiata seù majori Ecclesia, hoc intermedio sequestri tempore ad meliorem recentemque structuram redacta, Duces Adriæ antiqui Domini, Thronum elatum seù baldacchinum erectum haberent, Agnita etiam ferè generali consuetudine Titulatorum hujus provinciæ habendi hujusmodi præeminentiam etiam in ipsis Ecclesiis Cathedralibus ut infrà; Hinc proindè sede Metropolitana vacante, cum dictæ Collegiatæ Archipresbyter (quamvis sub lite) esset in possessione cujusdam jurisdictionis ordinariæ & cumulativæ

tivæ cum Archiepiscopo, coràm isto tanquàm Judice ordinario plures induxit testes super dicta fama & traditione, ac etiam de auditu ab eorum parentibus & majoribus, asserentibus de visu, Dictaque probatione facta, obtinuit sententiam executioni demandatam super reintegratione ad dictam præeminentiam, utpote feudo quæsitam, quod tamen cum interdicto Ecclesiæ impugnatum fuit per Vicarium Capitulum *Baren.* dictamque impugnationem prosequente novo Archiepiscopo, atque introducta causa in Sac. Congregatione Rituum, ista opinando, quod hoc esset attentatũ sede vacante, non obstantibus infrascriptis fundamentis, decrevit quod ante, omnia dicti attentati purgatio cum reintegratione Ecclesiæ pristino statui facienda esset à moto baldacchino.

In disputationibus igitur in dicta S. Congregatione habitis, duæ erant inspectiones, una ordinis, an scilicet adesse dicerentur hæc attentata, quæ in primis & ante omnia, non admissâ discussione meritorum, juxtà attentatorum naturam, purganda venirent, & altera circà justitiam & merita negotii principalis.

Quidquid autem sit de motivis prudentialibus de quibus ad Jurisconsultos, & Advocatos agere non pertinet, Quatenus pertinet ad ea quæ juris sunt Mihi scribenti pro dicto Barone seu Principe, parum probabilis, seu nimis rigorosa videbatur dicta resolutio, inspecta præsertim consuetudine regionis seu provinciæ, dictasque inspectiones distinguendo; Quatenus pertinet ad primam ordinis, terminus attentatorum verè non cadebat, cum nulla desuper adesset lis vel inhibitio, ex quibus resultaret judicis seu legis spretus, in quo attentatum consistere dicitur, solumque prætendi poterat intrare terminum spolii, quod scilicet Sede vacante, quando nil est innovandum, & parte non citata nec audita (qualem Sacr Congregatio præsupponebat esse Archiepiscopum,) de facto, & propria auctoritate Ecclesia ejus libertate spoliata esset, seu huic novæ servituti subjecta; Non curando, quid sequutum esset mediante sententia dicti Archipresbyteri judicis ordinarii, Tum quia ejus prætensa jurisdictio est sub controversia, Tum etiam quia ad ipsum tanquam Prælatum inferiorem in aliena diœcesi non pertinebat concedere hujusmodi præeminentiam, circà quam juxtà sensum & observantiam ejusdem Sacr. Congregationis, etiam ipsorum Episcoporum seu Archiepiscoporum jurisdictio refrænata est, quia non possunt se ingerere, atque hæc erant fundamenta Archiepiscopi, quibus innixa Congregatio decrevit hujusmodi spolii seu attentati purgationem antè omnia sequendam.

Verùm hæc, inspectis regulis juris, non videbantur subsistentia, quoniam spoliator dici non potest nequè attentator, qui per sententiam judicis ordinarii immissus seu integratus fuit *ad textum l. juste possidet ff. de acquiren. possessionel.* 1. & 2. *ff. ne vis fiat ei cum concord. plenè collectis per Postium de manut. observat.* 12. *dec.* 67. *numer.* 1. *par.* 10. *rec.* & *passim.*

Et licèt, etiam in facto judiciali, quoties illud est nullum vel notoriè injustum, dari dicatur spolium, cujus ratione priori possessori per judicem expulso, juxtà receptam quotidianam praxim, conceditur etiam manutentio, magis practicata quàm reintegratio ob privilegium viæ executivæ, seu exclusionis appellationis suspensivæ, quod uni interdicto possessorio conceditur, & alteri denegatur, dummodò tamen in casu injustitiæ ista sit notoria, quæ nullo valeat velamine offuscari, ut aliqua dignoscatur differentia inter ordinarium remedium appellationis, ac revocationis judicati, & istud extraordinarium juxta receptam distinctionem *in Romana de Bombellis coram Sacrato dec.* 9. *apud Post. de manut.* cum qua passim proceditur, *ut per eundem Postium dicta obser.* 12. *n.* 8. & 9. *d. decis.* 67. *par.* 10. *rec. Buratt. & Add. dec.* 158. *Cavaler. dec.* 337. & 470.

Attamen hoc dicitur quoddam spolium juris, seu interpretativum ex legis fictione, seu interpretatione resultans, quod subjectum non est illis rigoribus, quibus subjacet spolium verum & de facto, quod ad differentiam istius dicitur violentum, Nam etiam in terminis attentatorum, quæ magis in jure odiosa sunt, & criminosa reputantur, intrat hæc distinctio inter attentata facti, & attentata juris, seu dolosa & non dolosa, ut in prima specie intret rigor omnimodæ purgationis, denegata audientiâ attentanti, secus autem in altera, in qua arbitrium de facili interponi solet pro eorum rejectione ad finem litis, & prævia cognitione boni juris, potissimè, ac facilius ubi purgatio sequi non potest, nisi cum aliquo scandalo, ut ita distinguendo habetur *apud Carill. decis.* 248. *in fin. decis.* 176. 132. & 275. *par.* 11, *recent.* 657. *par.* 3. *rec. Gregor. & Add. dec.* 276. ubi allegantur concordantes, ac habemus in praxi frequentissimum.

Quod à simili habemus etiam in materia nunciationis novi operis, quod ubi malè ædificatum non continet dolum, ac delictum positivum, quamvis de jure veniat demoliendum, nihilominus quia id sine scandalo, ac publici ornatus deturbatione sequi non potest, si constet de bono jure ædificantis, de æquitate, id quod ædificatum est toleratur ex deductis per *Surd. cons.* 154. *n.* 20. & *seqq.* & *decis* 168 *n.* 1 *Gratian. discept.* 84. *n.* 36 & *seq. ex Bal. cõs.* 245. *n.* 1. & 2. *lib.* 2. & habetur pluries *sub tit. de Servitutibus*, cum similibus; Et hic videbatur casus, non curato, an dicto Archipresbytero competeret nec ne illa ordinaria cumulativa jurisdictio, in cujus possessione de facto erat, quoniam ad partes non pertinet de his inspicere, cum sufficiat eum esse in possessione illius officii, seu juri sdictionis, ac publicè pro judice ordinario se gerere & reputari ad communiter notata in vulgata *l. Barbarius ff. de off. Præfecti Vigilium*, potissimè, ubi de hoc non agitur ad effectum substinendi judicatum, quod faciat statum, sed ad effectum evitandi spolium, seu attentata.

Et quoad defectum potestatis concedendi hujusmodi jura præeminentialia etiam in Episcopo seu Prælato sine dubio ordinariam jurisdictionem habente, Dicebam in hoc procedi videri cum aliquo æquivoco, Quoniam aliud est, an competat facultas concedendi aliquam præeminentiam in forma gratiæ, & privilegii, aliud verò an competat jurisdictio decernendi in petitorio, vel possessorio hujusmodi præeminentiam aliàs ex privilegio vel legitima præscriptione competentem; Feuda siquidem nobilia & jurisdictionalia cum titulo seu dignitate, ac mero & mixto imperio, sivè officia publica, aut publica vectigalia & similia jura, sunt de Regalibus Principi reservatis quæab isto tantùm, non autem ab inferioribus Magistratibus & judicibus concedi possunt, & tamen per dictos judices & Magistratus passim super eorum pertinentia seu competentia judicatur, tam in possessorio, quàm in petitorio; Et ita pariter in beneficiis Ecclesiasticis etiam consistorialibus seu aliàs Papæ reservatis, & quæ non ni-

si per istum concedi possunt cum similibus, quoniam judex non dicitur concedere, sed declarare id quod jam illi competit & sic decernere, quod jam est suum, ab alio tamen occupatum, seu aliàs impeditum, removendo solùm cum manu justitiæ obstaculum.

Nullitas quoque objecta ex defectu citationis Archiepiscopi, seu ex ratione vacationis Sedis, quandò nihil est innovandum ad *text in cap. 1. & 2. ne sede vacante, cum notis concord.* neque in puncto 10 juris subsistentiam habere videbatur, cum rectè procederet, ubi ageretur de hujusmodi servitute inducenda, vel innovanda in ipsa Ecclesia Cathedrali, cujus Episcopus est sponsus & Rector immediatus, atque ad eum directè, & immediatè pertinet illius defensio, Secus autem in altera Ecclesia inferiori habente proprium Prælatum seu Rectorem, quoniam hic dicitur sponsus & Rector immediatus, quem solum citare sufficit, ex recepta conclusione, quod citandus est ille, qui est principaliter interessatus, & ad quem principaliter & directè defensio pertinet, non autem ille, qui habet interesse accessorium, seu mediatum juxtà receptam *glos. in cap. ad* 11 *audientiam* verbo *principaliter de præscript.* ubi communiter scribentes, & habetur particulariter actum ad rem nostram *in Conversanen jurisdictionis sub tit. de jurisdictione disc. 2.* ubi de substinendis judicio, seu aliàs gestis cum priore, seu Commendatorio, non curata omissa citatione M. Magistri, seu Religionis Hierosolymitanæ cum similibus, & *eod. tit. in Marsicen & Tiraboneu. disc. 13. & 22.*

Licèt enim Episcopus dicatur interessatus in omnibus Ecclesiis suæ diœcesis, earumque legitimus 12 defensor *Innoc. Joan. Andr. & cæteri communiter in cap. auditis de præscript. Buratt. decis. 598. num. 6. cum seqq.* Attamen id rectè procedit ad effectum, ut volens admitti ad causam & assistere defensioni, repelli non possit, neque sibi objiciatur de non interesse, eodem modo, quo habemus in Generali seu Procuratore Generali alicujus Religionis in causis singulorum Monasteriorum, ut habetur in specie deductum *in dicta Conversanen.* non indè tamen resultat gesta cum proprio & immediato Prælato, seu Rectore neglecta citatione Episcopi, seu Procuratoris generalis remanere invalida, ut latius *in dicta Conversanen.* ac etiam *in dictis Marsicen. & in Tiraboneu. disc. 2. 13 & 22.* Ideoque cum ista esset Ecclesia Parochialis habens proprium Rectorem, qui erat idem Archipresbyter, vel Collegiata habens proprium Capitulum, cujus dictus Archipresbyter est Dignitas principalis & caput, sufficere dicebam cum istis hujusmodi judicium legitimè agitatum esse, Quodque ubi non adessent probationes, quæ dictam reintegrationem saltem justè, & probabiliter colorarent, ac excluderent collusionem, malam fidem, tunc istis accedentibus observabam, potius tam quoad nullitatem actus, 13 quàm quoad pœnas dicti Archipresbyteri, & aliorum intrare posse terminos, seu dispositionem *Extravag. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* cum hæc dicatur servitus in Ecclesia sub prohibita alienatione cadens, eodem modo, quo in feudis & aliis alienari prohibitis receptum habemus imponi non posse servitutem sub alienationis prohibitione cadentem, ut de servitute in Ecclesia habetur *in Alexanen. fenestræ sub tit. de servitutibus.*

Quoverò ad alteram inspectionem in bono jure, sive super meritis negotii principalis, Quando facti particulares circumstantiæ ut infrà, non assisterent, Egomet scribens pro hac parte admittebam certam esse regulam negativam, quodque generaliter, & abstractè hujusmodi prærogativæ 14 Baronibus & Domicellis interioribus quamvis dignitatem seu titulum, Principum, Ducum, Marchionum, vel comitum habentibus, de jure non competunt, juxtà originalem declarationem Sacr. Congregationis Episcoporum & Regularium *in una Bojanen. de anno 1618.* relatam per *Barbos. in summa Apostolicarum decis.* verbo *Baldacchinum*, & alios modernos, & cum quo sensu inconcussè procedit Sac. Rituum Congregatio, id indefinitè prohibendo, ita ut species temeritatis esset contrarium de jure asserere, vel substinere.

Quamvis enim Principi tanquam præexcellenti & primo, cumdicatur esse in culmine dignitatis, & ut à reliquo populo distinguatur, hujusmodi præeminentiæ debitæ videantur, dummodò extrà presbyterum & à parte sinistra Episcopi, cujus inferior 15 seu minus dignus dignoscatur, juxtà comparationem Solis, & Lunæ, quæ inter Ecclesiasticam & temporalem potestatem habetur *in c. solitæ de majoritate & obedientia*, & iis, quæ post *Chassan. Bellug* & alios ibi deductos, plenè & elaboratè comprobat *Altograd. cons. 1. num. 11. 32. 23. & 40. & per tot. lib. 2.* ubi de hoc Throno debito in Ecclesia Principi seu primo Magistratui Civitatibus *Lucen.* ejus patriæ, in quo representetur illa Resqublica habens jura Principatus & Imperii, ut habetur *in Lucana jurisdictionis seu Imperii sub tit. de jurisdictione disc. 60.* & in quo casu nulla cadebat controversia super hujus- 16 modi præeminentiæ competentia dicto Principe seu primo magistratu præsente, sed solùm controversia erat, an eo absente teneri posset idem Throno erectus quamvis vacuus.

Nihilominus id intelligitur de illis feudatariis dignitatis, qui sunt, Principes, Duces, Marchiones, vel Comites per veritatem, quoniam excepto alto seu altissimo dominio, exceptaque majori superioritate, vulgò *Souranità*, non recognoscunt Superiorem, ac habent jura Imperii, & Regalia majora, etiam illa legis condendæ, monetas cudendi, vectigalia imponendi, & similia, Unde meritò eis convenit nomen Principis existentis in culmine dignitatis, qualis propriè dicitur, qui neminem recognoscit in 17 Superiorem ex deductis *post gloss. Ancharan. & alios in clem. unica de baptismo per Frecc. de subfeud. par. 2 tit. quis dicatur Princeps num. 4. & 5.* Ut in Italia sunt Duces, *Mediolani, Mutinæ, Reggii, Parmæ, & Senarum*, ac erant Duces *Ferrariæ & Urbini*, de quibus eorumque potestate habentur aliqua in *Senogallien. Castrorum, & in Comacen. Vallium*, & in aliis *sub tit. de feudis disc. 1. & 2.* quoniam licèt aliquam habeant subjectionem Papæ vel Imperatori investienti, cujus sunt feudatarii, attamen ob omnia jura Regalia & Imperii, maximam præeminentiam habere dicuntur, ac prærogativis Principis potiuntur, ex deductis *per Mastrill. de magistr. lib. 4. cap. 3 n. 25. & 29. cum seqq.* & *Bellon. jun. cons. 14.*

Secùs autem in hujusmodi Baronibus & feudatariis seu domicellis inferioris ordinis omninò subordinatis, juxtà distinctionem, de qua *in Civitatis Castelli, sub tit. de feudis disc. 66.* Potissimè verò in Baronibus & feudatariis Regni Neapolitani, & in quo cum ipsum Regnum sit feudum, ipseque Rex feudatarius investituræ & feudi legibus obligatus juxtà ea, quæ habentur Præsertim *apud Apont. decis. 1.* Barones dicuntur potius subfeudatarii, sivè subvasalli, undè meritò *noster Freccia* intitulavit suum opus *de subfeudis*; Dignitas verò, Principis,

cipis, Ducis, Marchionis vel Comitis, quæ hujusmodi sub feudis cum tàm nimia frequentia & facilitate adjicitur, est potius impropria, & abusiva, habens solùm quandam dignitatis imaginem seu figuram, atque inducens quasdam cæremoniales præeminentias, ad differentiam simplicium Baronum, & feudatariorum, eodem adamussim modo, quo hodie cernitur de Archidiacono, & Archipresbytero Cathedralis, juxtà deducta *in Parmen. præcedentiæ hoc titul. disc.* 20. Ita ut quoad effectum ex hujusmodi dignitatibus apud Feudistas alter effectus resultare non videatur, nisi ille individuitatis feudi, ex deductis *in Mutin. feudorum de Rangonis, & in Panormitana sub titul. de feudis dis.* 8. & 13. Qui tamen effectus verè ac naturaliter, & de facto neque resultat, quoniam in Lombardia, aliisque Italiæ partibus, hujusmodi feuda inferioris & abusivæ dignitatis quamvis habitualiter dicantur individua, actualiter tamen quoad fruitionem seu commoditatem & exercitium de consuetudine sunt individua, *ut ind. Mutinen.* ac etiam in *Parmen.* & in aliis *eodem tit. de feudis*; Atque in utriusque Siciliæ Regnis individuitas non resultat à dignitate seu titulo, nam antiquitus etiam feuda titulata attento jure Longobardorum, quod erat jus commune, erant dividua, sed effecta fuerunt individua, Vel juxtà unam opinionem per Constitutionem incipien. *Constitutionem divæ memoriæ.* Vel juxtà alteram per jus Francorum ex consuetudine introductum, ut habetur in eadem *Mutinen.* ac etiam *in Panormitana successionis feudorum*, & latius in decisione M.R.C. Siciliæ *in eadem Panormitana* edita impress. *sub dicto tit. de feud. in fin.* ubi ex professo, licèt non sine aliqua superfluitate, de hoc agitur.

Et sic revera isti non dicuntur habere dignitatem per veritatem, neque sunt veri & proprii Principes, Duces, Marchiones, vel Comites, sed solùm abusivè & in simplici nuncupatione, Undè propterea receptum ac absolutum est, quod disposita in Cæremonialibus, de Principibus, & Ducibus, istis non conveniant, sed solùm illis per veritatem, habentibus jura Imperii, ac Regalia.

Licet enim præsertim in Regno Neapolitano, vel per Reginam *Ioannam II.* vel per Regem *Alphonsum* I. Baronibus concessum fuerint merum, & mixtum Imperium, & gladii potestas, quæ prius non competebant, unde propterea aliqui antiqui Regnicolæ dicunt exindè meritò animam concedentis graviter torqueri in inferno, Attamen est quoddam Imperium merè Baronale, atque ita subordinatum Regi, ejusque Tribunalibus, & Magistratibus, quod potiùs abusivum & improprium dici potest, restrictum ad solam cognitionem causarum civilium, criminalium & mixtarum, absque tamen Regalibus, quæ illis feudatariis, & Baronibus non competunt.

Verùm etsi hæc rectè procedant, ideòque benè fundata sit dicta originalis decisio *Boianen.* cum qua passim proceditur, Attamen in hac facti specie, ex ejus particularibus circumstantiis, contrarium probabilius dicendum videbatur, si non ad effectum hujusmodi præeminentiam explicitè canonizandi, saltem ad effectum tolerandi id quod gestum est, cum ea conniventia, seu tolerantia quæ in materia habetur in eadem Provincia, aliisque Regni partibus; Principaliter verò & potissimè ex motivo consuetudinis ferè generalis in ea Provincia, ob quam dici non potest, quod hæc innovatio scandalū, vel inconveniens paritura esset in populo, undè propterea receptum habemus, quod in hac præeminentiarum seu præcedentiarum materia satis consuetudini defertur.

Ut enim habetur deductum *in Burgen. erectionis Cathedralis hoc eod. tit. disc.* 6. in hac Provincia duæ adsunt Ecclesiæ Metropolitanæ; *Baren.* scilicet, & *Tranen.* in quibus non cadit hæc inspectio, cùm istæ Civitates non habeant Baronem, sed sint sub immediato Regis dominio, atque ut vulgò dicitur *de Demanio*, Adsunt verò tresdecim Cathedrales, quarum una *Cannen.* est diruta, & unita Ecclesiæ *Nazarenæ* existenti in Oppido Barolitano pariter *Dedemanio*, undè neque intrat dicta inspectio, quæ etiam cessat in Ecclesiis, *Bitutin. Monopolitan. & Vigilien.* utpotè etiam *de Demanio*, & sine Barone; In reliquis autem omnibus nempè *Andrien. Bitteten. Conversanen. Iuvenacien. Gravinen. Minervinen. Polinianen. & Ruben.* in ipsismet Cathedralibus in cornu Epistolæ, & è conspectu Throni Episcopalis omnes Barones, utpotè Titulati habent Thronū elatū, cuiquoad ornatum & fastum utinam ille Episc. adæquaret non militante eadem praxi in Ecclesia *Melphicten.* quamvis illa Civitas esset etiam Baronalis, quoniam casus dedit per sæculum & ultrà, illam haberi in feudum per exteros ibi non residentes.

Si ergò generaliter, etiam in ipsismet Cathedralibus, & in faciem Episcoporum dicti Barones, quorum aliqui, facta, saltem legaliter, & ut juris est, comparatione, ex qualitate feudorum & vasalorum, si non inferiores, dici non possunt majores, habent hujusmodi præeminentiam, quæ per Sacr. Congreg. rectè scientem toleratur; Hinc proindè non videbatur, cur adeò exorbitans videri deberet, hæc non innovatio, sed potiùs reintegratio in inferiori Collegata, & Episcopo absente; Stante præsertim dicta circumstantia, quod antiqui Domini priusquam omnes prædicti alii Barones eandem præeminentiam haberent, illam habebant; Et sic est jus quæsitum feudo, quod transit etiam in successorem ex plenè collectis per *Menoch. consil.* 905. *Franch. decis.* 56. *Rovit. decis.* 6. *num.* 5. & *sequen.* dum non agebatur de feudo devoluto ad dominium, deindèque alteri denuò concesso, quo casu intrat inspectio, an priores prærogativæ & præeminentiæ ita per devolutionem extinctæ reviviscant nec nè, sed idem feudum translativè ad alium emptorem de assensu domini devenit, cum omnibus ejus juribus, quo casu nulla cadit dubitatio; Nil obstante tàm longo non usu, Tùm quia ille in facultativis non data prohibitione non attenditur, ubi præsertim ob absentiam feudatarii defuit occasio utendi, Tum etiam quia totum currentis sæculi spatium, & ultrà dicendum est impeditum, & tanquam species sedis vacantis, dum hæc feuda semper steterunt sub sequestro, ut supra.

Ista sufficere videbantur ad effectum, de quo erat quæstio; Verùm in ratione discursiva rem altius assumendo dicebam, non debere videri hunc usum adeò exorbitantem, ac habentem vehementem juris resistentiam, ut aliqui opinabantur, quoniam nullibi in jure determinatum habetur, an illæ præeminentiæ, quas non dubitatur debitas esse feudatariis majoribus dignitatis per veritatem cum jure Principatus ut supra, conveniant nec nè hujusmodi feudatariis eumdem titulum eandemque dignitatem de facto habentibus, cum minori tamen potestate, seu majori subordinatione & subjectione Domino directo, cùm solùm, rationabiliter quidem, ita decleratum fuerit per Sacr. Congregationem *in dicta Boianen.* ab Anno 1618. citrà, ob diversitatem rationis; Et sic non adest

adest quædam juris resistentia expressa & positiva, quæ cessante privilegio Apostolico, vel immemorabili, vitiet quamcumque contrariam possessionem & observantiam, cùm plus, vel minùs circà dignitatem vel potestatem, eam quidem alteret, sed non omninò corrumpat.

Tunc etenim dicta distinctio inter feudatarios dignitatis veros, ac abusivos in proposito intrare videretur, quando dicti feudatarii majores & dignitatis veræ, de facto hujusmodi præeminentialem concursum cum Episcopis practicarent, ita ut illa comparatio solis & lunæ, quæ *in dicto cap. solitæ de majoritate & obedientia* datur inter Papam tanquam supremam potestatem Ecclesiasticam, & Imperatorem tanquam supremam potestatem temporalem, & de cujus praxi in proposito Throni elati, occasione Concilii Ferrariensis, habetur
24 apud *Altograd. dicto cons.* 1. *num.* 19. caderet inter Episcopos & hujusmodi Principes seu feudatarios; At in Italia id fortè non practicatur, neque hujusmodi Principes absoluti in eorum præsentia de facili admittunt hujusmodi praxim; Et consequenter, eadem discretiva, seu proportionata comparatio, non omninò incongruè cadere videtur inter Episcopos & hujusmodi titulatos quamvis subditos, ac jura supremi Imperii & Principatus non habentes; dum in alio non est practicabilis.

Potissimè verò attento more Regionis & in Regno Neapolitano, ubi ob Episcopatuum nimiam frequentiam nimiamque paupertatem, tàm in reditu, quam in territorio, ista dignitas, quamvis de
25 jure sit magna, & quoad ordinem sit eadem, ac illa Archiepiscoporum *Colonien. Trevirens. Moguntinen. Salisburgens. Parisien. Toletan.* & similium, De facto tamen videtur in quadam modica existimatione, Tum ob nimiam frequentiam, & pauperatem ut suprà, undè propterea frequentius hujusmodi dignitates penès personas nimium privatæ fortunæ & inferioris status in natalibus, litteratura, & opibus esse solent, Tùm etiam ob magnam subordinationem, quam discretivè ad reliquas Provincias & Mundi partes habent Sacris Congregationibus, aliisque Romanæ Curiæ Tribunalibus, ac etiam Nuntio Neapolis, ejusque Officialibus ac aliis Apostolicis Commissariis (Et utinam, non etiam magnam, ipsismet Baronibus, aliisque Magistratibus inferioribus) undè propterea dici non potest adesse magnam incongruentiam, quod hujusmodi Titulati, qui ut plurimum sunt Magnates, atque de facto longè majorem sine comparatione habent potentiam & existimationem, majoremque faciunt figuram, obtineant hanc præeminentiam, quam obtinent hujusmodi Episcopi cum istorum Prælatione, Quæ tamen omnia dicebam in sola ratione discursiva, relinquendo integrum locum veritati, ac judicio S. Congregationis.

Ponderando in idem ea quæ ut suprà insinuantur de dignitatibus Archidiaconi, & Archiresbyteri Cathedralis, quoniam hodierni Archipiaconi, & Archipresbyteri sunt tales potius abusivè, utpotè destituti ilis jurisdictionibus & præeminentiis quas prius habebant tanquam Vicarii nati Episcoporum in temporalibus, & spiritualibus respectivè ita ut sint quædam imago, & figura antiquorum Archidiaconorum, & Archipresbyterorum, *ut in Parmen. disc.* 20, & tamen quo ad aliquas honorificas præeminentias, illas juxtà Ecclesiarum & Regionum consuetudines adhuc retinent; Ita à pari, quamvis hujusmodi hodierni Principes, Duces, Marchiones, & Comites dicti Regni sint potiùs quædam imago seu figura illorum Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum, qui ante Regii nominis introductionem ibi aderant, vel etiam postea in jure ac figura Principum magis quàm Baronum, juxtà ea quæ in proposito introductionis usus feudorum & Baronum in eodem Regno habentur *in Melevitana seu Valentina habitus hoc eod. titul. disc.* 32. non tamen implicat, ut juxtà Regionum morem si non habent eam potentiam & existimationem, habeant tamen aliquas dictæ prioris dignitatis reliquias, & honorificentias.

Neque in hac materia tutum est argumentum à potentia seu existimatione de facto, seu majori vel minori subordinatione alteri Superiori, Quoniam si de facto faciamus comparationem inter Archiepiscopos, & Episcopos Germaniæ, Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, ac istos miserabiles Archiepiscopos & Episcopos Regni Neapolitani, sive respectivè inter Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum Dignitates, & Canonicos, utique de facto minor est istorum Archiepiscoporum, Episcoporum, vel Canonicorum status, & conditio comparativè ad illos, quàm sit hujusmodi Titulatorum comparativè ad dictos feudatarios Dignitatis veræ; Et tamen eædem honorificæ, præeminentiæ, ac cæremoniales tractationes quibus dicti magni Archiepiscopi & Episcopi vel Dignitates & Canonici gaudent in eorum Ecclesiis, obtinentur per istos adeò inferioris status Archiepiscopos, & Episcopos vel Dignitates & Canonicos in eorum Ecclesiis, quia data proportione eadem est dignitas quoad hæc cæremonialia, igitur assistit mos Regionis, ob quem cesset scandalū ubi non videtur quod urgeat tanta exorbitantia, qualem primo aspectu, & procedendo cum usu, & moribus istius partis Italiæ Superiores apprehendunt, cùm totum consistere videatur in usu & moribus Regionis.

PERUSINA SEDILIS SEU SCAMNI, PRO PP. S. DOMINICI PERUSIÆ CUM COMITISSA CATHARINA DE ODDIS.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, & resolutus pro PP.

Concessio sedilis in certo loco Ecclesiæ, An fieri possit per Prælatum inferiorem, sæcularibus irrevocabiliter; Et quatenus fieri possit, an censeatur personalis extinguenda cum ipsa persona, vel sit cessibilis, seu transmissibilis, etiam in extrancos.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Concessiones Sedilis in Ecclesia an sint revocabiles, vel è converso irrevocabiles, & transmissibiles, adsunt opiniones hinc inde.*
3 *De adminiculis denotantibus concessionem esse personalem.*

4 Ad

4 *An Prælatus inferior possit facere has concessiones.*

5 *De circumstantiis reddentibus has prærogativas & concessiones irrevocabiles.*

DISC. XXVII.

CUm in Ecclesia S. Dominici Persiæ, adinstar Urbis, & ferè omnium aliarum Civitatum, quidam locus particularis destinatus esset vulgò *Ergastulum* nuncupatus, in quo Matronæ, aliæque mulieres à viris distinctæ in Banchis seu sedilibus, concionibus, aliisque Divinis assisterent, casus præbuit, quod Marchionissæ *Tassonæ* viduæ Ferrarien. in gravi ætate constitutæ ac satis qualificatæ Matronæ in prædicta Civitate domicilium eligenti, Prior & Fratres dictæ Ecclesiæ, facultatem concesserunt, ex quadam singulari prærogativa, collocandi ejus banchum, seu sedile extrà dictum *Ergastulum*, propè Altare majus, Quod banchum in actu illud collocandi, eadem Marchionissa coram pluribus testibus, dixit Priori & Fratribus donare post ejus mortem, verisimiliter ob ejus gravem ætatem brevi eventuram, cujus tamen contrarium eadem servavit, quoniam morti proxima in codicillis banchum prædictum reliquit Comitissæ Catharinæ de Oddis, quæ à Vicario Generali mandatum illicò obtinuit capiendi ejusdem banchi possessionem, ut de facto sequutum fuit. 1

Hinc proindè recurrentibus dictis PP. ad Sacr. Congregationem Episcoporum & Regularium, eisque adhærentibus etiam aliquibus dictæ Civitatis Matronis ægreferentibus in concive illam singularem prærogativam, quàm in extera, sene, & ita qualificata Matrona toleraverant, Assumptaque desuper disputatione, Scribens pro dictis Patribus in congressu Advocatorum desuper habito pro causæ directione, mea erat sententia, quod duæ constitui deberent inspectiones (ut cæteris adhærentibus sequutum fuit,) Unam scilicet circà dominium & pertinentiam banchi materialis ratione donationis, quam dicta Marchionissa fecerat Patribus in ipso actu collocandi, Altera verò circà Jus retinendi idem banchum in eo situ invitis Patribus, quamvis de dicta donatione non constaret, vel ea tanquam causa mortis revocati potuerit, ita ut banchum materiale esset de dominio Comitissæ actricis.

Licèt enim aliqui exhujus partis defensoribus, ut strictius resecando superflua, juxtà satis laudabilem Curiæ stylum procederetur, essent in voto negligendi primum punctum super dominio & pertinentia banchi materialis, modici & contemptibilis valoris, cùm super ea gravior caderet quæstio, an donatio esset causa mortis, vel inter vivos, dum sub mentione mortis, atque post illam, Marchionissa juxtà testium depositiones donare banchum Patribus professa erat; Nihilominùs mea sententia fuit, quod satis in hoc puncto insistendum esset, non quidem pro utilitate obtinendi banchum materiale, sed principaliter pro regulanda natura concessionis situs, declarandaque voluntate, tàm concedentis, quàm recipientis, ut scilicet aliud concedi vel respectivè recipi non fuerit in utriusque partis animo, quàm quoddam jus personale, cùm vita recipientis extinguendum, Hinc proinde dicebam opus non esse assumere ex professo quæstionem, in qua principaliter alterius partis defensores cum copiosis allegationibus insistebant, An scilicet, stante mentione mortis, donatio censenda esset potiùs causa mortis & revocabilis, utpotè ejus substantia in tempus mortis collata, vel potiùs inter vivos irrevocabilis ab initio perfecta, dilata solùm executione in tempus mortis, de qua mentio facta sit, ex plenè deductis in materia post alios per *Merlin. dec. 664.* aliàs *decis. 9. par 7. rec. & per Roias decis. 304.* & habetur sæpiùs actum *sub tit. de donationibus*; & sic non pro inducenda donatione tanquam novo contractu translativo dominii de uno in alium, sed ut dictum est, pro declaratione animi circà ipsum principalem actum concessionis situs, seu facultatis habendi dictam specialem prærogativam.

Et hinc resultare quoque dicebam magis planam resolutionem secundæ inspectionis, quoniam quicquid de illa esset in mero puncto juris, an scilicet ex hujusmodi concessionibus acquiratur Jus irrevocabile, vel transmisibile, de quo pro affirmtiva latè *Giou ignon. cons. 8. vol. 2. & Ciarlin. controv. 119. & seq.* ac alii relati per *Dianam part. 10. resol. moral. tract. 16. resol. 64.* ubi latè, dictis auctoritatibus confutatis, contrariam sententiam veriorem probat, atque ad contraria respondet, Attamen omnem dubitationem ita in præsenti cessare dicebam ex facti circumstantiis, quæ primariò in causarum decisionibus attendi debent, cum per eas cessare dicatur illa ambiguitas, quæ aliàs in solo puncto juris & abstractè examinando articulum subesse potest. 2

Ponderanda ergò dicebam insimul & unitim, cum consueta regula, *ut singula quæ non prosunt, &c.* facti adminicula istam veritatem clarè suadentia; Primò nempè jam dictum resultans ex verbis per concessionariam in ipso actu collocandi banchum prolatis, quod brevis esse deberet fruitio dicti banchi post ejus mortem ipsis Patribus remansuri, quæ verba, ut dictum est, attendenda esse observabam, non tanquam inductiva donationis & contractus, sed tanquam declarativa voluntatis utriusque partis super vitalitia concessione, quasi quod banchum prædictum tanquam Ecclesiasticis usibus destinatum, cessante concessione per mortem concessionariæ, de consequenti remaneret penes eamdem Ecclesiam ejusque Religiosos; Secundò ex qualitate personæ dictæ Marchionissæ, Tum quia senex, & de successore sanguinis desperata, ita ut de successiva servitute verisimiliter cogitatum non sit per concedentes aliàs non concessuros, Tum fortius, quia erat forensis, undè non intrabant illæ æmulationis, ac dissensionum, & scandalorum rationes, quæ inter cives æqualitatem prætendentes ex hujusmodi singularibus prærogativis frequenter oriri solent. 3

Tertiò quia juxta receptum axioma, volunnas in dubio regulanda est à potestate, quæ in inferiori Prælato locali tolerabilis videtur quoad hujusmodi benevolas honorificas concessiones ex merito personali factas personæ seni & qualificatæ modico tempore duraturas, tractumque successivum non habentes, Secùs autem in perpetuis & transmisibilibus ad personas ignotas & non cogitatas, cùm tunc esset species servitutis ac alienationis, quæ cuicumque Prælato sine solemnitate & causa prohibita est, multomagis istis inferioribus Prælatis localibus Religionis Sancti Dominici, quibus vel sine placito Patris Generalis, vel saltem sine con- 4

sensu Capituli Conventualis, aut trium Patrum discretorum nihil statuere licitum est, *Donat. in praxi rerum regular. tom. 2. part. 3. tract. 10. quæst. 10. num. 3. cum sequent.* ex quibus omnibus simul junctis, omnem quæstionem cessare dicebam ex solo facto ac defectu voluntatis absque necessitate assumendi inspectionem juris, Cujus etiam solo puncto attento, adhuc probabilius videbatur, respondendum esse pro precaria, & quandocumque revocabili concessione, ut de hujusmodi concessionum qualitate plenè probatur apud *Dianam loco citato*, ubi in specie confutantur *Ciarlin. Giouagnon.* & cæteri, Atque hanc opinionem esse receptam per eandem Sacr. Congregationem Episcoporum & Regularium in hac disputatione justificabam ex pluribus ejus declarationibus, quas dabam collectas per *Nicolum* & alios hujusmodi Collectores.

4

Ponderando, ultrà deducta apud *Dianam*, quod in casu *Ciarlini dicta controv. 119.* quæstio erat inter duos privatos invicem contendentes de situ magis vel minùs digno, ita ut Ecclesia non esset in causa, minùsque de ejus jure vel præjudicio ageretur; *Giouagnon. autem dicto consil. 8. vol. 2.* loquitur de possessione, quam ab antiquissimo tempore habebat in Ecclesia *Carpi* nobilissima familia *Pia*, ita retinendo aliquas reliquias antiqui dominii loci, undè plura concurrebant, quæ dictam prætensionem probabilem reddebant, Primò nempè

5

antiquitas temporis, quæ etiam in facultativis est satis considerabilis, *ut in Majoricen. celebrationis Missarum 28. Junii 1652. & 24. Januarii 1653. Bichio, decis. 186. & 380. par. 11. recent.* Secundò dicta circumstantia, quod hæc posset esse prærogativa retenta in signum antiqui dominii, quod fertur hanc familiam habuisse illius loci, Et tertiò quod non immutabatur qualitas personarum, neque agebatur de transferendo vel transmittendo jus in extraneos ac diversum personarum genus; In præsenti autem agebatur de facto recenti cum nimia rationis diversitate inter ipsam concessionariam & eos in quos transmitti prætendebat; Atque ita justè per Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium resolutum fuit.

ROMANA INDULTI SEU EXEMPTIONIS, PRO PETRO MARTINEZ ARCHIEPISCOPO PANORMITANO,

Discursus seu Consilium pro veritate.

Præeminentiæ, exemptiones, aliaque privilegia competentia alicui Tribunali, ejusque Officialibus, An competant illi, qui electus ad officium, antequam adimpleat adimpleri solita, atque ad Tribunal seu Collegium admittatur, per eundem Principem transferatur ad majus officium seu dignitatem; Et in specie de privilegiis concessis Auditoribus Rotæ; An competant ei, qui electus Rotæ Auditor, antequam sedeat in Tribunali, creatur Episcopus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series, & de privilegiis Auditorum Rotæ.*
2 *Gratia Papæ quando dicatur perfecta.*
3 *Princeps per concessionem dicitur transferre illicò dominium & possessionem etiam sine traditione.*
4 *Beneficium vacat per obitum provisi, licèt provisio non esset effectuata.*
5 *An per aliquam clausulam gratia dicatur conditionalis, & quando conditio percutiat substantiam gratiæ.*
6 *Declaratio non continet novam dispositionem.*
7 *Conditio per legitimè impeditum habetur pro impleta.*
8 *Nova dignitas superveniens non tollit privilegia competentia primæ dignitati ex hoc non possessæ.*
9 *Auditores Rotæ facti Episcopi retinent privilegium Auditorum, & gaudent privilegiis etiam quoad gratias expectativas ante Auditoratum.*
10 *Declarantur conclusiones, de quibus numero 2. & 3. ut non procedant in officiis habentibus annexam administrationem, in quibus dicitur quis officialis ex die admissionis.*
11 *Privilegia dantur Auditoribus Rotæ in præmium laborum.*
12 *Enumerantur plures electi in Auditores Rotæ, qui tales non fuerunt, præsertim* Decius.
13 *Declaratur conclusio, de qua etiam numero 2. & 3. ut electus ad officium illicò dicatur talis.*
14 *An sola electio seu nominatio admissa per Papam, de facto autem non effectuata consumat turnum.*

DISC. XXVIII.

INter alia Indulta Apostolica *Rotæ Romanæ* ejusque Auditoribus concessa, illud præsertim continetur *in Constitutione 13. Clementis VII.* §. 1 §. 14. quod quando ad Ecclesias promoventur, eis concedantur expeditiones Episcopatus gratis. Cùm igitur Petrus Martinez ad nominationem Regis Catholici pro Corona Aragoniæ, per consuetas literas in forma Brevis electus, ac deputatus esset in Rotæ Auditorem, atque præsentatis dictis literis in Tribunali se pararet ad consuetas disputationes tàm publicas, quàm privatas, aliaque cœpisset adimplere, quæ ex Apostolicis Constitutionibus vel consuetudine adimplenda sunt, priusquam ad Collegium cooptetur, atque ad votandum admittatur, Ad ejusdem Regis nominationem, creatus fuit Archiepiscopus *Panormitanus*, Undè propterea orta est controversia cum Officialibus Cancellariæ, An in expeditione Bullarum dicti Archiepiscopatus gaudere deberet dicta exemptione qua Rotæ Auditores potiuntur; Cùmque idem Petrus desuper meum expetiisset consilium, unà, cum apud me recolendæ memoriæ Gaspare de Sobremonte, de quo habetur mentio *in Romana Bulla Baronum sub titul. de feudis ad materiam illius Bullæ disc. 73.* Pro veritate respondi, magnam contrà eum sentire difficultatem, Verùm edita pro eo informatione more Advocati, cum qua probabam dictæ exemptionis competentiam, id causavit satis honestum concordiam eidem proficuam, solvendo emolumenta dimidiata & fortè minus.

Scri-

Scribens igitur tanquam Advocatus ad partis oportunitatem, deducendo priùs generalia, deindeque deveniendo ad specialia, dicebam quod cum in litteris Apostolicis continerentur verba perfecta officii collationem denotantia, ibi, *Te in Auditorem assumimus, eligimus, & deputamus, ac Auditorum numero, & consortio aggregamus*, ita dicebatur verè & perfectè Auditor, quoniam in dignitatibus vel muneribus à Papa collatis, cum ab 2 alio superiore alter actus perficiens desiderandus seu expectandus non sit, actus verò faciendi ab inferioribus non percutiant substantiam seu perfectionem gratiæ, sed solùm executionem, hinc sequitur quod statim gratia est perfecta, etiam solo verbo vel signatura, quamvis litteris non expeditis *Cap. eum cui de præben. in sexto. Cap tibi qui & cap. duobus de rescriptis pariter in sexto*, per quæ nova jura clariorredditur dispositio *text. in cap. Capitulum S. Crucis, ubi scribentes extra de rescriptis. Oldrad. cons. 180. num. 16. Roman. cons. 298. num. 2. Gomes. ad regul. Cancell. de non judican. juxtà formam supplicationis qu. 1. Cassador. dec. 4. num. 2. de caus. possess. & propriet.*

Papa enim seu alter Princeps, eò ipso quod concedit præsertim dignitates & jura incorporalia, transferre illicò dicitur dominium & possessionem absque alio actu facti, quoniam executio gratiæ importat solùm ministerium facti, non autem juris, 3 *Bald. in prælud. feud. num. 29. & in cap 1. quid sit Investitura, ubi etiam Isernia num. 2. Gabriel alios cumulans de empt. & vend. conclus. 2. num. 39. Rovit. dec. 82. num. 5. Rot. dec. 664 num. 18 par. 2. & 81. nu. 6. par. 5 recent. in aliis.*

Hinc propterea receptum habemus in materia beneficiali, quod collato beneficio seu dignitate 4 per Papam, eo ipso quod signata & datata est supplicatio, si provisus antè litterarum expeditionem vel executionem, naturaliter vel civiliter decedat, ex ipsius persona sequi dicitur vacatio, cum similibus.

Neque obstare dicebam, quod in eisdem litteris contineretur clausula *servatis servari solitis*, per ablativum absolutum, qui dicitur importare conditionem, Quoniam hujusmodi conditio non percutit substantiam & perfectionem gratiæ, sed 5 solùm excutionem quoad actus facti, ideoque non reddit gratiam conditionalem vel imperfectam, Potissimè verò, ubi constat quod ea quæ servari debebant, certum implementum sortitura fuissent, si non supervenisset impedimentum ex parte ejusdem Principis illatum, Ut habemus in eadem materia beneficiali circa provisiones *in forma dignum*, continentes hujusmodi clausulas vel similes, quoniam licèt hujusmodi gratiæ importare dicantur, potiùs mandatum de providendo, quam provisionem, Nihilominùs si constat de idoneitate aliisque requisitis provisi, ita ut, non ex ejus defectu, sed ex alio accedenti effectum non sortiatur, gratia reputatur ab initio pura & perfecta, quoniam subsequens conditionis purificatio non inducit ex nunc gratiæ perfectionem, sed jure cujusdam retrotractationis declarat & aperit id quod inerat ab initio, quamvis nobis tunc ignotum ex deductis per *Lotter. de Benef. lib. 1. quæst. 40. num. 189 Majoricen. Parochialis 1. Iulii 1643. coram Carillo inter suas decis. 283. & frequenter in aliis*, ac habetur pluries in sua materia *sub tit. de beneficiis*, ex recep- 6 ta propositione, de qua per *text. in l. adeo septima ff. de aquir. rer. dominio*, quod declaratio non cau-

sat novam dispositionem, sed tantum aperit quid jam factum sit, ad instat excutientis grana à spicis, ut in eodem textu exemplificatur; Alia etiam regula accedente, ut semper conditio habeatur pro impleta, quoties per ipsum non stat quominus im- 7 pleatur *l. jure civili de condit, & demonstrat. l. hæc venditio ff. de contrahen. empt. cum concord. per Lotter. de re benef. lib. 3. qu. 14. num. 54.*

Descendendo autem ad specialia, deducebam disputationem textus *in l. eos tertia Cod. de Dignitat. lib. 12.* ubi quod majoris dignitatis superveni- 8 entia nulla debet circà prioris dignitatis privilegia præjudicium inferre, & concordant *textus in l. eos Cod. de excusat. munerum & l. jubemur Cod. de proxim. sac. scrin. lib. 10.* utrobique scribentes, de quibus *Aponi. de potestate Proregis tit. de elect. officialium §. 8. à numer. primo cum duobus sequen.* Et in specie quod officialis ad unum officium electus, si vel ob assumptionem ad aliud munus, vel ob assistentiam apud eundem Principem faciendam adimplere non potuit servari solita pro actuali admissione, habeatur pro admisso usque ab initio, quoties constat de aptitudine seu habilitate adimplendi *Frecc. de subfeud lib. 2. tit. quis dicatur Dux ex num. 60. Fab. de Ann. consil. 42. num. 18. cum sequent.*

Et magis in specie deducebam auctoritatem *Sthaphilei de litteris gratiæ & justitiæ, seu de gratiis expectativis versic. restat postremò*, ubi agendo de prærogativis expectantium, notat in specie Audi- 9 torum Rotæ, quod facti Episcopi retinent privilegia & prærogativas Auditorum, Quod etiam dicunt *Gomesius ad regul. Cancell. expectativæ super § fin. & Mandos. in tract. de privil. ad instar. glos. 7. num. 31.* Atque *ex Gemin. cons. 113.* notat quod Auditor Rotæ gaudet prærogativis Auditorum, etiam quoad gratias expectativas obtentas antè Auditoratum, quoties vacatio seu effectuatio sequitur post illum obtentum.

Neque dubitandum dicebam de certitudine futuri implementi, quatenus evocatio ad majus munus non supervenisset, quoniam longè majora adimplenda sunt pro Episcopatu, tam circa examen super litteratura, quàm circà mores aliaque requisita, dum desuper efformatur processus canonizandus cum bino examine in pleno Consistorio, cum agatur de actu majoris status & perfectionis.

His tamen non obstantibus, reflectendo ad veritatem, valdè dubitabam de subsistentia prætensionis, unde propterea requirentibus insinuata difficultate, consului concordiam eo meliori modo, quo esset possibile, Quoniam præmissæ conclu- 10 siones rectè procedunt in beneficialibus, sive etiam in officiis & dignitatibus non habentibus annexam administrationem; Secùs autem in officiis justitiæ exercitium, ac administrationem annexam habentibus. In his enim ad perfectionem, tria copulativè requiruntur, electio scilicèt, acceptatio, & ingressus seu admissio, ad communiter notata *per Bart. & alios per ipsum text. in l. publicis ff. de condit. & demonstrat*; Ideoque non sufficit sola officii collatio ab obtinendas prærogativas, privilegia, præeminentias, aliaque jura ratione officii competentia, sed prævios solennitatibus, aliisque de jure vel de consuetudine adimpleri debendis, præsertim prævia juramenti præstatione, requiritur actualis admissio, ex qua, tanquam ex nunc, ille verè dicitur officialis, cui competant officii fructus &

emolumenta, inter quæ numerantur etiam prærogativæ, & præeminentiæ, ac hujusmodi exemptiones & similia, juxtà notabilem *theor. Bal. in l. sed & milites §. finali ff. de excus. tutor. per illum text.* ubi in finalibus verbis id clarè probare videtur, & *Baldum* sequuntur *Paris. de Puteo de Sindicatu vers. electio officialium 3. in principio Boer. dec. 150. num. 6. & sequen. Frecc. de subfeud. lib. 2. titul. quis dicatur Dux numer. 52. Fab. de Anna cons. 42. numer. 12. & sequen. Rovit. in pragm. 5. de Baron. numer. 11. Marcian. disput. 47. numer. 20. & sequen. Sanfelic. dec. 269. numer. 2. Franch. dec. 62. per tot. Capic. Latr. dec. 154. num. 30. benè Costantius in l. 1. Cod. de Consulibus lib. 12. nu. 26. & sequen.*

Duplici quoque alia ratione accedente, Primò scilicet, quod Auditoribus conceduntur hujusmodi privilegia, istud præsertim, de quo agebatur, tanquam familiaribus ipsius Papæ, qui eos non agnoscit in tales, quamvis litteras electionis seu deputationis concesserit, dando partem panis & vini & quamdam annuam recognitionem scutorum centum auri, ac dando locum in Cappella, nisi postquam servatis omnibus servandis admissi seu in Collegium cooptati sunt; Ergò clara est ejusdem Principis voluntas, quam initio habuit solùm destinandi, dilato tamen effectu post impletas conditiones, in quibus deficere potest ob ejus possibilem reprobationem; Et secundo quia hujusmodi privilegia dantur Auditoribus intuitu laborum, quos
11 in audiendis & decidendis causis substinent, ut patet ex eadem *Constitutione Clementis VII.* §. 1. unde cum nec actu, nec habitu iste aliquem habuerit laborem, omninò cessare videbatur ratio inductiva privilegii; Ita etiam comprobante effectu seu observantia, quoniam eo medio tempore, inter exhibitionem litterarum Apostolicarum deputationis, & cooptationem in Collegium, quod est notabile plurium mensium, hujusmodi sic electi per ipsummet Tribunal ejusque Auditores tractantur tanquam simplices Advocati, quorum habitum gestant, quoties non essent aliàs Signaturæ Referendarii, nullumque habent Auditorum Rotæ tractatum, vel prærogativam.

Hinc proindè de facto habemus, quod *Philippus Decius, Franciscus Remolinus, Antonius de Parma, Joannes Resseus* & alii, quamvis per Papam electi
12 in Rotæ Auditores, quia tamen, vel morte præventi, vel ad alia munia translati, seu ex aliis accidentibus de facto, admissi, & in Collegium cooptati non fuerunt; idcircò pro talibus non reputantur, ut patet apud *Rubeum tom. 2. singular. fol. 5. post num. 54. & Cantalmajum in syntaxi Auditorum Rotæ impress. post Indicem decisionum num. 274. & 321. fol. 25. & 28.*

Ea verò, quæ ut supra *ex Freccia, Fab. de Ann.* & aliis habentur de regula justi impedimenti re-
13 sultantis ex facto vel servitio Principis, Sivè de præjudicio non causando ex majori superventa dignitate, percutere videntur punctum præcedentiæ sivè antiquitatis inter ipsos Officiales, vel similes præeminentias honorificas tantùm, tanquam simplices reliquias primæ dignitatis, quæ absque proprio facto vel culpa, sed ex facto ipsius Principis ad aliud munus evocantis, de facto & in exercitio obtenta non fuerit, cum similibus; Secùs autem quoad hujusmodi exemptiones, quæ important fructum, & emolumenta ipsius officii assequendi ratione actualitatis & exercitii, quod præsupponit etiam *Staphil. ubi suprà*, quod scilicet sit jam de facto Auditor, cui Episcopatus superveniat, seu aliàs postquam est talis, purificetur gratia expectativa.

Audivi etiam occasione istius casus, in Curia Regis Catholici dubitatum esse, stante quod iste locus in Rota pertinens ad Coronam Aragoniæ 14
obtinetur per turnum per Nationales Regnorum, Aragoniæ, & Valentiæ, ac Principatus Cathaloniæ (neglectis tamen juxtà infelicem conditionem Italorum, Regnis Siciliæ ultrà & citrà, quamvis æquè ad eamdem Coronam pertineant) An ista provisio consumpsisset nec ne turnum, Et credo pro affirmativa resolutum fuisse, & quidem rationabiliter, Tum quia in ea Curia, & ad effectum hujus turni resultantis à privilegio Regio, seu illorum subditorum Concordatis, spectatur factum ipsius Regis in eligendo, seu nominando, dum nominatio per Papam jam admissa fuit; Tum etiam quia in Beneficialibus vel similibus, talis est regula, quod scilicet provisio quamvis per actualem possessionem non effectuata consumit turnum, ex iis, quæ in proposito turni inter plures Religiones insimul unitas, vel inter ejusdem Religionis provincias seu nationes habentur, *in Romana seu Vallis Umbrosæ turni sub tit. de Regularibus.*

PAMPILONEN.

DECIMARVM

DE TAFFALLA

PRO

COLLEGIO SOCIETATIS JESU PAMPILONÆ,

CUM

CAPITULO DE TAFFALLA.

Casus decisus per Rotam pro Collegio.

An antiquæ præeminentiæ, prærogativæ, aliaque privilegia competentia alicui Regno, Provinciæ, vel Civitati, cessent per unionem seu annexionem alteri Regno, Provinciæ, vel Civitati respectivè, Vel potius hoc non obstante durent, & in priori statu perseverent; Et in specie, An sub nomine Regnorum Castellæ, & Legionis, veniat Regnum Navarræ illi Coronæ annexum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Canonizantur privilegia Societatis Jesu super exemptione à decimis.*
4 *De effectu unionis subjectivæ.*

5 Chro-

5 *Chronistis & Geographis est deferendum circà situationem, & divisionem Regnorum & Provinciarum.*
6 *Attendendum non est tempus antiquum, sed status de tempore factæ legis.*
7 *Sub nomine Regis Hispaniarum veniunt etiam Regna & Principatus extrà Hispanias.*
8 *A finibus temporalibus non infertur ad spirituales, & econtrà.*
9 *De effectibus resultantibus ab una, vel alterà specie unionis æquè principalis vel subjectivæ.*
10 *An leges editæ pro uno Regno servandæ sint in Provincia vel parte de novo addita.*
11 *Unio in dubio præsumitur æquè principalis.*
12 *Habens pro se regulam, seu præsumptionem juris, habet intentionem fundatam, donec probetur limitatio.*
13 *De pluribus demonstrationibus, quod unio Regni Navarræ esset æquè principaliter.*
14 *De distinctione Canonarum Hispaniæ Regis.*
15 *Respondetur ad argumenta contraria.*

DISCURSUS XXIX.

REnentibus Episcopis, Capitulis & Parochis Regnorum Castellæ, & Legionis admittere observantiam privilegiorum per Sedem Apostolicam concessorum Societati Jesu super exemptione decimarum, & de quibus privilegiis frequenter habetur actum in Rota, ejusque decisionibus, magna desuper orta fuit controversia, quæ demùm concorditer remissa fuit ad Summum Pontificem *Clementem VIII.* qui eam ut sibi expedire videretur, decideret, vel componeret; Cumque post longas, ac maturas discussiones, dictus Pontifex morte præventus id perficere non potuisset, perfecit in ejus brevissimo Principatu *Leo XI.* successor, statuendò per quamdam mediam viam, quod de bonis jam acquisitis sola vigesima solvi debetet, de acquirendis verò integra decima prout de jure, atque in motu proprio desuper expedito & recensito *decis. 101. in principio par. 10. rec.* enunciantur solùm Regna *Castellæ & Legionis*; Cum autem per Sedem Apostolicam *sub Julio II.* privati fuissent Joannes & Catharina Regno Navarræ, illudque concessum *Regi Ferdinando Aragonensi Catholico* nuncupato, qui illud conquisitum univit Coronæ dictorum Regnorum *Castellæ & Legionis*, spectanti ad Joannam filiam & Carolum ex eadem Joanna nepotem, qui posteà fuit gloriosus Imperator *Carolus V.* Atque ob superventas Regias provisiones super hujusmodi Regnorum nationalium promiscua participatione, in officiis & beneficiis, cernèretur quædam omnimoda connexio, præsertim verò congregatio cleri, quæ in Curia *Matriti* habetur in omnibus ferè negotiis ex omnibus dictis Regnis, eorumque annexis pariformiter constitueretur; Hinc proindè Capitulum *de Taffalla* prætendere cœpit ad formam *dictæ Leoninæ* determinationis exigere decimas ex bonis, à Collegio Pampilonen. in eo territorio possessis atque post plures actus in partibus sequutos, commissa per Sanctissimum causa *in Rota coram Albergato*, datoque dubio, *de cujus bono jure constaret*, sub die 23. *Martii* 1667. ad favorem Collegii prodiit resolutio, sub dicto scilicet *Leonino* Indulto, utpotè loquente de Regnis Castellæ & Legionis, non venire hoc Regnum Navarræ, utpotè diversum, remanens proindè extrà Indultum, sub generalitate privilegiorum exemptivorum.

Quamvis autem hujusmodi controversia decimalem materiam percuteret, nihilominùs in binis disputationibus desuper habitis actum non fuit de aliqua quæstione super ea peculiari materia cadente, sed præsuppositis, tam *dicta Leonina* determinatione utpotè in praxi & usu recepta in dictis *Castellæ & Legionis* Regnis, eorumque annexis, quam etiam generaliter dictis privilegiis exemptivis sæpius per Rotam canonizatis, præsertim *decis. 508. par. 5. dec. 44. 101. & 197. par. 7. 229. num. 1. par. 8. & 276. numer. 3. par. 11. rec.* Sola quæstio fuit, An sub nomine dictorum Regnorum *Castellæ & Legionis*, de quibus dictæ litteræ *Leonis XI.* loquuntur, veniret ob dictam unionem istud Reguum *Navarræ* tanquam annexum, Vel potius staret de per se independenter, ita ut sub hoc nomine non veniret, sed priores præeminentias, ac jurisdictiones & statum retineret, ac si unio facta non esset, vel econtrà. 3

Super hoc igitur puncto, scribentes pro Capitulo, ad probandam hujusmodi subjectivam ac omnimodam unionem, ex qua resultaret dictus effectus, ut sub nomine dictorum Regnorum, istud quoque in proposito veniret tanquam membrum seu de pertinentiis. (ut data unione subjectiva, certum esset venire, juxtà propositionem in beneficialibus frequentem, & receptissimam, quod unita amittunt priorem essentiam & nomen, ac efficiuntur prædium illius, cui facta est unio, quod occasione unionis æquè principalis plurium Cathedralium, tanquam absolutum admittitur *in Ampurien. & Civitaten hoc eodem tit. disc. 7.*) plura deducebant fundamenta. 4

Primò auctoritatem plurium chronistarum, ac geographorum distinguentium Monarchiam Hispanicam, seu Regis Catholici in tres Coronas, cuilibet attribuentes Regna, Provincias, & Principatus annexos, sub ista Castellæ situantes *Navarram*, eodem modo quo *Granatam*, *Andalusiam*, *Mursiam* & *Galiciam*, quæ ad hunc effectum præcisum veniunt sub dicto motu proprio *Leonis*, ut de Civitatibus & diœcesibus *Corduben.* & *Ispalen.* habetur *decis. 44. 103. & 193. par. 7. recent.* His autem geographicis ac chronistis super divisione & situatione Regnorum, Provinciarum, Civitatum, & diœcesum deferendum esse plenè firmatur, cæteris ibidem allegatis. *in Romana Canonicatus* 10. *Decembris* 1655. *coram Priolo*, ubi occasione agendi, an quædam Civitas vel locus esset in Illirico ad effectum capacitatis Canonicatuum S. Hieronymi Illyricorum Urbis, magistraliter de hac materia geographica agitur. 5

Subjungendo attendendum non esse statum seu situationem antiquam, sed præsentem, de tempore scilicet, quo lex vel alia dispositio prodiit, quia censetur legislatorem seu alium disponentem ad istud tempus respexisse *Bald. cons. 407. numer. 14. lib. 1. Surd. cons. 313. numer. 87. & 454. numer. 8. & 19. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 11. numer. 68. & gloss. 13. numer. 62. Peña dec. 623. num. 26.* cum aliis in eadem *Romana Canonicatus coram Priolo.* 6

Secundò quod postquam Rex Catholicus d. unionem & incorporationem fecit, ita dicebant istud Regnum effectum esse membrum seu præjectiva

dium aliorum juxtà dictas receptas propositiones Beneficialistarum, quoties agitur de unione subjectiva & per incorporationem, magnum fundamentum constituendo in verbo *Incorporamus*, Deducendo etiam firmata apud *Mantic. decis. 59. & decis. 743. num. 3. & 4. par. 4. rec. tom. 3.* ut sub nomine Regis Hispaniarum veniant etiam alia Regna quamvis extrà Hispanias existentia ratione annexionis.

Tertiò quod ubi etiam quoad divisionem politicam & jurisdictionalem in temporalibus de hoc dubitari posset, adhuc tamen dicebant id attendendum non esse, ex frequenti pariter & recepta propositione cum copiosissimis 8 allegationibus comprobata, de qua *in Toletana jurisdictionis disc 1. & in aliis sub tit. de jurisdictione* frequenter, quod scilicet à finibus spiritualibus non infertur ad temporales, & econtra, unde cum ista Ecclesia *Pampilonen.* esset sub provincia *Burgen.* quæ est in dictis Regnis, ita dicebant cessare omnem difficultatem.

Quartò demum satis insistebant in observantia in omnibus optima interpretc, Tum quia dicta alia Regna *Mursiæ, Galitiæ, Granatæ, & Andalusiæ* eodem jure vivunt, Tum etiam quia Congregatio cleri haberi solita in Oppido *Matritis* occasione onerum, præsertim illius subsidii excusati, ac alterius *De los Milones* aliorumque negotiorum, quamvis sub nomine dictorum Regnorum *Castellæ & Legionis*, constituta quoque est de clero hujus Regni *Navarræ*.

His tamen non obstantibus, cum sensu etiam veritatis, scribendo pro dicto Collegio, contrarium dicebam probabilius, unde propterea dicta resolutio justa beneque fundata visa est; Non controvertebatur enim in puncto juris perscribentes hinc inde veritas supradictæ distinctionis inter unionem æquè principaliter ac subjectivam; Prout etiam concorditer præsupponebantur hinc indè effectus ex una vel altera unionis specie resultantes, utpotè inconclusionibus receptissimis & planis, quod 9 scilicet ubi unio est accessoria seu subjectiva, res unita amittit suum nomen & essentiam, ac efficitur membrum seu prædium, adinstar alluvionis seu fluminis intrantis in mare assumentis naturam ipsius maris extincto flumine cum similibus; Econversò autem ubi est æquè principaliter, retinet eamdem naturam & statum, tam quoad nomen, quàm leges, privilegia, & omnia alia, ita ut quodlibet corpus stet de per se non admixtum cum altero, neque de ejus natura participans, ac si facta non esset unio, quæ solùm importare dicitur quamdam communionem seu societatem in ordine ad Rectorem, sub cujus tutela seu administratione plures personæ seu plura corpora intnllectualia commissa sunt, Adinstar illius, qui esset tutor duorum pupl lorum quorum quilibet haberet suum separatum patrimonimu, Seu illius (ubi id est practicabile) qui esset vir plurium mulierum cum similibus, juxtà distinctionem, de qua *in dicta Ampurien. & Civitaten. hoc eodem tit. disc. 7.* occasione unionis æquè principalis 10 plurium Cathedralium, Et occasione articuli, An leges unius Regni vel provinciæ locum habeant in altero Regno vel provincia addita, seu per eundem Principem quæsita habetur *in Urbinaten. prædii sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum disc. 83.* juxtà celebrem traditionem *glos. & Bartol. in leg. 3. ff. de officio Præsid.* ubi de Rege Angliæ, qui etiam est Dux Vasconiæ, quòd in hoc Ducatu reputatur tanquam Dux non tanquam Rex; Ad quod conferunt, quæ habentur in *Tiraqonen. jurisdictionis, & in Amalphitana sub titul. de jurisdictione 21. & 22.* de Episcopo considerando tanquàm Rectore seu Prælato inferiori, cum similibus.

Quare præsupposita ista theorica tanquam certa & incontrovertibili, punctus erat in applicatione, & an in una vel altera dictæ distinctionis parte versaremur, an scilicet hæc unio facta esset dictis Regnis accessoriè seu subjectivè per viam alluvionis seu additamenti, vel potiùs æquè principaliter, & per viam communionis seu societatis sub uno Rege, seu sub una Corona.

Omninò autem verius dicebam illam esse juxtà hanc secundam partem ex pluribus claris demonstrationibu, prorsùs suffocantibus ea, quæ pro diversa unionis specie ut supra deducebantur; Primò scilicet ex juris præsumptione, quæ unioni a q; principaliter potius quàm accessoriæ seu subjectivæ assistit, ex deductis per *Mandos. cons. 27. Cavaler. decis. 330* 11 *cum aliis in dicta Ampurien. & Civitaten hoc tit. disc. 7* Magnus autem videtur effectus hujus præsumptionis d. regulam constituentis, Tum quia transfert onus in alteram partem probandi contrarium, ita ut aliàs fundata dicatur intentio allegantis regulam non probata limitatione *Mantic. dec. 251. num. 4. Franch. decis. 197. Barbos. axiom. 198.* Tum etiam quia, ut præsertim frequenter habetur *sub tit. de fideicommissis*, Multum id confert ad præponderantiam probationum seu adminiculorum, & con- 12 jectrarum hinc indè colluctantium, quoniam ubi probationes limitationis non sunt concludentes ac plusquam præponderantes, illis invicem conquassatis, seu debilitatis, firma remanet intentio habentis pro se regulam seu præsumptionem.

Secunò quia id evidenter probari videbatur ad litteram ex ipso instrumento unionis; Cum enim tunc omninò separatæ essent hujusmodi Coronæ *Castellæ & Aragoniæ* ita ut constituta adhuc non esset 13 Hispanica Monachia, dum Rex *Ferdinandus* cognomento *Catholicus* jure proprio regebat & possidebat Coronam Aragoniæ, administrabat verò alteram Coronam *Castellæ* tanquam pater & legitimus administrator Joannæ ejus filiæ, ad quam ex materna successione dicta Corona pertinebat, Idcircò cum utraque potentia hoc Regno ex Apostolica concessione conquisito, ex prudentialibus motivis, sub narrativa amoris erga dictam Joannam filiam, & Carolum ex eadem Joanna nepotem, sequuta ejus morte, unire, & incorporare professus est, non ipsis Regnis, sed Coronæ, quæ licet ad distinctionem alterius Coronæ Aragoniæ, tunc nuncupationem sumeret à Regno Castellæ, attamen hoc est quoddam genus generale complexi- 14 vum plurium generum subalternorum, seu plurium specierum inter se omninò distinctarum, ut docet praxis alterius Coronæ Aragoniæ ita nuncupatæ ab eo Regno tanquam antiquiori, seu in quo Rex residentiam habere consuevit, quoniam complectitur Regna omninò diversa, *Aragoniæ, Valentiæ, utriusque Siciliæ ultrà & citrà pharum, Sardiniæ, Majoricæ & Jerusalem*, necnon *Principatum Cathalonia*, in quibus omnibus idem Rex discretivè consideratur tanquam Princeps diversus legibus & moribus, ac sub diversis acquisitionum titulis, Et sic aliud est unire Coronæ, aliud vero est uuire alicui ex Regnis sub eadem Corona existentibus, atque in hoc versabatur æquivocum scribentium in contrarium.

Tertiò

Tertiò quia mortuo dicto *Ferdinando, Carolus V.* qui adhuc vivente *Joanna* matre vidua, utpotè aliquam mentis infirmitatem patiente, administrabat, ac pro Rege se gerebat, in juramento præstito occasione adeptionis possessionis hujus Regni, expresè promisit, quod Regnum prædictum, non obstante dicta unione remaneret de per se, ab aliis Regnis omninò dependens, & sicuti prius esse consuevit cum propriis legibus, Foris, Tribunalibus, Prorege, Consilio, monetis, & aliis quibuscumque omnimodam separationem & independentiam denotantibus, unde propterea intrabat vulgaris regula textus *in l. ille aut ille ff. de legat.* 3 quod in claris non intrant argumenta; Et quartò demum evidentius id comprobabat subsequuta observantia, tam circà dictam continuationem proprii & separati Proregis, cum propriis ac independentibus, Consilio, & Magistratibus, legibus, Foris, privilegiis, monetis, & aliis; Sed etiam clarius ex diversa intulatione, quoniam Ego præsertim scribendo in causa observabam, quod Philippus dicti Caroli filius, qui respectu dictorum aliorum Regnorum hujus Coronæ Castellæ, prout etiam alterius Coronæ Aragoniæ, ac reliquæ Monarchiæ nuncupabatur *Secundus*, in legibus aliisque actibus hujus Regni nuncupatur *Tertius*; & sic successivè Philippus *Quartus*; ejus filius nuncupatur *Quintus*, unde erat demonstratio manifesta omnimodæ diversitatis.

Argumenta verò ut suprà in contrarium deducta nullius ponderis videbantur, Primum enim resultans ex assertionibus chronistarum seu geographorum omninò convincebatur fallax seu æquivocum, Isti enim has distinctiones non callentes, referunt solùm ea, quæ facti sunt, circa distinctionem Coronarum, ac etiam in graves errores incidunt, ut convinci observabam ex eo, quod sub una vel altera ex dictis Coronis Castellæ vel Aragoniæ situant Comitatum Flandriæ, Ducatum Mediolani, Portus Etruriæ, ac altum dominium & superioritatem Senarum, & Plumbini, quod continet errorem manifestum, cum hæc dominia & jura Rex habeat ex persona propria & ex diversis titulis & concessionibus independenter ab utraque Corona, Ut ultrà ea, quæ frequenter habentur apud historicos præsentis vel proximè præteriti sæculi, ex nostris benè habetur apud eruditum *Borell. in tract. de præstantia Regis Catholici cap.* 46.

Ad alterum argumentum deductum ex verbo *Incorporamus*, responsum est suprà, quod illud percutit Coronam non autem Regna; Et *ad decis. Mantic.* 59. & 743. *par.* 4. *rec. tom.* 3. dicebam pariter manifestam esse fallaciam circa applicationem, cum procedat circa privilegia & præeminentias concessas personæ ipsius Regis pro universa ejus dominatione omnibusque Regnis & Principatibus, & quæ persona ita demnostratur ex communi nuncupatione sub nomine Regis Hispaniarum, tanquam à regione, quæ ob Regis residentiam illi *vulgò* tribuit nomen, eo modo quo Neapolitana Civitas ex eadem ratione Regis residentiæ seu Proregis & Tribunalium à moderno tempore tribuit nomen Regno, cum tamen sit una de illius Civitatibus, sicut cæteræ.

Et tertium attendendi fines spirituales magis quàm politicos, & temporales, omninò insulsum erat, quoniam fines spirituales explicari non solent in Pontificiis legibus & diplomatibus cum his terminis Regnorum & Principatuum, sed cum diversis terminis dœcesum & provinciarum, totiusque Orbis Christiani observantia docet nullam connexionem habere istos fines spirituales diœcesum, & provinciarum cum finibus temporalibus Regnorum, & Principatuum.

Unde major ac tota difficultas consistere videbatur in quarto argumento observantiæ, quæ, quatenus ad rem pertinet, dupliciter ut suprà deducebatur, Primò quia alia Regna *Hispalis, Mursiæ, Granatæ*, & similia, quamvis essent Regna diversa diversum titulum habentia, de facto veniebant sub hujusmodi Indulto loquente solùm de dictis Regnis *Castellæ & Legionis*, Et secundò quia Congregatio cleri haberi solita in Curia *Matriti* desumens nuncupationem ab his Regnis complectitur etiam *clerum* istius Regni Navarræ; Verùm hæc neque obstabant, Quatenus enim pertinet ad primam, quamvis de tempore quo Hispania sub Maurorum servitute vivebat, seu alio antiquiori plures adessent Reguli pro dictis Civitatibus seu Provinciis Regium nomen adhibentes, Attamen, quia Reges istorum Regnorum per expulsionem Maurorum & infidelium, has partes seu provincias conquisierunt, idcircò, vel per viam additionis, & alluvionis, vel per viam reintegrationis, ac restitutionis primævo statui, effectæ sunt partes & membra istorum Regnorum, cum omnimoda dependentia ab eorum Consiliis & supremis Magistratibus, retenta solùm quadam Regni nuncupatione, Unde casus est omninò diversus; Et quoad alterum motivum Congregationis cleri, illud potius retorquebatur, cum doceretur hanc observantiam restrictam esse ad certos casus cum discretiva etiam speciali, quod scilicet de eodem tempore quo istud negotium decimarum remissum fuit in summum Pontificem, alia pertractata fuerunt negotia cum interventu deputatorum cleri hujus Regni, qui tamen non intervenerunt in isto actu, unde stante etiam subsequuta observantia circa ipsas decimas, casus remanebat omninò clarus.

Alia etiam viva ratione ponderata, quòd hujusmodi indultum prodiit per quamdam speciem sententiæ arbitramentalis pro componenda tam diurna, & involuta lite vertente inter clerum, & societatem, Transactio autem regulariter cadit super iis, quæ sunt in lite, & inter collitigantes *ad text. in l. 1. ff. de transact. l. si de certa C. eod. cum concordan. per Gregor. & add. decis.* 158 & 286. *decis.* 129 *num.* 8 *par.* 10. *rec. dec.* 217. *num.* 19. & 20. *par.* 11. & habetur particulariter examinatum *in Ariminen. evictionis Castrorum sub tit. de feud. disc.* 44. ideoque cum non doceretur de aliqua lite cum clero istius Regni, non poterat ista lex ad illud trahi, Et sic plura concurrebant verè improbabilem hanc prætensionem reddentia, undè resolutio, reflectendo etiam ad solam veritatem, justa & probabilis visa est.

* * *
* *
*

FULGI-

FVLGINATEN.

JURIS HONORIFICI,

PRO

ALIQUIBUS FAMILIIS,

CUM

ILLIS DE CONSILIO.

Casus disputatus in S. Consulta, & resolutus ut infrà.

De præeminentiis seu prærogativis Decurionum & Conciliariorum Civitatis, præsertim an sint nobiles privativè ad alios Cives; Et aliqua de titulorum seu adjectorum significatione & usu, Et an iste possit vel debeat prohiberi.

SVMMARIVM

1 *Facti series.*
2 *Resolutio.*
3 *De ratione resolutionis.*
4 *In materia præeminentiarum & titulorum deferendum est consuetudini.*
5 *Consiliarii successerunt in locum Decurionum, at & idem est Consiliarius, ac Decurio.*
6 *Decuriones dicuntur nobiles.*
7 *Iurisdictio nobilitat, quia dat præeminentiam.*
8 *In facultativis non usus non præjudicat.*
9 *Non usus prædecessorum in materia nobilitatis non præjudicat successoribus.*
10 *Datur distinctio circà usum tituli* Nobilis.
11 *Usus titulorum debet prohiberi, & de ratione.*
12 *Leges aliarum regionum possunt allegari ad decisionem, ubi non habemus jus commune, vel leges particulares.*
13 *Nominis, vel cognominis, aut tituli assumptio, quando debeat prohiberi.*
14 *Corruptela dicitur illa consuetudo, per quam minus dignus habeat majorem præeminentiam.*
15 *Concedere nobilitatem est de regalibus, & Principi reservatis.*
16 *Quarè aliquæ familiæ nobiles alias agregent.*
17 *Declaratur titulus* Nobilis *quid significet.*
18 *De aliis titulis* Illustris, Perillustris, Magnifici, &c.
19 *Titulus nobilis denotat excellentiam, & convenit etiam artificibus, imò animalibus & rebus inanimatis.*
20 *Medicina an sit professio nobilis remissivè.*
21 *Quomodo in hac materia pereat argumentum affirmativum, non autem negativum.*

DISC. XXX.

PER duplicem regitur Magistratum Communitas Civitatis *Fulginaten.* quorum unus est generalis, *Consilium* nuncupatus, repræsentativus totius populi, ac explicans omnes illos actus, 1 qui de jure per totum populum, seu Consilium generale explicandi sunt, constitutus ex 100. viris, *Consiliariis*, nuncupatis, de ordine nobilium, vel nobiliter viventium, quorum officium est ad vitam, qua defecta, in locum demortuorum, alii ab eodem Consilio subrogantur; Et aler est particularis, penes quem residet actualis & immediata administratio communitatis, constitutus ex sex, qui *Priores* nuncupantur, extrahi soliti per bussolum à dicto Consilio generali, certis statutis temporibus conficiendum, quorum officium durat solùm ad aliquos menses, istique sunt de omnibus populi ordinibus seu gradibus, cum hac tamem distinctione quod, Primus, qui *Caput prior* nuncupatur, semper debet esse, vel Doctor in legibus seu medicina, vel ex ordine Consiliariorum, dummodo pariter sit Doctor, vel ætatem 60. annorum excesserit, secundus vel de eodem ordine, vel Eques, vel Dux militum, vel ejus locumtenens, Tertius de ordine personarum civilium, non exclusis illis de consilio, Quartus de ordine popularium constituentium quid medium inter civiles & plebeos seu Comitatenses, Quintus de ordine plebeorum seu Comitatensium, Sextus qui tanquam novus seu prima vice ad magistratum admissus *Prior Novellus* nuncupatur, vel de Consilio, vel de descendentibus à consiliariis, vel aliàs nobilis, seu nobiliter vivens esse debet.

Cum autem retroactis sæculis, titulus seu adjectum *Nobilis* esset in usu, per aliorum titulorum, seu adjectorum introductionem posteà dimissus, moderni verò de consilio capientes istum titulum pro qualiiate explicativa nobilitatis, discretivè ad illos qui gradus primi, aut secundi, ant prioris novelli promiscuè cum Consiliariis obtinent & obtinuerunt, quasi quod soli nobiles Civitatis essent illi de ordine Consiliariorum, eorumque filii, & descendentes, affectantes ita inducere quamdam separationem formalem nobilitatis, in actibus, tam publicis, quàm privatis, adhiære cœperunt hunc titulum, discretivè, seu privativè ad alios, præsertim verò inter illos de Magistratu minori, seu actuali; Ita ut si primus, & secundus Prior essent Doctores, vel Duces militum, seu aliàs nobiles, non tamen de ordine Consiliariorum, de quo esset Prior novellus, qui est ultimus, huic daretur titulus nobilis, illis verò secus, sed alter titulus Doctoratui seu personali qualitati congruus.

Hoc autem reliquis familiis nobilibus, seu nobiliter viventibus, sibi præjudiciale agnoscentibus, ob hujusmodi formalem separationem, ita insensibiliter resultantem, Hinc proindè recursum habuerunt ad Sacram Consultam, quæ post plures acertimas disputationes habitas, prohibendo hujusmo- 2
di innovationem bis statuit & decrevit, servari debere solitum hucusque currenti sæculo servatum, Atque mihi pro familiis recurrentibus scribenti reflectendo etiam ad veritatem, probabilis, benèque fundata visa est resolutio.

In his autem disputationibus, scribentes pro illis de Consilio, agnoscentes innovationem substentabilem non esse quoad filios, feudtns & alios conjunctos, & de familia Consiliariorum, qui in eo munere non essent, ut reverà erat principale intentum pro inducenda ista qualitate in tota familia, dictam prætensionem restringebant ad solos Consiliarios, in ratione muneris seu officii, quod huic parti adhuc sufficiebat, dum ita cessaret illa familiarum separatio, quæ aliàs introduci prætendebatur

batur, stante æquali potentia seu habilitate, quod vacantibus indies Consiliariorum locis ad idem munus, illi etiam de istis familiis recurrentibus assumi possent, & sic, ita verè cessabat istud præjudicium, cujus ratione recursus habitus fuit, ideoque ista erat 3 adversus recurrentes major difficultas, quasi quod, nihil eorum interesset, nihilque præjudicaret, cum præeminentia percuteret officium, non autem personas seu familias; Verùm quia adhuc apud ignaruum vulgus, id aliquam opinionem inducere, seu impressionem hujusmodi separationis facere posset, ob illam præsertim discretivam, inter dictos Priores æquè de jure nobiles, seu qualificatos, quod uni daretur hic titulus, alteri non idcircò rationabiliter hujusmodi innovatio prohibita fuit.

Dicebant autem dicti scribentes pro Consiliariis, plura concurrere fundamenta, ex quibus iste titulus *Nobilis*, Consiliarius deberetur, Primò scilicet, quod postquam de anno 1303. per *Naldum de Trincis*. expulsis popularibus, & plebeis, regimen Civitatis ad statum nobilem redactum fuit, tam in statutis, quàm in aliis actibus publicis & privatis, Consiliarius hoc adjectum seu titulus dari consuevit, ideòque inferebant ad juris receptam propositionem, quod in materia nobilitatis, ac præeminentiarum, deferendum est consuetudini, ut ultrà nota generalia, de quibus in proposito præeminentiarum *Gregor.* 4 *& Add. decis. 124. decis. 224. decis. 322. par. 6. rec. & frequenter*, in his specialibus terminis usus titulorum allegabant *Franch. decis. 207. num. 13. Caput. de regimine Reipublicæ cap. 1., §. 2. num. 8. cum sequen. Carpzov. Jurisprud. Eccles. lib. 2. tit 25. requisit. 417.*

Secundò quod Consiliarii successerunt loco Decurionum, atque idem significat Consiliarius, ac Decurio *glos. in l. 2. Cod. de Decurion. & filiis eorum lib 10.* 5 *ubi Joanne de Platea, Lucas de Penna, & cæteri, Amaya in rubr. eodem tit. nu. 5. & 23. Roland. cons. 90. num. 2. lib. 1. Loseus de jure universitatis par. 1. cap. 3. num. 9. cum sequen.*

Decuriones autem, quia sunt primates & principales Civitatis, idcircò nobiles dicendi sunt, *Amaya ubi supra num. 5 cum sequen.* ubi cæteri.

6 Tertiò quia ex statutis, & indultis Apostolicis, hujusmodi Consiliarii in pluribus casibus aliquam habent jurisdictionem, quæ præeminentiam importare dicitur, ideoque nobilitat, ex collectis *per Gurb. de succes. Feudorum prælud. 3. n. 8. & 9. & fere per totum.*

Et his addebam Ego scribens in contrarium, quod adduci etiam poterat, omnium melior & gravior auctoritas Evangelii, *secundum Marcum in passione Domini* ubi dicitur *Ioseph. Abarimathia nobilis Decurio.*

Respondentes ad non usum penè per sæculum, dicebant, quod cum ageretur de actibus facultativis, idcircò, juxtà generales satis vulgares, ac receptas 7 propositiones, de quibus *apud Post. de manut. obser. 58. & passim*, non datur non usus præscriptivus, & præjudicialis, nisi præcedente prohibitione, cum subsequuta acquiescentia, quæ stant loco possessionis; Et in specialibus terminis nobilitatis, & præeminentiarum, quod scilicèt majorum seu prædecessorum non usus non præjudicet successoribus *Fab. de* 9 *Ann. cons. 16. cum duobus sequen.* apud quem plenè concordantes *Capic. Latr. consult. 128. n. 24. cum sequen.*

Ego verò scribens in contrarium dicebam, alium esse usum affirmativum hujusmodi tituli seu adjecti, 10 alium verò negativum seu privativum, respectu aliorum; Quoad primam partem, quod scilicèt dicti Consiliarii possent hujusmodi titulum seu adjectum adhibere, dummodò tamen eadem facultas competeret aliis, qui vel ratione natalium, vel ratione graduum in litteris, seu armis, de jure nobiles dici possent eisque non prohiberetur, admittebam omnia præmissa, atque dabam manus; Sed punctus erat in hac discretiva seu privativa, ex qua aliis præjudicium, & quædam injuria resulta bat, ideoque vel iste titulus pariformiter omnibus, præsertim *Prioribus* nobilibus seu nobiliter viventibus, quamvis non de ordine Consiliariorum dandus erat, vel omnibus prohibendus; Probabilius autem dicebam respondendum esse pro prohibitione, cum hujusmodi, titulorum usus, tractu temporis, abusus & incon- 11 venientia causare soleat, ideòque meritò prohibendus nedum in actibus publicis, sed etiam in privatis - ut fuit practicatum in Hispania *per legem 26. tit. 1. lib. 4. recompilationum*. & in Regno Neapolitano *per pragmat. primam de titulorum abusu.*

Neque inconveniens est, ut in casibus, vel à jure communi, vel à municipali non decisis, ad aliarum di- 12 tionum seu provinciarum leges recurrendum sit *Jas. in l. de quibus ff. de legibus n. 6. Costant. in l. 1 Cod. de filiis officialium lib. 12. num. 36. Adden. ad Rovit. super pragmat. 2. de cessione bonorum vers. licet verè*, & scribentes *apud Prat. respons. criminal. 46. num. 53. cum sequen.*

Et de prohibenda nova assumptione nominum seu adjectorum, quoties alterius præjudicium, vel in- 13 conveniens resultare potest, cæteris allegatis habetur per Rotam *in Ampuriam. denominationis Capituli 20. Aprilis 1646 coram Meltio per text. in l. unica Cod. de mutatione nominum. ubi Cuias & alii.*

Illa præsertim considerationc accedente, quod cum illi de Magistratu particulari, & immediato constituto ex sex Prioribus, præcedentiam haberent supra Consiliarios, longeque maiores præeminentias, atque inter eosdem daretur ordo, quod primus præcederet secundum, maioremque dignitatem & præeminentiam haberet, & sic successivè, Utique absurdum, & inconveniens esset, qud secundus, vel tertius, sivè Prior novellus, qui est ultimus, ita magis honorificè 14 tractaretur, ob dictam inferiorem qualitatem essendi de consilio; Unde etiam si adesset consuetudo, illa reputare deberet corruptela, *ut per Abb. 21. num. 4. lib. 1. Greg. & Adden. dec. 310. num. 5. & 6.* Omnia enim quæ, vel ratione iurisdictionis, vel ratione publicæ administrationis ut suprà, dicuntur de iure, circa Consiliariorum seu Decurionum nobilitatem, utique magis congruunt Prioribus ac illis de Magistratu actuali, & immediato, maiorem iurisdictionem, magisque plenam & generalem administrationem publicam habentibus.

Atque alias esset dare, quod in facultate hujusmodi Consilii positum esset nobilitatem tribuere, ac nobiles constituere, privative ad alios, assumendo aliquem, licèt de iure non nobilem, ad munus Consi- 15 liarii in locum deficientis, cum nulla præscripta sit qualitas seu personarum ordo, ex quo assumi debeat: Et tamen facultas constituendi aliquem nobilem dicitur de Regalibus, ac reservatis Principi, ut *per Tiraquell. de nobilitate cap. 5. & 6. Chassan. in Catalogo glor. mundi 8 par considerat. 17. Patian. de probat. lib. 2. cap. 26. num. 33. cum seq.* & cæteri de materia remissivè collecti per *Borell. de præstant. Reg. Catholici cap. 4. num. 7.* ubi multa cum consueta eruditione ad materiam nobilitatis.

Quamvis enim in aliquibus Civitatibus, in quibus adest formalis separatio familiarum nobilium à popularibus, praxis doceat, per easdem familias cooptari seu aggregari de novo alias familias ad eandem nobilitatem, attamen id provenit, vel ex privilegio Principis, vel ex immemorabili consuetudine 16 quod privilegio æquipollet, vel, & probabilius

bilius ex quadam recognitione veritatis, ac debito justitiæ, quod scilicet ita illæ familiæ aliàs de jure, & intrinsecè nobiles concorditer & absque lite, admittuntur ad præeminentias & honores Civitatis sibi debitos, undè quando familiæ de novo per formalem aggregationem declarari cupiunt de tali ordine, id explicandum est, seu explicari solet cum dicto actu formalis aggregationis, ut fit in aliis locis, non autem per hujusmodi solos actus tacitos, & per solas intitulationes separatio seu discretio nobilium inducenda est.

Cæterum in hoc mihi videbatur procedi cum æ-
17 quivoco manifesto, quoniam aliud est considerare hunc titulum, seu adjectum *nobilis*, pro explicanda illa naturali qualitate, qua ratione natalium, vel gradus seu dignitatis persona polleat; Aliud verò, illum considerare tanquam honorificum adiectum ex quadam consuetudine adiici solitum, eo modo quo adiiciuntur alii tituli *Illustris, perlustris, spectabilis, magnifici* & simile; Quando adiicitur iuxta primam partem, tunc ex communi usu apponi solet à parte postea, apponendo à parte antea diversum titulum seu adiectum honorificum, quia nempè dicatur *Illustris, vel spectabilis Titius nobilis Romanus*, quia tunc ita designatur nobilitas personæ, & sic qualitas naturalis, Secùs autem si dicatur *nobilis Titius Civis Romanus*, sive absque alio adiecto, quia tunc ille dicitur titulus, eo modo quo est ille *Illustris seu perillustris, spectabilis, magnifici, honorandi*, &c: Atque in hoc consistebat æquivocum huiusmodi innovatorum, quoniam suscitare volebant quemdam titulum antiquitus usitatum, moderno autem tempore, in quo huiusmodi vanitates excreverunt, dimissum, utpotè inferiorem, minusque honorificum, quàm essent alii tituli, quos iidem innovatores offerebant aliis Civibus non Consiliariis, *Illustris*, scilicèt *perillustris*, & *magnifici* seu *messere* iuxta personarum ordines: isti enim sunt tituli longè maiores & honorabiliores.

De iure siquidem *Perillustriis* dicitur titulus maximus, conveniens Papæ & Imperatori, *ut ex Specul. & aliis Chassaneus in Catalog. glor. mundi par. 7. in prima secunda & tertia consideratione*, *Illustris* verò convenit Regibus, Præfecto Urbis, Præfecto Prætorio &
18 Cardinalibus *Chassan. ubi suprà Borell. de præstant. Regis Catholici cap. 41. num. 21. & 40.* ubi de Regibus Hispaniarum & Galliarum, *Spectabilis* verò titulus congruit Præsidibus Provinciarum, Præfectis Vigilum, Ducibus exercitus, & similibus Magistratibus maioribus, *ut per Chassaneum ubi suptà considerat. 4. & sequen.* quod in praxi etiam hodie servatur in Regno Neapolitano, ubi Principibus, Ducibus, Marchionibus, aliisque titulatis, etiam primi ordinis, & Hispaniarum primatibus, in iudicio datur titulus *Illustris*, atque Regentibus Cancellariæ, necnon Præsidi S. Consilii aliisque Superioribus Magistratibus datur titulus *spectabilis*.

Titulus autem *magnifici*, non videtur titulus iuridicialis & usitatus in iure communi, nostri autem volunt esse idem, ac *Illustris*, & alii etiam plus, *ut per Tiraquell. de nobil. cap. 8. num. 15. Mastrill. de magistr. tom. 2. lib. 5. cap. 3. num. 11.* praxis verò dicti Regni docet esse quid minus, utpotè tribui solitus Regiis Consiliariis, aliisque minoribus magistratibus ac etiam Advocatis, & privatis nobilibus qualificatis, qui vulgò *Equites* dicuntur, Prout titulus *ser*, seu *messer* iuxtà antiquum loquendi usum tribuebatur prius Regibus & Principibus maioris ordinis, deindè aliis Baronibus & Domicellis, & successivè iuxtà temporum corruptelas aliis inferioribus; Atque Ego pleraque vidi antiqua instrumenta, in quibus iste titulus *nobilis* dari solebat illis, qui aliquantulum se suprà plebeos sublevabant, civilibus verò seu nobiliter viventibus dabatur titulus *messere*, ille verò *magnifici* verè nobilibus primi ordinis Civitatis.

Et meritò, quoniam istud adjectum *nobilis*, verè
19 & propriè non denotat nobiliratem, tanquam nativam, seu acquisitam qualitatem, distinguentem à popularibus, & constituentem personam, in primo seu majori ordine Civitatis, sed tamquam denotans excellentiam, itaut eriam artificibus & mecanicis in suo exercitio excellentibus tribui soleat hoc adjectum *nobilis*, quinimò etiam animalibus ipsisque rebus inanimatis aliquam excellentiam habentibus, ex plene & eruditè collectis per *Tiraquell. de nobilitate caput. 2.*

Observando præsertim, quod in Sacris legendis, quæ in Breviario habentur super commemoratione Sanctorum, Sanctis Martyribus Cosmæ & Damiano ac Pantaleoni datur hic titulus *nobilis*, eos vocando *nobiles medicos*, & tamen licèt Doctoratus in medicina de jure etiam nobiliter, istaque professio noblibus etiam congruat, ut infrà *in Venusina* 20
præeminentiarum hoc eod. tit disc. 35. non est talis, quod singulariter ac discretivè ad professores aliarum scientiarum istum titulum exigat, sed benè adjicitur ratione excellentiæ in ministerio, eodem modo quo etiam pictoribus, statuariis, & similibus adjectus legitur, ut *apud Tiraquell. ubi supra.*

Ideoque concludendo, non negabam, quinimò admittebam, istam Civitatem habere nobiles, etiam qualificatæ nobilitatis, ejusque regimen esse nobilium, atque Consiliarios censendos esse nobiles, & sic admittebam hanc nobilitatem affirmativam; Sed dice- 21
bam punctum esse in negativa ejusdem qualitatis, seu adjecti in aliis familiis, quæ licet non sint de Consilio, adhuc tamen noblitatis nativæ vel dativæ præeminentiam de jure prætendere possunt; Rectè siquidem intrat argumentum affirmativum, est de Consilio, ergò est nobilis, non autem negativum, non est de Consilio, ergo non est nobilis, neque tale adjectum ei tribuendum est, Quoniam esset dare, quod si Magnates domicilium in ista Civitate contraherent, non essent nobiles, sed populares; Nisi ut dictum est, iste titulus, seu adjectum tribuatur tantùm ratione muneris, vel officii, quo casu nemini fit injuria, dummodò detur etiam dictis tribus Prioribus, qui habent actualem & majorem administrationem, indistinctè, spectato ipso officio in genere, non autem qualitate personæ, sivè sit de familiis vel personis de Consilio, sivè non.

Ut enim, distinguendo plures species nobilitatis, habetur *in dicta Venusina præeminentiarum hoc eod. tit. dis. 35.* Alia est nobilitas indefinita, & in genere, tanquam qualitas naturalis, seu acquisita, inhærens personæ ubicumque existat; Alia verò est nobilitas particularis requisita ad certum effectum, Utputà, juxta exemplum ibi deductum, Civitas Neapolitana regitur per sex plateas, quarum quælibet deputat unum Decurionem seu Priorem, ibi, *Electum* nuncupatum, quinque sunt nobilium, quæ ibi *sedilia* nuncupantur, in quibus respectivè solùm certus numerus familiarum adscriptus est, & sexta est reliqui populi in universum; Illi ergo de familiis adscriptis in dictis plateis, seu sedilibus, sunt nobiles, privativè, seu negativè ad alios nobiles, in ordine ad eam prærogativam intrandi in Consilium seu sedile, ac habendi votum activum & passivum in muneribus Civitatis, adeout si in eadem Civitate morarentur viri Illustres, ac primatiæ nobilitatis Europæ, non tamen essent, vel dici possent nobiles illius Civitatis, vel plateæ ad illos effectus, Sed non per hoc dici potest, quod generaliter, & in actibus indifferentibus, etiam in eadem

Civitate,

Civitate, illi tantum dicendi essent nobiles & Equites, & non alii, quamvis eamdem de jure habeant qualitatem, ita à pari, Ideoque punctus non est in affirmativa ipsorum, sed in negativa aliorum, ita ex dicta discretiva resultante, per quam ita quædam positiva injuria, seu nobilitatis exclusio resultare videtur; Ubi enim duo æquè nobiliter viventes idem Prioratus munushabent, cum pari jurisdictione & administratione, atque in publicis functionibus, uni detur titulus nobilis, alteri non, utique apud omnes cives, ac exteros oriretur argumentum, quod unus eorum sit nobilis, alter vero ignobilis, & popularis, atque in hoc versari dicebam punctum præjudicii, & inconvenientium, quibus cum dicta determinatione, prudenter ac justè consultum remanet, omnibus ita retinentibus propriam, nativam, vel dativam præeminentiam majoris, vel minoris nobilitatis, ut quilibet prætendit, vel sibi adulatur.

FOROLIVIEN

ADMISSIONIS

AD CONSILIVM

PRO

FRANCISCO MARIA SASSO,

CVM

CONSILIO CIVITATIS.

Casus disputatus in Sac. Consulta, & resolutus pro Consilio

Statuta Civitatum disponentia in locum Decurionis, seu Consiliarii defuncti, subrogari debere ejus filium, vel conjunctum habentem certas qualitates examinandas à Consilio, cui competat jus admittendi, vel rejiciendi, An sint præcisè arctativa, ita ut Consilio rejiciente concurrentem ex defectu qualitatum, detur appellatio seu recursus, talisque defectus formiter justificari debeat nec ne, Et quid ubi duo adessent Consilia, unum particulare, alterum generale, rejectio autem fiat à particulari. An detur recursus ad generale.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *An statuta demandantia admissionem personarum habentium certas qualitates sint arctativa vel facultativa.*

3 *Quando judicium rejicientium non possit convinci.*

4 *Datur alia distinctio in materia.*

5 *Electio seu admissio ad Magistratus, & officia Civitatis pertinet ad totum populum seu consilium generale.*

6 *Aliud est proponere, seu nominare, aliud vero eligere seu deputare.*

7 *Quod à rejectionibus detur appellatio.*

8 *De praxi Religionis Hierosolymitanæ.*

9 *Datur differentia inter dictum Religionem, & alios casus.*

DISC. XXXI.

1 VLtra ordinarium Magistratum penès quem residet actualis, & immediata Administratio Communitatis, constitutum ex modico numero aliquorum, qui *Conservatores* nuncupantur, alicubi verò *Priores, Antiani, Electi, vel Deputati, &c.* & qui in jure, *correctores* seu *defensores* dici solent, quorum officium ad breve tempus aliquorum mensium durat; Duplicem alium habet Magistratum Civitas *Forolivien*, quorum utrumque *Consilium* nuncupatur, Unum generale constitutum ex 120. circiter Decurionibus seu Consiliariis, quorum aliqui ordinarii, alii extraordinarii dicuntur, totius populi representativum, & cui competit facultas explicandi ea, quæ de jure à toto populo seu generali Consilio explicanda sunt, Alterum verò parvum seu particulare, quod ad differentiam primi, secretum nuncupatur, constitutum ex 21. Consiliariis, ad quod ex legibus seu statutis Civitatis pertinet discutere & examinare ea, quæ in Consilio generali proponenda sunt, & an expediat ea proponere, discutiendo justificationes, & alia requisita ad negotii determinationem necessaria.

Cum autem ex iisdem legibus, seu statutis dispositum sit, ut deficiente aliquo ex Consiliariis, quorum munus est ad vitam, proponatur prius in Consilio secreto, deinde verò in generali, an filius, vel in istius defectum alter conjunctus, qui sit major 25 annorum atque prudentia, moribus, vita, & probitate, aliisque partibus præditus in locum patris, vel conjuncti defecti admittendus sit, vel rejiciendus, prout majori parti visum fuerit; Atque mortuo Hieronymo Saxo Consiliario absque prole, Franciscus Maria de eadem familia, atque in filium quoque, privata tamen auctoritate adoptatus instituisset apud Consilium secretum pro admissione, sed rejectus, eique denegata esset propositio suæ personæ in Consilio generali; Hinc iste recursum habuit ad S. Consultam, petendo injungi dicto Consilio particulari, ut eũ ad formam statutorum proponere deberet in Consilio generali, cujus judicio, non autem illi ipsius Consilii particularis acquiescere tenebatur, sed ejus petitio rejecta fuit, concesaque nova audientia cum magis formali disputatione, perstitum fuit in decisis, Atque mihi pro hac parte recurrente in secunda tantùm disputatione scribenti, reflectendo ad veritatem, resolutio non improbabilis visa est.

In prima igitur disputatione, tam per scribentes hinc indè, quàm per judicantes processum fuit cum solis terminis quæstionis disputatæ *in Bononien. aggregationis ad Collegium coràm Merlino* inter suas *decis.* 832. & 882, & in altera earum revocatoria coram *Ghislerio decis.* 180. *par. 9, rec.* in quibus disputatur, an 2
statuta disponentia de cooptatione, seu admissione ad collegium vel aliam Universitatem personæ certas qualitates habentis, sint arctativa & obligatoria vel potius voluntaria, & facultativa, ita ut facultas rejiciendi pendeat à mera voluntate, vel potius ab arbitrio boni viri, à jure seu justa causa regulando, à quo detur appellatio, vel recursus ad Superiorem, & in primis decisionibus firmatur illa esse arctativa, juxtà hanc secundam partem, in ultima verò ab eis recedendo deciditur contrarium.

Et hæc ultima resolutio, quoties non datur probatio, vel vehemens fumus odii & malevolentiæ, seu omninò irrationabilis judicii, probabilior mihi videtur, quando ad hujusmodi cooptationem, seu admissionẽ, 3
ultrà qualitates naturales invariabiles, in quibus nec meremur, nec demeremur, aliæ desiderantur qualitates respicientes vitam & mores aliasque animi dotes, Quoniam super eis satis difficile, ac penè impossibile

est convincere judicium respuentium de irrationabilitate juxta universalem praxim, cum hujusmodi notitiæ, per secretas, ac extrajudiciales informationes haberi soleant, per quas multa scimus, quæ in judicio probari non possunt, vel quatenùs possint, non expedit, ob multa inconvenientia, quæ exindè aliàs resultarēt, ut in terminis aggregationis alicujus presbyteri vel clerici nationalis ad Capitulū seu massam alicujus Ecclesiæ receptitiæ habetur actum *in Reggien. Consortii sub tit. de Canonicis & Capitulo*, ubi de hujusmodi materiis capitularibus, ideoque satis difficile est reducere ad praxim justificationem gravaminis.

Aliud enim est, ubi provisus in titulum de loco in Collegio, putà de Canonicatu vel Dignitate in Capitulo cum similibus, petit admissionem perneccsse sibi debitam de jure, eatenùs denegandam, quatenùs obstaret aliqua prætensa inhabilitas, quæ proindè deducenda per viam objecti, utpotè non justificanda ex parte provisi, cui sufficit justificare narrativam litterarum, formiter probanda est per opponentem, ut satis frequens & quotidianum habemus in Rota in materia beneficiali; Aliud verò est agere de admissione non habentis titulum, sed solùm certas qualitates, nedum naturales, seu accidentales, quarum verificatio ipsorum admittentium judicio remissa est, cum tunc non docto, ut dictum est, de odio & irrationabilitate, non videatur aliàs practicabile ut latius *in dicta Reggien. consortii.* 4

Dicebam verò scribens in causa tanquam Advocatus, dictam quæstionem, præmissaque omnia extranea videri à casu, quoniam non agebatur de recursu habito ad superiorem à reiectione facta per universum Collegium vel corpus, ad quod pertinet admittere, vel rejicere, qualis erat casus dictatum decisionum *Bononien*, ac etiam alter *in dicta Reggien.* sed agebatur de denegata propositione in Consilio generali, in quo residet populi seu Civitatis potestas, admittendi, vel reiiciendi, non competens dicto Consilio parvo seu particulari, quod ita sibi assumeret potestatē directè reiiciendi, cum denegatione propositionis. 5

Quod enim electio ad Magistratus & Decurionatus aliaque publica Civitatis officia, non spectet ad Magistratum, seu Consilium particulare, seu ad totum populum, vel ad Consilium generale totius populi representativum, quodque aliud sit nominare, aliud velle eligere probat *text. in l. 2. Cod. de Decurionibus lib. 10.* per quem cæteris antiquioribus allegati ita firmant *Avendan. de exequen. mandat. lib. 1. cap 19. n. 23. Aponte de potestate Proreg. tit. de abundantia Civitatis § 1. n. 6. cum sequen. Capobl. de Baron. tom. 2. c 72. Rovit. super pragm. 2. de Administr. Universitatum*, ubi solùm limitat ex contrasia consuetudine.

Quodque aliud sit proponere, aliud verò eligere, vel reiicere, diversusque sit Magistratus ad quem pertinet convocare & proponere, ab eo, ad quem pertinet determinare probat text. *in d. l. 2. Cod. de Decurion. lib. 10.* ibi, *Magistratus Decurionibus solemniter convocatis nominationem ad certa munia faciant*, ubi *glos.* verbo *faciant*, notat, quod electio, non per Magistratum convocantem & nominantem, sed per decurio nes convocatos facienda est per text. *in l. 1. §. silent ff. quando appellandum sit*, qui textus benè probat, quod Ordo est ille, qui eligit, non autem præses vel alter qui Ordini proponit, Et quotidiè practicamus in Religionibus habentibus quoddam Consilium particulare, *diffinitorium* nuncupatum, ad quod pertinet examinare negotia proponenda in Comitiis seu Capitulo generali seu provinciali, ad quod utpotè universæ Religionis vel provinciæ representativum pertinet ius determinandi, & statuendi. 6

Et quod ab hujusmodi rejectionibus filiorum vel attinētium Decurionis seu Consiliarii defuncti concedatur appellatio, expressè dispositum habetur *in d. l. 2. Cod. de Decurion. lib. 10. & l. unic. Cod. de petitor. ad munera nominan. eod. lib. 10.* & docet quotidiana praxis in Sac. Religione Hierosolymitana, in qua volente aliquo admitti ad habitum militarem justitiæ, prius illius qualitates & requisita examinantur in Assemblea particulari proprii Prioratus, deinde de hoc agitur in Consilio ordinario, istoque gravante, recurritur ad Consilium completum, à quo etiam appellatur seu recursus habetur ad Capitulum generale, ac etiam demum ad Summum Pontificem & Sedem Apostolicam, ex iis, quæ habentur in pluribus Melevitanis *hoc eod. tit.* & hunc respectivè dicebam esse casum, quasi quod Consilium particulare, vel secretum comparandum esset Assembleæ, in cujus potestate repositum non est aliquem ab habitus assequutione rejicere. 8

Verùm reflectendo ad veritatem, termini videbantur similes, quoniam in dicta Religione, cum ut plurimum admittendi sint pueri vel adolescentes, in quibus non quæritur de animi dotibus aliisque partibus personalibus, sed principaliter insistitur super naturali qualitate nobilitatis, & puritatis sanguinis formiter justificanda per probationes publicas & processus, idcircò non intrat dicta ratio extrajudicialium informationum & notitiarum, & successivè altera impracticabilitatis, seu inconvenientium ut suprà, undè non benè ab uno casu ad alterum arguere licèt, Ac etiam quia in dicta Religione statuta sunt arctativa, ita ut in ejus facultate non sit denegare habitum justitiæ illis, qui benè & concludenter probant nobilitatem generosam cum puritate sanguinis, aliisque requisitis per stabilimenta, quod secùs est in istis casibus, in quibus hujusmodi statuta verius sunt facultativa potiùs quàm arctativa, præsertim verò istud individuale statutum, quod præsupponit qualitates utsuprà ab eo desideratas, & tamen hoc non obstante reponit in arbitrio Consilii generalis admittere vel respuere, & sic termini non videbantur æquales, unde propterea resolutio non improbabilis visa st, quoniam cessante probatione vel vehementi fumo odii & malevolentiæ, seu irrationabilitatis ob alienam complacentiam, ita docet communis praxis, atque aliàs materia videtur impracticabilis, tam in Communitatibus Civitatum, quàm etiam in Collegiis scientiarum & piarum quoque Societatum & Congregationum cum similibus, dum maxima pareret inconvenientia, & scandala necessitas publicandi, & probandi causas exclusionis ob animi defectus, ut latiùs *in dicta Reggien. Consortii.* 9

MELEVITANA

SEU

VALENTINA HABITUS

PRO

FELICE DE MIRO

CUM

RELIGIONE HIEROSOLYMITANA.

Casus decisus per Rotam pro Felice.

De nobilitate generosa necessaria ad habitū militū Justitiæ Religionis Hierosolymitanæ quomodo

quomodo probari debeat, & quatenus juxtà consueta requisita probata sit, An illi obstet seu præjudicet qualitas patriæ, quia nempè sit parvus locus, seu Baroalis, sivè quod non habeat separationem Nobilium à popularibus; Et de civibus honoratis Hispaniæ, An dicantur habere nobilitatem generosam sufficientem ad hunc habitum obtinendum; Et incidenter de qualitate Baronali, seu infeudatione plurium nobilium Civitatum & locorum Regni Neapolitani aliorumq; regionum, quod nobilitati præjudicare non debeat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quot laterum, nobilitas requiritur pro habitu militum justitiæ in Religione Hierosolymitana.*
3 *Resolutiones causæ.*
4 *Ejusdem causæ exitus.*
5 *Quid expediat ubi canonizata est nobilitas per viam judicialem invita Religione.*
6 *Sententiæ ejusdem Religionis attenduntur super nobilitate.*
7 *Quomodo probetur nobilitas ad effectum habitus.*
8 *Generaliter nobilitas probatur per testes de publica voce & fama & communi reputatione.*
9 *Locus in quo non adsit formalis separatio nobilium, non causat nobilitatem generosam.*
10 *Summa felicitas est nasci in Civitate, atque ita facilius probatur nobilitas.*
11 *Sed etiam nobiles nascuntur, & incolatum habent in Villis, & obscuris locis.*
12 *Quare libentius nobiles vivant in Villis quàm in Civitate.*
13 *Declaratur propositio, de qua num. 11.*
14 *Datur distinctio plurium specierum nobilitatis*
15 *Identitas familiæ probanda est cum descendentia ab eodem stipite.*
16 *Datur distinctio circa probationem dictæ identitatis,*
17 *Identitas familiæ probatur per publicam vocem & famam & adminicula & quando.*
18 *Chronistis in hac materia deferendum est.*
19 *De Civibus honoratis Hispaniæ reputandis pro militibus, de quibus intelligatur.*
20 *De Idalghis Hispaniæ.*
21 *Usus antiquus Insignium confert ad nobilitatem.*
22 *Matrimonia & parentelæ cum nobilibus probant nobilitatem.*
23 *Quid de nominatione, seu imbussulatione ad officia nobilia licèt non obtenta.*
24 *In dubio pro nobilitate.*
25 *De loci infeudatione, seu Baronali qualitate non præjudicante nobilitati, & de pluribus Civitatibus, & locis nobilibus Regni Neapolitani infeudatis, ac origine, seu occasione tam frequentium infeudationum.*

DISC. XXXII.

1 Atenta per Felicem De Miro Valentinum volentem suscipere habitum militum justitiæ in Religione Hierosolymitana, deputatione Commissariorum ad recipiendas probationes nobilitatis generosæ, aliorumque requisitorum, quæ per ejusdem Religionis stabilimenta desiderantur. & cujus nobilitatis probatio justificari debet per quatuor latera, paternum scilicet, maternum, & utriusque aulæ paternæ & maternæ; Commissarii prædicti captis informationibus, duo ex dictis lateribus approbarunt, paternum scilicèt *de Miro*, & aviæ maternæ *de Ayala*, utpotè ordinis Equestris, ac certæ & notoriæ nobilitatis, improbarunt verò maternum *de Audimet*, & aviæ paternæ de *Alberola*, sub eo fundamento, quod probationes circà latus de *Audimet* concluderent solam qualitatem *Civium honoratorum*, ad hujusmodi nobilitatem minùs idoneam, quia licet in hoc Regno Valentiæ, illi qui dicuntur *Cives honorati* reputentur nobiles, etiam nobilitatis generosæ, & sufficientis ad hujusmodi habitus militares, ad quos admittuntur, Nihilominùs hujus Religionis opinio est, id solùm intelligendum esse, de illis civibus honoratis, qui vulgò nuncupantur *dell' Immemorabile* seu *della Conquista*, ita nuncupati ad solam differentiam superioris ordinis Equestris; Secùs autem quoad eos cives honoratos, qui ita dicantur, quia civiliter seu nobiliter vivant, ad differentiam artificum, colonorum, aliorumque plebeorum.

Et quoad alterum latus *de Alberola*, admittebant probationes concludere nobilitatem cum suis requisitis necessariis, sed dicebant obstare qualitatem patriæ originariæ; quæ præsupponebatur Villa Baronalis *Xabea* nuncupata, non habens formalem separationem familiarum nobilium à popularibus, ut est ejusdem Religionis opinio, præsertim cum esset locus Baronalis ab hac Religione abhorritus, quories in antiqua possessione admissionis ad hunc habitum non reperiatur.

Cumque dictum Commissariorum judicium ipsa Religione comprobatum esset per duas conformes utriusque Consilii, Ordinarii, & Completi, Hinc ab istis interposita per Felicem apellatione, & commissa causa *in Rota coram Celso, previa decis. 26. Junii 1658. impress. inter suas decis. 266.* prodiit sententia Felici appellanti favorabilis super canonizatione suæ generosæ nobilitatis ad hunc habitum sufficientis, quæ sententia in secunda instantia confirmata fuit *coram Albergato* præviis tribus decisionibus *16. Januarii, 30. Aprilis & 20 Junii 1660.* ac etiam in tertia *coram Verospio* prævia unica decisione 29. *Novembris ejusdem anni 1660.* Quia verò etiam adversus tres conformes Religio recursum habuit ad Signaturam Gratiæ pro nova commissione sub *Alexandro VII.* Atque penè incredibile est quantum acriter Religio in ista causa se opposuerit ex fundamento malæ introductionis ac status præjudicialis in universum super habilitatione hujusmodi *Civium honoratorum*, Idcircò consulente ipsomet Pontifice, qui ob munus Inquisitoris in Insula per longum tempus in minoribus exercitum, erat in moribus Religionis nimium versatus, ob infelicem scilicet statum illorum, qui contrà sensum Religionis per viam judicialem ad habitum admittuntur; Hinc proinde oblata per eumdem Pontificem dicto Felici satis congrua & honorifica provisione cujusdam Canonicatus seu Dignitatis, ita me aliisque ejus defensoribus quoque consulentibus, dum per tot decisiones & sententias suæ indemnitati jam consultum remanebat, mutando statum prosecutus non est habitus susceptionem, unde fuit victoria sine effectu, & quem exitum pluries practicavi in similibus controversiis, quod scilicet rejecti per Religionem, obtenta in gradu appellationis per Rotam suæ nobilitatis canonizatione, ac declarata injusta rejectione, uxorem duxerunt seu aliàs habitum suscipere non curarunt, ita successoribus viam paratâ relin-

relinquendo, cum reverà nimis infœlix de facto sit conditio ingredientium per hanc portam.

In his autem disputationibus actum solùm fuit de dictis duobus lateribus rejectis, præsuppositа nobilitate aliorum duorum laterum, utpotè canonizatorum per sententias ipsiusmet Religionis in proposito attendendas, *ut apud Buratt. dec. 357. num. 13.* Quare de
6 dictis duobus aliis distinctè agendo, quatenus pertinet ad primum *de Alberola*, per testes deponentes de publica voce & fama, & communi reputatione constabat concludenter istos *de Alberola* semper vixisse à tempore immemorabili cum decore & splendore, nullam artem penitùs exercendo, eosque fuisse habitos & reputatos pro Idalghis & nobilibus cum
7 insignibus notoriis ab eodem immemorabili tempore usitatis, quam speciem probationis sufficere pro habitu justitiæ in hac militia firmatur apud *Cavaler. dec. 68. Buratt. dec. 357. Merlin. dec. 167. Duran. dec. 294. dec. 248 & 290. post secundum volum. cons. Farin. dec. 551. par. 4. rec. & in aliis*, & præsertim in dictis decisionibus coràm *Merlino & Durano* agitur de *Idalghis Hispaniarum* cum aliis in hujus causæ decisionibus.

Et generaliter quod nobilitas probetur per testes de publica voce & fama & communi reputatione *Bart. in l. 1. num. 101. Cod. de dignit. lib. 12. Felin. in cap. super eo il secundo num. 5. de testibus, Covarr. lib. 1. var. cap. 16. num. 19. Menoch. de arbitrar. casu 170. num. 4. Seraph. dec 207. num 5. Mantica dec. 317. num. 2. Capic. Latr. consuls. 129 num. 32.*

Non impugnabantur hæc per Religionem, ac scribentes pro ea, sed residebat difficultas in qualitate loci, à quo supponebatur hujusmodi familiam originem trahere, à dicta Villa scilicet Baronali *De Xabea* non habente formalem separationem nobilium à popularibus, qua cessante, hujus Religionis mos est
9 non reputandi nobilitatem generosam ad hujusmodi habitum necessariam, ut habetur *apud Rojas dec. 148.*

Pro hujusmodi objecto removendo, scribens pro Felice plures dabem responsiones, Primò scilicèt, quod licèt prima fœlicitas sit nasci in Civitate, quod-
10 que longè facilius nobilitas probetur per incolas Civitatum, quàm per illos Oppidorum seu Villarum, *ut apud Tiraquell. de nobilit. cap. 12. in principio, De Marin. resol. 146. lib. 1 num. 3.* Nihilominus hæc est quædam mala præsumptio exigens majorem ac duriorem probationem, non tamen dici potest præsumptio juris & de jure, seu qualitas præjudicans nobilitati, quæ aliàs verà & legitimè probata sit, ut advertitur etiam *apud Rojas dicta decis. 148.* quoniam deficiens separatio nobilium à popularibus, reddit quidem longè difficiliorem hanc probationem, magis rigorosè desiderari solitam; Idemque ubi agitur de loco Baronali quamvis dictam separationem habente ob siniſtram suspicionem, non tamen tollere potest veritatem, ubi adest.

Ad id probandum adducebam Sacram legendam Breviarii in die commemorationis *S. Benedicti*, qui dicitur *Nursiæ nobilibus parentibus ortus*, cum tamen supponatur dictum locum hujusmodi separationem non habere, Ac etiam ponderabam ea quæ dicuntur per *Octavium Martheſium* antiquum, aliqualiter tamen maledicum Scriptorem Neapolitanum super familiis illius Civitatis luci proditum *per Borell. in defensione earumdem familiarum*, ubi in proemio agendo de moribus Germaniæ, & Galliæ, dicit multas nobiles & generosas familias abhorrere vitam in Civitati-
12 bus, ubi utpotè legibus magis rigorosè subjecti, quandam quodammodo æqualitatem cum popularibus pati coguntur, licentius viventes in villis & castris, ubi naturalem libertatem facilius exercent, ab illo obscuro & ignobili populo quamdam subjectionem ac servile vasallagium quodammodò exigentes, sequendo dictum *Iulii Cæsaris* relatum per *Tiraquell. de nobilit. cap. 12. num. 2.*

Verum reflectendo ad veritatem, de his fundamentis valdè dubitabam, quoniam quatenus pertinet ad exemplum *S. Benedicti* per sacram legendam, designatur quidem locus materialis nativitatis acciden- 13 16
taliter tamen, quia parentes, vel tanquàm Domini loci, vel ex alio accidenti ibi moram traherent, ut de pluribus Regibus & magnis Principibus habemus in villis & obscuris locis ortum habentibus, Potissimè quia Sacræ Scripturæ mos est titulum nobilis non attribuendi viris privatis, sed solùm illis, qui locorum Domini & de Magnatitio ordine essent; Idemque ponderabam, quoad dictum usum Germaniæ, & Galliæ, aliarumque regionum, vel quia scilicet personæ aliàs nobiles in hujusmodi villis & obscuris locis vivant occasione dominationis eorumdem locorum in feudum, vel allodium, Vel quia eorum majores talem dominationem habuerint, sed postmodum amiserint, non intermissa habitatione, ut exemplificari potest in illis de familia *Iustiniana* adhuc viventibus in Insula *Chiensi*, cujus dominationem ante Turcarum occupationem habuit cum similibus, Vel quod nobiles Civitatis ob dictam vivendi libertatem, ob alia accidentia, incolatum in hujusmodi locis elegerint. Quibus circumstantiis cessantibus penè impossibile est, ut absque plebeorum mixtura nobilitas generosa per quatuor latera perfici, & conservari potuerit.

Licet enim nullus ferè videatur locus in quo de facto non adsint personæ nobiles, vulgò nuncupatæ *Gentilhuomini*, Nihilominùs ista dicitur quædam privata nobilitas localis discretiva ad ignobiles & plebeos, ad effectum obtinendi quædam officia, & ho- 14
norificentias plebeis incongruas; Sive ad effectum obtinendi exemptionem à muneribus personalibus & sordidis, ad quæ de jure soli-populares tenentur. Sivè ad effectum obtinendi exemptionem à pœnis ignominiosis, putà furcarum, triremium, vel fustigationis, cum similibus ad quos effectus sufficit etiam nobilitas artificialis seu quæsita per gradus in litteris vel in armis, juxtà ea, quæ de hujusmodi ordinaria & inferiori nobilitate habentur *in Venusina præemmentiarum hoc eod. titulo disc. 35.* Ac etiam *in Fulginaten. disc. 30.* super nobilitate resultante ab officio Decurionis, seu Consiliarii, cum similibus, secùs autem ad effectum nobilitatis generosæ, quæ pro hoc habitu militari necessaria est.

Quare solidum ac tutum videbatur motivum à Rota admissum, quod hæc familia descenderet à familia *Alberolæ* Regni Aragoniæ, in hoc loco remansa occasione recuperationis hujus Regni Valentiæ per Regem Aragoniæ cum militibus Aragonensibus & Catalanis, quorum magna pars, Mauris expulsis, ibi remansit, & domicilium contraxit, ob distributionem eis ab eodem Rege factam de bonis recuperatis à dd. Maurorum manibus.

Non negabatur ex parte Religionis certa & notoria nobilitas generosa dictæ familiæ *Alberolæ* in Aragonia, sola verò quæstio erat facti super identitate, quam scribentes in contrarium contendebant probandam esse cum descendentia ab eodem stipite ex 15
collectis per *Menoch. cons. 1171. Otthob. dec. 151.* & frequenter in materia fideicommissaria seu altera jurispatronatus præsertim *dec. 71. cum pluribus sequen.* & *139. post Vivianum. de Iurepatronatus*, ad effectum succedendi in fideicommisso, majoratu, vel

jure-

jurepatronatus ordinato pro illis de familia ut *dicto tit. de fideicommissis in Romana primogenituræ de Capisucchis*, ubi ex professo de hac materia identitatis familiæ ad diversos effectus.

Ad hoc objectum diluendum, ac tollenda æquivoca, quæ ob varietatem auctoritatum & decisionum in proposito de facili sumi videntur, dabam scribens in ista causa easdem casuum distinctiones ponderatas in discursu edito pro veritate in dicta *Romana primogenituræ de Capisucchis sub tit. de fideicommiss.* 16 Quod scilicèt, aut agitur de hujusmodi probatione ad effectum succedendi in fideicommissis, primogenituris, & majoratibus ordinatis ad favorem illorum de agnatione & familia, vel effectiva, ut in dubio est præsumptio, vel etiam contentiva, Et tunc juxtà ibi latiùs deducta, admittebam, probationem de publica voce & fama cum solis adminiculis genericis resultantibus à similitudine cognominis & insignium non sufficere; Idemque admittebam procedere in juribus honorificis, in quibus licèt non agatur de interesse bursali & successivè de successione in juribus, adhuc tamen continetur tertii præjudicium, ideoque strictius proceditur, cum onere tamen majoris vel minoris probationis concludentis, prout subjecta materia seu ratio præjudicii alterius, pro judicis prudenti arbitrio postulat, ut sunt juspatronatus, in cujus terminis agitur *in decisionibus post Vivianum*, ac habetur actum in sua materia *sub tit. de turepatronatus* præsertim in *Pistorien.* & in aliis; Sivè ubi agitur ad effectum admissionis ad sedilia, aliosque publicos honores Civitatis, quibus illa familia gaudet juxtà casum disputatum *per Capyc. latr. consult. 128. cum sequen.* cum aliis in dicta *Romana primogenituræ de Capisucchis.*

Aut demum de hoc agitur ad solum effectum honorificum alterii in specie non præjudicialem, prout est iste admissionis ad habitus militares, seu alterius canonizationis nobilitatis in genere pro solo adimplemento requisiti ad id necessarii, seu justificatione qualitatis, absque eo quod jus alterius proximè lædatur, ut læditur in casibus præcedentibus, Et tunc, aut allegans hujusmodi identitatem, non benè & concludenter probat ejus generosam nobilitatem de perse, & independenter à colonello seu familia alibi existente, sed ab istius nobilitate suam quoque ex sola ratione identitatis deducere prætendat, & isto casu identitatem magis concludenter & rigorosè probare debet, quia est principale fundamentum suæ intentionis.

Aut, ut in præsenti, familia unius loci de perse, & independenter ab altera in alio loco commorante, benè & concludenter probat ejus generosam nobilitatem, solùm verò obstat objectum resultans à mala qualitate loci originis vel domicilii, unde propterea, non pro fundamento intentionis, ac formali probatione nobilitatis, sed illa benè probata, pro sola remotione objecti, allegetur incolatus in obscuro loco occasionaliter, cum origine seu dependentia à familia in Civitate existente, & tunc, cum sensu etiam veritatis, dicebam sufficere probationes in ista causa factas, tàm coram Commissariis Religionis, quàm postmodum in Curia de communi fama & reputatione, ac antiquis traditionibus, concurrentibus etiam adminiculis indentitatis nominis & insignium, ob quam 17 de facili identitas familiæ præsumitur, cum descendentia ab eodem stipite, licèt loci vel provinciæ diversitas concurrat, quoties utraque pariformiter in statu nobili vivit & existit. *Aretin. cons. 37. num. 1. circa medium Calcan. cons. 8. n. 2. & cons. 9. Menoch. lib. 6. præsumpt. 15. num. 48. Fabius de Anna cons. 88. num. 1. Gratian. discept. 645. num. 16. Paleaz de majoratu quæst. 7. num. 88. Escobar. de puritate sanguinis quæst. 16. §. 2. num. 8. Capyc. latr. consult. 129. num. 46. & seq. & num. 39.* ubi in specie consideratur ista circumstantia, quod utraque respectivè nobiliter vivat, itaut non obstet mala præsumptio ignobilitatis, sivè satis diversi status, quæ identitatis probationi obstare solet, juxta casum, de quo in dicta *Pistorien. jurispatronat. sub tit. de jurepatr.*

Maximè ubi ultra dictum adminiculum resultans ab identitate nominis & insignium, accedit alterum proximum & verisimile, quod aliquis de familia unius loci originaria alibi occasionaliter radices emiserit, ut in præsenti benè verificabatur, ob dictam occasionem militum Aragonensium, qui eorum Regem pro expulsione Maurorum comitati fuerunt, ibique remanserunt, ut communiter testantur Hispani chronistæ, quibus deferendum esse in specie nobi- 18 litatis seu identitatis familiæ habetur apud *Fab. de Ann. cons. 88. n. 67. & 33. & per Rotam in Auximana sepulturæ de Cimis 28. Maij 1646. coram Arguelles*, atque reverà quoad istud latus Agentes pro Religione quodammodò dabant manus.

Major igitur, ac penè tota difficultas fuit circa alterum latus de *Audimet*, dum probationes concludebant solùm qualitatem *Civis honorati*, quam ut suprà acriter contendebatur in proposito non sufficere ad nobilitatem generosam pro hujusmodi habitu militari necessariam, quamvis sufficeret ad alios effectus 19 contradistinguentes nobiles à popularibus, nisi justificaretur alterum jam dictum requisitum, quod esset de illis antiquis civibus vulgò nuncupatis *dell' Immemorabile* sivè *della Conquista*, de quibus dicebatur intelligendos esse *Fontanell. decis. 211. & Leon. dec. 9. lib. 3.* cum aliis apud eos, & quorum civium honoratorum species ad hujusmodi habitum admitti consuevit.

Evitabatur tamen ista difficultas ex eo, quod non constitueretur fundamentum in hujusmodi sola qualitate *Civis honorati*, quoniam etiam per probationes factas coram Commissariis, melius verò per alteras factas *in Curia, & in Rota*, justificabatur istam familiam ex communi fama & reputatione censeri *Idalghos* notorios ex sanguine & armis cognitis, cum ista qualitas *idalghos* denotet in Hispania nobilitatem generosam ex deductis per *Otalor. de nobilitate par. 2.* 20 *cap. 3. num. 1. cum sequen.* Et de *Idalghis* habetur apud *Merlin. decis. 167. & Duran. decis. 294.* Concurrentibus etiam aliis adminiculis, illo præsertim probati antiqui & centenarii usus armorum seu insignium, qui satis confert ad probationem nobilitatis generosæ, 21 etiam attentis ejusdem Religionis stabilimentis, ut apud *Merlin. dicta decis. 167. & dec. 290. post secundum volum. cons. Farin. num. 9,*

Accedentibus quoque aliis adminiculis, illo scilicèt resultante à pluribus matrimoniis per illos de hac 22 familia contractis cum familiis nobilibus, ut observat *Rota dec. 504. num. 9. par. 1. recent. & 248. num. 1. post 2. volum. consil. Farin. Capyc. Latr. dicta consul. 128. in fine*, Et altero magis proximo & stringenti, quod Michael abavus concurrisset ad officium justitiæ, satis in eo Regno conspicuum, & non nisi qualificatis nobilibus conferri solitum.

Licèt enim opponeretur, quod solus concursus sine obtentione & exercitio non sufficiat, Replicabam tamen objectum procedere, quando ista circumstantia deduceretur pro principali fundamento & probatione, secùs autem ubi pro adminiculo aliarum probationum, quoniam etiam sola imbussulatio, seu no- 23 minatio ad hujusmodi officia nobilia magnum est

nobilitatis adminiculum tanquam ſpecies habilitationis, & quia non niſi nobiles & qualificati ad ea nominari ſeu imbuſſulari ſolent, ut ex *Bart. in l. matriculam num. 3. Cod. de agentibus lib. 12. & alijs Fab. de Ann. conſ. 80. n. 7. & conſ. 94. num. 1. cum ſequen.*

Accedente etiam juris propoſitione, ut in dubio pro nobilitatis canonizatione ſit reſpondendum *Bald. conſ. 189. lib. 2. in fine Menoch. conſ. 227. num. 1. cum ſequen. Revit. conſ. 83. nu. 9. & 10. lib. 1. & conſ. 32. num. 8. lib. 2. Fab. de Ann. dicto conſ. 80. num. ultimo & conſ. 88. n. 39. Rota apud Cavaler. dec. 440. in fine.* Non tamen hæc ſatisfaciebant Agentibus pro Religione, ex eo quod id concluderetur ex probationibus factis in Curia magis quàm coram Commiſſariis, unde illas habebant nimium ſuſpectas, juxtà iſtius Religionis conſuetudinem non admittendi alias probationes, niſi illas, quæ fierent per ejus Commiſſarios.

Quia verò inter objecta quæ ut ſupra dabantur lateri de Alberola, erat illud qualitatis patriæ, Tum ex eo quod eſſet parvum Oppidum non habens formalem ſeparationem nobilium á popularibus, Tum etiam quia eſſet locus infeudatus, & Baronalis; Hinc proindè pro hujuſmodi etiam objecto removendo, cum non adeò diſtinctam haberem notitiam morum Hiſpaniæ, vel reſpectivè ſingularum ejus provinciarum, ad convincendum hanc erroneam opinionem, adhibebam ea quæ in praxi habemus in Civitatibus, Oppidis, & locis quamvis generoſam nobilitatem producentibus in Regno Neapolitano, quæ infeudata ſunt & Baronalia, non tamen iſta accidentalis qualitas, antiquæ ac nativæ nobilitati præjudicare debet.

Poſtquam etenim translato Romano Imperio in Orientem, ejuſque ſede ſub Conſtantino Magno in Conſtantinopolitana Civitate conſtituta, ob tot barbarorum incurſiones, illud in his partibus occidentalibus, præſertim verò in Italia ſciſſum eſt, ejuſque memoria penè abolita fuit, exindè contigit, quod in provinciis ſeu regionibus ex quibus conſtitutum eſt illud Regnum, quod aliàs Siciliæ citrà Pharum, ſeu Apuliæ, nunc Neapolitanum nuncupatur, plura dominia exorta fuerunt, in quibus ſive juxta unam opinionem à Græcis in illis officialibus qui deputabantur per Imperatorem Conſtantinopolitanum in iis partibus, quæ præſertim verſus mare Hadriaticum continuabant ſub dicto imperio, introduci cœperunt illi tituli, Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum, quos hodie uſque in abuſum adeò frequentes habemus, & ſub qua dominiorum, ac titulorum diviſione Normandi, victis Longobardis & Græcis, demum hanc regionem poſſederunt jure veri allodii, ac ſupremi Principatus cum Regalibus etiam majoribus à quocumque alio independenter, ita ut eſſent tot Principes ſupremi, quot erant Principes, Duces, Marchiones & Comites, eo modo quo nunc ſunt in Italia illi Principes abſoluti, quos Potentatus vocamus, frequentius verò in Germania, & qui juxta opinionem *Freccia de ſubfeud. lib. 1. de origine feudorum* habebant ſub ſe Barones tanquam milites electos & benè meritos primi ordinis, quibus parva oppida & caſtra, concedebant, vel in feudum, vel in quadam feudorum adhuc non introductorum ſpecie ſeu imagine, eo modo quo hodie præfati Italiæ Duces habent etiam ſub ſe Marchiones, Comites, & Barones.

Cum autem, vel juxta unam opinionem Rogerius Primus Normandus auctoritate ſua & de facto, Apuliæ ſeu Italiæ Regis nomen uſurpaſſet, vel juxta alteram magis receptam, Rogerius Secundus Siciliæ Comes auctoritate *Anacleti Antipapæ*, obtenta etiam poſtmodum confirmatione *Innocentii* II. Regium nomen aſſumendo, utriuſque Siciliæ citrà, & ultra Pharum Rex effectus eſſet; Hinc ſequutum eſt, quod ſive de jure, ſive de facto ac vi bellica, Illi Principes, Duces, Marchiones, & Comites, qui prius jure liberi allodii, ac ſupremi Principatus Civitates, ac ditiones poſſidebant, ità Regem in ſupremum agnoſcere cœperunt quoad ſolum altum dominium, ac majorem ſuperioritatem quam hodie vulgò *ſouranità* dicimus, reſervatis Regi aliquibus Regalibus majoribus, ut præſertim eſt jus indicendi bellum cum ſimilibus, retentis per eos reliquis Regalibus cum mero & mixto Imperio, ità ut Principum quoque partes ac figuram continuarent, dictos inferiores Barones ſub ſe habentes uſquequo vel extinctis illis lineis, vel ex temporum & bellorum conſuetis immutationibus, illæ primæ dominationes finem habuerunt.

Tranſitum autem faciente dicto Regno à Normandis, prius ad Suevos, & deinde ad Gallos Andegavenſes, ſub unis vel aliis, ad inſtar fortè morum & uſus Germaniæ, & Galliæ, eædem dominationes ità ſubordinatæ Regi, ſed ad huc in figura Principum introductæ fuerunt in perſonis ſolùm qualificatis, putà filiis, & fratribus Regum, ſeu aliàs de ſanguine Regio, ut erant Duces Calabriæ, Principes Tarentini, Comites Litii, Domini honoris Montis S. Angeli & ſimiles, ità ut quælibet ex his dominationibus integras provincias, & plus complecteretur, quolibet etiam eorum dictos inferiores Domicellos ſeu Barones aut ſubfeudatarios habente; Deindè verò paulatim, præſertim verò ſub fœmininis dominationibus Reginarum Joannæ primæ, & ſecundæ, iſta prærogativa feudorum qualificatorum, ac dignitatis, cum prædictis titulis Principum, Ducum Marchionum, & Comitum tranſitum facere cœpit ad nobiles privatos, qui in literis vel armis conſpicui, ſeu ex aliis fortè parum dignis cauſis in ſummo favore conſtituti, ad hunc diverſum ſtatum tranſitum facere cœperunt; Adhuc tamen ratus erat hujuſmodi Titulatorum, ac feudatariorum dignitatis uſus, illique in magna potentia, & exiſtimatione continuabant, adeò ut cum ipſomet Rege eorum aliqui bellum inire, pacemque tractare conſueverint, undè propterea meritò etiam nobiles, & conſpicuæ Civitates hujuſmodi Principes, Duces, Marchiones vel Comites juxta primam, ſecundam, vel tertiam ſpeciem habebant, quia dum quodammodo Principum figuram adhuc gerebant, ita ipſæ Civitates erant capita & Metropoles totius ditionis ex integris penè Provinciis conſtitutæ, continuante quoque ſub termino ſeu vocabulo ſub feudorum uſu Baronum, & Domicellorum inferiorum, qui ab eiſdem de caſtris, & parvis oppidis ſubinfeudabantur; Undè tradunt hiſtoriæ, vel traditiones, quod plerique ex modernis Regni Titularis qui hodie magnam figuram facere ſatagunt, ità feuda poſſidere cœperint, quia ſcilicet tanquam hujuſmodi Principum, & Ducum milites, vel grati familiares, ab eis de aliquo caſtro, vel parvo oppido inveſtiti fuerint; Tractu verò temporis ex Regni motibus ac dominationum varietatibus, penè in totum ſciſſis vel nimium diviſis dictis antiquis magnis & conſpicuis dominationibus, Hinc ſequutum eſt quod nobiles & conſpicuæ Civitates, ſeu qualificata Oppida, quæ prius dictam Metropoliticam figuram faciebant ſub magno Principe, ob factum caſum devolutionis vel ob lineas finitas, vel ob rebelliones & fellonias, jure feudorum emptitiorum concedi cœperunt cuicumque pecuniam habenti, meliorem que conditionem facienti, nec non cum nimia facilitate vilique pretio multiplicari cœpit uſus titulorum, & dignitatum, adeo ut parva magnis, atque quatra rotundis exæquata ſint, quoniam eodem

jure

jure censentur penè irridibiles Principes, Duces, Marchiones & Comites illorum castrorum & pagorum, quæ prius de Civitatum majorumque ditionum, & principatum districtu & excadentiis per ipsos Principes, Duces, Marchiones & Comites familiatibus concedi solebant, ac sint illi earumdem Civitatum & locorum dominantium; Atque exindè sequutum est, ut omnes Civitates, Oppida, & loca dicti Regni hujusmodi feudalem ac Baronalem qualitatem habeant, vel habuerint, dum de facto in Regno prædicto longitudinis milliarium 450. latitudinis 140. & circuitus 1468. & quod constituitur ex 143. Civitatibus, ex quibus 121. sunt Episcopatus, & 22. Archiepiscopatus & ex aliis 1830. circiter Oppidis, castris, & locis, solum quadraginta, circiter Civitates & Oppida hodie sint absque Barone sub immediato gubernio Regis, & ut ibi dicitur de *Demanio*, Atque ex his, adhuc sub judice lis est, an duarum vel trium prætensio subsistat necnè, quod hujusmodi plagam non senserint, reliquis omnibus eamdem plagam passis, & quæ facto casu devolutionis, in hoc statu ex propria industria, & sumptu conservantur, quia nempe ex illo jure prælationis quod ibi conceditur, ipsæ Universitates se redemerint, atque provocando ad demanium, solverint illud pretium, pro quo infeudatio concessa erat vel imminebat; Igitur nimium evidens fabula est, ob feudalem ac Baronalem qualitatem locorum ita generaliter, ac indefinitè existimare, conspicuasque Civitates generosæ nobilitatis productivas exæquare illis obscuris locis, quæ ex eorum connaturali qualitate Domicellis, ac inferioribus Baronibus per ipsos Principes & Duces concedi consueverunt, Atque in hoc versatur ignari vulgi error manifestus, quoniam istæ Civitates faciebant illam figuram cum suis Principibus, Ducibus, Marchionibus, & Comitibus, qualem hodie faciunt illæ à quibus hodierni Italiæ Principes, & Potentatus nomen, ac titulum desumunt, habendo sub se tanquam proprio districtu & comitatu inferiora loca, inferioribus Domicellis & Baronibus concedi solita, & prout etiam in statu Ecclesiastico penultimo sæculo penè omnium magis conspicuarum Civitatum conditio erat sub propriis Principibus vel Tyrannis; Ideoque pluries occasione consulendi in hac nobilitatis materia pro hujus militiæ habitu suscipiendo, vel ad alium similem effectum dicere consuevi, quod non modernus, sed antiquus rerum status, ac Civitatum & locorum antiqua qualitas & conditio spectari debent, non autem ista moderna accidentalis, Et cum hac distinctione materia regulanda videtur.

MELEVITANA
SEU
HYSPALEN. HABITUS
PRO
ANTONIO DE VALENZIA,
CUM
RELIGIONE HIEROSOLYMITANA.

Discursus pro directione causæ pendentis in Rota.

De eadem materia nobilitatis generosæ requisitæ ad militiam justitiæ in Religione Hierosolymitana, & an illi aliàs probatæ obstet qualitas seu exercitium mercaturæ, & quando. Et de alio requisito puritatis sanguinis, quomodo justificari debeat. Et an & quando admissio germani fratris ad consimilem militiam eadem requisita exigentem, firmet statum, & inducat justificationem requisitorum.

SUMMARIUM

1 *Facti series.*
2 *Resolutio super puritate.*
3 *In Religione Hierosolymitana ad habitum justitiæ non admittuntur descendente ex sanguine impuro infidelium.*
4 *Impuritas non præsumitur, sed quilibet censetur purus eo ipso, quod non constat de impuritate.*
5 *Testes de publica voce & fama, & reputatione probant.*
6 *Quomodo debeant esse probationes impuritatis.*
7 *Libelli famosi & occulti non attendendi.*
8 *Testes circa impuritatem debent allegare certam causam scientiæ, aliàs non probant.*
9 *In materia nobilitatis non suffragatur juris præsumptio, sed eam allegans tenetur probare, quia nobilitas non præsumitur.*
10 *Quomodo probetur nobilitas.*
11 *De antiquo usu armorum.*
12 *Unicus testis adminiculatus probat.*
13 *Non dicitur exerceri mercatura in rebus propriis.*
14 *Agricultura in bonis propriis non præjudicat nobilitati,*
15 *Quando mercatura præjudicet nobilitati, & quando non.*
16 *In Gallia & Hispania semper præjudicat.*
17 *Declaratur.*
18 *Nobiles Genuenses & Florentini exercent mercaturam.*
19 *Declaratur item, quando mercatura præjudicet nobilitati, nec nè.*
20 *Quis dicatur artifex, & alicujus artis professor.*
21 *Sententia lata super nobilitate vel statu ad favorem fratris, an faciat jus quoad alterum fratrem.*
22 *Quid econversò in casu sententiæ præjudicialis.*
23 *An conclusio, de qua num. 21. sit practicabilis.*
24 *Sententia inter alios si non præjudicat, facit adminiculum.*

DISC. XXXIII.

Upiens Antonius de Valentia Hyspalensis suscipere habitum militum justitiæ in Sacra Religione Hierosolymitana, obtinuit in forma consueta sibi deputari Commissarios, qui ex officio informationes reciperent super requisitis suæ nobilitatis & puritatis sanguinis; Cumque dicti Commissarii retulissent omnia sibi videri sufficienter justificata, atque conformis quoque fuisset relatio aliorum Commissariorum, quos deputavit Assemblea, seu Consilium provinciale Prioratus Castellæ & Legionis, idcircò eadem Assemblea dictas justificationes approbavit; Illis autem transmissis ad M. Magistrum seu eam linguam, duæ prodierunt in utroque Consilio, Ordinario, & Completo contrariæ sententiæ ob plures difficultates habitas in omnibus quatuor lateribus, tam circa nobilitatem, quàm circa sanguinis puritatem, de qua ob antiquam Maurorum & Judæorum mixturam in Hispania magis quàm

quàm alibi inquiri solet, Unde interposita per Antonium à præfatis sententiis appellatione, & commissa per Signaturam Sanctissimi causa *in Rota coram Cerro*, habitoque, juxta laudabilem stylum, Advocatorum & causæ Patroni congressu super ejusdem causæ directione, concorditer conclusum fuit super requisito puritatis sanguinis, cum ea probabilitate, quæ in litibus semper incertis dari potest, ex probationibus jam factis in tuto videri bonum jus appellantis; Quoverò ad alterum requisitum nobilitatis, dictum fuit probationes jam factas aliqua indigere majori comprobatione, ideoque ad meliorem directionem determinatum fuit separatim de dictis requisitis nobilitatis & puritatis agendum esse; Assumptaque disputatione super hoc ultimo puritatis *sub die* 29. *Novembris* 1666. 2 *coram eodem Cerro* favorabilis prodiit resolutio, constare scilicèt de puritate, deindè verò obtenta fuit remissoria, ad effectum coadjuvandi probationes alterius requisiti.

In disputatione autem prædicta dicebam, etiam cum sensu veritatis, quoad hunc punctum puritatis sanguinis, fundatam esse intentionem appellantis, unde propterea justa beneque fundata vita est resolutio; 3 Admittendo siquidem id, in quo principaliter insistebant scribentes pro Religione, quod scilicèt istud quoque requisitum necessarium esset ex stabilimentis Religionis *sub tit. de receptione fratrum* § 12. & ejus declaratoria *eod. tit. cap.* 7. per quam decernitur exclusio descendentium à Judæis, Saracenis, aliisque in fidelibus, etiamsi de illa non per concludentes probationes, sed per famam & probabilem suspicionem constaret (non curando examinare validitatem, & subsistentiam hujusmodi secundæ determinationis seu declarationis circa modum probandi per solam suspicionem, seu diffamat onem, super quo tamen plura in contrarium dici possent), duas pro clariori resolutione constituebam partes seu inspectiones, Unam super probatione puritatis ex hac parte, & alteram super objectis seu prætensa probatione impuritatis.

Quoad primam, cum istud sit objectum in dubio non præsumendum, idcircò intentio allegantis puritatem regulariter fundata dicitur in sola præsumptione 4 juris, eò ipso quod per objicientem de impuritate non docetur, ut in specialibus terminis admissionis ad habitum istius Religionis habetur *dec.* 494. *par.* 1. *rec. nu.* 2. & 335. *nu.* 1. *par.* 2. quæ est eadem *apud Gregor. dec.* 498. Et generaliter, ad effectum satisfaciendi Statutis Capitulorum Hispaniæ rigorosè etiam hoc puritatis requisitum exigentibus, plenè habetur *apud Merlin. decis.* 368. & *in Corduben. dimidiæ portionis coram Meltio decis.* 319. & 333. *parte* 11. *recept.* ubi latè concordantes.

Clarius verò ob duplicem probationem, Unam scilicèt per testes de publica voce & fama & communi reputatione, quam speciem probationis receptissimum est in proposito sufficere, ut in eisdem proximè allegatis decisionibus; Et alteram, quia ejusdem Antonii germanus frater admissus fuerat ad habitum justitiæ in militia S. Jacobi de Spata, ad quem effectum eadem qualitas puritatis sanguinis requiritur prævia eadem inquisitione; Quidquid enim sit de puncto, an admissio germani fratris ad hujusmodi militias firmet statum, ac inducat requisitorum justificationem respectu alterius fratris, de quo habetur infrà super altero requisito nobilitatis, Indubitatum tamen dicebam, quod ubi etiam quoad dictum alterum requisitum id non sufficeret, satis abundaret quoad istud, cui assistit præsumptio juris ut suprà, unde non urget illud concludentis probationis onus, quod incumbit in altero, & consequenter sufficit, ut exindè resulter adminiculum dictæ præsumptionis coadjuvativum, Multo magis dum illud non erat unicum, quoniam constabat de admissione personarum de eadem familia & sanguine respectivè ad Capitula Cathedralium, Ac etiam stante dicta probatione per famam & communem reputationem, ac stante dicta admissione per assembleam seu Consilium nationale in loco quod est valdè existimandum, ut infrà, unde casus videbatur omninò planus.

Et quoad alteram partem evacuationis objectorum, dicebam quod stantibus probationibus & adminiculis super puritate, contrariæ probationes habentes resistentiam regulæ seu præsumptionis legalis, 6 esse debebant omninò præponderantes ac suffocantes illas puritatis, ut advertitur *dicta dec.* 494. *num.* 12. *par.* 1. *rec.* quod tamen fundamentum fuisset periculosum, dum stabilimenta ut suprà contentantur sola probatione per famam & probabilem suspicionem.

Imprudens autem consilium credebam illud aliquorum ex nostris, assumendi disputationem validitatis, & subsistentiæ hujusmodi exorbitantis novi Statuti, cum ità non levis inducerètur suspicio de nostrorum jurium diffidentia, quæ verè non aderat; Dabatur etenim quidam libellus porrectus sub confecto nomine ejus, qui per sex menses antea obierat, omninò animosus, & compositus per apertum inimicum ad formam libelli famosi, qui probatione penitùs indignus erat, *ad text. in l.* 1. *Cod. de libellis famosis cum concord. per Farin. qu.* 105. *ex num.* 421. & *in his terminis Escobar. de nobil. & puritate par.* 2. *qu.* 1. *de Schedulis seu libellis secretis per totum*; Al qui verò testes nullam 7 scientiæ causam reddebant, omninò necessariam, cum ageretur de rebus, quæ non percipiuntur sensu corporis, sed consistunt in judicio intellectus, ut advertitur *dicta dec.* 494. *num.* 11. & *sequen. par.* 1. *rec. dec.* 71. *num.* 5. & 6. *par.* 3. Ac etiam quia deponebant dubitativè, quod scilicèt si familia esset de uno loco, adesset 8 suspicio, secùs autem si de altero, Unde propterea nullum reverà probationis gradum constituebant, neque ad probabilem suspicionem sufficientem.

Difficultas igitur tota residebat circa alterum requisitum generosæ nobilitatis omnium quatuor latorum, patris, matris, & utriusque aviæ, circa quam juris 9 præsumptio non suffragatur, sed petens admissionem gravatur onere probationis, cum nobilitas non sit qualitas, quæ præsumatur *ut ex Bal. in l. in actionibus* §. *planè C. de in litem juran. Tiraq. de nobil.* §. 10. *num.* 13. *Menoch. lib.* 6. *præsumpt.* 60. *Fab. de Ann. cons.* 80. *num.* 1. *Rot. dec.* 72. *num.* 3. *par.* 4. *rec. tom.* 2.

Videbatur autem per testes aliaque adminicula in omnibus lateribus, benè & sufficienter justificari, quod hujusmodi familiæ nobiliter & splendidè vixerint more aliorum nobilium Civitatis, absque eo quod 10 adesset memoria super exercitio alicujus artis meccanicæ seu vilis ministerii, cum communi fama & reputatione, quod sufficit ad probationem nobilitatis, juxta authoritates & decisiones, de quibus *in alia Melevitana seu Valentina habitus disc. praced.* Solumque super duobus cadere videbatur dubitatio; Primò quod unicus tantum testis bene concluderet de antiquo usu armorum seu insignium cognitorum à tem- 11 pore immemorabili in lateribus aviæ paternæ *de Avecilla*, & matris *de Assuega*, cum reliqui testes deponerent relativè ad quasdam litteras executoriales à pluribus annis desuper obtentas, unde propterea non videbatur adesse circa istud requisitum illa concludens probatio, quæ concurrebat in aliis lateribus,

Et

Et quamvis plura concurrerent adminicula, ex
12 quibus unico testi deponenti deferri solet, *ut apud Burat. & Adden. dec. 168. 483. & 775. dec. 153. n. 18. par. 7. recent.* & in aliis, Atque plura adessent adminicula, Primum scilicèt resultans ex generali consuetudine ponderata *per Rotam apud Merlin. dec. 164.* quod scilicèt etiam populares mediocrem civilitatem habentes hodie habere soleant usum armorum, Alterum resultans ab executorialibus super nobilitate obtentis de tempore non suspecto, quod per necessarium antecedens præsupponit etiam armorum justificationem, ut bene *apud Roias dec. 50. & per totum*; Et tertium satis vehemens ex dicta superius circumstantia admissionis germani fratris ad habitum justitiæ in militia S. Jacobi de Spata, in qua eadem requisita desiderantur, tam circa nobilem vitam cum immemorabili abstensione à meccanicis & sordidis, quàm circa antiquum usum armorum, Nihilominus, dum res erat in fieri, ad superabundantem cautelam, ponendamque causam in tuto, prudens consilium reputatum fuit hujusmodi probationem coadjuvare.

Altera difficultas apud linguam, & in utroque Consilio Melevitano fiebat circa latus paternum, non quidem circa probationem nobilitatis cum dictis requisitis, sed circa infectivam qualitatem mercaturæ in patre dicti Antonii, quem supponebatur esse solitum onerare super navibus per Indias, vinum, sericum, aliasque merces.

Istud objectum de plano cessare videbatur, quando subsisteret præsuppositum agentium pro dicto Antonio, quod scilicèt merces, quæ per Indias onerabantur provenirent ex bonis propriis, unde dicta extractio seu oneratio non erat ad mercaturam, quæ
13 propriè dicitur quando emuntur merces ad industriam, ut revendantur causa lucri, Secus autem ubi bona propria pro faciliori exitatione seu majori utilitate extrahuntur, atque ad alias regiones transmittuntur, cum tunc etiam in clericis & personis ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm regularibus, quibus rigosissimè mercatura prohibita est, id passim permittatur, nedum absque aliqua nota seu incursu pœnarum, quæ clerico negotiatori impositæ sunt, sed etiam circa exemptionem ab oneribus, quam clericus negotiator non obtinet; Ideoque ubi præsertim admixtum non est exercitium sordidum & meccanicum ipsius personæ, certum est hujusmodi actum nobilitati non præjudicare, cum neque illi præjudicet agricultura, quoties fit in re propria, ex deductis *apud Franch. dec. 128. num. 2. & 4 Fab. de Anna cons. 34. num. 8. cum sequen. Duran. dec. 294. num. 12. cum sequen.* apud quos allegantur *Tiraquellus*, *Otalora*, & cæteri de materia.
14

Ubi verò dictum præsuppositum non subsisteret, quia nempè per oppositores probaretur, patrem dicti Antonii exercuisse mercimonium, emendo sericum, vinum, aliasque merces, ut industriæ & negociationis causa super navibus oneraret, ut Indias transmitteret, Adhuc tamen discurrendo in congressu dicebam, neque videri objectum multum considerabile, stante communi & recepta distinctione, de qua cæteris collectis *apud Tiraquell. de nobilitate cap. 33. num. 22. & sequen. Duran. dicta dec. 294. num. 21. Roias dec. 148. nu. finali*; quod scilicèt, Aut agitur de mercatura minuta & parva, quæ exerceatur per seipsum, & præjudicet nobilitati, Aut de magna, quæ exerceatur per famulos, & ministros absque eo quod ipse principalis, more nobilium splendidè vivens aliquo pacto se ingerat in sordidis & mechanicis, & secus.
15

Adhuc tamen quamvis dicta distinctio sit regulariter vera, dubitari poterat, Tum ex iis, quæ insinuantur *apud Duran. dicta dec. 294. num. 23.* quod scilicèt
16 apud Hispanos, & Gallos omnis mercaturæ species reputatur nobilitati præjudicialis, Tum ex statuto religionis registrato *apud Roias dec. 148. in princip.* ita disponente; Verùm & hoc videbatur evitabile in hac Civitate ratione ejus qualitatis & situationis, cum sit magnum emporium & portus navigationis Indiarum, ideoque satis probabilis videbatur consuetudo
17 particularis, dictæ contrariæ generalis limitativa, quæ per dictos agentes præsupponebatur, Eodem modo quo in Italia habemus de consuetudine Genuensium & Florentinorum, apud quos mercatura etiam cum
18 actuali exercitio in mercibus serici & lanæ nobilitati non præjudicat, & quo exemplo omnes utuntur, *ut apud Tiraquell. d. cap. 33. Duran. dicta dec. 294.* & hic ad instar ex identitate rationis.

Præterea considerabam, tunc hujusmodi mercaturam magnam sine taberna, & apotheca, alioque
19 sordido exercitio ad merces minutatim vendendas, sed solùm emendo merces, ut in magna quantitate ad alias regiones transmitterentur, seu alias oportuniori tempore revenderentur, importare posse aliquod nobilitati generosæ præjudicium, quando id fieret pro principali ac formali instituto, itaut talis negotiator toto ejus vitæ tempore, vel saltem pro majori parte in hoc ministerio versaretur, unde mercatoris figuram faceret, atque pro tali communiter reputaretur tanquam illi exercitio principaliter addictus, cum tunc ita videatur exisse ab ordine nobilium ac se constituisse in diverso inferiori ordine mercatorum, & fortiùs si describatur in matricula mercatorum, Secus autem si nobilem vitam ducens, aliorumque nobilium more vivens, ut cum majori splendore ejus personæ & domus nobilitatem conservare & augere posset, aliquam suarum facultatum partem erogare solitus est in emptionem mercium causa extrahendi, seu oportuniori tempore vendendi, id totum gerendo per ministros, & famulos; Tunc enim id nullatenus tale præjudicium causare videtur, Tum ex iis, quæ habentur apud *Roman. cons. 422. Franc. & add. dec. 175. & 679.* & a-
20 lios de quibus *in Romana taxa Nursinorum 20. sub. tit. de Regalibus ad materiam Vecticalium disc. 98.* de artificibus, ut tales dicantur qui pro majori parte vitæ illi arti seu exercitio, tanquam ex principali instituto sunt addicti, Secus autem si per aliquod tempus & accidentaliter, cùm etiam nobiles & magnates, in pictura aliisque meccanicis soleant se exercere; Tum etiam quia vix hodie nobiliter & splendidè vivi potest cum solis redditibus, absque aliqua mixtura industriæ, quæ ità ordinata esse solet ad majorem splendorem, & melius nobilitatem conservandam, ità docente communi observantia, quod etiam magnates, ac feudatarii Dignitatis, juxta qualitatem locorum, in quibus vivunt, aliquas adhibent industrias, præsertim circa emptiones mercium, quas regio producit in magna quantitate, earumque transmissione ad alias regiones, ut communis praxis docet, cum id nullatenus nobilitati & decori nec de jure nec de facto adversari videatur, Ideoque punctus est, ubi mercatura exercetur tanquam continuum, & principale institutum, itaut ille ex communi fama & reputatione inter mercatores magis quam inter nobiles censeatur.

Motivabam etiam, an absque alia probatione ad intentum sufficeret, quod germanus frater admissus
21 fuisset prævio formali processu tanquam nobilis & purus ad habitum justitiæ in militia S. Jacobi de Spata, Et de jure dicebam affirmativè respondendum esse, quoniam ubi non agitur de nobilitate accidentali, ex personalibus virtutibus, & meritis, vel dignitatibus

acqui-

acquisita, sed de naturali proveniente ex majorum statu, tunc nobilitas firmata in uno fratre, dicitur probata in altero ex eisdem parentibus genito, quia dicitur sententia super statu, quæ facit jus quoad omnes, unde propterea rectè intrat regula *textus in l. ingenuum ff. de statu hominum*, ac limitatio alterius regulæ deducta ex *textu in l. sæpè ff. de re judicata*, ut ex originali dicto *Angeli in auth. ut liceat matri, & aviæ §. 1. vers. ad hæc in fine*, in specialibus terminis nobilitatis *Tiraquel. de nobil. c. 17. num. 3. Affl. & in Constitut. prosequentes lib. 2. rubr. 31. num. 16. vers. & si per sententiam & c. Rovit. conf. 80. num. 6. & 7. lib. 1. Anna singul. 468. Paschal. de patr. potestate par. 4. cap. 2. num. 69. & 70. Decian. conf. 66. lib. 3. Gait. de credito cap. 2. tit. 3. num. 628.* ubi quod nullus est, qui neget, *& n. sequen. Rota dec. 494. par. 1. rec. num. 9.* & de probatione in patre *decis. 335. num. 3. par. 2. rec. 71. nu. 3, par. 3. Melevitana habitus 4. Iulu 1659. Priolo*; Et de probatione proximitatis vel alterius qualitatis factæ in uno fratre, quod suffragetur alteri ex eadem doctrina *Angeli, Coccin. dec. 105. num. 1. dec. 159. num. 8. par. 10. rec. & in aliis.* apud quos in specie habetur in hac materia nobilitatis rectè procedere regulam *text. in l. ingenuum ff. de statu hominum*, atque hanc esse unam de limitationibus ad regulam *texi. in l. sæpè ff. de re judic.* ut præsertim cæteris collectis habetur apud *Rovit. dicto conf. 86. num. 5. & Gait. d. num. 628.* ubi numeris præcedentibus plenè agit de casu converso, ubi scilicèt agi-
22 tur de sententia præjudiciali nobilitati lata contra unum fratrem, an alteri præjudicet de quo, etiam plenè *apud Capyc Latr. consult. 129. n. 14. & seqq.*

Concludebem tamen istud esse assumptum valdè periculosum vix ad praxim deducibile, ex ea ratione, quod quælibet Religio seu militia habet ejus statuta particularia, & quatenus etiam in verbis essent con-
23 formia, adhuc tamen diversitas adesse solet circa observantiam, & stylos, Ac etiam quia rectè una Religio dicere potest sibi præjudicare non debere negligentiam ministrorum, & officialium alterius; Est bene verum, quod id satis confert in ordine ad adminiculandas probationes ex parte alterius fratris in diversa
24 Religione, seu militia factas, quoniam etiam in casibus, in quibus intrat regula *text. in d. l. sæpè* de sententia inter alios lata aliis non præjudicante ad effectum firmandi statum, adhuc tamen illa satis confert, ac magnum præbet adminiculum, *ut apud Burat. decis. 544. numer. 13. ubi concordantes.*

MELEVITANA

SEU

AQUILINA HABITUS

PRO

PETRO CAPRINO

CUM

SACRA RELIGIONE HIEROSOLYMITANA.

Casus disputatus in Signatura gratiæ, & resolutus pro Petro.

De eadem materia Nobilitatis generosæ, ejusque requisitorum pro habitu Justitiæ in Religione Hierosolymitana, Et quæ species mercaturæ illi præjudicet, Et aliqua de ordine tenendo in appellatione à sententiis dictæ Religionis ejusque Consiliorum.

SUMMARIUM

1 *Facti series.*
2 *Quando utraque Signatura gratiæ & justitiæ cognoscat de meritis causæ.*
3 *De privilegiis Religionis Hierosolymitanæ circa appellationes.*
4 *Prohibita appellatione non censetur prohibita ad ipsum Papam.*
5 *Quomodo intelligatur ordo gradualis servandus in appellationibus.*
6 *Ad Papam appellatur omisso medio.*
7 *Quandoque admittitur hac appellatio omisso medio in Religione Hierosolymitana.*
8 *Mercatura quando præjudicet nobilitati.*
9 *Quando dicatur mercatura, & quando non.*
10 *Ubi verba sunt æquivoca, & possunt importare mercaturam vel actum licitum, eni incumbat onus probandi.*
11 *Privatio juris quæsiti dicitur importare pœnam formalem.*

DISC. XXXIV.

CUM Petrus habens duo, vel etiam tria latera matris, & utriusque aviæ jam probata occasione majorum ad habitum Hierosolymitanæ Religionis admissorum, obtinuisset ab Assemblea deputari Commissarios pro recipiendis probationibus super latere paterno & propriæ familiæ, aliqui æmuli, qui dictorum Commissariorum deputationi etiam contradixerant, cum sinistris extrajudicialibus relationibus, præsertim verò ob exhibitionem cujusdam instrumenti, de quo infrà, nemine citato, nullaque causæ cognitione adhibita, curarunt per Mag. Magistrum, & Consilium ordinarium in forma extrajudiciali per litteras demandari dictis Commissariis, quod ab ulteriori processu ac probationum receptivne abstinerent, Unde propterea sentiens idem Petrus se notoriè gravatum, ab hoc præcepto appellavit, atque adiens Signaturam Sanctissimi, obtinuit committi causam *in Rota*, quæ ob ejus superventam mortem, ulteriorem progressum hucusque non habuit. 1

In dicta verò disputatione habita in Signatura, nullatenùs actum fuit de meritis negotii principalis circa sufficientem probationem nobilitatis necnè; Licèt enim hæc utriusque Signaturæ Tribunalia, soleant, & velint de meritis etiam cognoscere seu gustare, 2
Attamen id procedit, quando agitur de committenda causa appellationis adversus judicatum, quod de sui natura esset executivum, & non admitteret appellationem suspensivam, Sive adversus tres conformes cum similibus, in quibus prætendatur rescribi etiam de appellatione suspensiva, vel de clausula translativa ratione injustitiæ, quæ etiam in executivis & privilegiatis appellationi locum aperit ex regula, quod *sententia injusta nunquam est exequenda*, quod in præsenti non cadebat; cum ageretur solùm de puncto ordinis, an scilicèt à dicto gravamine extrajudicialiter illato per Mag. Magistrum, ejusque Consilium ordinarium, appellari posset ad Papam ejusque Curiam omisso medio.

Quod

Quod scribentes pro Religione acriter negabant ex privilegiis per Sedem Apostolicam ei concessis registratis *in Constitutione IX. Pii IV.* ubi disponitur, à sententiis latis per judices hujus Hospitalis seu Religionis S. Joannis, appellandum non esse, nisi ad ipsum M. Magistrum, ejusque Consilium Ordinarium & ab isto ad Capitulum Generale.

Et quamvis praxis doceret, his non obstantibus, tàm in hujusmodi controversiis super denegatione admissionis ad habitum, quàm in aliis super mutationibus Dignitatum & Commendarum, aliisque causis passim appellari ad Papam ejusque Curiam, cùm ea solùm particulari hujus Religionis prærogativa, quod causæ appellationum non committuntur per Signaturam Justitiæ, ejusque Præfectum, sed immediatè per ipsum Papam, ejusque Signaturam gratiæ, ut constat ex plurib. causis Melevitan. de quibus *hoc tit. & in altero de beneficiis*, & ex tot Rotæ decisionibus, ex ea ratione, quod sublata seu prohibita appellatione, nunquam intelligitur sublata illa, quæ interponitur ad ipsum Papam ejusque Sedem Apostolicam; cum per hujusmodi indulta non censeantur ligatæ manus ipsiusmet Principis illa concedentis, ut *apud Seraph. dec. 615. dec. 152. num. 13. & sequen. par. 8 rec.* & frequenter, Attamen dicebant id procedere servato præfato ordine, seu gradatim, ab inferioribus scilicet judicibus ad Consilium Ordinarium, & ab isto ad Consilium Completum, à quo deindè appellatur ad Curiam, omisso solùm medio Capituli Generalis, ex eo quod illud de ratò celebrari solet, ejusque celebratio incerta est, cum pendeat à vitâ M. Magistri; unde propterea irreparabile esset damnum appellantis, & sic rationabiliter istud medium negligitur, quæ ratio non urget in aliis mediis, ut suprà.

His non obstantibus, cum sensu etiam veritatis, dicebam huic petitioni locum fore, unde propterea resolutio justa probabilis vita est, quoniam Indultum prædictum loquitur de sententiis, quæ causa cognita, ac servato debito ordine judiciario proferuntur, & in quibus terminis loquuntur omnes decisiones, quæ in proposito deducebantur, comprobantes ex facti serie hujusmodi ordinis observantiam, secùs autem in hac facti specie, in qua agebatur de notorio gravamine, non solùm circa ipsam rei substantiam ac negotium principale, super insufficientia scilicet probationum, sed etiam circa ordinem, prohibendo recipi probationes, quas incertum erat, an benè & concludenter fieri debuissent, ac etiam parte non citata, nullaque adhibita causæ cognitione extrajudicialiter, & quasi ad modum belli declarandi aliquem non habentem sufficientem nobilitatem generosam.

Cum enim de jure certum sit appellari posse omisso medio ad ipsum Papam, quamvis alias per sacros canones statutum esset, appellationem gradatim, non autem per saltum interponendam esse, quia intelligitur de aliis, puta Metropolitanis, Patriarchis, Primatibus, Legatis &c. non autem de ipso Papa, ad quem tanquam Ordinarium Ordinariorum directè & immediatè appellatur *gloss. in cap. dilecti il terzo de appell. ibique scribentes collecti per Scacc. de appell. lib. 3. cap. 2. quæst. 7. n. 46. & sequen.* De Marin. *resol. 17. nu. 11. & 17. lib. 1. Buratt. dec. 170. num. 11. & passim*; Idcircò in stricta juris censura improbabilis erat Religionis oppositio, quæ solùm fundabatur in stylo seu observantia ex quadam convenientia seu epicheia non interverendi hunc ordinem in ista Religione adeò qualificata, ac de Sede Apostolica, & de Christiana Republica tam bene merita, quod ego scribens pro appellante dicebam rectè admittendum esse in iis casibus, in quibus ita servatum fuit ac indultum loquitur, quando scilicet ipsa Religio quoque ex parte sua debitum ordinem servaret, itaut verificarentur verba Indulti, quod ageretur de sententiis, quæ præsupponunt processum judicialem, & causæ cognitionem, secus autem isto casu extraordinario, in quo sicuti ipsa Religio consuetum ac debitum ordinem intervertere voluit, ita conqueri non debebat quod intervertteretur per Superiores.

Atque ad docendum observantiam non esse eo modo, quo supponebatur, deducebam *decisionem 129. coram Rotas alias dec. 6. par. 9. rec.* ubi in specie commissa fuit causa in Rota à denegatione Commissariorum absque dicto ordine utriusque Consilii Ordinarii & Completi.

Cum autem potissimâ causâ dicti extrajudicialis mandati cum enunciatione non sufficientis generosæ nobilitatis provenisset à quodam asserto seu supposito instrumento probante quemdam ascendentem ex latere paterno contraxisse cum altero societatem pellium, in qua quilibet, juxta societatis naturam, ad commune lucrum & damnum, suam operam, & industriam respectivè adhibere promisit, Hinc per oppositores inferebatur, vel ad exercitium sordidum & mechanicum nobilitati absque dubio præjudiciale, vel ad mercaturam, de qua quicquid sit, de simplici nobilitate ad effectus obtinendi officia Civitatis, aliasque præeminentias solis nobilibus debitas, ad hunc tamen effectum generosæ nobilitatis pro hujusmodi habitu suscipiendo, certum est obstare ob expressa ejusdem Religionis stabilimenta, de quibus *apud Rotas dec. 148.* ubi quædam datur interpretatio, probabilis quidem & vera in mero puncto iuris, omninò tamen damnata & abhorrito in Conventa Melevitano & apud Religionem.

Idcircò priusquàm dicta disputatio in Signaturâ Gratiæ assumeretur, ex parte dicti Petri consultus fui, etiam pro veritate, An & quomodo istud objectum esset evitabile aliter quam per distinctionem traditam per *Rot. apud Rotas dict. dec. 148.* an scilicet supposita mercatura illa sit magna vel minuta, & an exerceatur per seipsum vel per alium ex deductis *in Melevitana seu Hyspalen. habitus disc. præced.*

Respondi, etiam cum sensu veritatis, objectum esse evitabile, negando mercaturam in genere ob possibilem dicti instrumenti intellectum, quod dicta societas inita esset super pellibus animalium, quæ in propriis & patrimonialibus fundis haberentur, vel tanquam illorum instrumenta pro eis colendis & stercorandis, vel pro ità melius & cum majori commoditate sumendo pascua propriorum fundorum & terratum, juxtà eam distinctionem, quæ ex declarationibus Sac. Congregationis ad excludendam in Clericis mercaturam adeò rigorosè eis prohibitam, habentur *apud Barbos. de universo Iure Ecclesiæ lib. 1. ca. 40. n. 127.* Quo posito certum est nil prohibere, citrà mercaturam societatem iniri cum aliquo artifice, in qua unus ponat pelles propriorum animalium ut supra possessorum, alter verò ponat operam pro eisdem pellibus condiendis, ut ità melius estarentur, cum praxis doceat, nedum nobiles & qualificatos, quinimò magnates, ac feudatarios Dignitatis, sed etiam Ecclesias, eatumque Prælatos Sæculares & Regulares habere oves, boves, vaccas, aliaque animalia in magna quantitate, citrà mercaturæ notam, ad dictum effectum colendi, vel stercorandi proprios fundos, sivè ità melius sumendi propria pascua.

Difficultas autem pro meo judicio residebat, an & cui incumberet onus justificandi unam vel alteram circumstantiam, an scilicet volens evitare objectum, teneretur probare, quod essent pelles ut supra pro-

priorum animalium, quæ citrà mercaturam retinerentur, vel potius econversò oppositores tenerentur probare mercaturæ qualitatem; Et in hoc cum ageretur de facto antiquo, præsuppositâ in eodem ascendente probatione nobilitatis, tam ob famam & communem reputationem, quàm ob admissionem ad officia nobilium, ac etiam ob antiquum usum armorum seu insignium, itaut dicta probatio ex juribus communicatis benè concludere videretur, omninò probabilius credebam hujusmodi onus incumbere oppositoribus, neque dictum instrumentum solum, 10 & de per se obstare, Tùm ob præsumptionem assistentem ei, qui aliàs nobilis justificatur, ex regulari natura præsumptionis, ut transfundat onus probationis in alteram partem, Tùm clarius, quia quoties quis bene fundavit suam intentionem, ejusque nobilitatem cum suis requisitis probavit, tunc ille, qui intendit eam elidere cum accidentali qualitate præjudiciali, & per viam objecti, tenetur istud plenè & concludenter probare tanquam fundamentum suæ exceptionis, in qua dicitur actor, juxtà nimium vulgaria, & in foro quotidiana axiomata, docentia etiam quod non dicitur concludens probatio illa, quæ contrariam habet possibilitatem.

Ea etiam consideratione accedente, quod ista esset species pœnæ, qualis semper dicitur illa, per quam privatur quis jure quæsito, seu prærogativa aliàs competente juxtà distinctionem inter jus quæsitum & quærendum, de qua post antiquiores ibi allegatos *Mantica dec.* 300. *Gregor. decis.* 220. *nu.* 13. *ubi Add. n.* 20. Et consequenter oportet supponere delictum, sine quo pœna non datur, atque hoc in dubio non præsumitur, sed per allegantem probandum est, ad communiter notata *in l.* 1. *de dolo cum concord.* ideoque cum actus sit æquivocus, in dubio capiendus est intellectus delicti exclusivus, ubi præsertim assistit status contrarius, & quasi possessio nobilitatis, quam supponimus ex aliis requisitis benè justificatam, quæ ita jam obtenta amitteretur, undè esset species pœnæ formalis, dum ex documentis & aliis tunc communicatis, sufficienter, & abundè de requisitis generosæ nobilitatis constare videbatur, Ideoque dictus actus tanquam ut supra æquivocus nullum obstaculum præstare debere videbatur, sed subsequuta mors Petri dedit finem causæ, cujus victoria probabiliter speranda videbatur.

VENVSINA
PRÆEMINENTIARUM.
Discursus in forma relationis.

An Doctores vel professores in legibus & medicina, eorumque filii dicantur nobiles, ad effectum, ut potiri debeant nobilium prærogativis; Et quid de Canonicis Cathedralis. Et de variis nobilium, ac nobilitatis speciebus.

Et de antiquo Venusinæ Civitatis statu, & præeminentiis.

SVMMARIVM.

1 *Casus seu occasio discursus.*
2 *De antiquo statu Venusinæ Civitatis ejusque præeminentiis.*
3 *De decisione obtenta per Doctores in legibus & medicina, & Canonicos Cathedralis, quod veniant sub nomine nobilium Civitatis.*
4 *Quod etiam alibi ita decisum sit.*
5 *An privilegia de jure concessa legum & medicinæ aliarumque scientiarum professoribus conveniant solis lectoribus, non autem Advocatis, procuratoribus, & practicantibus medicinam.*
6 *An professi scientiarum non doctores dicantur nobiles.*
7 *Titulus seu vocabulum* Nobilis *denotat excellentiam, unde etiam brutis vel rebus inanimatis convenit.*
8 *Doctoratus dicitur dignitas & nobilitas non attenta distinctione, de qua suprà num.* 5.
9 *Quid de Doctoribus etiam in chirurgia.*
10 *Filii Doctorum dicuntur etiam nobiles.*
11 *Doctores creati ex solo privilegio alicujus feudatarii, non autem in publica universitate non gaudent &c.*
12 *Declaratur quando gaudeant.*
13 *Et de alia declaratione, quando gaudeant.*
14 *De assumpto quod Doctores non docti non gaudent prærogativis Doctorum quomodo intelligatur.*
15 *De Nobilitate medicorum hinc indè.*
16 *Distinguuntur plures species nobilitatis, & primò de magnatitia & primi ordinis.*
17 *De altera specie nobilitatis restrictæ ad certas familias.*
18 *Alii sunt nobiles Civitatis etiam metropolis, alii Magnates. & de differentia.*
19 *Illi Magnæ Civitatis præcedunt illos parvarum.*
20 *De Nobilitate generosa necessaria ad habitus militares non resultante à doctoratu.*
21 *De Nobilitate ordinaria & generica.*
22 *An Dignitates & Canonici Ecclesiæ Cathedralis dicantur nobiles Civitatis.*
23 *An clericatus in persona aliàs nobili vel cive tollat civicas prærogativas:*
24 *Canonici Cathedralis assimilantur Decurionibus, seu Consiliariis Civitatis, eosque præcedunt.*

DISC. XXXV.

CUM inter ea familiaria colloquia, quæ Summi Pontifices in aliquo otio, ut à gravi pondere muneris subleventur, habere solent cum conjunctis & domesticis benevolis, inter *Innocentium X.* & Plumbini ac Venusii Principem Nicolaum Ludouisium, de recenti Constantiæ Pamphiliæ ejusdem Pontificis ex germano fratre neptis Sponsum, semmo incidisset de antiquissima consuetudine Venusinæ Civitatis, quod ipse Princeps, & Dominus, tribus anni temporibus sive solemnitatibus, quamdam recognitionem tanquam tributi speciem præstare teneretur nobilibus, sub quorum nomine veniunt, non solùm primogeniti seu capita illarum familiarum, quæ à tempore immemorabili nobiliter seu civiliter vixerunt procul à sordidis & mechanicis exercitiis, sed etiam legum & medicinæ Doctores, eorumque filii Primogeniti seu capita domorum, ac etiam Dignitates & Canonici Ecclesiæ Cathedralis, idque novum, ac singulare visum esset Pontifici, qui de hujusmodi usus seu introductionis origine & causa, informationem gustare ostendit; Hinc idem Princeps, mihi tunc pariter de recenti in Urbem advecto, atque adhuc indeterminato, an huic laboriosæ vitæ forensi me addicere deberem, in munere Auditoris, meæ tamen domi, eidem inservienti injunxit, ut desuper informationem ederem; Quare discursum relativum seu informativum edidi, ut sequitur. 1

Illam

Illam quam, non tam ex nimia vetustate, ac temporis injuria, quàm bellorum, non minus civilium & intestinorum, quàm publicorum cladibus & excidiis, hodie penè collabentem cernimus Venusinam Civitatem, si antiquiora tempora revolvamus, compertum est, inter Apuliæ, aliarumque adjacentium regionum primarias, nimiumque conspicuas Urbes extitisse; Sub judice siquidem adhuc indecisam relinquendo chronistarum litem, tam circa suæ ædificationis verè ignotum initium, quàm circa nominis seu denominationis causam, quam Alii tribuerunt vinis, Alii aquarum venis in Apuliæ adeo arida regione nimium æstimabilibus, Alii verò magis communiter & probabilius, (ut etiam apud incolas antiqua traditio præbet) cultui Veneris, cujus Templum pro universa illa regione in hoc loco existebat; Neque, quantum ex hodierni populi moribus etiam edocemur, á probabilitate aliena est altera opinio, hujusmodi nuncupationem derivasse à veneno basilischi in isto loco existentis, dum hoc insigni ipsa Civitas utitur.

Constans in regione antiquissima traditio est, *Dauni*, aliorumque antiquorum Apuliæ Regum Sedem fuisse, dictæque regionis caput & Metropolim, quod comprobatur etiam testimonio *Varronis lib. 1. de rebus rusticis*, ubi hanc Civitatem, *Apuliæ caput* appellat, dictæque traditioni aliquod adminiculum præstat nomen *Dauni*, quod quidam parvus fluvius propè ipsius Civitatis mœnia decurrens adhuc retinet.

Illud verò ex historicorum testimonio certum est, eam in statu potentis, ac florentissimæ Reipublicæ, juxta illorum temporum conditionem extitisse, dum ex testimonio *Livii Decade 3. lib. 2.* habemus, circa initia crescentis Reipublicæ Romanæ, in eo statu reperiri, quod Terentium Varronem Consulem Romanum, cum quinquaginta Equitibus à Carthaginensium Cannensi clade fugientem, ac etiam quatuor mille equites & pedites Romani exercitus reliquias, nedum hospitio splendidè receperit, sed singulis Equitibus, togas & tunicas, & quadrigatos quinos nummos vicenos, peditibus verò denos, & arma splendidè dederit, Ac successivè, tanquam ejusdem Romanæ Reipublicæ socia, amicaque Consuli Marcello, & exercitui, adversus Annibalem plurà dedit auxilia, ita ut ejusdem *Livii* testimonio *eadem Decade 3. lib. 3.* exindè omnia Romanis adversus Chartaginenses secunda fuerint.

Cum autem, ut dicit noster eruditissimus J. C. *Frectia in ejus tractatu de subfeudis lib. 1. tit. de antiquo statu Regni*, post Carthaginenses victos, dicta Romana Respublica occasione ultionis sumendæ de populis Annibali adhærentibus, spretis amicitiæ, societatis, & gratitudinis legibus, ac religione, Civitates etiam socias, & amicas, sive jure, sive injuria, sibi subditas effecerit, suoque Imperio subjugaverit per totam Italiam, qua victa, facillimum fuit penè universum Orbem vincere, suoque Imperio subjugare. Hinc óbiit us Civitatis nimis congruum situm opportunum ad occurrendum Lucaniæ, Apuliæ, & Calabriæ motibus, ex testimonio *Horatii Flacci* ejusdem Civitatis alumni *libro 1. satyra 1.* expulso antiquo populo, *Sabello*, nuncupato, nedum Coloniam, sed etiam Proconsolarem residentiam, ac militum hybernam regionem constituit, adhuc tamen ipsa Civitate splendidissimæ Reipublicæ nomen continuante, ut comprobatur testimonio antiquissimæ marmoreæ inscriptionis propè ipsius Civitatis majorem portam existentis, cujus mentionem quoque habet idem *Frecia dicto tract. de subfeudis* in relatione Episcopatuum Regni agendo de hac Civitate, ejusdemque inscriptionis exemplum, ad meliorem memoriæ conservationem, moderno tempore insculptum habetur in altero marmore Turris Ecclesiæ Cathedralis.

Postquam verò per translationem Sedis Imperialis sub Constantino Magno ad Bizantium, seu ad Constantinopolitanam Civitatem, Romanum Imperium in his partibus occidentalibus, præsertim verò in Italia, & ipsamet Urbe Roma, ob tantas clades, ac barbarorum incursiones penè omninò scissum est, ejusque potestas, ac nomen abolitum, Atque ista Italica regio, post Vandalorum & Unnorum temporaneas invasiones & devastationes, diversas habuit Longobardorum, Græcorum, Normandorum, ac etiam Saracenorum dominationes, incertum est, quid fuerit de hujus Civitatis statu, usquequò Normandi, Saracenis præsertim ab Insula Siciliæ, & aliis partibus expulsis, ac etiam victis Græcis, qui Apuliæ, aliarumque partium mare Adriaticum respicientium dominationem retinuerant, ipsi sub diversis titulis & Principatibus, tàm dictam insulam Siciliæ, quàm omnes provincias, ex quibus hoc alterum Neapolitanum seu Siciliæ citra Regnum constituitur, pacificè obtinuerunt.

Illudque memorabile solum conservat fama, & constans antiqua traditio, quod anno Domini 443. sub *Leone Primo*, Joannes Episcopus, ejusdem Leonis exemplo, Attilæ Civitatem evertere volenti processionaliter cum clero & populo occurrit, delata Deiparæ Virginis imagine, ad cujus aspectum Attila à clade abstinendo, Episcopo in omnibus paruit, in cujus rei memoriam in loco constructa fuit Ecclesia sub nomine S. Mariæ Pacis, ubi devotè asservatur antiqua imago, quam eadem constans traditio præbet fuisse illamet ab Episcopo ut suprà delatam, ibique adest antiquum cœnobium Minorum. S. P. Francisco adhuc vivente constructum.

In eo autem tempore, quo Normandi in illis regionibus dominationem habuerunt, ante Regii nominis introductionem, sub titulis vel nuncupationibus, Principum, Ducum, Marchionum & Comitum, quorum titulorum introductio, sub judice lis est, undè originem habuerit, aliquibus volentibus derivasse à Græcis Officialibus, qui ad istas occidentales partes regendas ab Imperatore Constantinopoli residente deputabantur, aliis à Longobardis, qui longam dominationem in Italia habuerunt, & aliis, quod ipsimet Normandi hos titulos apud eos usitatos continuaverint. *ut dise. 32.*

Patiter fama est, quod in hac Civitate principalem residentiam habuerint eorum præsertim primi auctores & conquisitores, quales fertur fuisse Tancredum & Robertum Guiscardum, à quibus cæteri aliarum Provinciatum conquisitores derivarunt, quam famam satis comprobant, Tum insigne cœnobium Benedictini Ordinis sub invocatione Sanctissimæ Trinitatis ibi constructum cum Regio & sumptuoso initio Templi imperfecti, in cujus jam existente, adhuc conspicua Ecclesia, asservantur marmorea sepulchra prædictorum Tancredi, & Roberti Guiscardi, ejusq; uxoris ac etiam Draconis & aliorum, multaque adsunt documenta, ex quibus historici res Normandorum pro notabili parte desumpserunt, quod Monasterium hodie sub titulo Bajulivatus possidetur per Sacram Hierosolymitanam Religionem.

Tum etiam satis comprobat illa eadem situs opportunitas, quæ Romanos ut supra impulit pro Lucania & Apulia ad Coloniam & Proconsularem residentiam ibi constituendam, Adeo enim pro utraque regione situs opportunus est, quod idem Horatius de se ipso loquens dicit.

Lucanus an Apulus anceps,
Nam Venusinus arat finem sub utrumque Colonus.

Dum ex omnium chronistarum concordi testimonio, in ibi vicino colle Apuliæ planæ satis dominanti arcem seu propugnaculum adversus Græcos Apuliæ possessores Normandi construxerunt, quod causam dedit novæ constructioni ibidem Civitatis Melphiensis, quæ tanquam hujus Civitatis filialis, idem basilischi insigne assumpsit, illudque in marmore antiquissimo etiam hodie cernitur in porta quæ *Venusina* dicitur, Ac etiam in alia satis oportuna parte pariter adjacente subtus *Vulturnum*, pro Lucaniæ rebus, ab eisdem, cum conspicua structura, ædificatum fuit Oppidum *Atellæ*, utrumque enim novum opus clarè comprobat, non alibi quàm in hac Civitate constructuentium residentiam fuisse.

Huic autem residentiæ antiqua traditio refert præeminentiam hujus Civitatis nobilibus à dictis Normandis Principibus concessam, cujusdam recognitionis per ipsum Principem & Dominum nobilibus primogenitis seu domorum capitibus in tribus anni temporibus præstandæ, in vigilia scilicet Pentecostes dando spatulam, seu quartam partem arietis, unde propterea illi qui hac prærogativa potiuntur, ex antiqua traditione, *nobiles de quarto* dicuntur, in diebus verò Nativitatis & Resurrectionis D.N. Jesu Christi, eis præstabatur quædam mone æ species, quæ *cinquina* vulgò nuncupatur, hoc sæculo abolita, & cujus memoriam Ego adhuc retineo, importans quartam partem unius caroleni, unde hodie datur in æquivalenti, & quæ moneta, juxta illorum temporum conditionem, reputabatur notabilis pro oblatione Sacerdoti in ea solemnitate facienda, dum plura vidi antiqua instrumenta, & testamenta, in quibus perpetua missarum onera, quæ hodie non nisi ad rationem duorum vel trium carolenorum pro qualibet missa recipiuntur, tunc recipiebantur seu constituebantur ad hujus monetæ rationem; Et eamdem recognitionem semper continuarunt post introductum Regium nomen, ipsius Regis officiales ibi residentes, vel post adeò dilatatum usum infeudationum, Principes vel Duces pro tempore, mediante eorum camerali seu œconomico officiali, qui in Regno *Aerarius* vulgò nuncupatur.

Antiquiori autem tempore, & fortè ultra duo sæcula, Doctores in legibus & medicina, prætensionem excitarunt, ut ipsis quoque conveniret hujusmodi præeminentia, attento quod privilegium, quod fortè tunc existebat, in ultima cæde inter Hispanos & Gallos cum omnibus aliis publicis & privatis scripturis, exceptis illis dicti sacri Cœnobii Sanctissimæ Trinitatis amissis, fieret mentio de Nobilibus in genere, sub quorum nomine ipsos quoque, eorumque filios de jure venire dicebant, dictæque petitioni se opponentibus antiquis nobilibus, post diuturnam litem in Sac. Consilio Neapolitano, Doctores favorabilem determinationem obtinuerunt; Ad quorum exemplum eamdem prætensionem præcedenti sæculo nostrorum avorum temporibus excitarunt Dignitates & Canonici Cathedralis, atque ista acrior fuit lis, ad eorum favorem pariter sopita, quod fuit causa salutis, quoniam nisi Dignitates, & Canonici, utpotè à Regiorum officialium, vel Principum pro tempore jurisdictione exempti, atque corpus magis unitum Capituli constituentes, satis invigilassent pro hujusmodi prærogativæ observantia & manutentione, absq; dubio illa in desuetudinem jam abiisset, atque oblitata esset, undè propterea edocemur, quam fallacia sint hominum judicia, dum Civitas, has suæ antiquæ dignitatis solas miserabiles reliquias conservat, mediantibus iis, quos infensos habuit, & quibus adeò acriter se opposuit,

Ob illorum autem civium incuriam in hujusmodi processibus & juribus conservandis, occasio non dedit, ut possem videre rationes & fundamenta, quibus utraque pars innitebatur, neque dum adolescens in Civitate Neapolitana, occasione studiorum, ac praxis Tribunalium moram traxi, curiosus fui hos adeò antiquos, & fortè neglectos processus perquirere; Quantum verò juridicæ regulæ & propositiones generales docent, justam & probabilem credidi utramque determinationem, ut successivè in plerisque Regni Civitatibus ad favorem Doctorum judicatum fuit, & servatur, ut scilicet, quoties ex privilegio, vel immemorabili consuetudine præfinitus non sit numerus nobilium certarum familiarum, etiam ipsi quamvis populares, & plebeos natales habentes, de nobilium ordine & consilio censendi essent, Non fuit tamen alibi disputatum vel practicatum respectu Dignitatum & Canonicorum Cathedralium, quoniam isti non interveniunt in Consilio, neque se ingerunt in administratione Civitatis, ad quos effectus hujusmodi quæstiones agitari solent, cum nullibi, quantum sciam, in usu sit hæc merè honorifica præeminentia. 4

Quatenus enim pertinet ad Doctores, quamvis non levis contentio sit, tam inter juristas, quàm eruditos, an privilegia & præeminentiæ, quæ in jure habentur, ad favorem Professorum, conveniant necnè hujusmodi Doctoribus, practicè tantùm, in Advocati, vel causarum Patroni munere, vel respectivè in humanis corporibus curandis dictas professiones exercentibus, Aliquibus volentibus competere solùm illis, qui scientificè tantùm in cathedris, & Academiis legendo ac disputando profitentur, quasi quod ita à mechanico exercitio prorsus alieni, solam scientificam seu intellectus partem nobili more gerere videantur, secus autem accedente practico exercitio, quod aliquod mecanicum continet, ut patet ex plenè acerudite collectis pro utraque sententia per *Tiraquell. in tract. de nobilitate cap.* 29. ubi de Advocatis, & *cap.* 30. ubi de procuratoribus seu causarum Patronis, & *cap.* 31. ubi de Medicis. 5

Nihilominus ista quæstio cadit, ubi secluſa dignitate, seu gradu Doctoratus, nobilitatis præeminentia deducatur solùm ex ipsarum scientiarum professione, ut patet ex deductis apud eumdē *Tiraq.* Undepropterea occasione ultimi supplicii delinquentibus inferēdi disputatum fuit, an simplices professores, Doctoratus gradum non habentes, quamvis Licentiati, reputandi essent nobiles ad effectum evitandi ignominiosam mortem more plebeorum, & populariu m, quod tamen negativè decisum fuit apud *Franch. decis.* 111. quia scientia de per se non sufficit neque licentiatura, in illis regionibus, in quibus iste licentiaturæ actus non fit à tota Vniversitate, vel Collegio prævio examine, sed est solùm quidam actus præparationis Doctoratus ut est in Italia, secùs autem in Hispania, ubi fit solemniter, ideoque Doctoratui æquipollet ex plenè deductis per *Rovit. super pragm. in rubr. de schol ar. non doctoran. ex num.* 23. *præsertim num.* 48. *& seqq. & Lotter. de benef. par.* 3. *cap.* 7. *num.* 75. *& seqq.* Sæpiùs etenim titulus *nobilis* in jure usurpari solet pro excellentia, cujus ratione tantùm hæc prætogativa prærendi posse videtur, ut in proposito dicti tituli, *Nobilis*, excellentiam significantis, itaut etiam artificibus, absque tamen nobilitatis prærogativa & præeminentia, quinimo & brutis animalibus, ac rebus in animatis convenire possit, habetur particulariter deductum *in Fulginaten. juris honorifici hoc eodem titul. discurs.* 30. 6 7

Secus autem accedente gradu Doctoratus, quoniam hic importat dignitatem, quæ indefinitè pro-

producit nobilitatem seu præeminentiam, quoties tamen
8 sit ille Doctoratus, qui à probata Universitate vel probato Collegio, legitimè, ac servatis servari solitis collatus sit, rejecta distinctione inter theoricè, & alios practicè dictas professiones exercentes, quoniam præeminentia non provenit ab ipsa professione tantum, sed à dignitate seu gradu Doctoratus in ea, ut post antiquiores ab eis deductos latè de præstantia Doctoratus agunt, doctus & benè fundatus theoricus *Robertus Maranta* auctor Speculi seu praxis, hujus etiam Civitatis alumnus *consil.25. Paschal. de patr. potest. par.2.cap.5.num.69. cum seqnen. Muscatell.in tract. de præstantia Doctoratus inserto post ejus praxim Pratus respons.criminal.21.& 22.& in additionibus ad Paschal.& Muscatell.ubi supra*, cujus tamen opera longè post hanc relationem impressa fuerunt.

Et in specie de Doctoribus, nedùm in artibus & medicina physica, de quibus non dubitatur, sed etiam
9 in sola chirurgia habetur apud *Franch. celebri decis.564.*

Quodque eadem præeminentia influat in filios Doctorum, qui etiam nobiles dicendi sint, quoties tamen nobiliter vivant, atque in sordidis & mechanicis
10 non exerceantur, plenè colligit *Prat.d.respons.criminal. 21.& 22.* & habetur apud *Guid.Pap.decis 388.& 389. Paschal.de patr.potest.d.par.2.cap.2.num.3.cum seqq.& num.9.ibique Prat.in addit.*

Dictum est autem suprà de habentibus gradum Doctoratus ab aliquo publico probato Collegio, vel publica probata Universitate seu Academia, ubi non nisi prævio examine, ac servatis servandis iste gradus
11 confertri solet, Quoniam Doctores ex solo privilegio habito à feudatariis Imperialibus, vel aliis doctorandi facultatem habentibus, suffragari non debet pro hujusmodi præeminentiis, Quemadmodum receptum habemus non suffragari in iis, quæ vel de jure, vel ex dispositione Sac. Concil. Tridentin. exigunt Doctoratum, ut sunt ex.gr. primæ Dignitates, Vicariatus Capitularis & similia ex deductis per *Borell. in Summa decis.par.1.tit.65.de off. Advocator.num.30. Rovit.super pragm.dicta rubr. de scholar. non doctorand. Modernus Pignatell. Consultation. canon. 222.& 312.* præterquam ad effectum pœnarum, nè scilicèt illis
12 plebeorum subjaceant, ad quem effectum utpotè favorabilem & nemini præjudicialem, habentem etiam motivum pietatis & commiserationis, pro certo dicendum videtur, hujusmodi Doctoratum suffragari, nè aliàs privilegium doctorandi remaneat omninò inane.

Sivè pro meo judicio, ubi concurreret in ita doctorato magna doctrina, & excellentia in ea scientifica professione, in qua hujusmodi gradum ita suscepisset, tunc enim ex deductis per *Tiraquell. de nobilitate*
13 superius allegato *cap.29.cum duobus seqnen.* probabiliter dici potest ex sola scientia ejusque professione theoricè, vel practicè ut suprà præeminentiam resultare, Multò magis accedente gradu, quamvis per hanc extraordinariam viam obtento; Et cum hac distinctione intelligendi veniunt firmantes propositionem, quod privilegia concessa Doctoribus, competere solùm debent illis, qui re & doctrina sunt tales, non autem iis qui solo nomine & privilegio ex deductis *per*
14 *Menoch.de arbitr.casu 379.num.12.ubi cateri, & per Muscatell.dicto tract.de præstantia doctoratus par. 2. num.51.& seqq.* ubi latè de his Doctoribus indoctis, istoque gradu indignis; cum id nullatenus receptum sit in iis, quæ in publica Universitate, vel Academia servat. servan. doctorati sunt, quamvis, & in istis quoque frequenter verificetur, quod sint solùm doctorati, & non doctores; Considerando potissimè, quod frequenter aliqui litterati, & dignè Doctores censendi, suscipere coguntur hujusmodi doctoratum ex privilegio, ob eorum paupertatem, unde solvere non possunt consueta emolumenta, neque facere expensas itineris pro accessu ad loca Universitatum & Collegiorum, quamvis hæc piam ac laudabilem haberent consuetudinem aliquid pauperibus remittendi, ut est Collegium Advocatorum Concistorialium Urbis; Atque ex hoc motivo, certus tamen de idoneitate, ac doctrina, pluries ab hoc eodem Plumbini Principe hanc facultatem habente, absentibus gratuitum Doctoratus privilegium concedi, obtinui, & respectivè consului.

Et quamvis de facto, ac hominum opinione, Doctores tàm legum, quàm medicinæ, obscuros ac populares natales habentes ex nobilium ordine reputari 15
non soleant, fortius verò illi medicinæ, juxtà tamen regionum seu Civitatum morem, qui in Italia est satis diversus, etiam de Civitate ad Civitatem in eadem provincia; Et quidem non improbabiliter quoad practicantes, cum hujusmodi professionis exercitium quandam mechanicam partem continere videatur, quod etiam, licèt non adeò mechanicè, dici posse videtur in practicantibus munus Procuratoris, in iis, quæ nudum personalem laborem concernunt; Nihilominus advertendum est, nobilitatem plures sub se continere species, atque ad diversos effectus considerari.

Prima enim species est, ubi agitur de nobilitate Magnatitia, & primi ordinis, constituente unum corpus cum ipso supremo Principe, & sub istorum nomine non veniunt, nisi feudatarii Dignitatum, & sic 16
Principes, Duces, Marchiones, & Comites, cum quibus tantùm Summus Pontifex titulum *nobilis* in litteris adhibere solet, non autem cum privatis nobilibus, quamvis generosæ nobilitatis, & sic cum illis qui sub Magnatum nomine veniunt.

Altera dicitur species nobilitatis restrictæ ad certos effectus, ut sunt illi qui ex Regio privilegio, aut antiqua consuetudine, sunt solùm capaces aliquorum 17
munerum Civitatis, quæ non nisi illis conferri possunt, ut sunt e.g. nobiles Platearum seu Sedilium Civitatis Neapolis, quoniam non nisi personæ de familiis in eo Sedili adscriptis in illud Consilium ingredi possunt, atque ad illa publica munia eligi, quamvis cæteri generaliter, considerata qualitate personali, essent nobilissimi, quoniam sola nobilitas non sufficit ad illum effectum, pro quo alia qualitas necessaria est juncta cum nobilitate, quod scilicet sit de illo genere personarum, & de illis familiis.

Quinimò etiam si essent de ordine Magnatitio non intrarent, quoniam Alii sunt Magnates Regni, Alii sunt nobiles privati istius Civitatis, Unde propterea 18
habemus tres leges municipales diversas in dicta Civitate, unam consistentem in consuetudinibus, commentatis per *Napodanum, Molphes. & Provenzal. & alios*, quæ sunt omnibus dictæ Civitatis civibus & incolis ejusque districtualibus intra proprium territorium & non ultrà communes; Altera consistit in consuetudine nobilium tantùm, & quæ vulgò *Capuanæ & Nidi* dicitur; Et tertia dicitur *mos Magnatum*, quæ ex veriori opinione idem importat ac jus commune, ad differentiam dicti juris consuetudinarii.

Et sic diversus est ordo Magnatum ab ordine privatorum nobilium ejusdem Civitatis, proindeque prorsus irridibilis fabulæ speciem, ex totius Orbis judicio, continet illa omnimoda æqualitas, quæ per hujusmodi privatos nobiles prætenditur cum Magnatibus, præsertim antiquis & primi ordinis, præterquam in concernentibus munera ipsius Civitatis, & in

actibus collegialibus ipsius Plateæ seu Sedilis, ubi omnes considerantur æquè privati cives seu nobiles, non curatis accidentalibus qualitatibus, quæ in ipsorum aliquibus concurrerent, juxta ea quæ habemus de Episcopo sedente in Capitulo tanquam uno ex Canonicis, quia consideratur tanquam Canonicus, non tanquam Episcopus, cum similibus. Sed extrà illos actus particulares, generaliter & indefinitè, id prorsùs fabulosum est, quoniam si Parlamentum, vel alia functio celebrari debet per Regem, & nobiles Regni, Magnates tantùm, & Titulati, non autem reliqui veniunt, atque isti tantùm pluribus gaudent prærogativis & præeminentiis, quibus non alii, puta sedendi operto capite coram Prorege & similibus, quia dicuntur nobiles primi ordinis supra exemplificati, ac
19 nobiles & Domicelli totius Regni seu Principatus ex quadam nobilitate publica, alii verò sunt de privata nobilitate ipsius Civitatis, licet ob istius adeò conspicuam qualitatem, & quod de facto gerat partes Metropolis, in concursu aliquam majorem præeminentiam non improbabiliter obtinere debeant cum aliis privatis nobilibus Civitatum inferiorum, quia illi magnæ Civitatis præcedunt alios Civitatum inferioris ordinis *Chassaneus in Catalogo glor. par. 11. consider. 44. Capyc. Latr. dec. 181. num. 17. ubi cateri.*

Tertia species est illius, quamvis privatæ nobilitatis, quæ generosa dicitur, ad differentiam illius indefinitæ, ex sola legis dispositione provenientis, ut est illa nobilitas, quæ per quatuor latera utriusque parentis, &
20 utriusque aviæ necessaria est pro militari habitu justitiæ in religionibus S. Joannis Hierosolymitani, S. Jacobi de Spata, de Calatrava, de Alcantara & similibus, & ad istum effectum absque dubio non prodest nobilitas resultans ex doctoratu, & gradu in scientiis, sive ex gradibus militaribus aliàs de jure nobilitantibus, cum pro hujusmodi nobilitate requiratur nobilis vita, cum communi fama & reputatione, ac notorio usu insignium per tempus immemorabile juxtà ea, quæ habentur in pluribus *Melevitanis hoc eod. tit. disc. 32. & seqq.*

Quarta demum est species ordinariæ nobilitatis in genere, resultantis à dispositione legis, tam ratione antiqui usus majorum nobiliter vivendi, & quæ dicitur nobilitas naturalis, seu nativa, quamvis non omninò generosa, quàm etiam ex muneribus & gradibus
21 personalibus, & quæ dicitur accidentalis, attendenda, Vel ad evitandas ignominiosas popularium & plebeorum pœnas, Vel ad obtinendam exemptionem à muneribus sordidis & personalibus, ac etiam ab illo onere pecuniario, quod dicitur capitatio, vulgò *la testa*, cum similibus, Sive ad effectum gaudendi hujusmodi præeminentiis & honorificentiis, quibus generaliter gaudent nobiles Civitatis, absque alia peculiari qualitate, quæ circa nobiles requiratur, & tunc certum est, quod de jure, cessante consuetudine legitimè probata & præscripta, hujusmodi Doctores, eorumque filii nobiliter viventes, sub nobilium nomine, veniunt, ut etiam Præfecti seu Duces militiarum, & cohortium, quia militia pariter ac litteratura nobilitat.

Quoverò ad Dignitates & Canonicos Cathedralis, pro mea notitia, non de facili habentur tractantes
22 punctum in specie, *Chassaneus* enim *in catalogo gloriæ mundi*, ac alii, consimiles materias tractantes, agunt de præeminentiis sacerdotum & clericorum suprà populum sæcularem in genere, sive de præeminentiis inter ipsos clericos, ad quem effectum distinguuntur inter eamdem hyerarchiam seu ordinem sæcularium, ordines seu gradus, atque Dignitates, & Canonici Cathedralium post Episcopos majorem habent præeminentiam supra alios, cum distinctione tamen, an collegiativè vel singulariter, ex iis, quæ habentur acta *hoc eod. tit. in Ampurien. & Civitaten. præcedentiæ disc. 17.* sive distinguuntur dictæ hyerarchiæ, seu genera clericorum sæcularium & regularium, ut *in Romana præcedentiæ* pariter hoc tit. *disc. 24.* & in aliis; Et de præcedentia debita Canonicis Cathedralis suprà Decuriones seu Consiliarios Civitatis habetur particulariter actum *in Forolivien.* pariter hoc tit. *disc. 23.* cum similibus quæstionibus, præcedentiam, vel jurisdictionem percutientibus; Sed in specie, an sub privilegiis competentibus nobilibus Civitatis in genere, veniant Canonici Cathedralis ratione Canonicatus, vel Dignitatis, quamvis populares seu plebeos natales habeant, adhuc videre apud scribentes occasio non dedit, cum laboriosissimus & diligens collector *Augustinus Barbosa* in ejus tractatu *de Canonicis & Dignitatibus*, recensendo istorum præeminentias ac prærogativas, ad hos terminos descendere non videatur.

Quinimò in plerisque regionibus ac Civitatibus, præsertim verò in Neapolitana, ejusque nobilium jam 23
dictis Plateis seu Sedilibus, in quæstione est, an clericatus, ubi præsertim est ita majoris ordinis & cum addictione hujusmodi beneficiis, privet illis præeminentiis, quæ alias ratione naturalis nobilitatis competerent circa facultatem ingrediendi & votandi in Sedili seu Consilio, aliaque munia publica obtinendi, & in quo, quidquid sit de veritate, cui integer locus relinquitur, extrà ditionem temporalem Ecclesiæ, frequentior praxis, præsertim in Italia, esse videtur potius contra clericos, Unde tantum abest quod clericatus ita qualificatus hanc præeminentiam causet in iis, qui per naturam aliàs illa carerent, quod immò potius ille præstat impedimentum saltem de facto, nè illius effectum obtineant ii, qui aliàs in statu sæculari essent obtenturi.

Adhuc tamen probabilem censeo dictam determinationem, quoniam quicquid sit quoad eas præeminentias, quæ percutiunt administrationem Civitatis aliarumque rerum sæcularium residentem penes populum, qui contradistinguitur à clero habente econversò administrationem rerum ecclesiasticarum & spiritualium, quasi quod ità divisis sortibus, quilibet sua contentus esse debeat. Attamen in hujusmodi merè honorificis præeminentiis, in quibus clericatus vel ecclesiastica dignitas nullam inducit incompatibilitatem, secùs dicendum est, ut etiam docet praxis, quam, inter cætera exempla, quæ deduci possent, ità comprobatam habemus in eadem Civitate Neapolitana, quoniam illi qui aliàs nobiles vel respectivè cives, ratione clericatus vel ecclesiasticæ dignitatis, saltem de facto non admittuntur in Consiliis vel Sedilium congressibus, ac aliis administrationem Civitatis percutientibus, admittuntur tamen tanquam Doctores cives ad Collegia legistarum & medicorum, aliorumque professorum, penès quæ ex Regiis concessionibus residet facultas doctorandi in toto Regno, cum similibus.

Et consequenter, ex eadem ratione, ob quam ut suprà, Doctoratus tanquam dignitas collata à Principe vel ab eo, cui ipse potestatem dedit, nobilem reddit personam aliàs ignobilem, itaut potiri debeat prærogativis competentibus nobilibus in genere juxtà quartam nobilitatis distinctionem suprà recensitam, idem quoque dicendum veniat in hujusmodi Dignitatibus & Canonicis Cathedralis, cum ità à Papa, vel ab Episcopo constituti dicantur in dignitate majori, quàm sit simplex doctoratus, dum Papa rescribit, & causas delegat Canonicis & Dignitatibus Cathe-

Cathedralis, tanquam personis in dignitate constitutis, quod non facit cum simplicibus Doctoribus quamvis à seipso creatis.

Præterea ex juris dispositione vel ratione habemus,
24 quod Decuriones seu Consiliarii Civitatis, ratione cujusdam jurisdictionis saltem habitualis, ac aliarum præeminentiarum, nobiles dicuntur, à reliquo inferiori populo contradistincti, ex iis quæ habentur acta *in Fulginaten. juris honorifici hoc eod. tit. dis.* 30. Ergo fortius tales censendi sunt Canonici Cathedralis, Vel tanquam Consiliarii Episcopi, Vel per quemdam similitudinarium modum loquendi, Decuriones cleri & Civitatis Ecclesiasticæ, Vel ratione majoris jurisdictionis residentis penes Capitulum etiam supra ipsos Decuriones & Consiliarios, aliosque nobiles sæculares tam Sede Episcopali plena, quam fortius vacante, ex qua ratione ac aliis in specie firmatum habetur in dicta *Forolivien. disc.* 23. Canonicis Cathedralis præcedentiam debitam esse suprà Consiliarios seu Decuriones Civitatis, unde si isti ob hujusmodi munus inferius, inferioremque jurisdictionem actualem, vel habitualem sæcularem acquirunt hanc præeminentiam, multò magis illi qui sunt istorum Superiores, ob participationem quam habent cum Episcopo in jurisdictione Episcopali, & in repræsentatione corporis cathedratici, Influente in idem illa ratione, ob quam Cardinales quamvis Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis inferiores quoad ea quæ sunt ordinis, eos tamen præcedunt eisque digniores reputantur, ideoque mihi, licèt ad sæculum & ultrà nato post dictum resolutionem, habentem observantiam centenaria majorem, quæ sola sufficeret ad titulum validum, incontrovertibilem, & de mundo meliorem, illa visa est probabilis, stante præsertim antecedenti ad favorem Doctorum.

EVGVBINA

ABBATIÆ

PRO

PATRE BENEDICTO,

CUM

P. TONNO ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM.

Casus variè decisus por Sac. Congregationem Episcoporum & Regularium.

De materia civilitatis, tam veræ & naturalis, quàm fictæ per privilegium seu allectionem, & de utriusque concursu, An scilicèt Cives allecti, & per fictionem sint capaces officiorum & munerum in concursu Civium per veritatem & naturam; Et de significatione verbi, *Natio*, seu verbi *Patria*, & qui propriè dicantur nationales patriotæ.

SVMMARIVM.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Varia dicti casus resolutio.*
3 *Solus Princeps dat civilitatem fictam in præjudicium tertii.*
4 *Quando civis allectus habendus sit pro vero.*
3 *Officia Civitatis conferri debent civibus naturalibus.*
6 *Quando ficta civilitas operetur.*
7 *Adoptivi an succedant cum legitimis & naturalibus.*
8 *De alio casu simili.*
9 *Uno quando sit subjectiva vel sociativa, ut personæ unius Universitatis dicantur etiam de altera.*
10 *Patria quid significet, & quid veniat sub ejus nomine.*
11 *Calepino deferendum est etiam in foro*
12 *Etiam provincia venire potest sub nomine patriæ.*
13 *Verbum* natio *quid significet.*

DISC. XXXVI.

1 QUamvis, tam ista controversia *Eugubina*, quàm altera *Arimmien.* seu *Forolivien.* de qua infrà, essent inter Regulares, & occasione officii seu Prælaturæ Regularis, Attamen nihil in hujusmodi disputationibus continebatur quod peculiarem statum seu materiam Regularium percuteret, cum totum penderet à præeminentia seu qualitate civilitatis, seu nationalitatis & patriæ; Cum igitur in Congregatione Canonicorum Regularium sancti Salvatoris per litteras *Pauli V.* statutum esset, Abbatias, aliasque Prælaturas, Religiosis capacibus ubi extant, ejusdem patriæ & nationis conferendas esse, atque ob generalem suppressionem sub *Innocentio X.* sequutam parvotum Conventuum, suppressum esset Monasterium *Callien.* undè propterea per diffinitorium, de ejusdem *Innocentii* placito, Religiosi dicti Monasterii aggregati fuerunt ibi adjacenti *Eugubino*; Istius autem Abbatiæ vacatione sequuta, superiores neglecto P. Benedicto Eugubino, illam contulissent P. Tonno *Callien.*, 2
ad istud Monbsterium ut suprà allecto, Hinc proindè inter præfatos orta est controversia, & introducta causa in Sacra Congregatione Regularium negotiis præposita, ab ista, cum præsuppositio quod intentio *Innocentii* in præfata suppressione fuisset, ut filii naturales Conventuum suppressorum, utpotè propria domo absque culpa carentes, in aliis Conventibus, seu Monasteriis, in quibus collocati sunt, in omnibus tanquam veri & naturales, seu filii reputari deberent, ad favorem provisi prodiit resolutio; Verùm habito per alteram partem recursu ad eumdem Pontificem adhuc viventem, istoque declarante, suæ intentionis fuisse habilitandi quidem ac reddendi capaces dictos exteros ita allectos, non autem præjudicandi veris civibus & rationabilibus, eorumque jus tollendi; Idcircò proposita causa, recessum fuit à decisis, ac resolutum pro P. Benedicto cive per veritatem.

Pro quo scribens in hac bina disputatione dicebam, etiam cum sensu veritatis, quod ubi aggregatio in 3
civem facta est cum Principis authoritate, qui solùm facere potest de ficto verum, ac tollere jus tertii, secùs autem per Civitates vel Universitates inferiores, ex deductis suprà *in Romana Protectionum hoc eod. tit. dis.* 13. Tunc eatenùs hæc allectio in concursu veri civis quoad officiorum capacitatem aliosque effectus suffragatur, quatenùs illa facta sit cum clausula *in omnibus & per omnia*, Secùs si simpliciter: ut benè firmat *Bald. in l. omnes populi numero* 92 *ff. de iust. & jure*, 4
ubi quod si lege municipali caveatur, Priores Civitatis esse debere originarios, forensis receptus in civem non poterit esse Prior, nisi ejus receptio esset cum dicta clausula, quod haberetur pro cive originario, *in omnibus, & per omnia*, Et sequitur ac benè comprobat doctus concivis meus *Robertus Maranta cons.* 103. 5
num. 20. ubi probat cives aggregatos admittendos non esse ad Magistratus & officia civibus debita,

quia leges, ſtatuta, vel conſuetudines hujuſmodi intelligi debent de ſolis civibus veris & naturalibus, ex veriſimili ſtatuentium ſeu fundatorum voluntate conſulendi perſonis illius loci, & ne ab exteris ſub hujuſmodi fictis coloribus excludantur.

Quod etiam plenè habetur firmatum per Rotam *in Comen. Collegii coram Peutingero & Zarata dec. 296. par. 10. & 370. par. 11. rec.* ubi deciſum habetur, ad Collegium *Aſconenſe* à S. Carolo erectum pro Civibus *Aſconenſibus*, admittendos non eſſe *Ronchenſes* in concurſu, ac in præjudicium *Aſconenſium*, quamvis civilitati dicti loci aggregati eſſent, Et meritò, quia
6 huju ſmodi aggregationes, ac fictæ civilitates, operari quidem poſſunt habilitatem perſonæ ad hujuſmodi munia obtinenda ceſſante concurſu aliorum, veram ac naturalem civilitatem habentium, & in concurſu eorum, qui utraque careant, Non autem in excluſionem ac præjudicium habentium qualitatem veram & naturalem.

Ad quod etiam conferunt ea, quæ habentur in jure diſpoſita de filiis adoptivis, capacibus quidem ex voluntate adoptantis obtinendi jura filiationis, non autem in præjudicium filiorum naturalium, quorum legitima adoptivi nec tollere, nec minuere poſſunt, niſi concurrat auctoritas Principis, qui fictionem veritati comparare poteſt, ac etia tollere jus tertii, quo ſolùm caſu in propoſito aliqua difficultas cadere poteſt ex deductis per *Merlin. de legit. lib. 1. tit. 2. q. 2.* & ſic ubi Papæ auctoritas vel intentio concurrit, quæ faciat de ficto verum, cum Principi ſolum id concedatur.

Similem quæſtionem diſputavi occaſione vacatio-
8 nis Abbatiæ ſeu Prælaturæ domus *S. Archangeli Ariminen. diœceſis* ejuſdem Congregationis; Cum enim iſta domus quamdam dependentiam haberet à domo ſeu Monaſterio *S. Mariæ Gratiarum de Forno Forolivien*, Superiores prætendentes Religioſos utriuſque Monaſterii promiſcuè dici nationales, atque unam nationem ſeu patriam conſtituere, idcircò dictam Abbatiam contulerunt Religioſo dicti Monaſterii S. Mariæ Gratiarum, neglectis duobus Religioſis Monaſterii S. Archangeli, qui recurrentes ad Sacram Congregationem, rejecti fuerunt.

In hac autem diſputatione, ſcribentes pro Proviſo inſiſtebant in eo quod iſtud Monaſterium eſſet potius membrum alterius, utpotè illi ſubjectivè unitum, ex quo de facto Adminiſtratores dicti Monaſterii *de forno* adminiſtrabant bona dicti alterius Monaſterii, quod
9 propterea dicebant non dici poſſe tale, juxtà receptas Beneficialiſtarum propoſitiones, quod acceſſoriè unitum amittit proprium nomen & eſſentiam, ac rfficitur prædium alterius, ut habetur etiam in *Ampurien. hoc tit. diſc. 7.* Sed reverà iſtud fundamentum nullam habebat ſubſiſtentiam, quoniam ſi ita eſſet, non potuiſſet habere proprium Abbatem diverſum ab altero, habentem etiam vocem in Capitulo, aliaſque prærogativas, Ideoque mihi ſcribenti pro dictis recurrentibus, reflectendo ad veritatem, faciebat ſolùm difficultatem conſideratio, quod ſtante dicta promiſcua adminiſtratione, aliiſque actibus, ex quibus ad dictam ſubjectivam unionem inferebatur, iſta eſſet potius quædam unio ſociativa, per quam concorditer, communicatis invicem juribus ac bonis, Religioſi unius eſſent participes Prælaturæ ac adminiſtrationis alterius, quod æqualiter ad commodum & incommodũ reſpectivè ſe habet, Atque ex hoc fundamento, credo quod prodierit reſolutio Sac. Congregationis.

Quatenus verò pertinet ad terminos *patriæ* ſeu *nationis*, de quibus agunt dictæ litteræ Apoſtolicæ *Pauli V.* in iſta Congregatione diſponentes, Abbatias & Prælaturas conferendas eſſe patriotis, ſeu nationalibus; quales ſcilicet iſti dicantur, Dicebam, quod quatenus pertinet ad terminum *patriæ*, habemus *text. in l. uxorem 39. §. legaverat ff. de legat. 3.* ex quo, & ex alio *in l. unica Cod. ſi Curiales relicta Civitate lib. 10.* quærit *Bart. in l. 2. ff. de verb. ſignif.* quid veniat ſub nomine *patriæ*; Et diſtinguit inter favorabilia & odioſa, ut in favorabilibus veniant etiam continentia ædificia, ſeu ſuburbia vel territorium, ſecùs autem in odioſis, in quibus id ſolùm venit quod intrà muros continetur; Atque poſt *Rebuffum & Alciatum in ead. l. 2* de hoc verbo ſeu termino *Patriæ*, agunt *Gizzarell. dec. 23. alias 24. & Rovit. deciſ. 11.* apud quos conſtat, ſolam controvetſiam eſſe, an ſub huiuſmodi nomine ſeu vocabulo veniat totum territorium loci, in quo quis natus eſt, vel ſolus recinctus murorum ſeu habitationis, Omnes tamen ſupponunt non venire niſi ſedem natalium, & ſic locum nativitatis, Ut ex *Virgilio egloga prima*, ibi; *Nos patriam fugimus*, &c. & ex aliis Linguæ Latinæ Scriptoribus obſervat *Calepinus* in verba *patria*, cujus auctoritati etiam in foro defe- 11
ri ſolet ut apud *Franch. dec. 662. num. 17.*

Eſt bene verum, quod hoc nomen latiùs patere poteſt, ac etiam provinciam denotare, ut ex *Saluſtio* obſervat idem *Calepinus*, & ex noſtris *Alciat. in d. l. 2. num. 5. in fine de verb. ſignif.* Quare ad dejumendum, de qua ſpecie patriæ, legis vel hominis diſpoſitio loquatur, attendenda eſt ſubjecta materia, ſed communis uſus loquendi, ut per *Gizzarell. dicta dec. 23. aliàs 24. num. 5. Gonzal. ad reg. 8. §. 1. cum pluribus ſequen.* ubi de materia, qui dicantur *patrimoniales*.

Quibus in propoſito ſpectatis, planum videbatur, Papam ſentiſſe de patria juxta propriam & ſtrictam vocabuli ſignificationem, quoniam, ſi de univerſa provincia intelligere voluiſſet, inanis fuiſſet proviſio, cum ità ferè totam Congregationem caperet, Ita etiam comprobante ſubſequuta obſervantia, quæ in omnibus eſt optima interpres, Unde cum locus S. Archangeli eſſet de diœceſi *Ariminen.* & Abbatia *de forno* eſſet in diœceſi *Forolivien.* idcircò, ſive attenderentur fines eccleſiaſtici, ſive temporales, ſemper territoria erant omninò diverſa, & conſequenter impoſſibile, quod uterque locus unam patriam conſtitueret.

Quo verò ad aliud vocabulum ſeu terminum *nationis*, obſervabam in jure, illum capi pro gente, à qua quis procreatus eſt juxta *text. in l. quod ſi nolit §. qui mancipia ff. de edilitio edicto*, ubi diſponitur, quod qui mancipia vendunt, nationem cujuſque pronunciare debent, quia plerumque natio ſervi, aut provocat aut deterret emptorem, ibique *gloſſ.* verbo *nationem* explicat, ex quibus parentibus natus ſit, ſive ex qua progenie ſervorum.

Profeſſores autem linguæ latinæ diverſimodè capiunt iſtud vocabulum, ut conſtat *ex Calepino* verbo *natio*, & in effectu juxtà communem uſum, eſt æquivocum ac aptum habere, ſtrictam, latam, latiorem, & latiſſimam ſignificationem, juxtà ſubjectæ materiæ qualitatem, vel cujuſque Regionis uſum, quia in una Regione capitur pro ſola patria, ut in præſenti, quod *patria & natio* habenrur pro ſynonimis, In altera capitur pro provincia ſubalterna ad provinciam majorem, Et in altera capitur pro univerſo idiomate &c. Ideoque attento uſu hujus Congregationis, ac loquendi formula, idubitatum remanebat iſtud vocabulum idem importare, ac patriam particularem, ſed difficultas erat in dicta unione ut ſupra,

ERI-

BRITINORIEN.
SEU
FORI POMPILII BONORVM
PRO
MARCHIONE SCIPIONE CAPPONIO,

Casus disputatus in Congregatione Camerali, & resolutus ut infrà.

Civilitas naturalis, vel domiciliaria, An & quando amittatur per discessum à loco, vel potiùs retineatur, etiam ad effectum capacitâtis acquirendi, vel retinendi bona forensibus prohibita; Et de aliis ad materiam civilitatis super Constitutionibus, vel statutis inhabilitantibus forenses ad retinenda bona.

SUMMARIUM.

1 FActi series.
2 *Civilitas ficta, seu privilegiativa an sufficias ad capacitatem bonorum remissivè.*
3 *Quando dicatur quæsita civilitas domiciliaria.*
4 *Civilitas domiciliaria semel contracta, quomodo amittatur.*
5 *Potest quis esse verus civis duorum locorum.*
6 *Habilitatis causativa seu occasionalis in loco non inducit domicilium, neque causat desertionem proprii domicilii.*
7 *Ad civilitatem naturalem requiritur nativitas in loco.*
8 *Quid ubi nativitas est diversa à conceptione remissivè.*
9 *Natus casualiter extrà patriam habetur, ac si in ea verè natus esset.*
10 *Distinctio inter assequendam civilitatem domiciliariam & amittendam jam assequutam.*
11 *Privatio juris quæsiti importat pœnam.*
12 *Refertur exitus controversia.*

DISC. XXXVII.

1 COntracto per Marchionem Scipionem Capponium Florentinum domicilio in Civitate *Britinorien*, ubi & in loco *Fori Pompilii* plura bona possidebat, Cum effectus esset Senator in patria originaria, ad quam pro hujusmodi munere exercendo se contulit, relinquendo tamen in loco domum apertam cum aliquibus ex filiis & familia, Editaque Constitutione *Alexandri VII.* revocatoria omnium licentiarum, quæ forensibus concessæ fuissent, ac innovante Constitutiones *Sixti V. Clementis VIII. Pauli V. Urbani VIII. & Innocentii X.* super incapacitate forensium non habitantium in Statu Ecclesiastico inibi possidendi bona stabilia, Orta est difficultas, An dicto Marchioni præfatæ Constitutiones obstarent, ita ut cogeretur regredi ad incolatum, seu licentiam obtinere, Et remisso per eumdem *Alexandrum* negotio Congregationi Camerali; Dicebant Camerales, planam videri comprehensionem, quoniam licèt in puncto juris controversum sit inter scribentes, An civilitas ficta, seu privilegiativa sufficeret ad hunc effectum capacitatis acquirendi, vel retinendi bona in 2
loco, non obstantibus statutis, aliisque legibus municipalibus forensium inhabilitativis, Aliis simpliciter affirmantibus, Aliis econversò negantibus, Aliis verò distinguentibus, ut patet ex deductis per *Surd. cons. 371. num. 47. & 48.* & per *Rotam. decis. 52. num. 9. & 10. part. 5. rec. & apud Rotas decis. 332. & 333.* Nihilominus hujusmodi quæstio sopita remanet per easdem Constitutiones, vel earum aliquas, litteraliter determinantes, fictam seu privilegiativam civilitatem non sufficere, sed requiri veram, cum actuali habitatione.

His non obstantibus, scribens pro dicto Marchione, cum sensu etiam veritatis, contrarium dicebam probabilius, ex eò quod non obstante dicta absentia adhuc civilitas vera & naturalis adesse dicebatur, quoniam illam verè domiciliariam cum incolatu etiam ultrà decennium, & cum acquisitione magnæ 3
partis bonorum, ac supportatione omnium onerum civicorum, & exercitio Magistratuum Civitatis, indubitatum erat, & per Camerales non controvertebatur, contractam, seu acquisitam esse, verè, non autem fictè, & ex privilegio, ex deductis, in materia per *Barbos. de Episcopo alleg. 4. Giurb. obser. 75. & 76. Rot. apud Rojas ubi supra*, apud quos concordantes.

Quo posito, punctus erat, an hujusmodi civilitas jam acquisita & legitimè impressa, per hujusmodi absentiam amissa seu cessata diceretur, Et in hoc omninò verius dicebam negativè respondendum esse, quia 4
unumquodque juxtà vulgare axioma dissolvi debet eo vinculo, quo ligatum est, Unde quemadmodum ad contrahendam, seu acquirendam civilitatem domiciliariam, non sufficit solum factum habitationis materialis in loco, nisi etiam concurrat declaratio animi explicitè, verbis, vel implicitè factis sequuta, ex deductis per *Giurbam & Barbosam ubi supra*, cum aliis apud eos, Ita idem animus hanc civilitatem deferendi implicitè vel explicitè declaratus requiritur, neque sola absentia materialis sufficit, quia eadem est ratio propositi in proposito, ac oppositi in opposito; potissimè ubi accedit potiùs eiusdem animi declaratio in contrarium de facto cum retentione domus apertæ cum familia & cum continuata supportatione onerum.

Neque obstare, dicebam dictam absentiam materialem ejus personæ, ex duplici fundamento, Primò, quia de jure prohibitum non est duplicem habere ac re- 5
tinere civilitatem, etiam veram non autem fictam & privilegiativam, Unam, scilicèt originariam, Alteram domiciliariam ex collectis *decis. 137. num. 13. par. 5. rec. decis. 187. in fine post. Zacch. de oblig. Adden. ad Buratt. dec. 811. num. 7.* Et ideò cum hic esset origine Florentinus, non per hoc quod in patria originaria aliquo tempore moraretur, sequebatur, quod aliam patriam domiciliariam deseruisse diceretur, potissimè, ut dictum est, dum inditia continuationis concurrunt, cum domo aperta, & supportatione onerum.

Secundò clarius, & potissimè invicem utrumque fundamentum conjungendo, quod hæc non erat absentia merè voluntaria, & sine causa, ita ut intrare posset suspicio, quod retentio domus apertæ in alio loco cum aliquibus de ejus familia ibi opportunis pro administratione, & cultura bonorum, esset solùm color quæsitus ad legem fraudandam, dum illa videbatur necessaria, vel saltem occasionalis pro exercendo

scilicet

6 scilicèt munere Senatorio, quo casu, sicuti per incolatum occasionalem, seu causativum in loco, ibi domicilium contrahi non dicitur ex deductis *apud Merlin. decis 63. num. 16. aliàs 456. par. 5. rec. Otthob. decis. 89. num. 9. & 145. num. 31. dec. 312. num. penult. & finali par. 9 rec.* & habetur formiter actum *in Anconitana onerum sub tit. de Regalibus ad materiam Vectigalium disc. 104.* ac etiam *in Reggien. Consortii sub tit. de Canonicis & Capitulo*, ac alibi, Ita absentia accidentalis seu causativa non tollit propriam civilitatem seu domicilium legitimè contractum,

Unde propterea, licèt ad effectum veræ & naturalis civilitatis requiratur nativitas in loco *ad text. in l. Cives Cod. de incolis lib. 10. l. assumptio §. filius ff. ad municipalem cum concord. per Barbos. dicta alleg. 4. num. 2. & 3. Gurb. dicta obser. 76. num. 1. Merlin. decis. 882. nu. 1. & 2. Sypontina Archiepiscopatus 14. Martii 1646. Verospia, Capyc. Latr. consult. 87. nu. 1.* ubi de quæstione, quando diversus est locus conceptionis à loco nativitatis.

Attamen si sequatur nativitas extra patriam originariam occasionaliter, quia nempè parentes ibi morentur occasione officii, feudi, militiæ, vel mercaturæ &c. habetur, ac si verè & naturaliter natus esset in propria patria *Felin in cap. Rodulphus num. 14. de rescriptis* ubi loquitur de se ipso nato extrà ejus patriam *Ferrarien.* occasione officii, quod pater in alio loco exercebat, *Menoch cons. 80. num. 9. cum sequen. & lib. 6. præsumpt. 30. num. 16. & 17.* ubi exemplificat in ejus filiis, *Grammat. dec. 103. num. 112. Civiac. controv. 292. num. 30. cum sequen.* latè *Gurba dicta obser. 76, Otthob. decis. 148. num. 8.* & habetur *in dicta Anconitana onerum sub tit. de Regalibus disc. 104.* ac etiam *in Avenionen. sub tit. de matrimonio*, ubi an præceptum testatoris filiæ injunctum de nubendo cum Cive *Avenionen.*, adimpleretur nubendo cum *Avenionen.* originario nato in Civitate *Parisien.* occasione servitii seu militiæ apud illum Regem, cum similibus; Ita etiam docente communi praxi & observantia illarum nationum, quæ occasione mercaturæ extra patriam originariam morari solent; Ac etiam habemus in nobilibus Neapolitanis, qui pro maiori parte natales extra eam Civitatem habere solent in eorum feudis, in Calabria, aliisque Regni partibus etiam remotis existentibus, multò magis in hac facti specie, in qua duplex concurrebat circumstantia, una occasione exercendi munus Senatorium, altera morandi in patria tanquam in aere nativo utpotè magis salubri, & proficuo, stante ejusdem Marchionis infirma valetudine.

Atque dicebam considerandum esse, magnam esse differentiam inter casum, in quo disputetur an per aliquem incolatum in loco, à quo deindè discedat, 10 contractum diceretur nec ne domicilium, seu quæsita civica qualitas domiciliaria, quæ esset in quæstione, ad effectum, ut non imprimeretur, seu non acquireretur, Et casum, in quo dicta civilitate sine dubio iam legitimè impressa & acquisita, ageretur de illius amissione, cum hoc secundo casu importare diceretur pœnam, quæ inesse dicitur, ubi resultat amissio juris iam quæsiti, & competentis, ut distinguendo inter ius quæsitum & quærendum *Mantica decis. 300. Gregor.* 11 *& Adden. decis. 220.* apud quos cæteri, & habetur præsertim actum *in dicta Avenionen. sub tit. de matrimonio, & in Neapolitana hæreditatis sub tit. de fideicommissis*, ubi de distinctione inter conditionem repellentem à iure quærendo, & inducentem privationem iuris quæsiti, & conferunt deducta *in Fanen. disc. seq.*

Quamvis autem hæc in puncto iuris, ita procederent, undè si ea disputari contigisset in plena Camera, ut meus erat sensus, probabiliter sperari debuisset resolutio super dictarum Constitutionum non obstan- 12 tia, Nihilominus ex prudentialibus moti is determinatum fuit amplecti quamdam specialitatem ab eisdem Cameralibus oblatam, ut ea licentia, quæ ad sex menses aliis forensibus concedi solet, haberetur ad plures annos, intra quos, stante dicti Marchionis infirma valetudine, probabiliter eius vita finem haberet, ut eventus comprobavit, unde propterea punctus remansit indecisus.

FANEN.

ADMISSIONIS

AD CONSILIVM

PRO

JOANNE FRANCISCO THOMASINO,

CVM

MAGISTRATU CIVITATIS FANI.

Casus disputatus in Sacra Consulta, & resolutus ut infrà.

Disponente statuto, ut cives allecti seu aggregati teneantur infrà annum acquirere in Civitate vel territorio domum vel prædium. An civilitas ad formam statutorum concessa suffragetur vel potius evanescat si dictum implementum non sequatur in tempore, quamvis posteà.

Pendente lite super civilitate, vel munere Consiliarii, si ea pendente litigans extrahatur à bussolo, An debeat admitti ad administrationē, vel potius possit prohiberi.

Et aliqua de intelligentia Statuti Fanensis super capacitate, & qualitatibus eorum, qui debent assumi ad munus Consiliarii, Ac de subreptione, & nullitate indulti Apostolici super dicto munere, seu loco Consiliarii, Et quibus competat jus opponendi de hoc defectu.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Debitores Civitatis, vel aliàs cum ea litem habentes admitti non debent ad ejus administrationem.*

3 *Declaratur quando id procedat.*

4. *Idem habetur in militibus Hierosolymitanis, ut debitores thesauri admitti non possint ad munera.*

5 *Idem in tutoribus & curatoribus pupilli, ejus curam haben-*

habentibus, quod declaratur quando id procedat.

6 *Declaratur conclusio de quo anu. 4. super militibus Hierosolymitanis.*

7 *Possidenti danda est manutentio in jure votandi, seu interveniendi in Capitulo & Congregatione, vel similibus etiam lite pendente.*

8 *In specie ut lite pendente super civilitate, vel alia qualitate necessaria ad Magistratus & officia Civitatis, interim possessor debeat manuteneri, & non possit impediri.*

9 *Civilitas concessa sub conditione vel onere ædificandi domum vel aliud faciendi intrà certum tempus, an cesset si id non impleatur; Et de differentia inter conditionem & modum.*

10 *Implementum etiam post tempus re integra admittitur.*

11 *De intelligentia Statuti Fanen. super habilitate ad munus Consiliarii, Et an qualitas originaria copulativè requiratur cum habitatione 25. annorum, vel sufficiat alternativa.*

12 *De materia subreptionis, vel obreptionis gratiæ, aut defectus intentionis; Et quæ hos defectus excusent, Et de differentia inter gratiam exequutam, & exequendam.*

13 *Negotia gravia & perpetua puta circa civilitatem pertinent ad totam Communitatem, vel Consilium generale, non ad solum Magistratum.*

DISC. XXXVIII.

1 VSque ab anno 1637. Jo Franciscus Thomasinus Oppidi S. Costantii per Civitatem *Fani*, ejusque plenum Consilium admissus fuit ad prædictæ Civitatis civilitatem, atque in verum civem allectus, servatis tamen servandis ad formam statutorum, inter quæ illud cavetur, ut cives de novo allecti teneantur infra annum acquirere domum in Civitate, vel aliquam possessionem in territorio, quod tamen infra annum sequutum non fuit, sed post plures annos domum, aliaque bona quæsivit; Cumque per eadem statuta disponatur, ad munus Consiliarii ejusdem Civitatis assumi non posse minores 25. annorum, ac etiam non nisi eos qui haberent originem paternam & propriam, acquisitam per habitationem 25. annorum, Isto autem requisito careret dictus Jo. Franciscus, oportunitas assistebat obtinendi ex gratia Apostolica, & per viam extraordinariam hoc adeò honorificum munus, ex eo quod haberet eius filium in servitio *Cardinalis Chisii* Nepotis *Alexandri VII.* tunc Regnantis; Hinc proindè de anno 1664. per litteras Apostolicas in forma Brevis obtinuit concessionem loci in consilio pro se, & dicto ejus filio, cum speciali dispensatione dicto defectu habitationis per annos 25. & cum generali derogatione quibuscumque statutis, reformationibus, & dispositionibus in contrarium non obstantibus, etiamsi specificam, ac individuam mentionem requirerent, quæ litteræ exequutioni, quamvis ut supponitur cum quadam protestatione, demandatæ fuerunt, undè propterea idem Jo. Franciscus in Consilio intervenit, aliaque plurium annorum spatio gessit, quæ per alios Consiliarios gesta fuerunt, vel geri consueverunt, ac etiam extractus fuit ad munus Magistratus, quod de facto exercuit; Circa verò annum 1668. sub nomine Magistratus dictæ Civitatis constituti ex Confaloner o & Prioribus habitus fuit recursus ad *S.* Consultam, atque allegando nullitatem dictæ Apostolicæ concessionis tanquam surreptitiæ in statum fuit dictum Jo. Franciscum deleri de numero Consiliariorum, eique inhiberi, ne in eo munere amplius se ingereret, Atq; pendente tempore necessario ad habendas à Gubernatore informationes per Sac. Consultam desideratas, & priusquam causa formiter proponeretur, casus dedit, quod idem Jo. Franciscus extractus fuit unus ex Prioribus Magistratus. Undè propterea super duobus assumpta fuit disputatio, super hoc scilicèt incidenti, 2
an lite pendente deberet admitti ad dictum munus de Magistratu, illudque exercere, Ac etiam super negotio principali, Et proposita causa de mense Aprilis 1669. prodiit resolutio super solo incidenti administrandi necne dictum munus, ut scilicèt si oppositio esset per solum Magistratum particularem, illa non admitteretur, sed manuteneretur in exercitio proximè imminentis bimestris, si verò esset totius Civitatis, seu Consilii generalis, tunc supersederetur.

In hac igitur disputatione, ut dictū est, duæ fuerunt inspectiones, Una super dicto incidenti possessorii, lite pendente tam in munere Consiliarii, aliisq; civilitatis præeminentiis, quàm in exercitio muneris Prioris, seu de Magistratu, Et altera in bona jure in petitorio, seu negotio principali.

Quatenus pertinet ad primam, oppositores principale fundamentum constituebant in generali dispositione *textus in l. rescripto §. debitores ff. de muner. & oneribus, & in l. 1. Cod. de debitoribus Civitat. l. 11.* ubi disponitur debitores Civitatis ad ejus administrationē admittendos nō esse, allegando etiā *dec. 149. n. 1. par. 5. rec.* & magis in specie *Bullam Boni Regiminis* §. 16. ubi pariter disponitur debitores seu alios interesse habentes cum Communitate ad Magistratum non admitti; Atq; hinc inferebant possessionem non suffragari, cum illa etiam posita, quinimò ubi etiam ageretur de cive, seu Consiliario originario, & cum quo super civilitate, vel munere Consiliarii nllaadesset controversia vel difficultas, adhuc dicta qualitas litis cum Communitate deberet eum repellere, seu impedire. 2

Contrarium dicebam esse probabilius, etiam cum sensu veritatis, quoniam allegata jura, ac etiam Bulla boni regiminis percutiunt casum debitoris Civitatis seu obligati ad ratiocinia, vel aliud burfale interesse habentis, quod iustè statutum est ex duplici ratione, Una scilicèt, ne ita tempore suæ administrationis suum debitum suffocet, eoque non soluto curet liberationem seu aliam Communitati præjudicialem provisionem reportet. Et altera, ut administratores metu istius inhabilitationis promptè, & fideliter suæ administrationis rationes reddant, ac reliquatum solvant, seu aliàs abstineant à ponendo in eorum manibus bona Communitatis, ejusque debitores effici; Ob quam rationē ita prudenter statutum est etiam in Sac. Religione Hierosolymitana, cum debitores Thesauri seu cōmunis ærarii, vel aliàs ad ratiocinia obligati, concurrere non possint ad Commendas & Dignitates, vel officia Religionis *ex deduct. d. dec. 149 par. 5. rec. dec. 26. & 116. par. 7. & frequenter*; Secus autem, ubi lis est super ipso statu personæ, nam aliàs esset in libito æmulorum civium aliquem donec vivit inhabilitare, ita movendo litem in petitorio per plures annos verisimiliter duraturam, atque destructa remaneret juris regula, de qua infrà, quod in hujusmodi & similibus juribus lite pendente debet quis manuteneri. 3

Quod à simili probabam cum iis, quæ in jure habemus in tutoribus & curatoribus, aliisque legalibus administratoribus ad illud munus non admittendis, si 5
sunt debitores vel creditores pupilli, aut aliàs cum eo litem vel interesse habent, sed si sunt jam admissi & possident, ac pendente possessione excitatur sub

homine

nomine pupilli per contutores, aut coniunctos aliqua lis, & tunc aut illa est super mala administratione, & dubitatur in jure, an interim administratio sibi interdicenda sit, & sic impediendus effectus suæ possessionis, quod ex probabiliori sententia remissum videtur judicis prudenti arbitrio ex singulorum casuum particularibus circumstantiis regulando, ac non de facili interponendo pro suspensione, quoties adsunt contutores, sine quibus ipse nihil explicare potest, sive eis non extantibus, oando unum vel plures adjunctos ex deductis *per Franch.decis.*404. *Menoch. de arbitrar.casu* 196. *& alios*; Secùs autem si lis esset super qualitate personali, puta, quod prætenderetur eum non esse legitimè conjunctum, ac cessare illam qualitatem, ob quam turela sibi delata & demandata fuit, nam tunc lis verè & propriè non est cum pupillo, cujus nihil interest ab uno vel ab alio administrari, quoties non concurrit dictum objectum concernens ejus interesse, sed potius est cum oppositoribus ad idem munus aspirantibus, ideoque in jure cautum non est ob hujusmodi excitatam litem interdicendam esse administrationem; Et idem juridicè dici 6
poterit, & fortè praxis docet in proximè insinuato exemplo Religionis Hierosolymitanæ, quod ubi quis non esset debitor Religionis, vel ad ratiocinia obligatus, sed sibi objiceretur ab æmulis, vel concurrentibus, quod non haberet legitimas qualitates necessarias ad exercenda munera Religionis, sive ad obtinendas ejus Dignitates, quia nempè non benè susceptisset habitum, vel non bene feciſſet caravanas, aut residentiam cum similibus, non deberet ista lis impedire manutentionem in possessione, in qua ille reperitur; Et sic magna differentia est, ubi inhabilitas provenit ex interesse bursali, quod directè habeatur cum ipsa persona, cujus administratio habenda est, & ubi provenit ex qualitate personali, circa quam per æmulos vel concurrentes lis moveri dicitur, Atque iste est casus omissus à Bulla, quæ in verbis solùm loquitur de debitoribus vel obligatis ad ratiocinia, ut in simili advertit *Cobell.ad eamd.Bullam ca.p.* 44.*n.*30.

Cessante autem hoc objecto, planum remanebat, quod cum hic esset jam in possessione tam civilitatis quàm muneris Consiliarii, ac etiam exercitii munerum Magistratus, & de facto esset imbussolatus, & sic pariter constitutus in quasi possessione futuræ administrationis ab extractione resultare debentis, debebat 7
in ea manuteneri, non solùm ex regula generali tradita *per Post.de manut.obser.*10.*num.*37.*cum seqq.& per* Rotam *in Oritana voti decis.*8.*par.*5.*rec.alias.*201.*apud eumd.Post.cum pluribus concord.* agentibus de jure intervenendi in Capitulo vel in Congregatione &c.

Sed magis specialiter & ad rem ex iis, quæ cæteris diligenter & elaboratè collectis firmantur in individuo *per Fab.de Ann.conf.*94.*nu.*1. *cum plurib.sequen.* ubi ponendo casum in specie illius, qui fuerat in pos- 8
sessione munerum Civitatis ante motam litem, & deinde fuerat imbussolatus pro futura extractione, quod lis ei mota super nobilitate vel civilitate aut defectu requisitorum Statuti non debeat impedire ejus extractionem & administrationem, quoniam bussula seu matricula constituit in quasi possessione ex collectis *per Menoch.lib.*2.*præsumpt.*78. ac diligenter per eumd. *Fab.de Ann.* qui plures seriatim refert, deducendo *num.*7.*cum sequen.* distinctionem in hac materia traditam per DD. Quod aut quis principaliter petit se declarari civem vel nobilem, ac admitti ad bussulum seu gubernium Civitatis, & tunc sub quæstione est, an si pendente hac lite eligatur, vel extrahatur, interdici debeat necne administratio, referendo opiniones hincindè & inclinando in illam, quæ electo assistit ex authoritate *Gutterez.& decisionis relatæ per Otaloram*; Aut verò agitur de illo, qui aliàs fuit de Magistratu seu gubernio, ac etiam imbussolatus fuerat ante moram litem, & tunc omninò certum & constans dicit, ut id præstare non debeat impedimentum, atque ita num.finali refert decisum per Sac. Consilium, Et de consimili decisione, in casu tamen oppositio habetur *apud Fontanell.de pactis claus.*7. *glos.*3. *par.*10.*num.*43. Ideoque sive oppositio esset per solum Magistratum particularem, sive per Consilium generale ac totam Civitatem, mihi videbatur, quod de justitia hæc lis præstare non deberet impedimentum, cum dicta distinctio per me originaliter excitata in puncto principali oppositionis adversus gratiam Apostolicam percuteret punctum principalem petitorii, & an oppositores deberent audiri necne ut infrà.

Quo verò ad alteram inspectionem, seu punctum principalem, duo erant obiecta consideratione digna, cum reliqua continerent levitates discursu indignas, Primò quod Pontifex præsupposuisset dictum indultarium esse Civem, atque cum præsupposito civilitatis voluisse solum exercere ejus supremam potestatem super duobus. Primò scilicèt super dispensatione habitationis per spatium 25. annorum requisitæ per statutum; Et secundò super collatione illius muneris, ad quod per electionem ab ipsa Civitate vel consilio cives assumi debent, Et sic noluisse gratiam facere super qualitate civilitatis in genere, quam præsupposuit, & quo præsupposito cessante dicebant gratiam corruere ex defectu intentionis.

Quod autem præfatus Thomasinus non esset civis, non obstante civilitate sibi tradita de anno 1637. dededucebant ex eo, quod illa fuisset conditionalis ad formam statutorum disponentium, ut huiusmodi Cives allecti tenerentur infrà annum à die allectionis acquirere domum in Civitate vel aliquam possessionem in territorio, undè cum id adimpletum non esset, ita dicebant dictam civilitatem evanuisse; Verum i- 9
stud erat leve objectum, quoniam hoc implementum à statuto non adjicitur à parte antea, & tanquam conditio suspensiva impediens juris vel emolumenti acquisitionem, sed adjicitur à parte posteà, & tanquàm modus, quo casu implementum non sequutum in tempore, quoties non adest expressum pactum resolutivum, non causat privationem seu admissionem juris quæsiti, sed solùm, vel suspendit aliquos ejus effectus & utilitates, vel jus præbet eum monendi cum præfixione termini ac subsequuta privatione, quatenus adimpleat, juxtà communem ac receptam distinctionem, quam habemus inter modum & conditionem ex plenè deductis præsertim *in Neapolitana hæreditatis sub tit. de fidecommissis* & in aliis frequenter, cum sit certum ac receptum principium; Et in individuo oneris iniuncti construendi vel acquirendi domum admissio ad civilitatem, sed solùm id suspendat aliquos ejus effectus, habetur *apud Menoch. cons.* 131.*num.*20.*& cons.*132.*num.*19. *Gratian.discept.* 124. *num.*11. *Adden.ad Buratt.dec.*811.*num.*12. & habemus generaliter in tot similibus, quoniam licèt admissis ad Religionem Hierosolymitanam, ut gaudeant antianitate, aliisque præeminentiis per stabilimenta injungatur onus faciendi caravanas seu alia adimplendi infrà certum tempus, si infrà istud id non sequatur, non exindè resultat, quod ille desinat esse miles, sed solùm suspenditur quod non currat antianitas, initianda ex tempore implementi; Idemque in provisis de Canonicatibus vel Dignitatibus,

qui

qui ad formam ſtatutorum debent aliquid adimplere, quia ſi non adimplent in tempore, non per hoc deſinunt eſſe Canonici, ſed ſolùm carebunt aliquibus emolumentis cum ſimilibus.

Quod abſque difficultate procedere dicebam, quandò implementum jam ſubſequutum eſt, quamvis poſt tempus præfinitum, ſed re integra, & non contradicente eo, cui adimplendum erat, nam tunc adimplementum poſt terminum ſufficit *juxtà text. in l. ſi*
10 *ita quis §. ſciaff. de verbor. oblig. Bart. Angel. Jaſ. & cæteri in l. Inſulam ff. de verbor. oblig. benè Rovit. dec. 53. nu. 10. Mantic. dec. 270. per totum Buratt. dec. 569. n. 4. Adden. ad eum dec. 571. n. 5. & 6.* Et hic erat caſus.

Alterum erat objectum deductum ex eodem ſtatuto, diſponente ad iſtud Conſiliarii munus non aſſumi niſi cives de origine parentum, & proprio, & de
11 propria per habitationem 25; annorum cum ejus familia, ideoque oppoſitores dicebant copulativè per ſtatutum requiri utramque qualitatem originis, & habitationis per annos 25. Papa verò huic ſecundo requiſito diſpenſaverat, non autem primo, Exindè inferentes ad generales receptas propoſitiones, quod ubi duo obſtant, remotio unius non ſuffragatur quoad alterum, Atque diſpenſatio ſtrictè ad ejus præciſos limites tanquam exorbitans operativa, extendenda non eſt ad ea de quibus non agit *Geminian. conſ. 33. num. 8. & cæteri per Gonzal. ad Regul. 8. gl. 13. nu. 97. Gregor. dec. 87. & 109. utrobique n. 6. Add. ad eum dicta dec. 87. num. 16. & ſeq.*

Ita etiam inferendo ad vitium ſurreptionis vel obreptionis, ac defectum intentionis, quia ſi hæc ſtatutaria diſpoſitio etiam narrata fuiſſet, id retraxiſſet Papam, vel eum difficiliorem reddidiſſet, quod eſt ſurreptionis fundamentum.

Verùm, cum ſenſu etiam veritatis, dicebam hoc objectum nullius eſſe momenti, quoniam in vero ſtatuti ſenſu, germanoque intellectu dictæ qualitates non copulativè ſed alternativè deſiderantur, ut ſcilicet unam ex eis concurrens habere debeat, cum quælibet ſufficiat ad veram civilitatem; Civis enim originatius dicitur ille, qui naſcitur in loco, quamvis ejus pater in eodem loco natus non ſit, Ac etiam ille qui licèt non ſit natus in loco, habet tamen patrem ibi natum, cum ſola quæſtio ſit circà originem mediatam avi, Ac verus etiam civis quoad munera & favores Civitatis dicitur domiciliarius, qui legitimum domicilium ad tramites juris jam cõtraxit; Sed quoniã controverſum eſt in jure, quando domicilium dicatur tale, quod hunc effectum producat, præſertim circà ſpatium temporis, ex iis, quæ in hac materia habentur deducta *in Reggien. conſortii ſub tit. de Canonicis & Capitulo, & alibi*, Idcircò ſtatutum ad hujuſmodi dubietates dirimendas tempus habitationis præſcribere voluit etiam longum, & à jure exorbitans, adjecta etiam qualitate habitationis cum familia, ut ita verus & indubitatus Civis effectus dicatur, ad excludendum modicum & accidentale domicilium; Nil obſtante, quod omnes dictas qualitates copulet cum dictione, *Et*, in qua per oppoſitores fundamentum conſtituebatur, quoniam licèt regularis ac propria hujus dictionis natura ſit copulare, illaque copulativa dicatur, Attamen ratione ſubjectæ materiæ, ob abſurda ſcilicet & inconvenientia aliàs reſultantia, ſivè ob veriſimilem voluntatem, &c. receptum eſt illam ſtare poſſe alternativè, atque reſolvi in dictionem alternativam, *Vel*, quæ verificatione unius ex pluribus alternatis contentatur juxtà celebrem *deciſionem Franchi* ſæpius à Rota canonizatam, ut in ſua materia *ſub tit. de fideic.* præſertim *in Peruſina fideicommiſſi de corradis*, ut teſtatore alium filio ſubſtituente, ſub dupli-

ci conditione copulata cum dictione, & ſi ſine filiis, & ab inteſtato deceſſerit, iſta dictio reſolvatur in alternativam, *vel*, ut ſufficiat unam deficere; Et de eadẽ impropriatione in actibus inter vivos, ut dictio, *&*, reſolvatur in, *vel*, habetur actum in *Romana pecuniaria de Comitibus ſub tit. de credito*, ac in deciſionibus in ea cauſa editis *prima Aprilis 1661. & 23. Januarii 1662. coram Bourlemont*, cum aliis generaliter collectis *per Barboſ. diction. 110. n. 28. & 37.*

Abſurda verò, ſeù inconvenientia reſultantia ex dicta copulatione obſervabam eſſe evidentia, & repugnantia tam ſenſui quàm litteræ ſtatuti; Primò quia idem ſtatutum ad capacitatem hujus muneris contentatur ætate naturali annorum 25. quod implicat cum requiſito habitationis cum propria familia dum ita ſupponitur, ut habitator ſit caput familiæ tanquam propriam familiam ibi habens, quod verificabile non eſt durante infantili & pupillari, quinimò vix durante minori ætate, ut clarè ad ſenſum; Secundò quia antiquiſſimus ac verus civis & nobilis originatius excluſus remaneret ab hoc munere, ſi, ut frequenter contingit in viris, natalibus, divitiis, vel litteris, aut armis magis qualificatis & conſpicuis, in eo non verificaretur continua habitatio per ſpatium 25. annorum, & ſic viri magis experti & qualificati, tales ſuprà alios effecti per praxim in Romana Curia, ſeù moram in bello aut in aliis Principum aulis remanerent incapaces, quo nil abſurdius; Et tertiò quod etiam cives veri & originarii per propriam nativitatem, & ſucceſſivum longiſſimum & continuum domicilium adhuc eſſent incapaces, eo quia pater in eodem loco natus non eſſet.

Omnem difficultatem removente ſubſequuta obſervantia, quæ in quibuſcumque actibus eſt optima interpres, ut in ſpecie ſtatutorum advertitur *deciſ. 59. nu. 13. & ſeqnen. par. 10. rec. Cæſarauguſtana portionum 16. Junii 1659. Albergato* & frequenter, cum habentes unam ex dictis qualitatibus paſſim ad hæc munera admiſſi fuerint.

Præterea dicebam, quod hæc materia ſubreptionis vel obreptionis, aut defectus intentionis dicitur potius facti quam juris, utpotè metienda ex conjecturis & adminiculis aliiſque facti circumſtantiis, ex quibus deſumenda eſt veriſimilis Principis concedentis voluntas, & an taciturnitas vel reſpectivè expreſſio illarum circumſtantiarum, ex quibus hic defectus deducitur, ver ſimiliter retraxiſſet ſeù difficiliorem reddidiſſet concedentem necne Ideoque dicitur materia arbitraria ex deductis per *Gregor. & Adden. dec. 150. num. 4. 10. & 11. Merlin. dec. 243. num. 8. & 9. dec. 83. num. finali par. 7. rec. & frequenter*; Atque ſolam genericam cogitationem ſeù virtualem, ac veriſimilem, aut per æquipollens ad id ſufficere advertitur *deciſ. 101. num. 20. & 21. par. 5. rec. plenè dec. 107. numer. 25. par. 10. & ſæpius*, Ad quam veriſimilem voluntatem deſumendam multum attenditur qualitas perſonæ, cui gratia conceſſa eſt, an ſcilicèt ſit Principi cognitus & dilectus, ita ut non obſtante, quod tacita vel expreſſa fuiſſet altera qualitas, adhuc fuiſſet conceſſurus, ut cæteris collectis advertitur *deciſ. 12. n. 41. & 464. n. 14. par. 5. rec. Romana Beneficiatus S. Petri 14. Maii 1655. Bevilaqua, & in aliis pluries*; Prout advertì ſolet ad amplitudinem verborum, cum quibus obſtantiarũ derogatoria concepta eſt, ut advertitur *deciſ. 506. n. 5. par. 1. rec. & dicta deciſ. 101. n. 22. par. 5.*

Hæc autẽ omnia concurrebant, quoniam derogatoria concepta erat per verba ampla & effrænata, ibi, *quibuſvis reformationibus in contrarium aliiſque diſpoſitionibus etiam juramento, &c. ac ſpecificam & individuam mentionem requirentibus, &c.*

Atque gratia concessa fueras intuitu filii ejusdem Joannis Francisci, actualis, & grati familiaris Cardinalis Nepotis ut suprà.

Item in hac materia considerabam, pro regulando dicto arbitrio, in quo illa tota reposita est magnam esse differentiam inter casum in quo agatur de hac inspectione super gratia adhuc non executa, ad effectum judicandi, an sit exequenda necne, & casum conversum, in quo illa jam exequuta suumque effectum sortita cum subsequuta possessione, agatur de illius formali retractatione; Primò enim casu ipsi gratiato tanquam actori petenti gratiæ exequutionem incumbit onus justificandi gratiam, ita ut oppositoribus gerentibus partes rei, sufficiat vincere per non jus, Atque per denegationem executionis nulla positiva injuria vel notabile dedecus resultare dicitur, cum sufficiat id explicari per actum tacitum negativum seù abstentivum; Secus autem in casu converso, in quo præsumptio est pro gratia jam exequuta & effectuata, ideoque oppositores gerendo partes actoris gravantur onere plenè & concludenter probandi illum defectum, quem allegant pro fundamento intentionis; Ac etiam quia judex facere debet actum positivum formalis retractationis, ex qua resultat injuria positiva & dedecus, ideoque magis circumspectè procedendum est ob axioma, *quod turpius ejicitur, quam non admittitur hospes*, quo etiam legistæ utuntur, *ut per Alex. conf. 213. n. 7. lib. 7. Surd. conf. 46. n. 7.* Ponderando etiam deducta *in Calagurit ana beneficiorum de Bilbao coram Bichio dec. 25. & 29. post Zuffum de legitim. processus*, de qua in sua materia *sub tit. de Beneficiis*, circa differentiam notabilem, quæ in jure consideratur inter casum, in quo agatur de privando aliquè beneficio seù jure assequuto. Et alterum, in quo agatur de repellendo à beneficio assequendo, ut in hoc secundo sufficiat sola diffamatio seù levis probatio, in altero autem desideretur probatio perfecta & concludens,

Demum ponderabam, & Sacra Consulta ut suprà probabilem censuit ponderationem, quod circà hanc
13 oppositionem exaudiendus non esset solus Magistratus particularis constitutus ex Confalonerio & Prioribus, Tum ex prudentiali motivo, ut id ex privata æmulatione unius vel duorū resultare possit, ut frequès experientia docet; Tum etiam ex motivo legali, quod ad Magistratum particularem pertinet agere solùm concernentia currentem & ordinariam administrationem Civitatis, alia verò graviora negotia perpetuitatem præseferentia pertinent ad totam Civitatem, totumque populum, vel saltèm ad Consilium generale, per quod totus populus representatur, *ad text. in l. finali Cod. de vendit. rerum Civitatis lib. 11. ubi communiter DD. de quibus Menoch. conf. 80. num. 22. & seqq. Cacheran. dec. 39. Rot. dec. 39. dec. 447. par. 5. rec. apud Celsum dec. 383. & frequentius*; Ac etiam quia unumquodque dissolvendum est eodem vinculo, quo est ligatum, Ideoque cum civilitas de anno 1637. per totum populum seu Consilium generale concessa fuisset, unde quidam quasi contractus ita initus fuit, idemque sequutum esset in executione dictæ gratiæ & admissione ad bussulum, idcircò totius Civitatis consensus in hoc distractu necessarius erat, quamvis eo etiam accedente, nisi aliæ ignotæ accedant facti circumstantiæ, adhuc in hoc statu mihi improbabilis videretur oppositio.

Occasione autem disputandi punctum possessorii de quo principaliter actum fuit, illudque sub die 17. Maii 1669. pro Thomasino resolutum, ipsum quoque negotium principale implicitè decisum fuisse videtur, quoniam ex præmissis Sacra Consulta credidit oppositam surreptionem non adesse, Quatenus verò pertinet ad punctum possessorii advertebam ut suprà, quod distinctio cum qua in prima propositione processum erat, an oppositio esset totius Civitatis, vel aliquorum de Consilio seu Magistratu, nil faceret ad rem quoniam aut oppositio habebat subsistentiam, aut non; Si habebat, cum hæc sit actio popularis, in qua quilibet dici potest interessatus, necessarium non erat ut tota Civitas esset in causa; Et si habebat, nil referebat totam Civitatem opponi cum ipsa, gerendo partes collitigantis, tollere non possit possessionem collitigāti competentem ejusque effectus; juxta ea um de quo *in d. conf. 94. Fab. de Anno*, ubi erat totius Civitatis vel loci oppositio, ideoque inspectis terminis juris communis, dicta distinctione neglecta, certum videbatur jus hujus partis in possessorio, & ne impediri posset in exercitio Magistratus.

Non negabantur hæc per oppositores, quando seeluta *Clementina Constitutione* cum dictis terminis tantum procedendum esset, sed insistebatur in hac lege particulari, per quam cum efficœnatis ac amplis verbis inhabilitantur nedum debitores vel adratiocinia obligati, sed etiam quamcumque litem, vel controversiam habentes, atque ad hoc restringebatur difficultas; Pro cujus solutione observabam dictā Constitutionem §. 16. tres continere partes, Unam, in qua inhabilitantur usurpatores, occupatores, & detentores bonorum Communitatis, Alteram, in qua inhabilitantur ejusdem Communitaris debitores, seù aliàs obligati ad reddendas rationes gestæ administrationis, donec solutio vel redditio rationum sequuta sit, & neutra ex his adaptabatur ad casum; Tertiam demum generalem, in qua oppositores fundamentum constituebant, inhabilitativam eorum qui quascumque lites & controversias contrà ipsam Communitatem haberent.

Istam verò, etiam cum sensu veritatis, dicebam intelligendam esse de illis litibus, in quibus Communitas gerendo formalem personam collitigantis, contenderet de damno vel respectivè commodo ex victoria vel succumbentia resultante, quod percuteret peculium seu aliud interesse ipsius corporis Communitatis, complexivum tntius populi, omniumq; ejus ordinum, & sic tam nobilium, quàm popularium & comitatensium, ut comprobare videntur illa verba personalia *contrà ipsas Communitates*, denotantia, quod lis percuteret totum ipsum corpus polytecum, seù totam Universitatem, Quod ad præsentem controversiam adaptari non poterat, dum lis nullum percutiebat interesse ipsius Communitatis, cujus nulla utilitas resultabat, si gratia declararetur surreptitia, nullumque damnum positivum vel diminutio patrimonii, si declararetur valida, sed verè & propriè erat cum illis civibus, qui habentes necessarias qualitates aspirabant ad locum Consiliarii per hoc Jadultum occupatum, vel cum aliis imbussolatis, qui extrahi sperabant in locum extracti, qui esset inhabilis; Aut ad summum cum solo ordine illorum nobilium seù civium qualificatorum, ex quo constituitur consilium; Dando in hoc idem suprà insinuatum exemplum tutoris, quia si litem vel interesse habet cum ipso pupillo, cujus utilitatem vel damnum, bonus, vel malus litis eventus causare potest, rectè intrat inhabilitatio, sed si lis moveatur per illos de parentela, quibus aliàs tutela deferenda esset, quatenùs tutor ob aliquem personalem defectum, sive ob cessantem in eo parentelam, removeri deberet, tunc dici non posset, quod lis esset cum ipso pupillo, & hic videbatur casus.

Ponderando etiam à simili terminos *textus in l. a de Cod. locati* de facultate competente alicui expellēdi con-

conductorem pro usu proprio, quod illa competit, quandò usus proprii necessitas superveniat inopinatò post locationis contractum, secùs autem si illa de tempore contractus vigebat, vel prævideri poterat; Sive ea quæ habemus de facultate competère debitori cõpensandi cum credito sibi supervento adversus proprium creditorem, quod non intrat pro illo credito, quod jam sibi competebat, ac præexistebat de tempore contracti debiti cum similibus, quæ rectè ad casum adaptari poterant, cum hæc opponendi causa de tempore, quo facta fuit imbussolatio, jam præexisteret, Ideoque cum eadem *Clementina Constitutio*, nedum inhabilitet litigantes, seù aliud interesse habentes, ut suprà, sed etiam gravibus pœnis afficiat eos eligentes vel admittentes, atq; oppositores allegarent pendentiam litis usque ab initio executi Indulti per oppositiones & protestationes, Hinc resultare dicebbã. quod ipsi ita allegarent propriam turpitudinem propriumq; delictum, dum collitigantem non solùm admiserunt ad Magistratum in alio bussolo, quando fortè justam excusationis causam habeant, quod scilicèt adhuc duraret illa reverentia, ob quam ipsum Indultum executioni demandatum fuerat, sed admiserunt ad istud ultimum bussolum, de tempore quo ista causa cessaverat, cum ex benè deductis apud *Fab. de Ann. cons. 94.* jus imbussolati non consistat in extractione, quæ est effectus casus & fortunæ, sed consistat in ipsa imbussulatione, quando de Magistratu effici dicitur in substantia seu habitu, dilato solum effectu seu executione in tempus extractionis.

Et nihilominus dicebam sufficere ex his reddi probabiliter dubium, an Constitutio prædicta capiat casum necne, Tum quia in casu dubio lex nova particularis interpretanda est ad limites juris communis, à quo passivam recipit interpretationem; Tum etiam quia id sufficit, ut interim tanquam exceptio dubia & altioris indaginis admitti non debeat in hoc summariissimo possessorio, circà quod quotidianũ in foro habemus, quod illi etiam obstat *decretum irritans*, & clausula *sublata*, ex quibus possessio inficitur, ac habetur pro non possessione, Et tamen si dubium est, an lex vel dispositio continens dictas clausulas adaptetur ad casum necne, non impeditur manutentio; Ita pariter in facultativis & similibus, etiam in hoc summariissimo judicio admittendis, quoniam id procedit, quando certum est adesse qualitatem inhabilitativam seù reddentẽ possessionem non manutenibilem; Multò magis ubi probabilius est legem non obstare, ac etiam concurrit assistentia boni juris, ob quam facilius huic possessorio remedio locus datur; Et ex qua ratione laudabilis Curiæ stylus est, etiam in hujusmodi vel alterius possessorii disputatione, de bono jure saltèm summatim gustare, quamvis vulgaris & quotidiana propositio sit, quod in hoc judicio non quæritur de justitia vel injustitia, sed attenditur nudum factum possessionis, cum id fiat ad ipsam possessionem melius colorandam, ac facilius eam redddendam manurenibilem.

FERRARIEN.

REGIMINIS STUDIORUM *PRO* MAGISTRATU PARTICULARI *CUM* CONSILIO GENERALI CIVITATIS FERRARIÆ.

RESPONSUM.

An Consilium Generale repræsentativum totius Populi seù Civitatis cui ex legibus competat aliqua administratio vel præeminentia possit istam concedere, & demandare Magistratui particulari, Et quatenus possit, an sit quandocumque revocabilis necnè; Et de ejusdem juris exercitio penès aliquos de corpore universali residente, quamvis ipsum jus habituale penès totum corpus resideat.

Card. de Luca de jurisdict. &c. & Præeminent.

SUMMARIUM

1 *Facti series.*
2 *Ratio quæstionis.*
3 *Novitates damnabiles.*
4 *Studia administrantur per Principem.*
5 *De præeminentiis Civitatis Ferrariæ adinstar Bononiæ.*
6 *Ea quæ residet penes Magistratum particularem dicuntur existere actu, & in exercitio, habitu vero existunt penes totam Civitem;*
7 *Dantur exempla juris patronatus, fundi, juris conferendi, & similium.*
8 *De ratione, ob quam administratio debet esse penes paucos.*
9 *De utroq; Consilio generali, & particulari.*
10 *Quod electio administratorum, ac etiam explicatio graviorum negotiorum pertineat ad totam Civitatem, totumque populum, Et de consuetudine, quod prædecessores eligant successores.*
11 *De potestate Capituli Sede vacante ut eam exercere debeat per unum.*
12 *An facultas per Consilium generale demandata Magistratui sit revocabilis, de affirmativa.*
13 *Quando constat de titulo infecto, vel revocabili, tunc possessio quantumvis longa non suffragatur.*
14 *De ratione, ob quam facultas de qua num. 12. non est revocabilis.*
15 *Quod administratores prædecessores non possint sibi eligere successores.*

DISC. XXXIX.

POST devolutionem Civitatis, ac Status Ferrariæ ad Sedem Apostolicam, *Clem. VIII.* sub cujus Pontificatu illa effectum sortita est, præfatam adiens Civitatẽ, de anno 1599. ultra multa privilegia & præeminentias quas illi satis liberaliter concessit, præscripsit etiam formam seù modum, quo mediante regi deberet ejusdem Civitatis Communitas, cum Consilio scilicet Generali centum virorum undè *Magnum* seù *centum virale* nuncupatur, totius populi representativo, & cum Magistratu particulari habente actualem administrationem juxta communem usum omnium ferè Italiæ, præsertim vero Status Ecclesiastici Civitatum ut patet *ex disc. præced. & disc. 30. & 31. ac aliis hoc eodem tit.* Cumque in eadem Civitate adesset Academia seù publica Universitas studiorum, Hinc inter aliàs leges tunc pro dictæ Civitatis administratione editas, fuit illa, ut studiorum regimen, cum electione lectorum, ac assignatione distributione, & augmento stipendiorum, cum aliis ad idem regimen pertinentibus spectaret ad

dictum Consilium. De anno verò 1601. Et sic in primo triennio in quo studiorum reformatio juxta leges vel stylum facienda erat, idem Magnum seù Generale Consilium, prævia narrativa, quod ob difficultatem convocandi semper ipsum Consilium Generale aliaque inconvenientia, id non de facili practicari poterat, cum interventu & auctoritate Cardinalis Legati, dictam facultatem transtulit in Magistratum particularem, cujus primus seù caput nuncupatur *Judex Sapientum*, cui Magistratui adjuncti sunt duo alii officiales *studii Reformatores* nuncupati de ipso corpore Consilii, & ab eodem adinstar aliorum de Magistratu eligi soliti, ex quibus omnibus constituitur Congregatio quæ *Studii* nuncupatur, atque ita pacificè servatum fuit continuato spatio annorum 67. post quorum decursum excitata fuit difficultas, quod id fieri non potuerit, atque retroacta observantia abusui magis referenda esset, ex eo fundamento, quod præfatum Consilium Generale potestatem non haberet derogandi dictæ legi Pontificiæ, neque absque causa necessitatis vel utilitatis hanc facultatem à se abdicare, & in alterum transferre, vel ex dispositione 2 textus *in l. finali Cod. de vendit. rerum ad Civitatem pertinentium lib. 11.* Vel ex eo, quod cum hæc potestas per Papam ipsi Consilio specialiter delegata sit, non poterat delegatus ad certum negotium seù certam causam particularem alium subdelegare, Atque super hoc in notula transmissa tota disputatio ibi circumferri videbatur, an scilicet ista esset jurisdictio delegata particularis, vel potius concessio jurisdictionis ordinariæ, vel delegatio ad Universitatem, unde resultaret facultas subdelegandi.

Super his autem ex parte dicti Magistratus seù Congregationis Studii consultus, Respondi parum probabilem videri hujusmodi excitatam difficultatem, Tum ex generali axiomate, ut ea quæ diu servata sunt, atque longam habuerunt durationem, immutari non debeant, ad communiter notata *per Canonistas in* 3 *cap. cum consuetudinis de consuetud. & Civilistas in l. in rebus ff. de constit. Principum ad text. in c. quis nescit, undecima distinctione, & c. hæc autem 30. distinctione*; & advertitur præsertim supra *in Forolivien. disc. 35.* ubi patet Sac. Consultam cum hoc axiomate prudenter processisse, ut observari deberet solitū, cum frequentius novitates inconvenientia parere soleant.

Tum etiam proximè & stringenter, quia revera id non importabat abdicationem dicti juris à Consilio, ejusque translationem in alteram personam diversam, ita ut speciem alienationis redoleret, ac propterea dicebam extraneos remanere, tam dictos terminos textus *in l. finali Cod. de vendit. rer. ad Civitatem pertinentium*, quàm dictos alios terminos jurisdictionis ordinariæ vel delegatæ, seù facultatis subdelegandi; Cum enim ante devolutionem dicta Universi- 4 tas seù Academia administraretur per Ducem tanquam Principem seù Magistratum ab eo deputari solitum, eo modo quo videmus in magnis & celebertimis Studiis Neapolitan. Patavin. & similibus, Atq; id esse de rebus ad supremum Principem spectantibus, ejusq; curæ incumbentibus, quæ non nisi ejus authoritate obtineri posse, plenè habetur apud nostrum eruditissimum Regnicolam *Borellum de præstantia Regis Catholici c. 34. & latius c. 40.* Unde propterea stante devolutione, jurisdictiones, facultates, & præeminentiæ residentes penès feudatarium, de jure, alio non expresso, tanquam per reversionem ad suam primævam causam competere deberent Summo Pontifici, seù Cardinali Legato ibi explicanti eas partes, quas Dux ante devolutionem explicabat. Hinc Summus Pontifex, ut huic Civitati ad immediatam Sedis Apostolicæ subjectionem & obedientiam redeunti, quo majores geri possent, concederet præeminentias, illamque præsertim in omnibus exæquaret adjacenti, & forsan æmulæ Civitati Bononien. dum in omnibus 5 & ad instar, easdem præeminentias Oratoris apud Sedem, Auditoris Rotæ, ac Advocati Consistorialis pariformiter concessit, inhærendo vestigiis *Julii II.* quando dicta Bononiensis Civitas excusso Tyrannorum jugo ad immediatam obedientiam & jurisdictionem Sedis Apostolicæ devenit, ita pariter hanc prærogativam administrandi publicam Academiam ad instar Bononiensis concedere voluit Civitati, ne alias illa prætendi posset per Cardinalem Legatum, dirigēdo concessionem in dictum Consilium tanquam constitutivum seù repræsentativum totius populi totiusq; Civitatis, non autem quod præcisè in hoc electa esset industria dicti Consilii Generalis, quodque aliàs dicta administratio sequi non posset.

Atque in hoc mihi videbatur consistere æquivocum asserentium id esse contrarium præfatis legibus, quibus derogari non potuerit, quoniam præfatum jus seù præeminentia verè residet & continuat penès ipsam Civitatem ejusque Consilium tanquam Civitatis repræsentativum, absque eo quod desuper caderent termini alienationis seù translationis, Cum 6 enim Magistratus particularis esset pars seù membrum ipsius Consilii Generalis, ex quo ad tale munus ipsi Consiliarii seù Decuriones assumuntur, prout etiam & duo Reformatores; Hinc proindè id solum operatur, ut exercitium illius juris, quod habitu est penès omnes, pro faciliori ac meliori administratione sit penès aliquos tantùm de eodem corpore, Ad instar eorum, quæ habemus in materia juris patronatus competentis alicui familiæ, seù generi personarum, 7 quoniam illud tanquam individuum residet penès omnes & quemlibet eorum in solidum ex plenè collectis *per Bellon. jun. de jur. accresc. q. 6. c. 48.* Et tamen frequenter exercitium penès aliquos tantùm, puta unum, duos, vel tres seniores, seù penès illum, qui primogenitus, seù majorascus aut caput domus dicitur, esse solet ex deductis per *Ciarlin. controv. 222. ubi latè concordantes*; Quod etiam frequenter verificatur in feudis quamvis dignitatis & de sui natura individuis juxtà usum Lombardiæ, quod ipsum feudū utpotè individuum penès omnes agnatos, & à lege investituræ vocatos in solidum residere dicitur, commoditas verò ac exercitium dividitur ex deductis in *Mutinen. feudorum sub tit. de feud. disc. 8.* sed frequenter administratio præsertim jurisdictionis esse solet penès primogenitum seù majorem natu, cadente solum quæstione, de qua *sub tit. de fideicomm. disc. 1. cum pluribus sequen.* an major natus dicatur ille, qui talis est per naturam & veritatem, spectata sola prærogativa ætatis, vel potiùs spectata prærogativa lineæ.

Idemque frequenter habemus in jure conferendi beneficia competen. Capitulo vel Collegio, quod tamen ex Statuto vel consuetudine explicari solet, vel per Canonicum Decanum, vel per Turnarium seù Hebdomedarium, qui nomine totius Capituli seù Collegii conferre dicitur, continuante jure penès ipsum corpus universale absque aliqua abdicatione seù translatione; Et magis frequenter praxis docet in cura animarum annexa alicui Capitulo, seù Collegio, aut Monasterio, quoniam habitualiter illa residet penès ipsum Collegium, seù Capitulum, exercitium verò penès Vicarium, cum similibus.

Et hic mihi videbatur casus, ita exigente subjecta mate-

materia, seu rationis identitate, ob quam exercitium dictorum jurium penes omnes habitu residentium restringitur ad unum, vel aliquos; Cum enim pro recta studiorum administratione indagare oporteat sufficientiam, applicationem, & mores
8 Lectorum, & an illi confirmandi, vel reformandi sint; Prout circà stipendia an debeant augeri juxtà mensuram meritorum, idque pendeat magis à secretis & diligentibus informationibus, idcircò omninò congruum, imò necessarium videtur id à modico numero explicari, cum publicitas in Consilio Generali ex numero 100. virorum constituto magna inconvenientia produceret, atque res videretur impracticabilis.

Ad quod comprobandum deducebam determinationem Sac. Consultæ *in Forolivien. de qua suprà*
9 *disc.* 31. quod quamvis potestas admittendi aliquem ad Consilium in locum Consiliarii deficientis resideret penes Consilium generale, ita legibus expresse disponentibus, attamen facultas indagandi vitam & mores, ac idoneitatem admittendorum restricta est ad Consilium parvum, seu secretum, ut ibi.

Quod in specie ponderabam ex eadem ratione practicari in earundem Civitatum regimine, siquidem de jure electio Priorum, seu Administratoro
10 rum pertinet ad totam Civitatem, totumque populum in Generali Consilio congregatum, undè propterea reprobatur consuetudo, ut talis facultas residеat penes Magistratum particularem, quodque præcedecessores sibi eligant successores ex deductis *per Franch. dec.* 101. *& Rovit. in pragm.* 1. *de administrat. Universitatum*, ubi plenè disputat, atque hanc consuetudinem substinere conatur; Prout alienationes bonorum Communitatis, aliaque graviora negotia perpetuum statum, seu perpetuum præjudicium redolentia pariter à toto populo congregato in Consilio Generali de jure explicari debent, & tamen ferè ubique rationabilis usus introduxit, ut hæc fiant à Consilio ex aliquorum tantum civium numero constituto, ita dicto Consilio habente, solum exercitium illius juris, quod penes totum populum adhuc perseverat.

Et de jurisdictione ac præeminentia Capituli Cathedralis administrandi Ecclesiam sede vacante,
11 quod ex statuto, vel consuetudine ejus exercitium residere valeat penes Atchidiaconum, seu aliam Dignitatem privative ad ipsum Capitulum habetur *dec.* 194. *apud Post. de manut.* atque *Sac. Conc. Trid. sess.* 24. *de refor. c.* 16. id statuit pro necessitate, ut in unum hæc jutisdictio in exercitium tranferri deberet, cum similibus.

Procedebant hæc de plano in ordine ad potestatem dicti Consilii Generalis faciendi præfatum decretum, dictamque administrationem demandandi Magistratui, seu Congregationi particulari, itaut actus dici non posset invalidus ex defectu potestatis, ut per novitatis excitatores prætendebant; Difficultas autem residebat, An eidem Consilio
12 volenti per seipsum ad normam dictarum legum hoc regimen reassumere, dictamque demandatam potestatem revocare, id fieri posset nec nè, Et quando non urgerent supradictæ rationes, ex quibus per quamdam speciem necessitatis pro recta administratione rationabiliter ita statutum fuit, certum videbatur id præfato Consilio licere, non obstante adeò diuturna observantia annorum 67. Licet enim juxtà generalem regulam textus *in l. omnes & l. sicut Cod. de præscript.* 30. *vel* 40. *annorum.* omne jus præscribatur, ac etiam ex juris canonici dispositione, ubi vehemens juris resistentia non obstat, consuetudo, seu observantia quadragenaria, etiam in iis, quæ sunt contrà jus attendatur, potissimè verò ubi concurrit aliquis titulus putativus, qui in præsenti ex dicto decreto, ac etiam litteris Apostolicis ejusdem *Clementis VIII.* de quibus infrà resultare videbatur, Attamen reflectendo ad veritatem, istæ considerationes, quæ more Advocati, seu Consulentis ad causæ opportunitatem deduci, ac de facili exornari poterant, cum copiosis allegationibus & regularum cumulis ignaro vulgo placentibus, subsistentiam habere non videbantur, dum constabat de initio, seu titulo, cujus vigore per hujusmodi spatium hæc administratio penes dictum Magistratum, seu Congreationem fuerat, qui titulus erat merè precarius, & consequentet de sui natura quandocunque revocabilis, ad *text. in l.* 1. *& toto tit. ff. de precario.*

Ubi enim constat de initio, seu titulo, cujus vigo- 13
re aliquis possedit, tunc si talis titulus est infectus, seu desui natura revocabilis, ac non tribuens jus proprium, puta ex precario vel administratione, aut locatione & conductione cum similibus, tunc possessio quantumvis longissimi & diuturni temporis nullum jus præbet, neque ad aliquam præscriptionem sufficit, utpotè referibilis ad dictam causam, ob quam actus, non proprio, sed alieno nomine initus est, juxtà theoricam *Innocen. in cap. dudum de decim. ubi cæteri Canonistæ, cum concord. per Capobl. de Baron. prag.* 11. *nu.* 251. *& seqq. & habetur plenè in Sabinen. exemptionis sub tit. de Regalib. disc.* 47. *& disc.* 3. *sub tit. de feud.*

Credebam tamen hujusmodi facultati revocandi locum non esse debere ex dicta ratione rectæ administrationis, quæ penes totum Consilium in exercitio sequi non posset absque pluribus inconvenientibus, adeò ut nisi decretum esset, ita ex integro
14 decernere oporteret, vel congrueret, Undè tam dictum decretum de anno 1501, quàm sequuta diuturna observantia, pro meo judicio, attendi debebant, potiùs in ordine ad quamdam declarationem ejus, quod de jure & ex qualitate subjectæ materiæ facere oportebat, seu congruebat, Eodem modo, quo totus populus illam potestatem administrandi Communitatem sibi de jure incumbentem transtulit in Magistratum particularem, quoniam habent quidem hæc initium, seu originem à causa voluntaria, & à quadam specie precarii, seu commissæ administrationis, non inde tamen datur facultas revocandi, cum retractari non debeant ea, quæ facienda ex integro venirent, si facta non essent; Eatenùs autem apud *Franch. d. dec.* 201. *cum aliis per Rovit. d. prag.* 1. *de administr. Universitatum*, dicitur tolerandam non esse diuturnam observantiam, quod jus eligendi administratores residens penes totam Civitatem, seu totum populum, competat illis de Magistratu, qui successores sibi eligant, quatenus id irrationabile videatur, ac habens juris resistentiam ob speciem monopolii, & Communitatis supplantationem, quod ita aliqui tantum ejus tyranni & necessarii administratores redderentur, alternatim unis alios nominantibus, seu eligentibus, absque eo quod uni alios compellerent ad redditiones rationum; Undè propterea Sacra Congregatio pluries damnavit in Confraternitatibus, seu Congregationibus consuetudinem, quod prædecessores administratores sibi eligerent successores eligendos à tota Confraternitate, seu Congregatione, ideoque dicebam punctum esse in ratione possidendi, magis quàm in ipsa possessione.

Satis etiam dictum defectum potestatis revocandi suadebant literæ Apostolicæ ejusdem *Clementis VIII.* de subsequenti anno 1602. Cum enim Pontifex, quandam gabellam pro hujus studii substentatione assignasset, ejusdem gabellæ administrationem, commisit dictæ Congregationi particulari nullo facto verbo de Consilio Generali, undè vehemens argumentum resultat, quod dicta decretatio, seu provisio anni præcedentis facta esset cum participatione, & consensu ejusdem Pontificis, quem omninò probabile est ab illo primo Cardinali Legato, stante tali temporis brevitate, certioratum fuisse, potissimè quia iste Pontifex donec vixit, reputando, & meritò, istum Statum tanquam filium temporali Principatui Sedi Apostolicæ ab ipso genitum, seu cooptatum, quandam peculiarum curam ejus negotiorum, etiam in minimis habuit, undè hæc omnia insimul conjungendo, mihi videbatur rectè intrare propositionem suprà initio insinuatam, ut immutanda non sint ea, quæ longam durationem habuerunt.

ROMANA IMAGINIS, SEU CONCESSIONIS SITUS PRO PP. SANCTÆ MARIÆ IN CAMPITELLO CONGREGATIONIS LUCENSIS, CUM CUSTODIBUS HOSPITALIS CONSOLATIONIS.

Casus disputatus coram Cardinali deputato.

An laici administratores piorum locorum habere possint dominium imaginum, & reliquiarum existentium in aliqua Ecclesia privativè ad clericos eidem Ecclesiæ inservientes; Vel quale jus, seu præeminentia hujusmodi laicis competat.

Et quid importet jus honorificum, vel præeminentia competens fundatori, vel restauratori alicujus Ecclesiæ, Et quando per restaurationem acquiratur necnè præeminentia patronalis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series, seù historia circà imaginem S. Mariæ in Porticu.*
2 *Vbi aliquid conceditur, censentur concessa omnia ea, sine quibus id effectum sortiri non potest.*
3 *Concessio Principis in dubio censetur sine tertii præjudicio.*
4 *Fortiùs illa Papæ ob regulam de jure tertii quæsito non tollendo.*
5 *Confirmatio non alterat naturam rei confirmatæ, nequò aliquid plus tribuit.*
6 *Confirmatio intelligitur facta sine tertii præjudicio.*
7 *Quandò confirmatio operetur aliquid plus remissivè.*
8 *Laici sunt incapaces dominii reliquiarum & rerum spiritualium, sed eorum jus importat administrationem, & præeminentiam honorificam.*
9 *Quid in capellis, & sepulturis.*
10 *Aliud est Ecclesia, aliud sunt cappellæ in Ecclesia existentes.*
11 *Ex constructione Ecclesiæ, an & quale jus patronatus acquiratur in Ecclesia Regulari.*
12 *Quando acquiratur jus patronatus ex readificatione Ecclesiæ quæ jam existebat.*
13 *Et quid requiratur ad eundem effectum.*
14 *De improbabilitate patiendi servitutem Ecclesiæ liberæ.*
15 *Concessio Apostolica super readificatione quid operetur.*
16 *Patronus non est dominus Ecclesiæ, neque de ea disponere potest, aut in ejus bonis se ingerere.*

DISC. XL.

ANTIQUIA est traditio à pia populi continuata credulitate, ac devotione, ac à plerisque adminiculis conprobata, quod de anno 524. sedente *Joanne primo* sub Imperio Justini senioris, Theodorico Arriano Gothorum Rege notabilem Italiæ partem occupante, ejusque Regium titulum sibi usurpante, dùm in Urbe mana pestilentia grassaretur, sub die 17. Julii, per magnus Angelorum dicto *Joanni* Pontifici tradita fuerit venerabilis, & miraculosa imago S. Mariæ in Porticu, ità nuncupata, ex eo quod id contigerit in domibus *Gallæ* matronæ Romanæ, quam Ecclesia tanquàm sanctam veneratur, existentibus in porticu theatri Marcelli, in cujus ruinarum parte hodiè constructum cernitur conspicuum palatium Sabellorum Principum Albani; Cumq; prope dictam Ecclesiam constructum esset Hospitale, quod tractu temporis unitum fuit alteri Hospitali Consolationis, hinc proindè, incertum est ex quo titulo, vel principio, hujus Hospitalis Custodes, curam habere consueverunt dictæ imaginis, ejusque cultus, & venerationis, claves etiam retinendo tabernaculi, in qua illa servatur; Cumque Ecclesia prædicta, quæ est una ex titulis diaconalibus Cardinalium, esset Collegiata, & parochialis, ejus tamen redditus ex temporum injuria nimis diminuti essent; Hinc propterea Cardinali titulati consentiente, *Clemens VIII.* de anno 1601. dicto Collegio suppresso; eam concessit Congregationi presbyterorum nuncupatæ *Matris Dei* vulgò *Lucensis*, inter quam & Custodes prædictos diversis temporibus variæ exortæ fuerunt controversiæ super dictæ Sacræ imaginis custodia, mediante retentione clavium, & super cultu certis anni temporibus, & solemnitatibus, atque re delata ad Sac. Congregationem visitationis Apostolicæ, prodiit resolutio dictis Custodibus favorabilis, ad ipsos scilicet, privativè ad dictos PP. spectare dictæ imaginis custodiam, clavium retentionem ac etiam cultum in octo anni temporibus, ut plurium in ejusdem B. V. solemnitatibus. 1

Et quoniam eadem traditio præbet, quod ipsa die apparitionis dictæ imaginis miraculosè pestilentia cessavit, quodque idem ob devotionem populi ergà eandem, pluries inconsimili Dei flagello sequutum esse; Idcircò Urbe graviter dictum flagellum

flagellum patiente de anno 1657. Populus Romanus decrevit ex voto, publico ære dictam imaginem in decentiori loco constituere, in cujus voti executionem, ex *Alexandri VII.* tunc regnantis decreto translata fuit in vicinam Ecclesiam *Sanctæ Mariæ in Campitello*, ab eadem Congregatione Lucensi possessam, ac ab ea sub *Paulo V.* ex integro constructam, sub ea lege, quod PP. dictæ Congregationis in priori domo *Porticus* viventes, ad istam *Campitelli* transferri deberent, itaut una magis cōspicua, & numerosa domus constitueretur; quodque ista Ecclesia in ampliorem structuram reducenda utramque nuncupationem, seu intitulationem habere deberet, *Sanctæ Mariæ in Portiou, & in Campitello*, quæ propterea ex integro cum magnifica structura reædificata fuit, partim ex pecuniis à Populo Romano in præfati voti implementum erogatis in summa scutorum circiter 30. m. partim verò ex pecuniis ejusdem Congregationis, sivè aliorum devotorum, & benefactorum in totidem circiter, cum summa ex voto, ut supra destinata cœptæ structuræ non responderet, antiqua Ecclesia assumente titulum *Sanctæ Gallæ*; Quibus ita sequutis, Custodes Consolationis prætendere cœperunt invitis dictis PP. ad eorum dominium, ac liberam dispositionem habere unum ex duobus choris existentibus è lateribus Altaris majoris; Agnoscentes autem à se ipsis & ex propria facultate id prætendere non posse, recursum habuerunt ad Populum, quem ex dicta reædificatione patronum præsupposuerunt, atque ab eo reportarunt dicti chori, vel situs concessionem, quam à Summo Pontifice *Clemente IX.* Regnante confirmari curarunt, deputato pro litterarum apostolicarum desuper expeditarum executione qualificato Cardinali, coram quo assumpta disputatione.

Scribentes pro Custodibus procedebant cum terminis generalibus, quos in materia beneficiali quotidianos habemus super executione litteris apostolicis concedenda ex plenè collectis *dec.* 31. *nu.* 1. *par.* 1. *rec. & passim*, deducendo etiam dictæ concessionis ratidnem, quod scilicet, cum ad præfatos Custodes pertineat imaginis custodia, ac etiam jus ilius administrationis, & cultus, ac venerationis cum cantoribus & clericis per eos assumendis, ita justum & congruū erat concedi ad hunc effectum præfatum chorum, tanquam rem sine qua dicta facultas exerceri non poterat, ex juris propositione, quod ubi aliquid conceditur, concessa censentur omnia ea ea, sine quibus illa concessio effectum sortiri non potest, nè aliàs inanis, ac de vento remaneat *Merlin. decis.* 6. 10. aliàs *dec.* 253. *par.* 6. *recent. nu.* 1. 2 *cum seqq.* & in aliis de quibus *suprà in Nazarena sub tit. de jurisdict. disc.* 20. atque cum his & similibus generalitatibus procedebatur.

Scribens ego pro dicta Congregatione, illud in primis advertebam, quod litteræ Apostolicæ, de quarum executione agebatur, non contineret gratiam ex integro seu concessionem Pontificiam cum ejus absoluta & suprema potestate tollendi jus tertii, dum id in litteris non legebatur, & in dubio non est præsumendum, quoniam non præsumitur Principem velle tollere jus tertii cique præjudicare, nisi expressè dicatur *ad text. in l.* 2. *§. Prætor ait ff. nè quid in loco publico, ubi communiter scribentes,* 3 *de quibus Gomes super regul. de jure tertio quæsito non tollen. q.* 1. *Gabr. eod. tit. de jure tertio quæsit. non tollen. concl.* 1. *cum seqq. cum concor. collect. per add. ad dec.* 666. *n.* 70. *cum seqq. par.* 4. *rec. tom* 3. & habetur frequenter *sub tit. de servit.* super concessionibus, quæ per Principem fiant de locis publicis ad materiam *d. tex. in §. Prætor ait*; Quod si de plano procedit in quocumque Principe, multò magis in Summo Pontifice, qui per dictam regulam expressè profitetur per ejus gratias non tollere jus tertii, 4 nisi expressè dicatur eum speciali derogatione dictæ regulæ, quoties non agatur de gratiis perneccsse, & de sui natura præjudicalibus ex collectis *per Barat. & add, dec.* 576. *Rot. dec.* 11. *p.* 6 *rec. apud Rojas dec.* 336. *cum aliis collectis per adden. ad dec.* 2. *par.* 3. *recent. ex num.* 270. *ad fin. & habetur supra in Messanen. erectionis Collegiatæ, disc.* 9, & *in aliis hoc eodem tit.*

Continent enim dictæ litteræ simplicem confirmationem concessionis factæ per Populum, & sic cum præsuppositio, quod Populo competeret jus faciendi dictam concessionem tanquam de re sua, removendo solum obstaculum, quod militare posset circà potestatem Conservatorum & Populi, seu Consilii faciendi concessionem prædictam, sivè ad effectum illam reddendi firmam & irrevocabilem; nè Conservatores successores, & Consilium possent illam retractare; De natura siquidem confirmationis est nihil addere confirmato, neque ejus naturam, vel qualitatem alterare, aut dare plusquam in actu confirmato contineatur, *Gregor. dec.* 159. *nu.* 5 4. *dec.* 164. *n.* 8. *& dec.* 267. *n.* 1. *Rot. decis.* 219. *n.* 1. *par.* 7. *recent. disc.* 293. *num.* 13. *par.* 11. & habetur *sub tit. de feudis, disc.* 4. *&* 5. *&* 60. *& alibi*, cum sit principium absolutum, quod habemus quo- 6 tidianum in materia Egidianæ, ac statutorum Urbis; Et in specie quod confirmatio intelligatur sine præjudicio tertii, *Gregor. d. dec.* 164. *n. de.*

Quare puncti decisionem pendere dicebam à potestate Populi concedentis, an scilicèt & quale jus haberet, quoniam si talis potestas non competeret, confir matio Apostolica ad nihilum deserviebat, dum non continebat verba talia, quod importare possent novam concessionem juxtà terminos 7 *text. in cap.* 1. *de transact. ubi scribentes*, de quibus *d. tit. de feudis, disc.* 4. *&* 5. *& alibi.*

Pro methodica verò inspectione dictæ potestatis, in duos punctos quæstionem distinguebam, unam super sacra imagine, ac jure proprio ipsorum Custodum, & alteram super ipsa Ecclesia, ejusque singulis partibus, & membris, & quale jus Populo in ea competeret.

Quoad primum, quamvis ex dicto decreto S. Cong. visitationis declaratum esset dictis Custodibus competere retentionem clavium tabernaculi, in quo Sacra imago asservatur, nec non facultatem conducendi clericos & cantores pro canendis laudibus, aliisque consuetis solemnitatibus explicandis, Attamen id nunquam importare potest dominium, quod in hujusmodi rebus ecclesiasticis & spiritualibus non datur in laicis, qui sunt eorum incapaces *cap. causam quæ, cap sacrosancta, & cap.* 8 *massana de elect. ubi glos. & DD. cap. nullus* 16. *q.* 7. *cum concord. per Genuen. in praxi Curiæ Archiep. Neap.* 41. *num.* 22. Et in specialibus terminis habendi claves sacrarum reliquiarum, earumque aliquam administrationem, tanquam absolutum supponitur per *Andreol.* acerrimum defensorem laicorum & Magistratus Civitatis *controv.* 38. *nu.* 1. *& per tot.* & advertitur supra *hoc eodem tit. disc.* 12. Ac habemus in materia cappellarum & sepulchrorum, quoniam licet in laicis detur dominium, adeo ut sint in commercio, quinimò veniant in concursu creditorum, ut in specie habetur apud *Rovit. cons.* 75. *lib.* 2. 9 Attamen id percutit cæmenta & materialia, non

tamen ipsum jus spirituale, circa quod id importat quamdam simplicem administrationem sive honorificam præeminentiam, nunquam tamē dominiū.

Et nihilominus, quicquid hoc jus importaret, id respicit ipsam imaginem, ejusque custodiam, cultum, & administrationem, quod nil commune habet cum dominio Ecclesiæ, ejusque partibus, nam aliud est Ecclesia, aliud verò sunt cappellæ in eadem Ecclesia existentes, ut *decis. 247. nn. 9. par. 7. rec.* 10 *ex Abb. Cardinali & aliis in cap. fin. de jurepatro*; Et quamvis vera sit dicta propositio ex parte Custodum deducta, quod concessa una facultate censentur concessa omnia ea sine quibus illa effectum sortiri non posset, ac inanis remaneret; Attamen id percutit effectum nè PP. impedire possent cantores & clericos per Custodes assumendos, nè laudes canant, aliaque obsequia sacræ imagini congruis & consuetis temporibus præstent, & sic debeant præstare in hoc patientiam modo congruo & decenti, nè aliàs Ecclesiæ servitium, ipsorumque PP. institutum deseratur, vel impediatur; Non indè tamen modo aliquo inferri potest ad facultatem habendi aliquam partem, vel membrum Ecclesiæ in dominio privativè ad ipsius Ecclesiæ Rectorem, vel Prælatum, cujus loco isti PP. successerunt, ejusque jura obtinent, undè quoad jus ipsorum Custodum ex persona propria, res videbatur plana, ita etiam per eos agnita, dùm de proprio jure diffidentes, à Populo tanquam Patrono concessionem obtinere curarunt.

Quo verò ad alterum punctum, seu inspectionem super juribus Populi dictam concessionem facientis, quamvis ego admitterem, quod etiam in Ecclesiis regularibus per constructionem Ecclesiæ acquiratur juspatronatus honorificum, quoniam concluso, ut in Ecclesiis Regularium illud non acquiratur, nisi ex privilegio in limine, procedit ad effectum præsentationis, vel electionis, non autem ad alios effectus præsertim honorificos ex deductis 11 *per Cavaler decis. 265. 321. 336. & 445. Buratt. & Adden. dec. 1. dec. 593. n. 6. & 210. n. 11. p. 5. rec. & frequenter*; Attamen in præsenti non agebatur de nova constructione Ecclesiæ, quæ jam aderat in meliorem structuram redacta, & quamvis talis reductio non importaret simplicem restaurationem, sed haberet speciem novæ constructionis ex integro prævia totali demolitione Ecclesiæ antiquæ, itaut nova indigeret consecratione, juxtà distinctionem, de qua *apud Buratt. dec. 931. n. 7. ubi adden. lit. C. cum concord. ibid. deductis*, attamen id 12 procederet, quando hæc reædificatio habens absque dubio consensum Papæ, qui Ordinarii etiam partes in Urbe implet, ac Rectoris cujus partes implebant dicti PP. facta esset ex integro, ac toto sumptu ipsius Populi, qui dici posset fundator, seu reædificator, Secus autem in præsenti, dum in parte tantùm contribuerat, pro alia verò parte forsan majori constructio facta erat cum antiquæ Ecclesiæ cæmentis, nec non ipsius Congregationis sumptu, sivè aliorum particularium devotorum oblationibus, & elemosynis, quo casu nemo dicitur patronus, sed omnes sunt benefactores, ubi præsertim expressè non est actum de acquirendo 13 juspatronatus, ut etiam habemus in augumento dotis ex *deduct. per Lotter. de benef. lib. 2. q. 8. num. 33. & seqq. Rot. dec. 568. par. 4. recent. dec. 137. post Vivian. cum aliis supra in Papien. visitationis Hospitalis sub tit. de jurisdict. disc. 41.* Potissimè verò stātibus particularibus facti circumstantiis, quod scilicèt, ob suppressionem dictæ alterius domus, ista extitura erat unica, & fortè caput totius Congregationis, cum residentia Generalis, aliorumque superiorum, ideoque, cum jam adesset Ecclesia, quæ licet non adeò conspicuæ, competentis tamen structuræ, omninò libera erat, prorsus improbabile est, 14 quod ob aliquam majorem ampliationem, vel meliorem structuram iidem PP. Ecclesiam liberam, ita servam efficere voluissent, atquè prædictæ laicorum servituti circà imaginem, ex qua plures inquietudines, & inconvenientia de præterito resultaverant, addere quoq; hanc servitutem resultantem ex formali jurepatronatus, vel alia laicorum præeminentia in tota Ecclesia, sed potius probabile est, quod se regulassent cum dicto sacræ scripturæ de Tobia, *sufficiebat paupertas nostra*, vel cum altero, *Melius est modicum cum quiete &c.*

Constituebatur in contrarium magnum fundamentum, in eo quod totum id Apostolica authoritate *Alexandri VII.* sequutum esset; Verùm id nullius momenti videbatur, quoniam dicta Apostolica auctoritas, rectè quidem operativa remanebat 15 circà applicationem voti magis huic Ecclesiæ, quàm alteri pio operi, Sivè circà translationem dictæ imaginis ab una Ecclesia ad alteram, cum suppressione, ac respectivè unione dictæ domus Regularis in Porticu, quæ, & similia utpotè alienationem importantia sine beneplacito Apostolico fieri non poterant, non indè tamen inferri potest ad tollendum jus tertii, ac inducendam servitutem, aliàs de jure non intrantem.

Omnisque difficultas in proposito cessare videbatur, quoniam posita etiam competentia illius juris patronatus honorifici, & sic non omninò pleni, quod in Ecclesia regulari sine privilegio Apostolico in limine dari potest, adhuc tamen non resultabat effectus, de quo erat quæstio, quoniam etiam habens jus patronatus plenum ad omnes effectus, etiam illud præsentationis, dici non potest dominus Ecclesiæ, vel ejus partium, & membrorum, itaut 16 de eis disponere possit, quinimò per *Sac. Concilium Trident. sess. 22. de reform. cap. 11.* ex mente Sacrorum Canonum, ac dispositione aliorum Conciliorum, sub gravibus pœnis eidem interdicatur ne quo, quo modo in temporalibus possit se ingerere, Undè propterea ad summum prætendi posset quædam major præeminentia, ut ita Populi Conservatores, vel dicti Custodes à reliquo populo distinguerentur, quod non controvertebatur; Prout neque ex benevolentiæ, & congruentiæ legibus negabatur præstatio oportunæ patientiæ, ut in eisdem choris, aliisque partibus iidem Custodes consuetum cultum præstare possent sacræ imagini, ejusque solitas solemnitates explicare, sed punctus erat in dominio, ac jure proprio privativè ad ipsos PP. in propria Ecclesia, super quo, reflectendo etiam ad solam veritatem, improbabilis, malèquè fundata videbatur dicta prætensio, negotium tamen adhuc pendet.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

Quæ continentur sub titulo de Præeminentiis, & Præcedentiis, &c.

A

ABBATIA

CANONICORUM Regularium sancti Salvatoris an conferendæ sint religiosis ejusdem patriæ & nationis discur. 36. num. 1. & 8.

ACTUS

In actibus tertio præjudicialibus non attenditur fraus consilii sed præjudicii, d. 13. n. 30.

ADMINISTRATIO

Quæ administratio competat laicis in sacris Imaginibus, Reliquiis, & aliis spiritualibus, d. 12. & d. 40. n. 8. & per totum.

ADOPTIVUS

Cum legitimis & naturalibus an succedat, dis. 36. nu. 7.

ADVOCATUS

Privilegia concessa professoribus legum, an conveniant Advocatis, d. 35. n. 5.

ÆDIFICIUM

Demoliendum quando sit stante nunciatione novi operis, d. 26. n. 8.

ÆSTIMATIO

Recompensæ de reddditu adreditum quomodo facienda, d. 11. n. 12.

AGNATUS

Familiæ verbum convenit agnatis in fideicommissis, d. 13. nu. 5.
Maximè de consuetudine Italiæ, n. 8.
Idem in jure patronatus, d. 13. n. 6.
Quod declaratur n. 11. & 18.
Prælationis ordo attenditur ubi vocantur agnati & cognati, d. 13. n. 20.

AGRICULTURA

Nobilitati non præjudicat si exercetur in bonis propriis, d. 33. n. 14.

ALIENATIO

Bonorum Ecclesiæ an requirat citationem Capituli, d. 6. n. 13.

ALTARIA

Sub eadem invocatione plurium Altarium erectio non permittenenda in eadem Ecclesia, discur. 10. num. 9.

APERITIO

Oris vel reductionis litterarum quando concedenda, d. 8. n. 4.

APPELLATIO

A rejectione Decurionatus & Magistratus admittitur, d. 31. nu. 7.
Hierosolymitanæ Religionis privilegia circa appellationes, d. 34. n. 3.
Prohibita appellatione non censetur prohibita ad ipsum Papam, discursu 34. n. 4.
Ad Papam appellatur omisso medio, d. 34. n. 6.
Ordo gradualis quomodo servandus in appellationibus, d. 34. n. 5.

ARCHIDIACONUS

Archidiaconus & Archipresbyter nostrorum temporum sunt tales non propriè sed abusivè, d. 20. nu. 14.
De Parmensi Archidiacono *Vide* Dictum Innocentii, d. 20. n. 15.
Expenditur n. 23.
Canones loquentes de Archidiacono & Archipresbytero quomodo intelligendi, d. 20. n. 13.
Decisiones agentes de Archidiacono cum Archipresbytero, quomodo intelligendæ d. 20. n. 11.
Prima dignitas regulariter dicitur in Italia, discur. 20. nu. 4.
Sede vacante jurisdictionis exercitium an habeat, d. 19. n. 12.
Pontificales functiones an ab ipso vel Archipresbytero sint faciendæ attenditur consuetudo, d. 20. nu. 16.
Cur sedeat in minus digno loco quàm Archipresbyter, d. 20. n. 9.

ARCHIEPISCOPUS

Nazareni Archiepiscopi præeminentia, d. 16. n. 6.

ARCHIPRESBYTER

In Parmensi Ecclesia cur non possit prætenderet præeminentias quoad Archidiaconum, d. 20. num. 20.
Cur sedeat in Choro in digniori loco quam Archidiaconus, d. 20. nu. 9.
Reliqua *Vide* Archidiaconus.

ARGUMENTUM

Ab absurdis leve, d. 13. n. 21.
Affirmativum vel negativum quomodo procedat in materia nobilitatis, d. 30. n. 21.
A contrario sensu quando intret, d. 12. n. 10.
A finibus temporalibus non valet ad spirituales, & è contra, d. 29. n. 8.
In claris non intrat, d. 21. n. 3.

ARTIFEX

Quis dicatur, d. 33. num. 20.

ASSERTIO

Papæ motu proprio loquentis probat cum distinctione, d. 24. num. 8.

INDEX RERUM NOTABIL.

ATTENTATA

Purgatio quando ante omnia facienda, discursu 26. num. 7.
Baldachinum erigere in Ecclesia Sede vacante an dicatur attentatum, d. 26. n. 2. & seqq.

AUDITORES ROTÆ ROMANÆ

Episcopi si fiant, retinent privilegia Auditorum, d. 28. n. 9.
Privilegiis gaudent etiam quoad gratias expectativas ante auditoratum obtentas, d. 28. n. 9.
In præmium laborum habent privilegia, d. 28. n. 11.
Plures enumerantur electi in Auditores, qui tales non fuerunt, d. 28. n. 12.
Decius fuit electus, sed talis non fuit, d. 28. n. 12.
Effectuata si non fuit electio, an consumat turnum nominationis ad Auditoratum ex Regnis Hispaniarum. d. 28. n. 14.

AVOCATIO

Causarum odiosa & non de facili concedenda d. 8. num. 2.

B

BALDACCHINUM

ERectio facta per Baronem in Ecclesia Sede vacante an dicatur attentatum, d. 26. n. 2. & seqq. ubi resolutio Sac. Congregationis Rituum.
Episcopus an principaliter interessatus dicatur in erectione, & quando, d. 26. n. 10.
Citare principaliter interessatum sufficit in hujusmodi erectione, d. 26. n. 11.
Consuetudo Provinciæ Barensis in materia Baldachini Baronum, d. 26. n. 21.

BARENSIS

Episcopatus Provinciæ Barensis dinumerantur, d. 6. n. 7.

BASILICA

Sanctæ Mariæ Majoris, observantia circa Cappellas Sixti & Pauli, d. 12. n. 9.

BENEFICI

Unius diœcesis, uniri possunt aliis alterius diœcesis, d. 7. n. 16.
Vacant per mortem provisi, licet provisio non esset effectuata, d. 28. n. 4.

BENEPLACITUM APOSTOLICUM

In Compromisso inter Ecclesias an requiratur, d. 4. n. 19.
In Transactione super jurisdictione aliisque Juribus incorporalibus an necessarium sit, discur. 5. num. 6.

BONA.

Religionis Minorum sunt in dominio Ecclesiæ Universalis, d. 11. n. 14.
Quod declaratur n. 16.
Papa est dominus bonorum Ecclesiarum, & potest uni tollere & alteri dare, discur. 11. num. 18.

C

CALEPINUS

CAlepino deferendum est etiam in foro, d. 36. num. 11.

CANCELLARIA.

Observantiæ Cancellariæ quoad Cathedralitatem est deferendum, d. 2. n. 24.

CANONICI

Cathedralis an præcedant in Ecclesia Collegiata vel Parochiali ipsius Collegium vel Rectorem, d. 7. n. 5.
Singulares Canonici non præcedunt Capitula inferiora Collegiatarum, d. 21. n. 6. Declara n. 9.
Deficientia actualis Canonicorum non tollit qualitatem Cathedraticam & Collegiativam, d. 7. n. 14.
Exempti ab Episcopo an esse possint, d. 4. n. 17.
Assistentes in Visitatione Episcopum, an habeant Jurisdictionem & Visitatores dicantur, dis. 18. num. 7.
Innocentius Papa IV. fuit Canonicus Ecclesiæ Parmensis, d. 20. n. 22.
Unus constituit Capitulum, discur. 21. nu. 4. Declara nu. 10.
Sub nomine Nobilium Civitatis veniunt Canonici Cathedralis, dis. 35. n. num. 3. 4. & 22.
Decurionibus & Consiliariis Civitatum assimilantur, d. 35. n. 4.

CANONICI REGULARES

Inter Lateranenses Canonicos Regulares & Monachos Cassinenses quæstio antiqua super præcedentia, d. 24. n. 1.
Inter Sancti Salvatoris Canonicos & Cassinenses quæstio eadem, d. 24. n. 3.
Sancti Salvatoris an sint Canonici per veritatem vel per nuncupationem, d. 24. n. 7.

CAPITULUM

Ab uno vel duobus Canonicis repræsentatur & quando, d. 18. num. 7. & d. 21. n. 4. declara n. 10.
Unum formale potest repræsentari per plura materialia, d. 4. n. 10.
Sede Vacante jus Capituli potest in exercitio competere tantùm uni de Capitulo, d. 5. n. 6. & d. 39. nu. 11.
Unum potest considerari tanquam duo diversa in Juribus distinctis à Cathedralitate, d. 5. n. 2.
Deputare Vicarium in alia Diœcesi an acquirat per observantiam vel præscriptionem, disc. 7. n. 27.
Negligentia prædecessorum Metropolitanorum in hoc non præjudicat successoribus, d. 7. n. 29.
In altera Diœcesi unita potest deputare Vicarium sede vacante, d. 7. n. 3. Contrarium n. 23.
Quid si in una non adest Capitulum actuale, num. 24. & 26.
Nomen Capituli assumi per Collegium potest, prohiberi à Capitulo, d. 7. n. 4.
Interessatum dicitur in causis Ecclesiæ, discur. 6. num. 11.

Citari

Citari an debeat in alienatione bonorum Ecclesiæ, d. 6. n. 13.
Cathedraticorum Jurium exercitium quomodo dividatur inter duo Capitula, d. 5. n. 12.
Æqualitas in divisione requiritur, & inæqualitas tollitur, Ibidem n. 13.
Vicarium deputare si negligat intra octo dies, Deputatio spectat ad Metropolitanum, vel Episcopum antiquiorem, d. 7. n. 25.
Cum Episcopo constituit unum corpus repræsentativum Ecclesiæ, d. 23. n. 6.
Urbis Cathedralis Capitulum quodnã sit, d. 5. n. 11.
Dignitates non sunt de Capitulo, d. 19. n. 10. Neque Beneficiati, p. 21. n. 8.

CAPITULI PRÆEMINENTIA

Intrà propriam Diœcesim debetur Capitulo Cathedralis, d. 18. n. 3.
Omnes præcedit etiam in propriis Ecclesiis & de ratione, d. 18. n. 4. & d. 21. n. 7.
In funere celebrando, & officio canendo in Ecclesia Regulari præeminentia spectat ad Prælatum Regularem, non ad Capitulum Cathedralis, d. 22. n. 2. ubi Resolutio Sac. Congregat, Episc. & Regular. Declara n. 10.
Episcopo mortuo vel Infirmo jus faciendi funus vel Sacramenta administrandi pertinet ad Capitulum privativè ad Parochum, d. 19. n. 6.
In Regularium Ecclesia habet aliqualem Iurisdictionem & superioritatem, d. 22 n. 7.
Magistratum Civitatis præcedit Capitulum, d. 23. n. 2. ubi Resolutiones Sar. Congregationis Rituum, Et quemnam Magistratum præcedat, n. 8.
In multis habet Juridictionem ac superioritatem in Populum & Magistratum sæcularem, d. 23. n. 7.
Vicarius an verò Capitulum præcedere debeat. *Vide* Vicarius.
Cathedralis an præcedat in Collegiata vel Parochiali Ecclesia illius Collegium vel Rectorem, d. 7. n. 5. & d. 21. n. 6. & d. 22. n. 9.

CAPPELLÆ

Pontificiæ & Curiæ observantia circa Episcopos suffraganeos, disc. 16. n. 10.
Sixti & Pauli in Basilica S. Mariæ Majoris observantia, dis. 12. n. 9.
Patronus non est dominus illius, sed habet Jus honorificum, d. 12. n. 5. d. 40. n. 16.
De Jurepatronatus Cappella non desinit esse de Ecclesia, d. 12. n. 8.

CATHEDRALIS

Nomen Cathedralis quando incœpit, d. 3. n. 15.
Qualitas semel impressa & possessa præsumitur continuata, d. 4. n. 3.
Collegium habere debet, d. 4. n. 15. & potest esse diversum à Capitulo, dis. 5. n. 9.
Recognoscere alteram in superiorem & Magistram an possit, d. 4. n. 18.
De distinctione jurium, quæ sunt Cathedrali per necesse annexa ab aliis diverso jure competentibus, d. 5. n. 2.
Per duas Ecclesias materiales repræsentari potest d. 2. n. 16. & d. 4. n. 10.
Præeminentiarum & Cathedraticorum jurium modus dividendi inter duas Ecclesias d. 5. n. 12.
Æqualitas in ista divisione requiritur & inæqualitas tollitur, ibid. n. 13.
In Collegiatam an erigi possit, d. 2 n. 18. & d. 4. n. 16. Datariæ & Cancellariæ observantiæ est deferendum in hac materia, d. 2. n. 24.

CATHEDRALES VARIÆ

Montis Sancti Angeli Ecclesia an sit Cathedralis, d. 2. n. 4. ubi resolutiones Sac. Congregationis & Rotæ.
Sanctæ Mariæ del Pilar antiqua Cathedralitas, d. 3. n. 2. & seqq. Et de adminiculis n. 19.
Urbis Cathedralis quænam Ecclesia dicatur, d. 5. n. 11. & quodnam ejus Capitulum. n. 11.
De Cathedralibus & earum Civitatibus, quæ actu non extant. d. 7. n. 15.

ERECTIO CATHEDRALIS

Quomodo fiat & an egeat justificatione, d. 1. n. 12.
Consistoriale decretum etiam sine litteris sufficit, d. 1. n. 13.
Ad Principum preces fit erectio, d. 1. n. 14. & d. 6. n. 14. & 15.
Non usus an tollat effectum gratiæ erectionis, d. 1. n. 16.
Soli Papæ pertinet illius erectio, d. 7. n. 17.
De Erectionibus, & divisionibus factis novarum Cathedralium, d. 6. n. 3.
De Requisitis pro novæ Cathedralis erectione cum dismembratione alterius Diœcesis, dis. 6. n. 2.
Arbitaria est materia, d. 6. n. 4.
Arbitrium quomodo regulandum, n. 5.
Mos Regionis est attendendus, d. 6. n. 6.
Ne prima Ecclesia depauperetur attenditur, non autem quod divitiæ minuantur, discur. 6. num. 8.
Status in quo remanet Ecclesia antiqua consideratur, d. 6. n. 9.
Novæ Ecclesiæ status attenditur, dis. 6. n. 10.
Derogatio Juris Tertii non requiritur, discur. 6. num. 12.
Persona quæ erectionem petit satis attenditur, dis. 6. num. 14.
Casus in quo justè fuit denegata erectio, discur. 6. num. 16.

VNIO ET DIVISIO CATHEDRALIUM

Vnire vel dividere Cathedrales, illisque territorium assignare, vel erigere vel supprimere, soli Papæ pertinet, d. 7. n. 17.
Unio duarum Cathedralium æquè principaliter facta efficit ut unaquæque retineat suas præeminentias distinctas, d. 7. n. 6.
Reliqua ad materiam Unionis. *Vid.* Verb. *Vnio.*

CATHEDRALITAS

Si de novo transfertur ad unam Ecclesiam, non dicitur abdicata ab antiqua d. 4. n. 12.
Absque authoritate Papæ non potest transferri de una ad aliam Ecclesiam, d. 4. n. 13.
Per signa & adminicula probatur, d. 2. n. 5. & quæ sint, d. 3. n. 8. & 19.
Per electionem Episcopi probatur, discur 2. num. 5.

Sedes Episcopalis fixa in Ecclesia, signum est Cathedralitatis, disc. 2. n. 8.
Intitulatio Episcopi, disc. 2. n. 9.
Insignia seu Sigilla, disc. 2. n. 10.
Possessio in Ecclesia capta per novum Episcopum, disc. 2. n. 11.
Habitatio Episcopi fixa penes Ecclesiam, disc. 2. num. 12.
Celebratio dedicationis Ecclesiæ, d. 2. n. 13.
Historiæ probant Cathedralitatem, d. 2. n. 14. & quando disc. 3. n. 10.
Ubi datur Episcopus, ibi Cathedralitas, disc. 3. nu. 7. & 16.
Ex aliis adminiculis probatur, d. 2. n. 15.
Æquivora signa & adminicula ex quibus reddantur, disc. 2. num. 25. non probant discursu 3. num. 9.
Et quando talia dicantur, n. 17.
Quomodo in hac materia sit procedendum dis. 2. n. 26.
Ex quibus excludatur Cathedralitas, d. 4. n. 14.
Per Canonicorum deficientiam non cessat qualitas Cathedratica, d. 7. n. 14.

CAUSA.

Avocatio causarum odiosa, & non de facili concedenda, dis. 8. n. 2.

CEREMONIALE

De Ducibus, & Marchionibus disponens de quibus intelligat, d. 26. n. 20.

CHORUS.

Archipresbyter cur sedeat in digniori loco in Choro quàm Archidiaconus, d. 20. n. 9.

CHRISMA

Vbi conficit Episcopus, ibi missam celebrare debet d. 2. n. 2.

CHRONISTÆ

Circa Regnorum & Provinciarum situationem, & divisionem deferendum est Chronistis, & Geographis, d. 29. n. 5. Declara n. 15.
Circa identitatem familiæ illis standum est d. 32. num. 18.

CITATIO

Capitulum an sit citandum in alienatione bonorum Ecclesiæ, d. 6. n. 13.
In erectione Baldachini, & Throni in Ecclesia citare sufficit principaliter interessatum, d. 26. num. 11.

CIVIS ET CIVILITAS

Civilitas forensis in alterius præjudicium, an possit dari per Civitatem, & quando, d. 13. n. 26. Declara, nu. 31.
Fictam civilitatem solus Princeps concedit in præjudicium tertii, d. 36. n. 3.
Allectus civis, quando habendus sit pro vero, dis. 36. n. 4.
Naturalibus civibus sunt conferenda officia Civitatis, d. 36. n. 5.
Ficta quando operetur, d. 36. n. 6.
Privilegiativa seu ficta an sufficiat ad capacitatem bonorum remissivè disc. 37. n. 2.
Domiciliaria quando quæsita dicatur, d. 37. n. 3.
Semel contracta domiciliaria, quomodo amittatur, d. 37. n. 4.
Duorum locorum verus civis quis esse potest, d. 37. n. 5.
Nativitas in loco requiritur ad naturalem civilitatem, dis. 37. n. 7.
Quid ubi nativitas est diversa à conceptione remissivè, d. 37. n. 8.
Natus extrà patriam causaliter habetur, ac si in ea verà natus esset, discursu 37. n. 9.
Distinctio inter assequendam civilitatem domiciliariam, & amittendam jam assequutam, dis. 37. num. 10.

CIVITAS

Administratio rerum Civitatis debet esse penes paucos, & de ratione, dis. 39. n. 8.
Ad Regimen Civitatum quare familiæ nobiles aggregent alias, d. 30. n. 16.
Officia Civitatis conferenda sunt naturalibus civibus, d. 36. n. 5.
Clericatus in persona nobili, vel cive an tollat civicas prærogativas, d. 35. n. 23.
Cartiliariis, & Decurionibus Civitatum assimilantur Canonici Cathedralis, d. 35. n. 24.
Admissio ad Magistratus, & officia Civitatum pertinet ad totum Populum vel Consilium generale, dis. 31. n. 5. & d. 39. n. 10.
Penes totam Civitatem habitu dicuntur esse, quæ sunt actu, & in exercitio apud particularem Magistratum, d. 39. n. 6.
De Venetinæ Civitatis antiquo statu, & præeminentiis, d. 35. n. 2.
Ferrariæ Civitatis præeminentiæ ejusque studium, dis. 39.

CLERICUS

Digniores sunt Clerici laicis, eosque præcedunt. d. 23. n. 9.
In persona nobili & cive, an Clericatus tollat civicas prærogativas, d. 35. n. 23.

COGNATUS

Sub nomine familiæ regulariter veniunt cognati, & agnati, d. 13. n. 7.
Contrarium in fidei commissis, d. 13. n. 5. Maximè de consuetudine Italiæ n. 8.
In jure patronatus non veniunt, d. 13. n. 6. Declara n. 11. & 18.
Cognatis & agnatis vocatis attenditur ordo prælationis in agnatis, d. 13. n. 20.
Immediatè procreatà fœmina agnata magis diliguntur, d. 13. n. 33.

COGNOMEN

Usus ejusdem cognominis, an prohiberi possit alteri, d. 10. n. 10.
Assumptio quando prohiberi debeat, d. 30. n. 13.

COLLEGIATA

Per Episcopum an erigi possit, d 8. n. 6. & 9.
De signis exclusivis collegialitatis d. 8. n. 7.
De æquivocis signis collegialitatis, d. 8. n. 8.
Absq; titulo explicito probatur per signa d. 8. n. 10.
Signa univoca, & æquivoca qualia sint d. 8. n. 11.
Missæ conventalis omissio, an excludat collegialitatem, dis. 8. n. 12.
Insignis quando dicatur, dis. 8. n. 14.

Requisi-

Requisita substantialia pro illius erectione, quæ sint, disc.9.num.11.
Consolationis populi narrativa in erectionis gratia, de quo populo intelligatur, disc.9.n.12.
Incrementum divini cultus quomodo consideretur in erectione, disc.9.nu.13.
Per Canonicorum deficientiam non cessat qualitas Collegiativa, disc.7.n.14.
Capitula Collegiatæ non præceduntur à singularibus Canonicis Cathedralis, disc.21.n.6.

COLLEGIUM

In Cathedrali erigi potest diversum à Capitulo, disc. 5.num.9.
Plura in eadem Ecclesia, disc.5.n.10.
Corpora universalia, & Collegia præcedunt singulares, disc.21.n.9. Ubi declaratur.
Statutum tribuens facultatem admittendi ad Collegium personis certam qualitatem habentibus, an dicantur arctativum, vel facultativum, disc.31.numer.2.
Judicium rejicientium à tali cooptatione, quando possit convinci. disc.31.n.3.

COMPROMISSUM

Inter Ecclesias, an requirat beneplacitum Apostolicum, disc.4.n.19.

CONCESSIO

Principis, & fortius Papæ intelligitur sine tertii præjudicio, disc.40.n.3.& 4.

CONCILIUM

Constantiense revocat omnia gesta durante schismate, disc.2.num.20.
Ratio revocationis, disc.2.n.21.
Tridentinum Pontificalium usum prohibens in aliena Diœcesi, de quo usu intelligatur, disc.14. numer.3.
Præscriptio, vel consuetudo non datur contra dispositionem Concilii Tridentini ob decretum irritans appositum in ejus confirmatione, disc.7.numer.28.

CONCURSUS

Ad Parochiales unius Diœcesis non valet, si fiat coram examinatoribus alterius Diœcesis unitæ, disc. 7.num.22.

CONDITIO

Per legitimè impeditum habetur pro impleta, disc.28. num.7.

CONFIRMATIO

Non alterat naturam confirmati, neque aliud dat de novo, disc.40.nu.5.
Intelligitur sine tertii præjudicio, ibid. numer.6.

CONFRATERNITATES.

Absque Episcopi licentia erigi non possunt, disc.10. num.6.
Plures ejusdem tituli, & Instituti erigi prohibentur per Constitutionem Clem. VIII. disc.10.num. 8.& 12.
Ubi quomodo practicari, ac intelligi debeat.
Festivitatee & solemnitates quomodo celebrari debeant per plures Confraternitates ejusdem instituti, disc.10.nu.13.

CONGREGATIO RITUUM

Præeminentiarum controversias decidit, discurs. 8. num.3.
Remissoriam concedit inferiori advetsus primam dignitatem super probatione consuetudinis cum clausula sine præjudicio, dis.19.num.2. *Vide* dis.20. num.17.
Quomodo hic stylus procedat, discurs. 19. numer.3.
Resolutionibus ejusdem deferendum est in materia præcedentiæ, & præeminentiarum, discurs.23. num.4.

CONSANGUINITAS,

Consanguinitatis seù sanguinis verbum quid significet, dis.13.n.17.

CONSECRATIO.

Consecratio, & constructio publica Ecclesiarum, quando incœpit, d.3.n.14.

CONSILIARII

Civitatum successerunt in locum Decurionum, disc. 30.num.5.
Statuta demandantia admitti ad Consilium Civitatis personas certam qualitatem habentes, an dicantur arctativa vel facultativa, d.31.n.2.
Judicium rejicientium, quando non possit convinci, dis.31.n.3.
Datur distinctio n.4.
Reliqua, *Vide* In verbo Decutiones.
Admissio Consiliarii in locum deficientis, spectat ad totam Civitatem, d.39.n.10.
Facultas indagandi vitam & mores apud parvum consilium, num.9.

CONSTITUTIONES

Pontificum ante schisma sunt attendendæ, discurs.2. num.3.
Bonifacii IX. revocatoria unionum, exemptionum, ac aliarum gratiarum, dis.2.n.19.
Clem. VIII. de non erigendis pluribus Confraternitatibus ejusdem tituli, & instituti, discurs. 10. num.8.
Quomodo intelligenda, n.12.
Gregorii XIII. moderatoria privilegiorum Regularium, dis.10.n.2.
Ejusdem super præcedentia inter Regulares, disc.24. num.4.
Pii V. super Rosarii Congregatione, quomodo intelligatur, dis.10.n.3.
Ordinariorum authoritati in ea non derogatur, num.4.

CONSUETUDO

Extendenda non est, sed in solo casu individuo attenditur, dis.13.n.9.
Præcedentiam tribuens minus dignis dicitur corruptela, discurs.16.num.11.discurs.18.num.5. disc.30. num.14.
In materia præcedentiarum, & titulorum standum est consuetudini, & quando, d.23.n.12.d.24.n.4. disc. 30.num.4.
Contra jus non dicitur, quæ canonizat unam ex duabus controversis opinionibus, d.18.n.7.
Sac. Congregatio Rituum, quomodo concedat remissoriam ad illam probandam, *Vid.* Congregatio Rituum.

Immemorabilis debet esse, ut inferior faciat functiones primarias, discursu 19.n.4.
Canonizationem per tres sententias conformes requirit immemorabilis, disc.19.n.5.
Judicandi inducitur per binas judicaturas, disc.23. num.3.
Irrationabilis dicitur corruptela, dis.24.n.5.

CONSULENTES

Doctrina consulentium, in quo consistat, discurs.18.numer.8.

CONVENTUS

Ex quibus causis sit supprimendus, d.5,n.14.

D

DATARIA

OBservantiæ est deferendum circa Cathedralitatem, disc.2.n.24.

DECIMA

Privilegia societatis Jesu super exemptione à consuetudine decimarum canonizantur, d.29.n.3.

DECISIONES

In uno dubio editæ sunt præsupponendæ in disputatione alterius, dis.5.n.3.
Non revocantur incidenter, dis.7.n.7.
Attendendæ non sunt in iis, quæ incidenter dicuntur, disc.7.num.13.

DECLARATIO

Dispositionem novam non continet, dis.28.n.6.

DECRETUM IRRITANS

Consuetudinem vel præscriptionem contrariam irritat, d.7.n.28.

DECURIONES

In decurionum locum successerunt Consiliarii Civitatum, dis.30.n.5.
Nobiles dicuntur, d.30.n.6.
Canonici Cathedralis assimilantur Decurionibus, dis. 38.num.24.
Statuta demandantia admissionem ad decurionatum personatum certam qualitatem habentium, an dicantur arctativa vel facultativa, d.31.n.2.
Datur distinctio, num.4.
Judicium rejicientium à tali admissione, quando non possit convinci, dis.31.n.3.
Appellatio datur ab hujusmodi rejectione, disc.31. num.7.
Ad totum populum seù Consilium generale pertinet Admissio, dis.31.n.5.

DEFUNCTUS

Funus defuncti, an possit dici solemnitas, disc.15.numer.2.

DEROGATIO

Juris tertii non requiritur in gratiis de sui natura præjudicialibus, d.6.n.12.
Prima dignitas Ecclesiæ, an contendat cum dignitate inferiori, vel cum toto Capitulo, quænam sit differentia, d.19.n.6.
Consuetudo ut functiones fiant per inferiorem non per primam dignitatem, debet esse immemorabilis, disc.19.n.4.
Remissoria quomodo concedatur ad probandum functiones primarias fieri per dignitatem inferiorem, dis.19.n.2.& 3.
Vicarius capitularis, vel generalis non potest se ingerere in functionibus Pontificalibus in præjudicium primæ dignitatis, d.19.n.7.
Functiones pontificales, & majores spectant ad primam dignitatem, & de ratione, d.19.n.11.
Quod procedit quocunque nomine dicta dignitas nuncupetur, d.20.n.10.& 12.
De Capitulo non sunt dignitates, discurs. 19.numer.10.
Sede vacante, an de jure exercitium jurisdictionis pertineat ad Archidiaconum, & primam dignitatem, dis.19.n.12.
Archidiaconatus in Italia regulariter dicitur prima dignitas, d.20.n.4.
Quænam sit prima dignitas, quomodo dignoscatur, disc.20.num.5.
Ex sessione in loco digniori, an cognoscatur, disc.20. num.6.
Duæ majores dignitates coæquales possunt esse in eadem Ecclesia, dis.20.n.7.
Nobiles Civitatis, an dicantur habentes in Cathedrali dignitates, disc.38.num.22.
Ecclesiastica, quæ soli comparatur, præferenda est temporali, comparata Lunæ, d.23 n.5.
Nova superveniens non tollit privilegia competentia primæ dignitati, adhuc non possessæ, discurs.23. num.8.

DIOECESIS.

Clerici unius Diœcesis tenentur accedere ad Synodum celebrandum in altera Diœcesi unita, disc.7. num.2.
Beneficia unius possunt uniri aliis alterius, discurs.7. num.16.
Episcopus duarum potest Tribunal erigere, & Synodum celebrare in una, & convocare subditos alterius, d.7.n.21.
Concursus ad Parochiales unius non valet, si fiat coram examinatoribus synodalibus alterius unitæ, d. 7.num.22.
Capitulum unius Sede vacante deputat Vicarium in altera unita, d.7.n.3.
Contrarium, num.23.
Quid si in una non adest Capitulum actuale, n. 24.& 26.
Observantia & præscriptio quid in hoc operetur, dis. 7.num.27.

DISTANTIA

De loco ad locum quomodo mensuranda, d.1.n.2.
Inter Ecclesias & Monasteria quænam sit servanda, disc.10.num.11.

DISTRICTUS

Quid significet, disc.14.num.2.

DOCTORES

Doctrina & excellentia Doctorum, in quo consistat, disc.18.n.8.
Circa consuetudines, & ea quæ facti sunt, illis non defertur, d.20.n.21.
In legibus & medicina veniunt sub nomine Nobilium Civitatis, d.35.n.3.& 4.
Scientiarum Professi non Doctores, an dicantur Noles, ibid.n.6.
Dignitas dicitur doctoratus, & nobilitat, ibid.n. 8.
In Chirurgia an nobiles dicantur, dis.eodem n.9.
Filii Doctorum dicuntur nobiles, eodem n.10.
Ex solo privilegio alicujus feudatarii, non autem in publica universitate creati non gaudent præeminentiis Doctorum, eod.n.11.
Et quando gaudeant, num.12,& 13.
Non docti an gaudeant prærogativis Doctorum, eodem num.14.
Generosam nobilitatem necessariam ad habitus militares non tribuit Doctoratus, eodem n.20.
Calepino deferendum est etiam in foro, dis.36.n.11.
Decius fuit electus in Auditorem Rotæ, sed postea talis non fuit, d.28.n.12.
Innocentii dictum expenditur circa Archidiaconum Parmensem, discurs.20, n.15.& 23.

Canonicus Ecclesiæ Parmensis fuit, discurs. 20. num, 22.
Vamesf. cons. 10. *lib.* 1. expenditur, d. 5. n. 15.

DOMICILIUM

Habitatio causativa seù occasionalis in loco non inducit domicilium, neque causat desertionem proprii domicilii, d. 37. n. 6.
Domiciliaria civilitas, *Vide* in verbo Civilitas.

DOMINIUM

Bonorum Religionis Minorum est apud Ecclesiam universalem, d. 11. n. 14.
Quod declaratur, n. 16.
Per Principis concessionem transfertur illicò una cum possessione absque traditione, discurs. 27. numer. 3.
Non procedit in officialibus habentibus annexam administrationem, d. 28. n. 10.
Declara, num. 13.

DOMINUS

Prohibere potest aliis ne ingrediantur domum propriam & fundum ipso invito, d. 12. n. 2.

DUCES

Ceremoniale ubi loquitur de Ducibus & Marchionibus, de quibus intelligatur, d. 26. n. 20.
Præeminentiæ Ducibus debitæ non debentur feudatariis inferioribus eandem dignitatem habentibus, disc. 26. num. 14.
Declaratur, num. 23.

DUCATUS

Urbini erectio, disc. 1. num. 20.

E

ECCLESIA

COnstructio publica Ecclesiarum quando initium habuit, disc. 3. num. 14.
Et quando illarum consecutio, d. 3. n. 14.
Altarium plurium erectio ejusdem invocationis non est permittenda in eadem Ecclesia, discurs. 10. numer. 9.
De distantia servanda inter Ecclesias & Monasteria, disc. 10. num. 11.
Episcopus an interesse habere dicatur in causis Ecclesiarum diœcesis, d. 26. n. 12.
Cathedralis an possit erigi in Collegiatam, discurs. 2. num. 18.
Vide Cathedralis.
Collegiata an possit erigi ab Episcopo, discurs. 8. num. 6. & 9.
Vide Collegiata.
Filialis vel inferior si assumat novum statum collegialem & Cathedraticum, præcedit ejus matricem, d. 9. num. 4.
Derogatio juris tertii etiamsi non adesset, disc. 9. num. 5.
Vel clausula *sine præjudicio* esset apposita, disc. 9. num. 5.
Amplia etiam si matrix eandem dignitatem post eà haberet, d. 9. n. 6.
Declara, num. 7.
Oblationes quæ fiunt Ecclesiæ pertinent ad illius Rectorem, dis. 11. n. 17.
Servitus in Ecclesia dicitur alienatio cadens sub extravag. ambitiosæ, d. 26. n. 13.
Sedile in Ecclesia an concedi possit, *Vide* Sedile.
Universalis Ecclesia habet in dominio bona Religionis Minorum, dis. 11. n. 14.
Declara, num 16.
Papa est dominus bonorum Ecclesiarum, & potest uni tollere & alteri dare, d. 11. n. 18.
Cæsaraugustanæ sæcularizatio, *Vide* d. 4. n. 21.
Sanctæ Mariæ del Pilar Cathedralitas, disc. 3. num. 2. cum seqq.
Ejusdem constructio, d. 3. n. 6. & 13.
Sancti Pauli de Urbe cur major sit præeminentia, quàm aliarum, d. 15. n. 7.
Aliud est Ecclesia, aliud sunt Cappellæ & Altaria in ea, disc. 40. num. 10.

ÆSTIMATIO

Recompensæ de redditu ad reditum quomodo facienda, disc. 11. num. 12.

ELECTIO

Episcopi ad quem spectet. *Vide* Episcopus.
Eligere seù deputare aliud est, aliud verò proponere seù nominare, d. 31. n. 6.

EPISCOPUS

Collegiatam erigere an possit, d. 8. n. 6. & 9.
In Confraternitatum erectione requiritur ejus licentia, disc. 10. num. 6.
In Baldacchini erectione facta per Baronem in Ecclesia an dicatur principaliter interessatus, discurs. 16. num. 10.
In causis Ecclesiarum diœcesis quomodo interesse habere dicatur, d. 26. n. 12.
Electio spectat ad Capitulum Cathedralis, disc. 2. numer. 6.
Si duæ essent Cathedrales ad utriusque Capitulum, d. 2. n. 6.
Missam celebrare debet in Ecclesia, ubi Chrisma conficit, disc. 2. num. 2.
Residere potest in quacumque parte diœcesis, disc. 3. num. 18.
Regulares dicuntur ejus ministri, & subditi in divinorum ministratione, d. 10. n. 5
In eorum Ecclesiis præeminentiam habet privativè ad Prælatum Regularem, d. 22. n. 8.
Pontificalibus uti non potest in aliena diœcesi, dis. 16. num. 5.
Synodum celebrare & tribunal erigere potest in una diœcesi etiam quoad alteram, dis. 7. n. 21.
Præcedentiam habet supra omnes in propria diœcesi, disc. 16. nu. 2.
Suffraganeus jurisdictionem habet in Provincia, disc. 16. num. 9.
Et de facultatibus eis competentibus d. 16. n. 16.
Cappellæ Pontificiæ & Curiæ observantia circa præcedentiam suffraganei, d. 16. n. 10.
In actibus Provincialibus quos gerit cum Metropolitano omnes præcedit etiam digniores, & de ratione, d. 16. n. 7.
Quid in actibus indifferentibus in Provincia, d. 16. num. 8.

EPISCOPATUS

Barensis Provinciæ, d. 6. n. 7.
Italiæ sunt in minima æstimatione & auctoritate, disc. 26. num. 25.

ERECTIO

Metropolitanæ & Cathedralis. *Vide* verb. *Cathedralis*, & verb. *Metropolis*.
Collegiatæ, *vide* verb. *Collegiata*.
Ducatus Urbini, disc. 1. num. 20.

EXECUTOR

Vitium non legale gratiæ, an inspicere debeat, disc. 9. num. 17.
Abstinere debet ab executione gratiæ, si inconvenientia oriantur, & Principi replicare debet, discurs. 9. num. 18.

EXEM-

INDEX RERUM NOTABIL.

EXEMPLUM

Judicandum non est exemplis, d.13.n.23.

EXTRAVAGANS

Ambitiosæ *de reb. Eccles. non alien.* an comprehendat serviturem in Ecclesia, d.26.n.16.

F

FACULTAS

NOnusus non præjudicat in facultativis, discurs.30. num.8.

FALSITAS

Expressorum quando gratiam vitiet, d.9.n.10.

FAMILIA

Sub nomine familiæ veniunt Agnati, & non Cognati in fideicommissis, d.13.nu.5, maximè de consuetudine Italiæ n.8.

Idem in Jure patronatus, d.13.n 6.

Declara, num.11.& 18.

Regulariter tamen veniunt tàm Agnati quàm Cognati, disc.13.num.7.

Cooptati in familiam, & eam artificialiter assumentes dicuntur de vera familia, d.13.n.24.

In præjudicium substitui, an possit fieri talis cooptatio, & quando, d.13.n.25.

Per Principem tantum potest fieri cooptatio alteri præjudicialis, disc.13.n.27.

In Jurepatronatus familiari, an succedant cooptati, d. 13.num.29.

Vocata familia intelligitur decognita Testatori, non de postmodum allecta, d.13.n.28.

Nobiles familiæ quare aggregent alias ad Regimen Civitatum, d.30.n.16.

Identitas familiæ *vide* verb. *Identitas*.

FERRARIA

Præeminentiæ Civitatis Ferrariæ, ejusque studium, disc.39.

FEUDATARIUS

Inferioribus feudatariis non debentur præeminentiæ in Ecclesia delatæ Ducibus, & Marchionibus, dis. 26.num.14.

Declaratur num.26.

Barones & feudatarii inferiores non habent veram dignitatem sed abusivam, disc.26.n.18.

De individuitate feudorum dignitatis, discurs.26.numer.18.

In successorem transeunt præeminentiæ quæsitæ feudo, d.26.n.22.

In solidum dicitur esse apud omnes agnatos feudum, ejus tamen exercitium & commoditas penès aliquos, dis.39.n.7.

FINES

A finibus temporalibus non arguitur ad spirituales & è contra, d.29.n.8.

FRUCTUS

Incerta non computantur in fructu, discurs.11.numer.6.

Et quando computentur, n.10.

FUNUS

Solemnitas an dici possit, disc.15.n.2.

Pontificalis functio dicitur facere funus Episcopo vel alteri primario viro, d.19.n.13.

Jus faciendi Episcopo mortuo spectat ad Capitulum privativè ad Parochum, d.19.n.9.

Dignitas una Capituli cum aliis beneficiatis si in eo intervenit, præeminentiæ debentur Parocho, disc.21. num.2.

Ubi resolutio Sacræ Congregationis Rituum.

Prælatus Regularis præcedit Capitulum Cathedralis in funere quod celebratur in Ecclesia Regulari, dis.22.num.2.

Officium celebratur à Prælato Regulari non à Paroco in funeribus in Ecclesia Regulari, discurs.22. num.5.

Contrarium si intervenit Capitulum Cathedralis & de ratione, d.22.n.6.

Declarantur resolutiones Sac. Congr. editæ favore Regularium contra Capitulum Cathedralis, disc.22.num.10.

G

GEOGRAPHI

CIrca situationem & divisionem Regnorum & Provinciarum illis standum est, discurs.29.numer.5.

Quod declaratur num.5.

GRATIA

Conditionalis an per aliquam clausulam efficiatur, d. 28.num.5.

Substantiam an & quando conditio percutiat, dis.28. num.5.

Distinctio inter requirentem vel non requirentem factum hominis, d.1.n.15.

Falsitas expressorum quando eam vitiet, discurs.9.numer.10.

Non usus an eam tollat, d.1.n.16.

Perfecta quando dicatur gratia Papæ, dis.28.n.2. Declara num.10.

Præjudicialis de sui natura non requirit derogationem juris tertii, d.6.n.12.

In Præjudicialibus de sui natura non curantur præjudicia connaturalia & consecutiva, dis.1.num.19.& dis.9.num.5.

Scandalum pariens est retractanda, discurs. 9.numer.16.

Vitium non legale gratiæ an Executor inspicere debeat, dis 9.num.17.

Abstineri debet ab Executione gratiæ, ex qua orirentur Inconvenientia & Principi replicandum, d. 9. num.18.

H

HABITATIO

CAusativa seu occasionalis in loco non inducit domicilium, neque causat desertionem proprii domicilii, d.37.n.6.

HIEROSOLYMITANÆ RELIGIONIS

Privilegia quoad appellationem, d.34.n.3.

Praxis quoad admissionem ad habitum, discurs.31. num.8.

Distinctio inter d. Religionem quoad admissionem & alios casus, d.31.n.9.

Nobilitas quot laterum requiratur pro habitu Militum Justitiæ, d.32.n.2.

Canonizata si est nobilitas per viam judicialem invita Religione, quid expediat Victori, discurs.32. num.5.

Sententiæ Religionis attenduntur super nobilitate, disc.32.num.6.

Quomodo probetur nobilitas ad effectum habitus, disc.32.num.7.

Locus in quo non adsit formalis separatio Nobilium non causat nobilitatem generosam, discurs.32. num.9.

Descendentes ex sanguine impuro Infidelium non admit-

admittuntur ad habitum Justitiæ, discurs.33.numer.3.
Impuritas non præsumitur, sed quilibet censetur purus, donec non constet de impuritate, d.33. n.4.
Testes de publica voce & fama, & reputatione sufficiunt ad probationem puritatis, d.33.n5.
Impuritatis probationes quomodo debeant esse, disc. 33.num.6.
Libelli famosi & occulti non probant impuritatem, disc.33.num.7.
Testes circa impuritatem debent allegare certam causam scientiæ, aliàs non probant, d.33.n.8.
Juris præsumptio non suffragatur in materia nobilitatis, sed eam allegans probare tenetur, discurs.33. num.9.

HISPANIA

Sub nomine Regis Hispaniæ veniunt etiam Regna & Principatus extrà Hispanias, d.29.n.7.
De distinctione Coronarum Regis Hispaniæ, disc.29. num.14.
De Civibus honoratis Hispaniæ reputandis pro nobilibus, de quibus intelligatur, d.32.n.19.
De Idalghis Hispaniæ, d.32.n.20.

HISTORIÆ

Deferendum an & quando sit historiis, d.3.n.10.
Cathedralitatem an probent, dis.2.num.14. & disc.3. num.10.
Identitas est probanda ut probent, d.3.n.11.
Circa situationem & divisionem Regnorum & Provinciarum deferendum est Chronistis & Historiis, disc.29.num.5.
Declaratur num.15.
Quoad identitatem familiæ deferendum est, disc.32. num.19.

I

IDENTITAS

FAmiliæ probanda est cum descendentia ab eodem stipite, d.32.n.15.
Per publicam vocem & famam, & per adminicula probatur & quando, d.32.n.17.
Chronistis in hac materia est deferendum, d.32.n.18.
Distinctio datur circa probationem identitatis, disc. 32.num.16.
Historiæ identitas est probanda, d.3.n.11.
Testamenti an probanda, d.3.n.12.

IMAGINES

An laici sint capaces dominii & cultus Sacrarum imaginum & quando, d.40.n.8.

IMBUSSULATIO

Seu nominatio ad officia nobilia licet obtenta, an probet nobilitatem, d.32.n.23.

IMMEMORABILIS

Canonizationem exigit per tres sententias conformes, d.19.n.5.
Requisita illius, d.20.n.17.
Probatio illius est difficilis, d.22.n.3.
In Decimarum materia frequentius tractatur de immemorabili, dis.22.n.3.

INDEFINITA

Universali æquipollent in favorabilibus, discurs.15. num.4.

INDULTUM

Super Poontificalium usu. *Vid.* Pontificalium usus.

INSCRIPTIO

Antiqua super marmore fidem facit, discurs.2. numer.7.

INSIGNIA

Nobilitatem probat Insignium usus antiquus, disc. 32.num.21.

JURISDICTIO.

Episcopi suffraganei habent jurisdictionem in provincia. *Vid.* Episcopus.
Canonici associantes Episcopum in Visitatione an dicantur habere Jurisdictionem, d.18.n.6.
Sede Vacante illius exercitium an pertineat ad Archidiaconum, d.19.n.12.
Capitulum Cathedralis in Ecclesia Regulari habet aliqualem jurisdictionem & superioritatem, d.22. num.7.
Concedendi potestatem qui non habet, jurisdictionem tamen habet declarandi ejus rei competentiam, dis.26.num.9.

JURISTÆ

Doctrina & excellentia Juristarum in quo consistat disc.18.num.8.

JUS

Pluribus competens conservatur per possessionem unius, d.4.n.20.
Præsumptionem juris habens pro se dicitur habere intentionem probatam, donec limitatio probetur, disc.29.num.12.
Privatio juris quæsiti importat pœnam, discurs.37. num.11.
Sub expresso venit totum id, quod de jure continetur, disc.5.num.4.
Individuum quod habitu residet penes unum corpus vel genus potest in exercitio competere uni & non aliis, d.5.n.5.& d.39.n.7.
Conferendi Jus residens habitu penes Capitulum vel Collegium, actu potest esse penes aliquem ex dicto corpore, d.39.n.7.
Capituli sede vacante potest competere in exercitio uni tantum de Capitulo, discurs.5.numer.6. & dis. 39.num.11.
Canonicum attenditur in Jurepatronatus, non autem Civile, d.13.n.12.
Quod procedit in omni materia Ecclesiastica, d. 13.num.12.
Civilis juris usus à quo tempore habeatur notitia, dis. 13.num.14.

JUSPATRONATUS

Gratiam meram continet, d.12.n.6.
Cappella Juris patronatus non desinit esse de Ecclesia, d.12.n.8.
Jus Canonicum non autem Civile attenditur in jurepatronatus, d.13.n.12.
Distinctio quando dicatur ex fundatione vel ex gratia, disc.24.num.9.
Patronus potest admittere non Patronum ad Juspatronatum, d.4.n.12.
Jus honorificum habet in Ecclesia, non autem est illius dominus, discurs.12.numer.5.& discurs. 40.n.16.
Sub familiæ nomine veniunt Agnati non Cognati in jurepatronatus, disc.13.num.6. Quod declaratur. num.11.& 18.
Aggregati ad familiam an succedant in Jurepatronatus familiari, d.13.n.29.
In solidum penes omnes de familia residet, licèt exercitium sit apud aliquos tantum, discurs. 39. numer.7.
Quando acquiratur ex ædificatione vel reædificatione Ecclesiæ, d.40.n.11.& seq.

INDEX RERUM NOTABIL.

L

LÆSIO

PRo rescissione dimidium excedere debet, disc. 11. num. 4.

Tempus contractus non autem futurus eventus attenditur pro illa regulanda, d. 11. n. 7.

Ultrà bessem dicitur enormissima, d. 11. n. 8.

Possidens rem precario non dicitur læsus, si illa ei auferatur à Domino, d. 11. n. 15.

LAICUS

Dominii reliquiarum, & imaginum aliarumq; rerum spiritualium non est capax, d. 12. n. 4. & d. 40. n. 8. ubi quid eorum jus importet.

Clerici digniores sunt laicis, eosque præcedunt, d. 23. num. 9.

Patronus non est dominus Ecclesiæ, sed habet jus honorificum in ea, d. 12. n. 5. & d. 40. n. 16.

Quid de cappellis, & sepulturis, discurs. 40. numer. 9.

LEGES

Civilium legum usus & notitia à quo tempore habeatur, d. 13. n. 14.

Aliarum Regionum allegantur ubi non disponit jus commune vel leges particulares, discurs. 30. numer. 12.

Editæ pro uno Regno an servandæ sint in Provincia vel parte de novo addita, d. 29. n. 10.

Tempus legis latæ attendendum est circa situationem & divisionem Regnorum, d. 29. n. 6.

Generaliter loquentes generaliter intelligi debent, d. 15. num. 4.

Sub extravagante Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan. an cadat servitus in Ecclesia, discurs. 26. numer. 13.

LIBELLI FAMOSI

Non probant, disc. 33. num. 7.

LITTERÆ APOSTOLICÆ

Justificandæ sunt in omnibus narratis, discurs. 1. numer. 10.

Fallit ubi accedit consensus interessatorum, discurs. 1. num. 11.

Ut executionem habeant sunt justificandæ, discurs. 9. num. 8.

Justificandæ quæ sint, & quæ non in illis, discurs. 9. num. 9.

LOCUS

Dignior quandoque reputatur latus sinistrum, dis. 20. num. 8.

Sedens in digniori loco an reputetur prima dignitas in Ecclesia, d. 20. n. 6.

Archipresbyter cur sedeat in digniori loco quàm Archidiaconus, d. 20. n. 9.

Distantia de loco ad locum quomodo mensuranda dis. 1. num. 2.

M

MAGISTRATUS

CIvitatis præceditur à Capitulo Cathedralis, disc. 23. numer. 2. Ubi resolutiones Sac. Congreg. Rituum.

Capitulum Cathedralis in multis habet jurisdictionem & superioritatem in Magistratum sæcularem, discurs. 23. num. 7. & quemnam Magistratum præcedat num. 8.

Facultas concessa Magistratui per Consilium Generale an sit revocabilis, discurs. 39. numer. 12. & 14.

Admissio ad Magistratus pertinet ad totum populum vel Consilium generale, d. 31. n. 5.

Prædecessores non eligunt successores, disc. 39. num. 10. & 15.

Reliqua quoad admissionem. *Vid.* Decuriones.

Apud Magistratum particularem quæ sunt actu & in exercitio, dicuntur esse habitu penes totam civitatem, disc. 39. num. 6.

MANUTENTIO

Possessio temporis considerabilis est manutenibilis ubi Jus resistit, d. 5. n. 5.

Privilegiato est concedenda si est dubia revocatio privilegii, disc. 2. num. 23.

MATRIMONIUM

Nobilitatem probat Matrimonium & Parentela cum Nobilibus, d. 32. n. 22.

MEDICINA

Professio nobilis, an sit, d. 30. n. 20.

Doctores veniunt sub nomine nobilium Civitatis, d. 35. num. 3. & 4.

De nobilitate medicorum hinc inde, d. 35. n. 15.

Professoribus concessa privilegia, an conveniant illam practicantibus, d. 35. n. 5.

MENSURA

Distantiæ de loco ad locum quomodo facienda, disc. 1. num. 2.

MERCATURA

In rebus propriis non dicitur, d. 33. n. 13.

Quando dicatur mercatura, & quando non disc. 34. num. 9.

Nobilitati quando præjudicat, & quando non d. 33. n. 19. & d. 34. n. 7.

In Gallia, & in Hispania præjudicat, discurs. 33. numer. 16.

Secus Genuæ, & Florentiæ. d. 33. n. 18.

Ad obtinenda officia nobilium Civitatis, an præjudicet, d. 34. n. 8.

Verba ubi sunt æquivoca, & possunt importare actum licitum, vel mercaturam; cui incumbat onus probandi, d. 34. n. 10. & 11.

METROPOLIS

Erectio quomodo fiat, & an egeat justificatione, disc. 1. num. 12.

Concistoriale decretum sine litteris sufficit discurs. 1. num. 13.

Non usus an tollat erectionis gratiam, discurs. 1. numer. 16.

Effectuatio gratiæ in parte sufficit, d. 1. n. 18.

Præscriptio exemptionis à jure metropolitico quid requirat, d. 1. n. 17.

Metropolitanus intra districtum 100. millliarium Urbis nullus datur, d. 1. n. 8.

MISSA

In Ecclesia, ubi fit chrisma debet Episcopus missam celebrare, d. 2. n. 2.

Conventualis omissio, quando excludat collegialitatem, d. 8. n. 12.

MONACHI

Antiquitus non erant Clerici, d. 24. n. 2.

Inter Cassinenses, & Canonicos Regulares Lateranenses quæstio super præcedentia d. 24. n. 1.

Ac

Ac inter eosdem, & Canonicos Sancti Salvatoris, num.3.

MONASTERIUM

Monasteria quantum inter se distare debeant, dis.10. num.11.
Fundatio unius suffragatur universæ Religioni quoad præcedentiam in loco fundationis, d.25.n.5.

N

NARRATIVA

JUstificanda sunt narrata in litteris, & ptivilegiis Apostolicis, ut executioni demandentur, discurs.14. num.5.
De facto justificari sufficit, d.9.n.15.
Observantia longissimi temporis sufficit pro justificatione, d.14.n.6.

NATIO

Verbum quid significet, d.36.n.13.

NATUS

Extrà patriam casualiter, habetur ac si verè in ea natus esset, d.37.num.9.

NAVARRA

Regnum Navarræ non venit sub Indulto loquente de Regnis Castellæ, & Legionis, d.29.n.2.
Unio hujus Regni est æque principaliter facta cum aliis Hispaniæ, d.29.n.13.

NAZARENUS

Archiepiscopi Nazareni præeminentia, discurs.16.numer.6.
Et de hoc Archiepiscopo, d.20.

NEGLIGENTIA

Prædecessorum non præjudicat successoribus, dis.7. num.29.
Aliquorum non præjudicat Ordini, d.24.n.6.

NOBILES ET NOBILITAS

Non præsumitur nobilitas, sed est probanda ab allegante, d.33.n.9.
Quomodo probetur, d.33.n.10.
Per Testes de publica voce, & fama, & communi reputatione, d.32.n.8.
Unicus Testis adminiculatus illam probat, discurs.33. num.12.
Insignium usus antiquus confert ad nobilitatem, dis. 32.n.21.& d.33.n.11.
Matrimonia & Parentelæ cum nobilibus eam probant, d.32.n.23.
Summa felicitas est nasci in Civitate, & per istos facilius probatur nobilitas. d.32.n.10.
Nobiles nascuntur, & incolarum habent etiam in Villis, & in obscuris locis, d.32.n.11.
Quod declaratur, num.13.
Quare nobiles libentius vivant in Villis quàm in Civitate, d.32.n.12.
Nominatio seù imbussulatio ad officia nobilia, licèt non obtenta, an probet nobilitatem, discurs.32.numer.23.
Mercatura an præjudicet nobilitati, *Vide* Mercatura.
Quid de Agricultura, *Vide* Agricultura.
Sententia lata super nobilitate ad favorem fratris, an faciat jus quoad alterum fratrem, discurs.33.num. 21.& 23.
Quid è conversò in casu sententiæ præjudicialis, disc. 33.num.22.
Si non præjudicat talis sententia, facit adminiculum, d.33.n.24.
In dubio pro nobilitate judicandum, discurs.32.numer.24.
De civibus honoratis Hispaniæ reputandis pro nobilibus, de quibus intelligatur, d.32.n.19.
Jurisdictio nobilem facit, d.30.n.7.
Non usus prædecessorum non præjudicat successoribus in materia nobilitatis, d.30.n.9.
Tituli *Nobilis* distinctio circa usum, discurs. 30.numer.10.
De Regalibus Principum est concedere nobilitatem, d.30.n.15.
Familiæ nobiles quare aggregent alias, discurs.30.numer.16.
Argumentum affirmativum non autem negativum quomodo procedat in nobilitate, discurs. 30.numer.21.
Titulus *Nobilis* quid significet, d.30.n.17.
Excellentiam denotat, unde etiam Brutis, & rebus inanimatis convenit, d.38.n.7.
Doctores in legibus, & medicina veniunt sub nomine nobilium Civitatis, & de decisionibus ad eorum favorem, d.35.n.3.& 4.
Reliqua circa nobilitatem Doctorum, *Vid.* Doctores.
Species plures nobilitatis distinguuntur, & primò de magnatitia, & primi Ordinis, discurs.32.numer.14. & dis.35.num.16.
Altera species nobilitatis restrictæ ad certas familias, d.35.n.17.
Alii sunt nobiles Civitatis etiam metropolis, alii magnates, & de differentia, d.35.n.18.
Magnæ Civitatis nobiles præcedunt illos parvarum, disc.35.nu.19.
De generosa nobilitate necessaria ad habitus militares non resultante à Doctoratu, d.35.n.20.
De ordinaria nobilitate, & generica, discurs.25.numer.21.
Canonici Cathedralis, & dignitates, an dicantur nobiles, & veniant sub eorum nomine, disc.35.num. 3.4.& 22.
Nobilitas pro habitu Religionis Hierosolymitanæ, *Vide* Hierosolymitanæ Religionis.

NOMEN ET COGNOMEN

Usus ejusdem nominis, & cognominis, an prohiberi possit alteri, d.10.n. 10. Assumptio quando prohiberi debeat, d.30.n.13.

NOMINATIO

Nominare seù proponere diversum est ab eligere, seù deputare, d.31.n.6.

NOVITATES

Damnabiles sunt, disc.39.num.3.

NON USUS

Vide Verb. *Usus.*

NUNCIATIO NOVI OPERIS

Ædificatum si est non obstante nunciatione novi operis, quando demoliendum sit, disc.26.n.8.

O

OBLATIONES

AD Rectorem Ecclesiæ, cui fiunt pertinent oblationes, disc.11.num.17.

INDEX RERUM NOTABIL.

OBSERVANTIA

Longissimi temporis sufficit pro justificatione narratorum in litteris, & privilegiis Apostolicis, dis. 14. num. 6.

Æquivoca non est attendenda, discurs. 13. numer. 34.

Interpretativa vel præscriptiva quomodo differant inter se, & quando una vel altera sufficiat, disc. 22. num. 4.

Considerabilis quando sit, d. 24. n. 11.

Judicandi inducitur per binas judicaturas, discurs. 23. num. 3.

Circa præcedentiam inter Regulares deferendum est, etiamsi adversetur in aliquibus Constitutioni Gregorii XIII. d. 25. n. 6.

Cappellarum Sixti, & Pauli in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris, d. 12. n. 9.

Cappellæ Pontificiæ, & Curiæ circa Episcopos suffraganeos, d. 16. n. 10.

Cancellariæ, & Consistorii deferendum est, an Cathedrales dicantur æque principaliter, vel subjectivè unitæ, d. 7. n. 18.

OFFICIALIS

Post electionem, an talis illicò dicatur, disc. 28. num. 2. & 3.

Declaratur, num. 10. & 13.

OFFICIUM

In Præeminenentiis attenditur non qualitas personalis, d. 12 n. 3.

Imbussulatio, seù nominatio ad officia nobilia, licèt non obtenta probat nobilitatem, discurs. 32. numer. 23.

ORIS APERITIO

Vel litterarum reductio, quando concedenda, disc. 8. num. 4.

P

PAPA

In spiritualibus duplicem personam repræsentat, dis. 1. num. 3.

Dominus est bonorum Ecclesiarum, & potest uni tollere, & alteri dare, d. 11. n. 18.

Cathedrales erigere vel supprimere, dividere vel unire, illisque territorium dare soli Papæ pertinet, disc. 7. num. 17.

Assertiva Papæ de facto proprio loquentis probat cum distinctione, d. 24. n. 8.

Gratia quando perfecta dicatur, d. 28. n. 2.

Turnum an consumat electio, & nominatio admissa per Papam, & non effectuata, d. 28. n. 14.

In toto mundo jurisdictionem habet quoad spiritualia cum jure territorii, d. 1. n. 4.

PARENTELA

Verbum *Quid significet*, d. 13. n. 13.

Ad agnatos, quandoque restringitur, discurs. 13. numer. 15.

PAROCHIALIS

Ad Parochiales unius Diœcesis non valet concursus factus coram examinatoribus alterius unitæ, disc. 7. num. 22.

PAROCHUS

In propria Parochia omnes præcedit, d. 16. num. 4. & disc. 21. num. 5.

In funere præeminet omnibus etiamsi intervenial dignitas Capitularis cum Collegio Beneficiatorum, dis. 21. num. 2.

Ubi resolutio Sac. Congregationis Rituum.

Sacramenta administrandi Jus, vel faciendi funus Episcopo mortuo spectat ad Capitulum privativè ad Parochum, dis. 19. n. 9.

PATRIA

Quid significet, & quid veniat ab ejus nomine, disc. 36. num 10.

Provincia potest unire sub verbo *Patria* discurs. 36. num. 12.

Natus casualiter extra Patriam habetur, ac si verè in ea natus esset, d. 37. n. 9.

PATRONUS

Non Patronum admittere potest ad Jus patronatum, disc. 4. num. 12.

Jus honorificum habet in Ecclesia, non autem est dominus illius, d. 12. n. 5.

Sepulturæ prohibet inferri aliena cadavera, discurs. 12. num. 7.

POENA

Privatio juris quæsiti importat pœnam discurs. 37. num. 11.

PONTIFICALIA

In aliena Diœcesi Pontificalium usus prohibitus per Concilium Tridentinum etiam Episcopo, disc. 16. num. 5.

De quo usu intelligatur, d. 14. n. 3.

Indulta super honorifico usu, adhuc vigent, d. 14. n. 4.

Quomodo practicanda, n. 9.

De indulto particulari Abbatis S. Pauli de Urbe, disc. 15. n. 6. & 7.

Ubi ratio cur major præeminentia competat huic Ecclesiæ.

Decretum Sac. Congregationis Rituum de non utendis Pontificalibus, nisi in tribus anni solemnitatibus, d. 15. n. 1.

Declaratur decretum, n. 3.

Et qualis sit sensus declarationis, n. 5.

Non usus quando obstet, d. 14. n. 8.

Functiones Pontificales, an & quando spectent ad primam dignitatem, *Vide* verb. *Dignitas*.

Funus facere Episcopo mortuo vel alteri Primario Viro dicitur functio Pontificalis, discurs. 19. numer. 13.

POSSESSIO

Temporis considerabilis est manutenibilis etiam ubi resistit, dis. 5. n. 7.

Reintegrationem perens præsupponit possessionem penes alium, d. 9. n. 14.

Judicis facto possidens non dicitur spoliare, disc. 26. num. 5.

Fallit & quando factum Judicis dicatur spoliativum, n. 6.

Princeps per concessionem illicò transfert possessionem, & dominium absque traditione, d. 28. n. 3.

Non procedit in officiis habentibus annexam administrationem, in quibus dicitur quis Officialis à die admissionis, n. 10.

Quid declaratur, num. 13.

De titulo infecto vel revocabili ubi constat, possessio quantumvis longa tunc nihil suffragatur, disc. 39. num. 13.

PRÆ-

PRÆCEDENTIA
Consuetudini defertur in materia præcedentiæ, & quando, d. 23. n. 12. & d. 24. n. 4.
Consuetudo tribuens præcedentiam minus dignis reputatur corruptela, d. 16. n. 11.
Minus dignum, quandoque occupare locum digniorem non implicat, d. 20. n. 9.
Dignior si acquirit eandem dignitatem, quam prius acquisivit minus dignus, non ob id habet præcedentiam, d. 9. n. 6.
Declara, num. 7.
Capitulum Cathedralis præcedit omnes etiam in propriis Ecclesiis, & de ratione d. 18. nu. 4. *Vide* d. 7. n. 5. & d. 21 n. 7.
Ecclesia filialis, si assumat statum Cathedraticum præcedit Matricem, d. 9. n. 4.
Etiamsi derogatio juris tertii non adesset, n. 5.
Parochus præcedit omnes in propria Parochia, d. 16. n. 3.
Vide Parochus.
Universitates, & corpora universalia præcedunt singulos, licèt digniores, d. 18. nu. 5.
Singulares personæ, quando præcedant singulos de corppre, cui aliàs præcedentia debetur, d. 23. num. 10.
Sac. Congregationis Rituum declarationibus standum in materia præcedentiarum, d. 23. n. 4.
Inter Vicarium, & Capitulum, *Vide* Vicarius.
Episcopi, *Vide* Episcopus.
PRÆCEDENTIA INTER REGULARES
Antiquitas fundationis Conventus attenditur, d. 25. n. 2.
Plures conventus ejusdem Ordinis, ubi sunt in eodem loco, omnes sub Cruce antiquioris incedunt d. 25. n. 3.
Religiosi Conventus modernioris, si interveniant in functione sine illis Conventus antiquioris quem locum occupent, d. 25. n. 4.
Fundatio unius Monasterii suffragatur universæ Religioni in loco fundationis, d. 25. n. 5.
Institutum diversum si habent Religiosi diversorum Conventuum quid servandum, d. 25. n. 7.
Observantia attenditur quamvis in aliquibus adversetur Constitutioni Gregorii XIII. discur. 25. num. 6.
Constitutioni Gregorii XIII. circa antiquitatem in loco regulariter defertur, d. 24. n. 4.
Inter Regulares Canonicos Laternanenses, & Monachos Cassinenses quæstio antiqua super præcedentia, d. 24. n. 1.
Inter Canonicos S. Salvatoris, & dictos Cassinenses eadem quæstio, d. 24. n. 3.
PRÆEMINENTIA
Consuetudini deferendum est in materia præeminentiarum, d. 30 nu. 4.
Capitulo Cathedralis debetur infrà propriam Diœcesim, d. 18. n. 3.
Dignitati loci dominantis congrua est in locis subditis, d. 14. nu. 7.
Ecclesiæ S. Pauli de Urbe major debetur d. 15. num. 7.
Feudo quæsita transit in successorem, d. 26. n. 2.
Feudatariis inferioribus non debentur præeminentiæ debitæ Ducibus, & Marchionibus, d. 26. num. 14.
Declaratur, n. 23.
Personalis qualitas non attenditur quoad præeminentiam, sed munus & officium, d. 12. nu. 3.
Nazareni Archiepiscopi præeminentia d. 16. n. 6.
PRÆSUMPTIO
Habens pro se præsumptionem juris, dicitur habere intentionem fundatam, donec probetur limitatio, d. 29. nu. 12.
PRINCEPS
Thronus in Ecclesia, an erigendus Principi, *Vide* Thronus.
De Regalibus illius est concedere nobilitatem, d. 30. n. 15.
Replicandum est Principi, & ab executione gratiæ abstinendum, ubi inconvenientia orirentur, d. 9. num. 18.
Possessionem & dominium transfert per concessionem absque traditione, dis. 28. n. 3.
Declara, n. 10. & 13.
Quis propriè talis dicatur, d. 26. n. 17.
PRIVATIO
Juris quæsiti importat pœnam, d. 37 n. 11.
PRIVILEGIVM
Primæ dignitatis adhuc noo possessæ privilegia non tolluntur per novam dignitatem supervenientem, d. 28. n. 8.
Manutentio conceditur habenti privilegium, cujus dubia est revocatio d. 2. n. 23.
Per non usum vel contrarium usum tollitur, d. 2. nu. 22.
Ac enervatur illius revocatio, d. 22. n. 22.
Regularium moderatur per Constitutionem Gregorii XIII. d. 10. n. 2.
Ordinarium auctoritati non derogatur in privilegiis Regularium, d. 10. n. 4.
Sancti Dominici privilegia quoad Rosarium quomodo intelligenda, d. 10. n. 7.
PROCURATOR
Pvivilegia concessa legum Professoribus, an conveniant Procuratoribus, d. 38. n. 5.
PROHIBITIO
Dominus prohibere potest nequis eo invito ingrediatur domum, vel fundum proprium, d. 12. n.
PROXIMIOR
Superveniens non removet remotiorem jam admissum, d. 13. n. 2.

Q

QUALITAS
Continuata præsumitur semel impressa, d. 4. & 7. Ubi declaratur.
Una si alteri additur, quando stet qualificativè, vel ampliativè, ita ut una earum sufficiat, d. 13. num. 22.
Personalis non attenditur in præeminentiis, sed solum officium, & munus, d. 12. n. 3.

R

RECTOR
Oblationes ad Rectorem Ecclesiæ pertinent, d 11. num. 17.
REDDITUS
Jurisdictionem admixtam habentes plus æstimantur, d. 11. n. 13.
Æstimatio recompensæ de redditu ad redditum quomodo facienda, d. 11. n. 12.
REFERENS
Sine relato, quando probet, d. 24. n. 10.
REGALIÆ
Nobilitatem concedere est de regalibus Principum, d. 30. n. 15.

INDEX RERUM NOTABIL.

REGNUM.

Hiſpaniæ Regnorum diſtinctio, d. 29. n. 14.

Navarræ non venit ſub indulto loquente de Regnis Caſtellæ, & Legionis, d. 29. n. 2.

Circa ſituationem, & diviſionem Regnorum ſtandum eſt Chroniſtis, & Geographis, d. 29. n. 5.

Leges editæ pro uno Regno, an ſervandæ in Provincia vel parte de novo addita d. 29. n. 10.

Tempus legis promulgatæ non autem antiquæ ſituationis Regni attenditur, d. 29. n. 6.

REGULA

Quid profit regulam habere pro ſe ſeu vocabuli ſignificationem, d. 13. n. 16.

Intentionem fundatam habere dicitur, qui habet regulam, niſi probetur limitatio, d. 13. n. 10. & d. 29. num. 12.

De regula, ſi vinco vincentem te, d. 23. n. 11.

REGULARES

Epiſcoporum miniſtri, & ſubditi dicuntur quoad Divinorum miniſtrationem populo, d. 10. n. 5.

Privilegia moderantur per Conſtitutionem Gregorii XIII. d. 10. n. 2.

Authoritati Ordinariorum loci non derogant privilegia Regularium, d. 10. n. 4.

Status ex quibus cauſis ſit ſupprimendus, d. 5. num. 14.

Præeminentia faciendi officium in funere pertinet ad Prælatum Regularem non ad Capitulum Cathedralis in Eccleſia Regulari, d. 22. n. 2.

Ubi declaratio Sac. Congregationis Epiſc. & Regul. quod declaratur, n. 10.

De præcedentia inter Regulares; d. 24. per tot.

Vide verb. *Præcedentia.*

Epiſcopus ſi intervenit in Eccleſia Regulari præeminentias habet privativè ad Prælatum Regularem, d. 22. n. 8.

REINTEGRATIO

Poſſeſſionem præſupponit penes alium, d. 9. n. 14.

RELIGIO

Sancti Dominici Religionis privilegia quoad Roſarium, quomodo intelligenda, d. 10. n. 7.

Minorum bona ſunt in dominio Eccleſiæ Univerſalis, d. 11. n. 14.

Declara, num. 16.

Obſervantes, & Reformati an conſtituant unam vel duas Religiones, & quando Reformati diſtinguuntur à Religione antiqua, d. 25. n. 8.

Hieroſolymitana Religio, *Vid.* Hieroſolymitana.

RELIQUIÆ.

Laicus non eſt capax cuſtodiæ Reliquiarum, diſcurſu 12. n. 4.

REMISSORIA

Fumo accedente conceditur cum retardatione etiam in executivis. diſcurſu 19. n. 8.

Ad conſuetudinem probandam inferiori adverſus primam dignitatem ſolet concedi cum clauſula ſine præjudicio, d. 19. n. 2. & d. 20. n. 17.

Declaratur quomodo procedat hujuſmodi ſtylus, d. 19. nu. 3.

REMOTIOR

Jam admiſſus non removetur per proximiorem ſupervenientem, d. 13. n. 2.

RESIDENTIA

Epiſcopi poteſt fieri in quacumque parte Diœceſis, d. 3. num. 18.

REX

Sub Hiſpaniarum Regis nomine veniunt Regna, & Principatus etiam extra Hiſpanias, d. 29. n. 7.

ROMANA PROVINCIA

Papæ ſeu Romana Provincia qualis dicatur d. 1. num. 9.

ROSARIUM

Conſtitutio Pii V. ſuper Roſarii Congregationis erectione quomodo intelligenda, d. 10. n. 3.

Privilegia Religionis Sancti Dominici circa Roſarium quomodo intelligantur, d. 10. nu. 7.

ROTA

Sententias non profert, niſi prævia diſputatione, dubiis, & deciſionum editione, d. 4. n. 6.

A deciſionibus declarantur ſententiæ Rotales, d. 4. num. 8.

Sac. Congregationum declarationibus reverentet defert, d. 8. nu. 3.

Auditores Rotæ *Vide* Auditores.

S

SACRAMENTA

ADminiſtrandi jus infirmo Epiſcopo ſpectat ad Capitulum privativè ad Parochum, d. 19. num. 9.

SÆCULARIZATIO

Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ, diſcurſu 4. num. 21.

SCIENTIÆ

Profeſſoribus ſcientiarum privilegia conceſſa, an conveniant illas practicantibus, d 38. n. 5.

Nobiles an dicantur profeſſores ſcientiarum non doctores d. 38. n. 6.

SCHISMA

Concilium Conſtantienſe revocat geſta durante ſciſmate, diſc. 2. n. 20.

Et de ratione, n. 21.

SEDE VACANTE

Juriſdictionis exercitium, an pertineat ad Archidiaconum, & primam dignitatem d. 19. n. 12.

Jus competens in habitu Capitulo poteſt competere unitantùm Capitulari, d. 5. nu. 6. & d. 39. num. 11.

Vicarium deputare poteſt Capitulum etiam in altera Diœceſi unita, d. 2. n. 3.

Contrarium ſi æquè principaliter unitæ ſunt Diœceſes, d. 7. n. 23.

Quid ſi in una non adeſt capitulum actuale, d. 7. num. 24. & 26.

Obſervantia vel præſcriptio quid operetur, d. 7. num. 27.

Negligente Capitulo infra octo dies deputare Vicarium, tunc deputatio ſpectat ad Metropolitanum, vel Epiſcopum antiquiorem, d. 7. n. 25.

Metropolitanorum prædeceſſorum negligentia non præjudicat in hoc ſucceſſoribus, p. 7. n. 29.

Baldacchinum, & Thronum Sede vacante, ſi erigat Baro in Eccleſia attentare dicitur, d. 26. nu. 2. Ubi de reſolutione Sac. Congregationis Rituum.

SEDILE

Prælatus inferior, an concedere poſſit ſedile in Eccleſia, d. 27. n. 4.

Revocabilis an ſit talis conceſſio, & tranſmiſibilis, ſunt opiniones hinc inde, d. 27. num. 2.

Perſonalem eſſe conceſſionem ex circumſtantiis, d. 27. num. 3.

De circumſtantiis reddentibus has conceſſiones irrevocabiles, d. 27. n. 5.

SENTENTIA

Interpretationem recipit à jure, d. 20. n. 18.

Strictè

Strictè intelligenda est & in expressit tantum, d. 4. num. 4.
Super uno ex petitis ferri potest, d. 4. n. 5.
Inter alios lata si non præjudicat facit ad miniculum d. 33. n. 24.
Super nobilitate unius fratris an faciat jus quoad alterum fratrem, d. 33. n. 21. & 23.
Quid si sententia sit præjudicialis, d. 33. n. 22.

SEPVLTVRA

Patronus sepulturæ prohibet inferri aliena cadavera, d. 12. n. 7.

SERVITUS

In Ecclesia dicitur alienatio cadens sub extravag. *Ambitiosæ*, d. 26. n. 13.

SIGNATURA

Gratiæ & justitiæ quando uterque cognoscat de meritis causæ, d. 34. n. 2.
Gratiæ stylus cognoscendi de meritis & de ratione, d. 8. n. 5.

SINISTRA

Dignior quandoque reputatur, d. 20. n. 8.

SYNODUS

Episcopus duarum diœceium potest Synodum celebrare in una, & in ea convocare subditos alteriut, d. 7. n. 21.
Clerici alterius diœcesis debent accedere ad Synodum celebran. in diœcesi unita d. 7. n. 2.

SOCIETAS JESU

Privilegia Societatis Jesu super exemptione à decimis canonizantur, d. 29 n. 3.

SOLEMNITAS

Funus defuncti an solemnitas dici possit d. 15. n. 2.

SPOLIUM

Possidens ex facto Judicis committere non dicitur, d. 26. n. 5.
Fallit & quando factum judicis dicatur spoliativum, n. 6.
Purgatio quando ante omnia facienda, discur. 26. n. 7.

STATUS

Regularis ex quibus causis sit supprimendus, d. 5. num. 14.

STATUTUM

Admissionem ad Decurionatum tribuens personis certam qualitatem habentibus an dicatur arctativum vel facultativum, d. 31. n. 2.
Vide Decuriones.

STUDIUM

Per Principem administrantur studia, d. 39. n. 4.
Ferrariæ studium, d. 39.

SUCCESSIO

Adoptivi an succedant cum legitimis, & naturalibus, d. 36. nu. 7.

T

TERRITORIUM

Diœcesis Utbis quantum se extendat discur. 1. num. 6.

TESTAMENTUM

Identitas testamenti remissivè, in d. 3. n. 12.

TESTES

De communi reputatione & de publica voce & fama probant nobilitatem, d. 32. n. 8.

TITULUS

Diversus destruit contrariam possibilitatem ex adminiculis, d. 2. n. 17
Melioris possibilitatem an & quando tollat, disc. 8. num. 13.
Usus titulorum prohiberi debet & de ratione, disc. 30. num. 11.
Assumptio quando prohiberi debeat, discurs. 30. numer. 13.
Consuetudini defertur in materia titulorum & præeminentiarum, d. 30. n. 4.
Nobilis titulus quid significet, d. 30. n. 17.
Excellentiam denotat & convenit artificibus, animalibus, & rebus inanimatis, d. 30. n. 19. & d. 38. num. 7.
Distinctio circa usum tituli nobilis, d. 30. n. 10.
Illustris, Perillustris & Magnifici titulus, quid significet, disc. 30. n. 18.

TRANSACTIO

Inter duas Ecclesias super jurisdictione, & aliis juribus incorporalibus an requirat beneplacitum Apostolicum, d. 5. n. 8.

TRIBUNAL

Episcopus duarum diœcesum potest erigere tribunal in una, d. 7. n. 21.

THRONUS

Baro si erigat baldacchinum & thronum in Ecclesia Sede vacante an dicatur attentare, d. 26. num. 2. & seqq.
Episcopus an dicatur principaliter interessatus in hujusmodi erectione, d. 26. n. 10.
Citare principaliter interessatum sufficit in hac erectione, d 26. n. 11.
Principi deberur thronus altus in Ecclesia, disc. 26. num. 15.
Absente Principe an erigi possit cum sede vacua d. 26. n. 16.
De praxi inter thronum Papæ & Imperatoris, dis. 26. num. 24.

TURNUS

Electio vel nominatio admissa per Papam & non effectuata an consumat turnum, d. 28. n. 14.

V

VACATIO

Beneficium vacare dicitur per mortem provisi licèt provisio non esset effectuata, d. 28. n. 4.

VALOR

Probatio rigorosa valoris regulatur à decennio, d. 11. num. 5.
In certa non computantur in valore, d. 11. n. 6.
Et quando computentur, n. 10.
Tempus calamitosum non attenditur in regulando valore, d. 11. n. 9.
Quod declaratur, n. 11.

VERBUM

Consanguinitatis quid significet, d. 13. n. 17.
Familiæ non convenit cognatis sed agnatis in fideicommisso, d. 13. n. 5.
Quod procedit de consuetudine Italiæ, n. 8.
Idem in jurepatronatus, d. 13. n. 6
Quod declaratur, n. 11. & 18.
Regulariter verò veniunt tàm agnati quam cognati, d. 13. n. 7.
Natio quid significet, d. 36. n. 13.
Parentela quid significet, d. 13. n. 13.
Ad agnatos quandoque restringitur, d. 13. n. 15.
Patria quid significet, & quid veniat sub ejus nomine, d. 36. n. 10.
Provincia potest venire sub verbo *Patria* disc. 36. numer. 12.
Sanguinis quid significet, d. 13. n. 17.

VESTIGIUM

In eo qui fuit non autem in eo qui nunc est, dantur

dantur vestigia, d. 4. num. 9.

VENUSINA CIVITAS

De antiquo statu & præeminentiis Venusinæ Civitatis, d. 58. n. 2.

VICARIUS

Non præcedit Capitulum ejusque primam dignitatem, d. 18. n. 2.

Contrariam opinionem tenet Sac. Congr. Rituum, d. 18. n. 3.

Consuetudo etiam ritè probata in contrarium non suffragatur, d. 18. n. 4.

Et quando sit substentabilis, num. 6.

Capitularis seu Generalis non potest se ingerere in functionibus Pontificalibus in præjudicium primæ dignitatis, d. 19. n. 7.

Sede vacante an Capitulum possit deputare Vicarium etiam in altera diœcesi unita, d. 7. n. 3. & per tot.

Reliqua *Vide* in verbo *Sede Vacante*.

Urbis dicitur in ea Ordinarius, d. 1. nu. 5.

VISITATORES

Canonici Associantes Episcopopum in visitatione, an tales dicantur, d. 18. n. 6.

UNIO

Unius diœcesis beneficia possunt uniri aliis alterius d. 7. n. 16.

Duarum Cathedralium æquè principaliter facta efficit, ut unaquæque retineat præeminentias distinctas, d. 7. n. 6.

Æquè principaliter facta in dubio præsumitur præsertim in Cathedralibus, & de ratione, d. 7. n. 10. & d. 29. n. 11.

Quando constare dicatur æquè principaliter esse factum d. 7. n. 9.

Facilius illa probatur quàm subjectiva. discursu 7. nu. 12.

Observantiæ Cancellariæ & Consistorii standum est in hac materia, d. 7. n. 18.

Confessio an attendatur ad effectum cognoscendi unionem æquè principalem vel subjectivam, d. 7. n. 19.

Subjectiva extinguit Ecclesiam unitam, & illam facit prædium alterius, d. 7. n. 11.

Subjectiva vel societativa ut personæ unius universitatis dicantur esse de altera, d. 36. n. 9.

Effectus æquè principalis vel subjectivè unionis, d. 29. n. 4. & 9.

Plures Ecclesiæ unitæ sub unius tantùm nomine enunciari solent, d. 7. n. 20.

Ex intitulatione Episcopi sub nomine duarum Ecclesiarum, probatur unio, d. 2. n. 9.

UNIVERSALE

Indefinita æquipollent universali in favorabilibus d. 15. n. 4.

UNIVERSITAS

Universitates seu corpora universalia præcedunt singulos etiam digniores, d. 18. n. 5.

VOLUNTAS

Fundatoris quando adesse dicatur, d. 13. n. 32.

Adminicula aliqua voluntatis disponentis d. 13. num. 19.

URBS ROMÆ

Districtus Urbis, d. 1. n. 6.

Praxis exercendi jurisdictionem intra districtum 40. milliarium quid operetur; d. 1. n. 7.

Territorium seu diœcesis quantum se extendat, d. 1. num. 6.

Metropolitanus intrà districtum 100. milliarium nullus datur, d. 1. n. 8.

Cathedralis Urbis quænam Ecclesia dicatur d. 5. n. 11.

Et quodnam ejus Capitulum, n. 11.

Vicarius dicitur in ea Ordinarius, d. 1. n. 5.

URBINI DUCATUS

Erectio Ducatus Urbini, d. 1. n. 20.

USUS

Titulorum prohibendus & quare, d. 30. n. 11.

Non usus vel contrarius usus tollit privilegium, d. 2. nu. 22.

Revocationem privilegii enervat, d. 2. n. 22.

Quando obstet, d. 14. n. 8.

In facultativis non præjudicat. d. 30. n. 8.

In nobilitatis materia non usus præcedecessorum non præjudicat successoribus, d. 30. n. 9.

TH. LUCA

Th
466a


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN